

IN DIVI PAVLI EPIstolas ad Philippenses, Colossenses, Thessalonicenses ambas, & primam ad Timotheum,

COMMENTARII, NVNC PRImùm in lucem editi:

VVOLFGANGO MUSCULO
DVSANO AVTORE.

Cum locuplete Rerum & uerborum in ijsdem memorabilium Indice.



BASILEAE, EX OFFICINA
Heruagiana: Anno M. D. LXV.



MAGNIFICIS, NOBILIBVS AC PRVDENTISSIMIS VIRIS, D. CONSVLIBVS, ET INCLITIS AMPLISSIMAE BERNATVM REIpublicæ Senatoribus, Patribus patriæ, Dominis ſuis perpetua obſeruantia colendis: Abraham Muſculus gratiam à Deo, & perpetuam ſalutem precatur in CHRISTO IESV Seruatore noſtro.



RAECLARA ſanè, & diuina apoſtoli Pauli ſentẽtia eſt, Viri magnifici, & Patres colendiſsimi, qua & Corinthios & Epheſios docet, Chriſtũ filium Dei ſedentẽ ad dexteram ęterni patris, illum ipſum eſſe, qui non ſolum primitùs Apoſtolos, Euãgeliſtas & Prophetas, ſed & hodie paſtores ac doctores Eccleſiæ ſuæ dare conſueuerit: ad inſtaurationem ſanctorum, in opus adminiſtrationis, in ædificationẽ ſui corporis, ut omnes perueniamus in unitatẽ fidei & agnitionis filij Dei, &c. Celebrans nimirum, & cõmendans hac doctrina immenſam Chriſti gratiam & bonitatem, qua nunquam non ſaluti electorum ſuorum, cùm internis ſpiritus ſancti donis, tum etiam externis ſalutis noſtrę organis clementer proſpicit. Quæ Chriſti ſaluatoris noſtri bonitas, ſi ullo unquam ſeculo, noſtro certè hoc poſtremo uel maximè, toti terrarum orbi conſpicua fuit. Poſtquã enim iam aliquot annorum centurijs, ulciſcente ſic Deo hominum ingratitudinem, lux uerbi Dei traditionibus humanis extincta, totusq; mũdus ſuperſtitionum & errorum tenebris plus quàm Cimmerijs inuolutus eſſet: tandem Chriſtus, cùm hactenus tempora ignorantię huius diſsimulaſſet, miſertus Eccleſiæ ſuæ, idoneos illi denuò, ac præclaros doctores dedit: quos inde ab utero ad opus adminiſtrationis Euangelij ſui ſegregatos, ſpiritus ſui gratia cumulauit, & illuſtrauit, ut ceu clara & diuina lumina, tenebricoſo mundo in hac eius ultima ſenecta prælucerent. Horum excellens in omni doctrinarum genere fuit eruditio, pietas, humanitas, & uitæ ſanctimonia illuſtris, prudentia ſpiritus admirabilis, ſtudium propagandæ ueritatis Chriſti indefatigabile, robur animi infractum & inuictum, ad ſuſtinendos omnes to-

tius mundi impetus: & quis uirtutes omnes tantorum uirorum enarraret? Tales omnino fuisse constat, quos omnes in toto orbe uiri boni admirantur: & selecta Dei uasa, ad profitendum eius nomen coram regib. & gẽtibus, fuisse, uno ore fatentur. Per hos Deus magno cum totius orbis bono, fraudes & imposturas Antichristi detexit, tenebras idololatriæ & superstitionum discussit, lucemque ueritatis Euangelicæ postliminiò reuocauit, & regnũ Christi filij sui in terris quasi restaurauit, & amplificauit. Pro quo summo beneficio (aliud enim maius & salutarius dari non poterat) omnes nos immortales Deo opt. max. gratias agere debebamus.

Porrò cũ singularis gratię & beneuolentię Dei argumẽtum esse constet, quoties huiusmodi illustres ac salutares doctores diuinitùs ad ministerium Ecclesiæ excitãtur: neminẽ cordatum inficiaturũ arbitror, quin si ijdem nobis ingratis, tantorumq; uirorũ præsentia indignis, diuinitùs eripiantur, irati id sit Dei certissimũ indicium. Quamuis enim fatum, necessitatẽq; effugere nemo possit: nemo q; ius illud, ne moriatur, habet (est enim ex æquo moriendũ omnib. doctis pa-
Psalm. 88. riter ac indoctis: unde ἰσοψάλτης Dauid inquit, Quis est homo qui uiuat, & non uidebit mortẽ, eruetq; animã suam de potestate inferni?) in cõfesso tamẽ est apud omnes, & abundè id docẽt priorũ temporum euentus, magnorũ uirorum occasus, Ecclesijs & rebusp. periculosos, ne dicam exitiales fuisse: idq; cùm amissionis, tum ominis ratione. Amissionis quidem, quòd ipsis decedentib. priuantur Ecclesiæ cura, gubernatione, & patrocinio piorum ac pręstantium doctorũ: quæ quanta sit iactura, his præsertim postremis tẽporibus, quibus tanta est bonorum ingeniorũ paucitas, tanta malorũ petulantia, miraq; hominum ad errores & uitia procliuitas, prudentes uiri facilè iudicare possunt. Vt haud aliter ac filij orphani extincto fidelissimo patre, Ecclesia sublatis spiritualib. his suis patribus, orba, deserta, & pessimorum quorumcunq; libidini exposita esse uideatur. Et quemadmodũ miseræ ouiculæ, pastore suo nudatę, irruptionem luporum: ac nauicula sine gubernatore tẽpestuoso pelago innatans, impetum uentorũ & fluctuum difficillimè sustinere potest: sic & Ecclesia suis destituta pastorib. & gubernatoribus, contra

uim

uim & impetum luporũ, uentorumq; falsarũ doctrinarũ difficillimè consistet, seseq; tuebitur. Vnde nõ sine graui causa, sublato in cœlos Elia, eximio propheta, qui annos circiter uiginti Ecclesiæ Dei in Israele præfuerat: Elisæus sortem Ecclesiæ & Reip. deplorãs clamabat, O pater pater, currus & auriga Israel: agnoscens nimirũ, columen & præsidiũ suũ Israelem cũ hoc uiro amisisse. Hinc & sanctus Christi Apostolus graui p Ecclesia Dei cura afficiebatur, quòd sciret post suũ, tãquã fidelissimi pastoris discessum, lupos graues, nõ parcentes gregi, in ouile Christi irrupturos: nec non ex ijs ipsis quitum se Christi discipulos, & Ecclesiæ membra iactabant, uiros exorituros, loquẽtes διεστραμμένα, id est distorta, obliqua, & à rectitudine ueritatis Euangelicæ longè discrepantia. Sic enim solẽt plerunq; eiusmodi ingenia, florẽtib. pijs ac grauib. doctoribus, instar serpentũ ac limacũ latitare: ijs uerò sublatis, postquã censurã eorum uereri desinũt, in lucẽ prodire, & maiore audacia doctrinã recti traditã corrumpere, ac discipulos post se, ut Paulus inquit, abducere. Docẽt hæc exempla omniũ seculorum. Ioas rex Iuda, uiuo ac superstite Ioiada, pio pontifice, legẽ Dei seruabat cum uniuerso populo, & quod rectum erat in oculis Domini faciebat: eo uerò defuncto, insinuantib. sese illi idololatriæ, à pietate defecit, totusq; populus derelinquens domũ Domini Dei patrũ suorũ, seruiebat lucis & idolis. Et post Apostolorum è uita discessus, quod uerè ominatus erat Apostolus, quantæ nõ solũ doctrinæ obscurationes, sed etiã hæreses pestilentes & horrendæ breui tempore inciderunt? Exoriebantur quidẽ statim post Christi in cœlos ascensum, docentib. adhuc Apostolis, uaria pseudapostolorũ & hæreticorũ monstra: qualia erãt, Symõ & Elymas magi, Hymenæus & Alexander, Menander, Hebiõ, Cerinthus, Nicolaitę, &c. per quos Satã, perpetuus Christi hostis, Euangelij propagationẽ uel impedire, uel euertere conabatur: de quib. Ioãnes: E nobis egressi sunt, sed nõ erant ex nobis. & Paulus: Nõnulli circa fidẽ naufragiũ fecerunt. Itẽ ad Thess. Nũc agitur mysteriũ iniquitatis. Verũtamẽ hi apostolica uirtute & doctrina repressi, nõ diu durarũt, minusq; Ecclesijs damni dederũt. Qui autẽ post hos sequuti sunt, ut Saturninus, Basilides, Carpocrates, Valẽtinus, Marcion, Mõ-

tanus, Nouatus, Sabellius, Samosatenus, Manichęus, & reliqua huius farinæ dira hęreticorum portenta, priorib. & durabiliora & nocentiora fuêre. Sublatis enim iã maxima ex parte Apostolis, spiritus uertiginis in Ecclesiam, quasi in uacuã, ut Egesippus ait, & custode suo priuatã domũ, facilius impetum faciebat: ac successores Apostolorũ, ut qui ipsis longè donis inferiores erãt, minus uiriũ & armorum ad ipsum propulsandũ habebant. Taceo quòd illi ipsi qui puriores erant Ecclesiæ doctores, à simplicitate, puritateq; Apostolicę doctrinę iã tum nõnihil recesserant, incõmodas & falsas sententias suis scriptis miscẽtes. Quales sunt Irenæi & Clemẽtis, de peccato originis, de libero arbitrio & lege, nec nõ etiã de summo iustificationis nostræ articulo, in quo nihil nõ humanis tribuũt uiribus: item de animis corpore exutis, quod Dei cõspectu nõ fruãtur ante resurrectionis diẽ: de inferorũ conuersione, & mille annis, quib. pij post resurrectionẽ ante iudicium extremũ, & rerũ cõsummationẽ, corporale regnũ in hoc mundo habituri sunt: quod & senserunt Papias, Iustinus, & alij: quæq; his sunt similes complures, ab Apostolorũ doctrina δι᾽ ὅλων τῶν διαστημάτων dissidentes. Hos deinde amplexi sunt, confirmarũt & auxerunt posteri: ut Origenes, qui præterea etiã fingit ante hunc mundũ fuisse aliũ, quemadmodũ etiã post hunc alius futurus sit: fingit Satanã conuersum iri, damnatorũ pœnas cessaturas, & alia his etiã absurdiora. Tertulianus damnat secundas nuptias, negat baptisandos pueros, subscribit Chiliastis, & accedit Montano de nouo Paracleto, & noua prophetia: & complura alia habet ab Apostolica ueritate uerè διεγραμμένα. Neque his sanior est Cyprianus, qui alium etiam insuper næuum habet de rebaptisatione hęreticorum, qui illi cum multis sui sæculi doctoribus communis fuit. Quantæ uerò ex his principijs tenebrę posterioribus seculis sequutæ sint, cum omnibus notum sit, nihil attinet dicere. Hæc autem à me dicuntur non in illorum contemptum, quos ut sanctissimos patres, & de doctrina Christiana optimè meritos, ueneror & amplector: sed eò, ut ostẽdã, quàm ferè post occasus pręstantiũ doctorum, sanioris doctrinæ sequatur corruptio, & inclinatio: pluresq; hæreses, uel saltẽ errores, pullulare, paulatimq; regnare incipiãt: quibus

bus postea, cum facilius nascantur & crescant quàm extirpentur, plerunq; malè quassatur & turbatur Ecclesia.

Porrò funera tantorum uirorum non solum Ecclesiæ,uerùm sæpè etiam Reip. uulnus imponere solent: quippe quæ impendentium plerunq; maximarum calamitatũ omina & præsagia sunt. Sic enim Deus non solum per defectiones solis aut lunæ,per stellas crinitas,per columnas ignis in aere uolantes, perq; alia id genus ostenta: sed & per sanctorum suorum interitum,exitiũ mundo prænunciat: quos eo ad se cõsilio sæpenumero reuocat, ut ipsos ingentibus malis, quæ sunt oppressura impios, liberet, ne tantum ex ruina & uastitate rerum dolorẽ percipiant,neúe in ipsos quoq; aliqua horum fluctuum pars redundet. Etenim propter ipsos etiam sæpè Deus commeritas pœnas differt, & in gratiam paucorum piorũ quos diligit, totis regnis & urbibus parcit: postquam uerò semel impietatem mundi ulcisci statuit, sanctos suos prius ad se reuocat, quo illis sublatis ultrò liberius grassetur in impios. Vnde fit,ut quorum uita mundo salutaris erat, eorum mors illi exitialis fiat. Hinc est illud quod ad Iosiam pium regem Iuda dicitur à Domino: Quoniam emollitum est cor tuum, & humiliatus es in conspectu Dei, cum audires uerba eius, &c.ecce ego colligam te ad patres tuos, & tu colligêris intra sepulchra tua in pace: & non uidebunt oculi tui omne malum, quod ego induco super locũ istum, atque super habitatores eius. Hinc etiam est quod apud Esaiam prophetam legitur:Iusti pereunt,& nemo est qui consideret: & uiri pij obeunt, & nemo est qui animaduertat, quòd à facie mali colligatur iustus. Quasi diceret propheta: Non intelligit mundus,colligere Deum bonos uiros ceu triticum in horreum suum,ut significet se paulo pòst incendio traditurum paleas. Exempla etiã hoc testantur sacræ historiæ. Quantam post obitum Samuelis prophetæ calamitatẽ Israeliticus populus,in primis uerò rex Saul,totaque eius domus accepit? Mortuo Ioiada pio pontifice,Ioas rex Iuda uno non amplius anno superuixit, maxima prius à Syris accepta clade, tandẽq; miserè à seruis suis lecto decũbens trucidatus. Sic defuncto pio rege Iosia, uastatur Iudęa ab Aegyptijs & Babylonijs:capitur Hierosolyma, & abducitur populus in ca

ptiuitatem: iuxta uerbum quod loquutus erat Dominus per ſeruos ſuos prophetas. Ita ſub tempus poſtremi Iudęorũ excidij, Deus Apoſtolos & ſanctos ſuos alios alio caſu, partim ad ſe transferebat: partim ex ijs locis abducebat, per quæ illa horrenda tẽpeſtas itura erat. Et ut alia omittã, quantã proximis annis cũ Zuinglij occaſu noſtra Heluetia: & poſt Luther, tota penè Germania: Buceri autẽ & Eduardi regis mortẽ Anglia calamitatẽ acceperit, in recẽte omniũ memoria eſt.

Dum hos priorũ temporum euẽtus mecũ reputo, Patres colendiſsimi, non poſſum non de noſtris quoq; periculis uehementer animo angi, & ſolicitus eſſe: eo quòd præſtantiſſima quęq; lumina paulatim inter nos extingui uideam. Etenim, ut de reliquis taceam, intra dies paucos Deus è nobis euocauit duos eximios doctores, PETRVM MARTYREM, Tigurinum profeſſorem, & VVOLFGANGVM MVSCVLVM, Scholæ ueſtræ Theologum: quorũ opera & doctrina non tã noſtris, quàm uniuerſis Chriſti Eccleſijs, perutilis & neceſſaria fuit. Puto autẽ me hoc de uenerando parente meo, uerè & abſq; ullius iuſta reprehenſione dicere poſſe: tãtaq; eius in Eccleſiã Chriſti & omnẽ poſteritatẽ exta re merita, ut timendum mihi nõ ſit, ne quis me hoc ei ex affectione & στόργῃ φυσικῇ tribuere exiſtimet. Teſtantur de eius fide, ſtudio & diligentia, puritate etiam doctrinæ, Eccleſiæ Chriſti, quas multis annis fideliter docuit: teſtantur immẽſi labores, qui publicè extant, & omniũ bonorum iudicio cõprobãtur & collaudantur: teſtatur deniq; ſchola & Reſp. ueſtra, cui uſq; ad extremũ uitæ ſuæ diem operam utiliter impendit: in qua etiam omnibus ſuis collegis, & Eccleſiarũ miniſtris, uobisq; Patres in primis, nec non bonis omnibus gratus, charus, ac reuerendus fuit: ut haud immeritò me, ipſum in eorum doctorũ numero poſuiſſe putem, quorum occaſus maxima Eccleſiæ iactura eſt.

Precor autẽ toto pectore Deum patrem Domini noſtri IESV CHRISTI, ut omne triſtius omẽ ab Eccleſia & Repub. ueſtra auertat: ſanamq; Euangelij doctrinã, quam ipſo dante amplexi, & magna conſtãtia hactenus profeſsi eſtis, in ea ad finem uſq; conſeruet & cõfirmet: errores omnes tam ueteres quàm nouos, hinc inde pullulantes & graſſantes, ab

ea

ea perpetuò arceat & profliget: ut ipſum, & quem miſit IESVM CHRISTVM, rectè agnoſcamus, inuocemus & colamus, ad gloriam nominis ſui, & animarum noſtrarum ſalutẽ. Hic autem noſtri officij eſſe arbitror, ueram doctrinã per hos uiros diuinitùs nobis traditam, & quaſi in ſinum noſtrum depoſitã, magno ſtudio integrè & incorruptè aſſeruare: quæ nobis contra omnes omnium corruptelas, & phanatiſmos inſtar præſentiſsimi antidoti ſit, quamq; ceu Theſei filum in explicanda Scriptura ſequamur. Vnde ego horum ſtudiũ uehemẽter approbo, eosq; perutilem Eccleſiæ Chriſti operam nauare exiſtimo, qui tantis uiris è nobis ſublatis, eorum monimenta, quibus doctrinã ſuam complexi ſunt, quæq; eorum mentis & ſententiæ perpetua quaſi teſtimonia ſunt, ſtudioſè tanquam precioſiſsimas gemmas colligũt, & ad poſteros fideliter trãſmittunt. Propheticos & Apoſtolicos libros diuinitùs non ſolũ inſpiratos, ſed & huc uſq; magno cum totius humani generis beneficio conſeruatos eſſe, nemo Chriſtianus negabit. Qui uerò ſcripta patrũ è tenebris eruta, à ſitu & interitu uindicarunt, & ad nos uſq; propagarunt, quis non fatebitur, incomparabilem Eccleſię theſaurum repoſuiſſe? His autem mihi quàm proximè accedere uidentur illi, qui noſtri quoq; ſeculi illuſtrium doctorum ſcripta diligenter congerunt, orbiq; Chriſtiano communicant. Siquidem illa cum ueterum ſcriptis collata, non minus doctrinę, plus uerò plerunq; puritatis ac perſpicuitatis habent: noſtrisq; temporib. & Eccleſijs, ſine controuerſia, ſunt longè accommodatiora. Scoti uerò, Thomæ Aquinatis & reliquorum ſcholaſticorũ ſpinæ & lacunæ, quas prius ſeculum tantopere admiratum eſt, nullo modo (omnium bonorum iudicio) dignæ ſunt, quæ cum his conferantur.

Hac igitur de cauſa, non parùm me Reip. Chriſtianæ gratificaturum putaui, ſi hos quoq; doctiſsimi ac optimi parentis mei Vuolfg. Muſculi, piæ memoriæ, in epiſtolas Pauli poſtremos labores, publicæ utilitati exponerem. Cuius priora ſcripta, quæ ab ipſo uiuo edita ſunt, cùm tanto piorum omniũ fauore hactenus excepta ſint: nõ diffido, quin hęc quoq; eius poſtrema, iamq; morientis lucubratio, tanquã cygnea cantio, pijs lectoribus grata & accepta futura ſit. Ac utinã,

quod

quod ipſe quoq; ſępè optabat, tantùm illi uitæ diuinitùs con ceſſum eſſet, quo reliquas etiam D. Pauli epiſtolas, eadẽ qua priores perſpicuitate ac diligẽtia nobis explanaſſet: quantũ, Deum immortalem, theſaurum haberemus, multo auro redimendum? quoniam uerò aliter Deo uiſum eſt, hæc eius quaſi λείψανα, Dei gratia nobis cõceſſa, gratis animis accipiamus: & ad eum finem accõmodemus, ad quem ab ipſo authore deſtinata ſunt: gloriam ſcilicet Domini noſtri IESV CHRISTI, & Eccleſiæ ædificationem.

Porrò quòd hos parentis mei cõmentarios in ueſtro nomine apparere uolui, Viri magnifici, & Patres colendiſsimi, nõ arbitror mihi operoſius reddendã rationem eſſe. Quos enim alios illis patronos quęrerem, præter uos, qui authorẽ ipſum quoad uixit, & in ſchola ueſtra hæc ipſa docuit, amaſtis, & liberaliter fouiſtis, ueſtraq; protectione dignũ iudicaſtis? quiq; etiamnum relictæ ab illo uiduæ & liberorũ benigniſsimi patroni eſtis, & poſthac, ut cõfidimus, eritis: cur nõ librorum quoq;, qui altera eius, ingenij ſcilicet, quaſi fœtura ſunt, patrocinium benignè ſuſciperetis? Ac requirebant præterea hoc à me officium immortalia ueſtra in parentem meum beneficia: ut quoniam maiorem non licet, hanc ſaltẽ pro ijs Magnificentię ueſtræ referrem gratiam. Et quemadmodũ ipſe parens meus dum uiueret, primi operis ſui, apud uos elaborati, dedicatione, grati erga Remp. & Eccleſiã ueſtram animi ſignificationẽ dare uoluit: ita ego, & reliqui ab ipſo relicti orphani, hac poſtremorum eius laborum nuncupatione, perpetuã animorum noſtrorũ erga uos gratitudinem, fidem & obſeruantiam declarare uoluimus, ac meritò debuimus. Quapropter hoc tam debitum officium ut Magnificentiæ ueſtræ gratũ ſit, etiam atq; etiã rogamus: nosq; ueteri & uerè paternæ beneficentiæ ueſtræ humiliter commendamus. Dominus IESVS CHRISTVS, Magnificentiam ueſtram, totamq; Remp. & Eccleſiam gratia ſua cõplectatur, uirtute protegat & augeat: ac perpetua rerum tranquillitate, quę cum uera ſit pietate coniuncta, potiri donet.

Scripſi Thuni, ampliſsimæ Reip. ueſtrę municipio,
decimoquinto Calend. Martij: Anno poſt
Chriſtum natum 1564.

IN EPISTOLAM PAVLI AD PHILIPPENSES PRAEFATIO, PER VVOLFGANGVM MVSCVLVM DVSANVM.



TRANSIMVS, auspice Christo, ab Ephesijs ad Philippenses: inspecturi & hanc apostoli Pauli Epistolam, quam ad illorum Ecclesiã scripsit. Oro Dominum, ut quæ ad ædificationẽ fidelium facere possunt, dilucidè in illa uidere, & fideliter annotare concedat.

Ciuitas ista olim dicta fuit Datos, quæ uox astutiam sonat. & aliquãdo Crenida uocata legitur, id quod fontem, uel fontanam significat: eo quòd circa collem, cui inædificata fuit, uberrimi fontes promanarent. Hanc Philippus rex Macedoniæ munitiorem reddidit, propter uicinos Thraces, ac in nominis sui memoriam Philippos uocauit. Sita autem fuit, uenientibus à Neapoli, in prima Macedoniæ parte. Quæ circa illam triumuirali bello contigerunt, non est ut hic commemoremus.

Coloniam fuisse, Actor. 16. legitur. Coloniæ aũt sunt, aut gentes ad terram aliquã inhabitandum missæ, aut ciuitates ab amplioribus urbibus ueluti populorum examinibus conditæ, uel oppida agriculturæ dedita. Romanorum coloniæ iura institutaq; populi Romani habebant, ut essent quasi quædam illius effigies. Qualis uerò colonia fuerit Philippos, non est ut quæramus. Satis sit, ex eo quòd Colonia fuit, colligere, non fuisse initiò illustrem.

Quomodo autem ad cognitionem ac fidem Christi peruenerit, Actor. 16. legitur ad hunc modum: Cùm autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem, & uisio per noctem Paulo uisa est. Vir Macedo quidam erat stans & deprecans eum, ac dicens: Profectus in Macedoniam, succurre nobis. Vt autem uisum uidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti quòd uocasset nos Dominus ad euangelizãdum eis. Cùm soluissemus igitur à Troade, recto cursu uenimus Samothracen, & postero die Neapolim, & inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ ciuitas, colonia: & quæ ibi sequuntur, in quibus de Lydia purpurarum uenditrice, in qua Dominus primordia eius uoluit esse Ecclesiæ: deinde de custode carceris cum omni domo sua ad Christum conuerso, memoratur. In hac ciuitate mota seditione aduersus Euangelium Dei, uirgis cæsi sunt Paulus & Silas, inq; custodiam coniecti: unde tamen liberè dimissi, postquam consolati essent fratres, cum honore discesserunt.

In recepta autem Euangelij Dei ueritate constanter permanentes, haudquaquam acquiescebãt pseudapostolis, quorum studium erat, ut circumquaq;, quos possent, à doctrina Pauli auerterent. Imò singularem erga Apostolum suum obseruantiam declarantes, cùm Romæ in uinculis detineretur, miserunt illi per Epaphroditum necessariam uitæ sustentationem.

Vbi igitur tempestiuum esse uidit, ut remisso ad illos Epaphrodito paternam suam erga eos sollicitudinẽ uicissim declararet, ac fidem eorum in Domino cõfirmatiorem adhuc redderet, & pseudapostolis resisteret: Epistolam hanc ad eos scripsit, in qua pleraq; admodum familiariter posuit: de quibus non est ut in Præfatione dicamus, quandoquidem (uolente Domino) suis quæq; locis commodius tractabuntur.

Cùm illis autem sentire non possum, qui Ecclesiam hanc Philippensium, & reliquas ab Apostolo plantatas, prorsus à Christo defecisse propterea putant, quòd sub Turcico imperio seruiunt. Mihi dubium non est, regnum Christi in medio inimicorum suorum dominantis, haudquaquam potuisse per Maometanam, quemadmodum neq; per Papisticam factionem, extirpari: sed etiamnum uerum esse illud Psal. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Haud alienum est à fidelibus Christi, uiuere sub incredulis principibus, & citra dispendium fidei suæ tyrannorũ subesse potentiæ: id quod non modò res ipsa, sed & priorum Ecclesiarum exempla aliquot seculorum decursu comprobarunt. Puto autem haud temerarium fore, si quis posteriores Christi Ecclesias eadem sorte præsentis seculi incolatum terminaturas esse existimet, qua initio creuerunt, & immensam inuictamq; sunt multiplicationem consequutæ. Sed sit hoc parergon, haud tamen omnino ociosum.

CAP. PRIMVM.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Gratias agit Deo, quòd uenerãt in communionem Euangelij: speratq; futurum, ut bonum opus suũ perficiat in illis Deus: & orat, ut magis adhuc in cognitione Christi proficiant. Deinde de uinculis suis significat, magis ea ad profectum, quàm ad destructionem Euangelij facere. Addit etiam de spe sua, quòd ad ipsos sit breui rediturus: hortaturq;, ne terreantur ab aduersarijs.

PAVLVS

PAVLVS ac Timotheus ſerui IESV CHRISTI, omnibus ſanctis in CHRISTO IESV qui ſunt Philippis, unà cum epiſcopis & diaconis: Gratia uobis, & pax, à DEO patre noſtro, & Domino IESV CHRISTO.

CONtinent iſta ſubſcriptionem, inſcriptionem, & ſalutationem: de quib. nõ eſt ut iterũ atq; iterũ annotemus. In ſubſcriptione coniũgit ſibi Timotheũ: id qđ & in poſteriore ad Corinthios fecit. Paulus, inquit, ac Timotheus, ſerui Ieſu Chriſti. Nullo ſpeciali titulo diſcriminat inter ſe & Timotheũ: ſed tam ſe quàm illũ, & tam illũ quàm ſe, ſeruũ Ieſu Chriſti uocat: id quod (meo iudicio) ad hoc facit, ut reddat eũ cõmendatiorem Philippẽſib. erat enim eum miſſurus ad ipſos, ſicuti uidere eſt cap. 2. Quòd uerò nõ dicit, Timotheus ac Paulus: ſed, Paulus ac Timotheus, hoc eſt, qđ nõ Timotheũ, ſed ſeipſum primo loco ponit, nõ eſt dandũ inanis gloriæ ſtudio, ſed cãdori ab omni ſimulatiõe alieno. Erat ipſe Apoſtolus, & Timotheũ ſibi, cũ Chriſtianus eſſet factus, in opus miniſterij adiunxerat: quare non immeritò primo ſe loco, illũ uerò ſecundo ponit: ſic tamen, ut & ſe & illum ſeruũ Chriſti uocet. Nulla eſt in cãdida ac ſimplici ueritate culpa, magna uerò eſt in hypocritica & fallaci humilitatis ſimulatione. Nemo cordatus ſuperbiæ uitio adſcribit, ſi filio pater, uxori maritus, ſeruo dominus, diſcipulo præceptor, cuilibet Chriſti miniſtro Apoſtolus nomen ſuum præpoſuerit.

Omnibus ſanctis, inquit, in Chriſto Ieſu.] De eo quòd Chriſtianos, quibus ſcribit, ſanctos uocat, dictũ eſt antea. in præſenti obſeruãdum eſt, quòd addit, In Chriſto Ieſu: id quod & 1. Cor. 1. & in ea quæ ad Coloſſ. eſt cap. 1. adiecit. Specificat, de quib. ſanctis loquatur. Habẽt Iudæi ſuos ſanctos, habent ſuos & ethnici, & hodie Turci quoq;, & pſeudochriſtiani, & habent uehemẽter religioſos ac deuotos: de quibus, ſi iudiciũ ſit penes rationẽ mũdanę ſapiẽtiæ, multo præclarius ſentiendum eſt, quàm de ſanctis Chriſti. Videtur enim uita illorum in ſpeciẽ, maximá præferre pietatem, iuſticiá, & uitæ ſanctimoniã: ita ut ſancti qui ſunt in Chriſto, illis cõparati, prophani eſſe uideantur. Qui tum inter Philippenſes Chriſtiani erant, homines plebeij, mariti, uxores, parẽtes, liberi, domini ac ſerui, operarij, &c. uulgares ac ſeculares, imò hæretici apparebant, reſpectu templariorum, ſacerdotum ac religioſorum: tã aberat, ut pro ſanctis agnoſci poſſent. At interim ſancti erant, ſed in Chriſto Ieſu. Sanctificati uidelicet: hoc eſt, in gratiã illius ſelecti, ſeparati ac mundati, nõ ppter ipſorũ iuſticiá, ſed propter fidẽ in ſanguiné ipſius, & ſpiritũ ſanctificationis. Sic duo ſunt ſanctorũ genera: unũ falſorũ, alterũ uerorũ. In mundo, qui falſi ſunt, propè adorãtur, cũ ſint ſancti in diabolo: qui ueri ſunt, contemnuntur ac proteruntur, cum ſint ſancti in Ieſu Chriſto. Et hoc ſanctorum diſcrimen quemadmodum hactenus durauit in mundo, ſic durabit in illo uſq; ad finem.

Qui ſunt Philippis, inquit.] Erat tũ Philippos ciuitas ethnica: quẽadmodũ erãt & Roma & Corinthus, & Epheſus, ac cæterę. Et tñ erãt in illis ſancti Chriſti, qui in medio hominũ impiorũ reproborum & eidololatrarum abſq; cõtaminatione uiuebãt: quod tñ citra externũ conuictũ & conſortium fieri non poterat. Cũ itaq; Chriſtiani ueri ac ſancti potuerint eſſe, & habitare in ciuitatibus ethnicis ac eidololatricis, ſine fidei ac ſanctitatis ſuæ detrimento: quid impedit, quo minus hodie quoq; inter Turcos, & in ipſa etiá Conſtantinopoli, Chriſtiani abſq; fidei ſuæ contaminatione uiuere queant.

Vnà cum Epiſcopis, inquit, & Diaconis.] De eo quod in plurali dicens, Cũ epiſcopis, plures uni Eccleſiolæ, qualis tum erat iſta cui hic ſcribit, aſsignat Epiſcopos, annotatũ eſt ab alijs. Loquitur nõ de talibus epiſcopis, quales poſt Apoſtolorum tempora humano magis quàm diuino ſunt cõſilio conſtituti: ſed de paſtoribus ac ſenioribus Eccleſiæ, quorũ erat uigilare ac curam gerere pro grege Domini, quod nihil eſt aliud quàm ἐπισκοπεῖν, i. Superintendere: quæ cura eſt ſic comparata, ut melius à duobus quàm ab uno tantum præſtari poſsit. Duo namque, perinde atque oculi, ſemper acutius ſpectant, quàm unus tantum.

Quod addit, Et diaconis: non poſsum aliter accipere, quàm de eleemoſynarijs, quib. paterũ erat & diſpenſandorũ Eccleſiaſticorũ contributorũ cura cõcredita: de quorũ miniſterij principio & conditione Act. 6. legimus. Interea tñ illud addo, uocẽ Diaconi in noui Teſt. Scripturis aliquãdo generaliter de ipſis Apoſtolis, ſeniorib. ac q̃buslibet alijs miniſtris Dei accipi: ſicuti cuilibet Scripturas S. legẽti patet: aliquãdo poni ſpecialiter de eleemoſynarijs, ſicuti uidere eſt 1. Tim. 3. Vtro aũt ſenſu accipiẽda ſit, colligendũ eſt ex circumſtantijs. Quod hũc locũ attinet, quoniã nõ dicit, unà cũ Epiſcopis diaconis: ſed interpoſita cõiunctionis copula, unà cũ Epiſcopis & diaconis: exiſtimo manifeſtũ eſſe, quòd ſpecialiter de Diaconis loquatur. In hoc ſenſu uidemus, non modò quo epiſcopes, i. paſtores, doctores ac ſeniores: ſed & quo diaconos, eleemoſynarios, loco habuerit Apoſtolus in Eccleſia Chriſti. Quãti fecerit ipſum diſtribuẽdarũ eleemoſynarũ miniſteriũ, ſatis ex ſcriptis ipſius patet. Cõiungit hic diaconos epiſcopis: qua in re uidere licet, quomodo duo hæc miniſteria uerbi & eleemoſynarum, coniuncta eſſe debeãt in Eccleſia Chriſti. Haud quidem conuenit, ut ambo adminiſtrentur ab epiſcopo, & paſtore, quare & Apoſtoli illa ſeparárunt. ſunt tamen utraque

ſic

ſic diſponenda, ut poſt uerbum proximè ſuccedat diſpenſatio eleemoſynæ.

Gratia uobis & pax à Deo patre noſtro, inquit, *& Domino Ieſu Chriſto.*] Hæc eſt Apoſtolica ſalutatio, miniſterio Apoſtolico conuenientiſsima. Sed de illa iam aliquoties diximus. Meminit iam mox initio Epiſtolæ huius tertiò Ieſu Chriſti. Primò, cum dicit, Serui Ieſu Chriſti: dein de cũ addit, Omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu: tertiò & hic ubi ait, Gratia uobis & pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Vbiq; tribuit Ieſu Chriſto, quæ ſoli homini competere non poſſunt: id quod diligens lector obſeruabit. Cor illius plenũ erat fide ac dilectione Chriſti: hinc etiam nomen Ieſu Chriſti erat illi frequentiſsimum. Inuenias alium Apoſtolum, qui tota uix ſemel epiſtola Chriſtũ ſonat: ſi tamen ea Epiſtola uerè Apoſtoli eſſe credenda eſt, id quod ueteres quoq; nonnulli negarunt.

Gratias ago Deo meo in omni memoria ueſtri, ſemper in omni precatione mea pro omnibus uobis, cum gaudio, precationem faciens, quòd uenerítis in cõmunionẽ Euangelij, à primo die uſq; ad hoc tempus: perſuaſum habens hoc ipſum, quòd is qui cœpit in uobis opus bonũ, perficiet uſq; ad diẽ Ieſu Chriſti.

Exorditur ab eucharíſtia, ideſt à gratiarum actione, quod exordij genus uſitatũ ipſi fuiſſe uidemus. In omnibus nanq; Epiſtolis, demptis ea quæ eſt ad Gal. deinde priore ad Timoth. tertiò ea quæ eſt ad Titum, quartò & ea quæ eſt ad Ebræos, orditur uel à doxologia Dei, utpote 2. Cor. & ad Epheſ. uel à gratiarum actione, ad Rom. uidelicet, 1. Cor. Philippen. Coloſſ. 1. & 2. ad Theſſ. 2. Timoth. & ad Philemonem. Quid hoc faciens admonet aliud, quàm quanti facere debeamus Euangelij Dei gratiam, non modò quatenus ea nobis, ſed & quatenus alijs quoq; contigit in Chriſto? Totus erat Chriſtianus, totus Apoſtolus, totus Euãgelicus, totus propagando regno Chriſti, & humani generis ſaluti diſpenſandæ deditus. Ex ardore Chriſtiani & Apoſtolici pectoris noctes ac dies de illis cogitabat, quos Chriſto lucrifecerat, horumq; nomine gratias agebat Deo, ac ſalutem eorum illi commendabat.

Gratias ago Deo meo, inquit.] Quæ hic annotanda ſint, uide 1. Corinht. 1.

In omni memoria ueſtri, inquit, *ſemper in omni precatione mea pro omnibus uobis, cum gaudio precationem faciens.*] Non ſimpliciter dicit, Gratias ago Deo meo pro uobis, ſed cũ amplificatione, quando & quàm indeſinenter: & quàm non pro quibuſdam tantum, ſed pro omnibus, & quo cum affectu, deniq; à quo tempore, & qua cum ſpe ac fiducia id faciat.

Quando & quàm indeſinenter gratias pro ipſis agat Deo ſuo, in eo exprimit, quòd dicit, In omni memoria ueſtri ſemper, in omni precatione mea, &c. Nõ ſimpliciter, in memoria ueſtri: ſed, In omni memoria ueſtri. ideſt, Quoties ueſtri recordor. nec ſimpliciter, In precatiõe mea pro uobis: ſed, Semper, inquit, in omni precatione mea, pro omnib. uobis, &c. Sic exprimit, quàm cordi ſibi ſit ipſorum ſalus. Illud, Pro omnibus uobis, ſic eſt poſitum, ut referri poſsit uel ad id quod dixit, Gratias ago Deo meo: uel ad proximè ſequens, Cum gaudio precationẽ faciens. Sanè & pro omnibus fidelibus precabatur, & pro omnibus gratias agebat. Quare nihil refert, ſiue cum præcedenti ſiue cum ſequenti coniungas. Ergo nec orando, nec gratias agendo diſcreuit inter eos: ſed coniunctim omnes, uelut unum corpus in Domino, paterno eſt affectu complexus. Quis autem credet fuiſſe eos ſimul omnes pari pietate præditos? At de eo non cogitauit ſcrupuloſius, ſed eadem cura proſequutus eſt indiſcriminatim omnes, tã imperfectos quàm perfectiores. Sed hac de re & antea alicubi annotauimus.

Cum gaudio, inquit, *precationem faciens.*] Pro more ſuo, imò pro more piorum omnium, gratiarum actionem precibus coniunxit. Complectuntur ſeſe mutuò precatio, gratiarum actio, & δοξολογία. Dum petimus neceſſaria, naſcitur in cordibus noſtris acceptorum beneficiorum recordatio: unde & ad gratiarum actionem & δοξολογίαν permouemur.

Quid eſt autem quòd non ſimpliciter dicit, Precationem faciens: ſed, Cum gaudio precationem faciens? Quale eſt hoc precationis genus, quod ſit cũ gaudio? Gratias agere, Deumq; glorificare ſolemus cum gaudio. Conſiderandæ ſunt hic circumſtantiæ. Bene ſe gerebant Philippenſiũ fideles. Ex eo magnum in corde ſuo gaudium concipiebat, quoties illorum recordabatur, indeq; ad gratiarum actionem accendebatur: ac ſimul perſuadebatur, quòd tam eximia eius Eccleſiæ primordia non eſſet Deus deſerturus, ſed ad iuſtam perfectionem perducturus. Et hinc fiebat, ut non ſolum gratias ageret, ſed & precaretur pro illis cum gaudio. Aliàs non eſt gaudium perpetuò precibus annexum. Multę nanq; preces ex triſticia & anxietate cordis proueniunt, & cum gemitibus ac lachrymis in conſpectum Dei effunduntur.

Quòd uenerítis in communionem Euangelij, inquit.] Græcè eſt, ἐπὶ τῇ κοινωνίᾳ ὑμῶν εἰς τὸ εὐαγγέλιον, ideſt, ſuper cõmunione ueſtra in Euangelium. Vulgata lectio habet: in Euangelio Chriſti. Germanicè rectè dixeris, *von wegen ewerer gmeinſchafft, die ihr habt zum Euangelio.* Communio gentium in Euangelio Chriſti myſterium erat, cuius reuelatio ipſi erat concredita. Huius mentionem fecit ad Epheſ. cap. 3. Quo magis huic aduerſabantur Iudæi, hoc ipſe magis illam extollebat, prædicabat, & illius nomine indeſinenter Deo gratias agebat. Sic hoc loco dicit, Gratias ago Deo meo ſuper communione ueſtra in Euangelio: ideſt, quòd conſortes eſtis Euãgelij facti.

Euangelij autem consortem esse, est participem esse gratiæ Dei, salutis ac uitæ æternæ, quæ per Euangelium prædicatur in mundo. Sed communioni huic annexa est etiam communicatio persequutionum Euangelij, quæ omnibus illis inferuntur, qui uitam suam secundũ Euangelij doctrinam instituunt. Non conuenit ut priorem appetamus, posteriorem fugiamus. Si compassi fuerimus, inquit alibi, simul etiam regnabimus.

*A` primo die usq; ad hoc tempus*, inquit.] A` primo die, intellige, conuersionis ipsorum. Illa autẽ cœpit in Lydia muliercula purpuraria. Ergo propter unius mulierculæ cõuersionem gratias agebat Deo, plurimi faciens modica saltem Ecclesiæ primordia, gaudens, & amplissimum ex illis incrementũ sperans. Idem & nobis accidit initio restitutæ per gratiã Domini Euãgelicę ueritatis. Vnius hominis assensum pluris, quàm hodie integri regni accessionẽ faciebamus.

Vsq; ad hoc tempus, inquit.] Cedit hoc in laudem Philippensium. Argumẽto nanq; est, quòd inde ab initio recepti Euangelij non modò in præsentia Apostoli sui, sed & in absentia, ad id usque temporis, rectè se, & sic in fide ac religione Christi gesserint, ut causam illi darent ipsorum nomine impensè gaudendi, Deoq; gratias agendi.

Persuasum habens hoc ipsum, inquit, *quòd is qui cœpit in uobis bonum opus, perficiet usq; ad diem Iesu Christi.*] Reddit rationem gaudij sui, & gratiarũ actionis, præsertim eius quod dixit, A` primo die usq; ad hoc tempus. Etenim obijci poterat: Etiamsi bene cœperunt Philippenses, & hactenus annum unum atq; alterum in fide constantes permanserunt, fieri tamen posse ut paulo pòst deficiãt, ac sic fiat ut gratiam Dei frustra acceperint. Absit, inquit, ut hoc fiat. Persuasum enim habeo, ut qui bonum hoc opus in uobis cœpit, perfecturus illud sit, usq; ad diem Iesu Christi. Hac persuasione motus, indesinenter pro illis gratias agebat Deo, & cum gaudio pro illorum perseuerantia precabatur.

Vnde autem persuasionem hanc de illis conceperat? Non ex illorum respectu, quasi tantũ de illorum uirtute & cõstantia præsumeret. Neq; enim dicit, Persuasum habens, quod qui cœpistis, perfecturi etiam sitis: sed, Respectu Dei, qui bonum hoc in illis opus cœperat. Vnde dicit: Persuasum habens hoc ipsum, quòd is qui cœpit in uobis bonum opus, perficiet usq; ad diem Iesu Christi. Ergo persuasionem hanc de Deo conceperat, qui quod bene cœpit, nõ deserit. Neq; enim incõstans est ut homo, qui & leuiter incipit quod bonum est, & leuius etiam desinit. Causas enim Deus incipiẽdi bonum opus non habet aliunde, sed ex seipso: unde nec falli potest, nec causam accipit mutandi propositum.

Quid est autẽ quod sine specificatione dicit, Quòd is qui cœpit in uobis bonum opus: cũ dicere posset, Quod Deus qui cœpit in uobis bonum opus? Voluit illis indubitatũ esse, nullius boni operis originẽ aliunde esse quàm ex Deo. Deinde significat, primordia boni huius operis in ipsis fuisse talia, ut manifesto argumento non humana, sed diuina esse declararetur. Sciebat ipse, quo oraculo uocatus fuerat, ut Macedones ad Euangelij communionem uocaret: deinde, quo successu uocationi illi obtemperauerit. Hæc erant ipsi certa. Vnde persuasus erat, Deum ipsum boni huius esse operis authorem.

Qui cœpit in uobis, inquit, *opus bonum.*] Quod nam erat illud opus bonum? Cõmunicatio uidelicet Euangelij. Atqui eam tribuit fidelibus, dicens, Super cõmunicatione uestra in Euangelio. Verum est, communicabant ipsi in Euangelio: interim tamen opus ipsum, quo ad eam communicationem peruenerant, non erat ipsorum, sed Dei. is illud in ipsis cœperat.

Obseruandum autẽ est, quòd de speciali hoc opere Dei loquens, uocat illud bonũ opus. Quæcunq; Deus facit, bona sunt. Nobis uerò peculiariter bonum esse censendum est, quòd ad communicationem gratiæ Christi per Euangelium uocamur ac perducimur. Qui doctrinam operum urgent, ad quid ea proponunt, quæ nec Deus requirit, nec ad salutem nostram prosunt: & interim communionem hanc Euangelij Christi, cum sit opus, & bonum opus, & Dei opus, gladio & igne persequuntur?

Qui cœpit in uobis bonum opus, inquit.] Quomodo cœperat bonum hoc opus in Philippensibus? An non per ministerium ipsius Pauli? Vtiq;. Monet igitur eos, ut non respiciant ad suam personam, sed ad ipsum Deum: illiusq; opus, non suum, in eo agnoscant, quòd ad Euangelij communionem peruenerunt. Consimili modo nobis quoq; hac nostra est ætate in causa Euangelij Dei faciendum. Non debemus respicere ad personas Martini Lutheri & aliorum, qui initio illustrando Euangelio ac detegendo Antichristianismo ministrarunt: sed in illis agnoscere bonum Dei opus, & ex eo spem concipere, quòd nihil aduersus illud possit omnis huius mundi sapientia, malicia, & potentia.

Perficiet, inquit, *usq; ad diem Iesu Christi.*] Cœperat quidem bonum hoc opus in Philippensibus Deus: uerùm unde certus erat Apostolus, quòd esset illud perfecturus usq; in diem Iesu Christi? Respondeo. Non dicit, Certus sum: sed, persuasus sum. Aliud est, esse certum de re aliqua: aliud uerò, esse persuasum. Certitudo de operibus Dei, haberi potest ex ipsius uerbo: persuasio uerò, ex bona erga bonitatẽ ipsius fiducia, & quibusdã operum illius argumentis. Certitudo fallit neminem, persuasio uerò sæpenumero aliter cadit quàm sperabatur.

Vnde autem permouetur Deus, ut quod in nobis bonum opus cœpit, perficiat? Suprà ex

eo

eo hoc esse dixi, quòd non est inconstans ut homo. Chrysostomus uerò causam huius rei in nos transfert. Sic enim hoc loco dicit: ὅτι τῷ ἀπᾶν, ὃ θὺς ἐπιτελίσαι, καὶ πάλιν αὐτῶν ἐγκώμιον γίνεται, τῶν ἐπισπασαμένων τὸ θεῖον τλὼ χάριν, συμπράττειν αὐτοῖς ἐν τῇ ὑπερβλῶσα τλὼ ἀνθρωπίνλω φύσιν. Nos existimamus respiciendum hic esse ad immutabilitatem electionis ac propositi Dei, per quam sit omnino, ut quod in electis bonum incipit, perficiat etiam, & ad finem suum irrefragabiliter perducat. Quod reprobos attinet, an bonum opus non erat, quòd Iudas proditor non modò ad Christianismum, sed & ad Apostolatum fuerat electus? de quo tamen dici non potest, quòd ad perfectionem sit perductum.

Vsq; ad diem, inquit, *Iesu Christi.*] Quis nam est dies ille Iesu Christi? An dies aliquis est, qui non sit Iesu Christi? Respondeo: Non dicit, Vsq; ad dies Iesu Christi: sed in singulari, ac specialiter, Vsq; ad diem Iesu Christi. Loquitur autem de tempore secũdi aduentus Christi, quẽ & 1. Thess. 5. diem Domini uocat, illumq; instar furis noctu ueniẽtis uenturũ esse dicit. Quoniam autem qui tum Philippis erant fideles, ad secundum usq; Christi aduentũ durare haudquaquam potuerunt: moti sunt nonnulli, ut particulam hanc de uniuscuiusq; morte exponerent. Verùm non loquitur de illis tantum, qui tum Philippis Christiani erant, quorum uita ad diem Christi usq; extendi non potuit: sed de Ecclesia eius loci, quæ per successionem posteritatis etiamnum durat, & ad diem Christi usq; durabit.

Sed hic quæstio est, an in illa opus Dei quod per Apostolicam prædicationem cœpit, nõdum interciderit: sed adhuc perficiatur eo modo, quo se hic persuasum esse de illo dicit Apostolus. Hoc est, an adhuc in illa Euangelica doctrina & fides in Christum Dominũ ac Seruatorẽ mũdi duret, uel prorsus sit extincta. Quid mihi hic uideatur, in Præfatione paucis attigi.

Vsq; ad diẽ, inquit, *Iesu Christi.*] Ergo ubi dies hic uenerit, desinet perfectio operis Dei, quod in nobis cœpit. Quando igitur perfecti erimus? Respondeo: Aliud est, perfici: & aliud, esse perfectum. sicut aliud est fieri, & aliud esse factum. Opus Dei perficitur in Ecclesia, donec durat hoc præsens seculum, usq; ad diem quo redibit Christus ut iudicet mundũ. In illo die perfectum erit: quia nulla pars Ecclesiæ supererit, in qua sit adhuc perficiendum. Tum erit Deus omnia in omnibus, ut non amplius ædificandi simus spiritu ac fide Christi, quemadmodum ædificamur in hac uita.

Sicut iustum est mihi, ut hoc sentiam de omnibus uobis, propterea quòd habeam uos in corde, & in uinculis meis, & in defensione & confirmatione Euangelij, cũ sitis omnes mihi cõsortes gratiæ. Testis enim mihi est Deus, quàm desiderem uos omnes in uisceribus Iesu Christi.

Rationem reddit, quare sic sit de illis persuasus. Dixit, Persuasum habens hoc ipsum, quòd is qui cœpit in uobis bonum opus, perficiet usq; ad diem Iesu Christi. Iam unde sic de illis sentiat, subiungit dicens: Sicut iustũ est mihi, ut hoc sentiam de omnib. uobis, propterea quòd habeam uos in corde, &c. Non dicit, Sicut iustum est, ut hoc uobis omnibus eueniat, propterea quòd estis iusti & stabiles in bono. Si ad hũc modum diceret, causam persuasionis suæ in illorum uirtutem ac iusticiam transferret. Verùm non simpliciter dicit, Sicut iustũ est: sed, Sicut iustum est mihi, ut hoc sentiam de omnibus uobis: propterea quòd habeam uos in corde. Hoc est, quoniam uos omnes intimè diligò, mecumq; in corde circumfero, & de uobis indesinenter cogito, iustum mihi est, & æquum, ut ad hunc modum de uobis sentiam, Deoq; pro uobis gratias agam.

Obseruandum est hoc genus iusticiæ. Iusticia alia est dilectionis, alia iudicij. Dilectionis iusticia est, qua iustum est diligenti, ut de eo quem diligit, amãter & honorificè sentiat, & quæ illius sunt pro uiribus tueatur, etiamsi ille non usq; adeò dignus sit cui hæc fiant. Sic ueteres Romani sæpenumero potissimam hanc rationem, quur sibi defensionem reorum sumerent, prætexuerunt, quòd essent ipsis ueteri amicitia coniuncti. Consimili modo & Apostolus hoc loco, propterea se sic de Philippẽsium fidelibus sentire dicit, quòd iustum id sibi sit, eo quòd habeat eos omnes in corde. qua in re non iudicij, sed dilectionis ac paterni amoris iusticiam prætexit. Iudicij uerò iusticia est, quæ si examinetur, in iudicio iusta esse deprehẽditur: qua iustus est, qui quæ iusta sunt facit: & secundum quam iustum est, ut qui uerè iusti sunt, in precio habeantur ab omnibus. Secundum hanc iustum est, non ei tantum qui diligit, sed & alijs omnibus, ut de iustis hominibus præclarè sentiant.

Propterea, inquit, *quòd habeam uos in corde.*] Perinde est ac si mater dicat: Quòd sic afficior erga filium meum, nemo mihi probro uertat. Qualis qualis nãq; sit, iustum mihi est ut sic sim erga eum animata, propterea quòd gestaui eum in utero meo. Et si optem eum fieri Regem, iustum id mihi est: sum enim illius mater.

In corde autem habere quid sit, notum est omnibus. Aliud est, habere aliquid in memoria, & in ore: & aliud, habere in corde. Non mox habetur in corde, quod habetur in memoria & ore: quicquid autem in corde habetur, habetur & in ore & in memoria, de illo cogitamus noctes ac dies, de illo meditamur ac loquimur indesinenter.

Et in uinculis meis, inquit, *& in defensione & confirmatione Euangelij.*] Particula hæc aliter atque aliter accipi potest. Referri namque potest tam ad sequentia quàm ad præcedẽtia. Ad sequẽtia sic: tanquam in uinculis meis, & in defensione & confirmatione Euangelij consortes mihi gratiæ existentes. Hoc est, propterea quòd omnes uos in uinculis meis, & in defensione & cõfirmatione Euangelij consortes mihi estis gratiæ Dei, propter quam in catena detineor: eam ob causam habeo uos in corde, & iustum est ut sic de uobis omnibus sentiam. Ad præcedentia uerò refertur hoc pacto: Sicut iustum est mihi ut hoc sentiam de omnibus uobis, propterea quòd habeam uos in corde tam in ipsis meis uinculis quàm in defensione & confirmatione Euangelij. Quasi dicat: Vsque adeò cordi mihi estis, ut neque molestia uinculorum meorum, neque cura defendendi ac confirmandi Euangelij, quæ mihi incumbit, impedire queant, quo minus noctes ac dies de uobis cogitẽ, pro uobis cum gaudio orem, gratias Deo agam, & de perseuerantia uestra persuadear. Vterque sensus uerus est. Et Philippenses quippe communicabant Apostolo non in gratia Christi tantum, sed & in illius uinculis, defensioneque ac confirmatione Euangelij: & Apostolus illos tanquam consortes gratiæ, sic in corde habebat, ut ne in uinculis quidem obliuisci illorum potuerit.

Et in defensione, inquit, *& confirmatione Euangelij.*] Græcè est, τῇ ἀπολογίᾳ. Vertunt defensionem. Est autem apologia, non quælibet defensio, sed qua redditur ratio de ijs quorum accusamur, atque ita causa nostra defenditur. Exempla apologiarũ Pauli habentur in Actis cap. 22.23.24.25.26. & ultimo. Qualis fuerit, qua coram Nerone causam Euangelij Christi defendit, licet non extet, ex præcedentibus tamen quibus coram Romanis præsidibus usus est, facilè conijci potest. Meminit eius 2. Timoth. ultimo dicens: In prima mea apologia nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt. Ne illis imputetur. Ergo sic est comparatum Euangeliũ Christi, ut possit de illo ab Apostolo & ministro uerbi etiam coram incredulis & impijs Magistratibus reddi ratio. Ea autem plerunque gemina est: una qua de ipsa doctrina ac fide, altera qua ad accusationem seditionis & inobedientiæ respondetur. Ad utramque parati esse debemus, apostolo Petro adhortante ac dicente: Sitis autem parati semper ad respondendum cuilibet petenti, ut loquamini de ea quæ in uobis est spe, cum mansuetudine & reuerentia, conscientiam habentes bonam, ut in hoc quòd uobis detrahunt, quasi sceleros is, pudefiant hi qui incessunt bonam uestram in Christo conuersationem. 1.Pet.3.

Et confirmatione Euangelij, inquit.] Exponunt nonnulli de ipsis uinculis Pauli, quasi illa fecerint ad confirmationem Euangelij. Ego malo accipere de apologetica defensione, cuius iam meminit. Huius namq; finis & scopus est, ut confirmetur ueritas. Licet eam defensionem ac confirmationem Euangelij non receperit Nero, in se tamen illa sic comparata erat, ut quemadmodum ad declarationem ueritatis, ita & ad confirmationem illius sufficeret. Quid enim aliud est confirmatio Euangelij, quàm ueritatis illius declaratio?

Cum sitis omnes mihi consortes gratiæ, inquit.] Græcè sic, συγκοινωνοὺς μου τῆς χάριτος, πάντας ὑμᾶς ὄντας: ideſt, Omnes uos existentes unà mecum consortes gratiæ. Quomodo accipi possit hæc particula, suprà admonuimus. Vulgata editio habet: Socios gaudij mei omnes uos esse. Pro χάριτος, ideſt gratiæ, legit χαρᾶς, ideſt gaudij: Sic & Ambrosius. Chrysostomus tamen legit χάριτος, & de gratia Pauli exponit, coniungens ista μῆ τῆς χάριτος, ideſt gratiæ meæ. quam lectionem non probo. Licet enim gratia Christi quæ data ipsi erat, aliquo sensu ipsius dici possit: non inuenio tamen locum aliquem in præsenti, ubi eam suam gratiam uocet. & quæ hic dicit, sic sunt posita, ut annexum pronomen μῆ rectius ad συγκοινωνοὺς, quàm ad χάριτος referatur.

Admonemur hac particula, quid sit de fidelibus ministro Christi sentiendum: esse uidelicet eos omnes consortes secum eiusdem gratiæ quæ est in Christo, licet sit ipse Apostolus, ac multis charismatibus præditus. Et hodie, quotquot uerè in Christum credimus, sumus unà cum Apostolis omnibus eiusdem gratiæ consortes. Qui sanctorum merita prædicant, pluris faciunt illorum participationem quàm gratiæ: cum tamen non meritorũ quæ sanctis tribuũt, sed gratiæ Christi communicatio saluos nos ac beatos reddat.

Testis enim mihi est Deus, inquit, *quàm desiderem uos omnes in uisceribus Iesu Christi.*] Affirmat, quòd se Philippenses omnes in corde habere dixit. Affirmat autem hoc non simplici asseueratione, sed tali quæ uim habeat iuramenti. Nam Deum citat eius rei testem, cuius testimonio iuramẽta nostra cõfirmamus ac sanctificamus. Hoc pacto tribuimus illi gloriã scientię omnium, etiã occultissimorũ nostrorũ affectuum, quos solus ipse scrutatur: ideoque καρδιογνώστης uocatur.

Non simpliciter dicit, Testis enim Deus est: sed, Testis enim mihi Deus est. Quæri potest, quorsum ipse opus habuerit teste, in causa de qua omnino in conscientia sua certus erat? Vsus enim testis est, ut fidem faciat illis qui dubitant. Quid igitur est quod dicit, Testis enim mihi Deus est? Quare non dicit, conscientia mihi testis est? Illa namque testatur de ijs quæ in cordibus nostris habentur. Respondeo. Loquitur de testimonio non quo ipsi, sed quo Philippensibus eius rei fides fieret, de qua illos aliàs certos reddere non poterat. Huc enim testimonium conscientiæ ipsius facere nequibat. ideo citat Deum testem, qui omnia quantumuis occulta & nouit, & nota facere potest.

Nec erat

Nec erat ut diceret quiſquam, Citas Deum teſtem: Si ille de corde tuo teſtificaretur, teſtimonio eius quis non credat? Sed ubi eſt illius teſtimonium? Facilè dicis, Teſtis mihi Deus eſt: ſed unde proferes illius teſtimonium? Tu quidem teſtaris de Deo, quòd ſit tibi teſtis: Ego uerò teſtimonio tuo nõ credo. Vnde igitur certũ me reddes, quòd tibi teſtis ſit Deus? Huiuſmodi obiectio inter timentes Dei locum habere non debet, nec habet etiam. Etenim quoniã ipſi reuerentes ſunt nominis Dei, nec falſo illum teſtem citare ſuſtinent, ſic de alijs quoque iudicant. Sciunt enim nemini impunè cedere, ſi nomẽ Dei in uanum ſumpſerit. Quare in iudicijs quoque fides habetur ei qui Deum conſtanter ueritatis & innocentiæ ſuæ teſtem iureiurando citat, & ultrà non habet actor quod agat. Eſt enim eiuſmodi iuramentum omnis cõtrouerſiæ finis: Ebr. 6. Cuius rei exemplum uidere licet Exodi 22. ubi ſic legitur: Si quis commendauerit proximo ſuo aſinum, bouem, ouem, & quoduis aliud iumentum ad cuſtodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, uel captum ab hoſtibus, nullusq; hoc uiderit, iuſiurandũ erit in medio, quod non extenderit manũ ad rem proximi ſui, ſuſcipietq; Dominus (iumẽti) iuramentum, & ille reddere non cogetur.

Quàm deſiderem uos omnes, inquit, *in uiſceribus Ieſu Chriſti.*] Græcè eſt, ὡς ἐπιποθῶ: id eſt, quod deſiderem. Significat autem ποθῶν, deſiderare conſuetudinem abſentiũ. Dicit igitur, ſic ſibi omnes eos qui Philippis in Chriſtum credunt, eſſe cordi, ut abſentiam illorum uix ferre queat, propter deſiderium conſuetudinis ipſorum. Sic comparatum eſt ingenium amoris, & ſic animatos conuenit eſſe uerbi miniſtros erga omnes eos quos in Chriſto genuerũt, imò & quoſcunq; Chriſti fideles. Romanos quoq; qui in Chriſtum credebant, uidere deſiderabat: ſicuti uidere eſt Rom. 1. cum tamen ipſe eos non genuiſſet in Chriſto, ſed duntaxat de fide illorum audiſſet. Et Rom. Pontifices ſunt ἐπιποθοῦντες, uerùm non fidelium Chriſti, ſed opũ illorum. Hoc deſiderium tam eſt in illis amplum, ut totius Chriſtiani orbis opibus expleri nequeat.

Vos omnes, inquit.] Quoniam ſe omnium ipſorum memoriam in precatione ſua facere dixerat, iam non ſimpliciter quòd deſideret eos, ſed quòd deſideret eos omnes citato teſtimonio Dei affirmat: id quòd non facit ocioſè, ſed ſtudio prorſus Apoſtolico, ne qui infirmiores inter eos erant, uel adhuc in fide recentes, ab hoc ſe Apoſtoli deſiderio excludi putarent. Simulque monet ſuo exemplo omnes, quàm debeant & ipſi erga quoſuis Chriſti fideles amanter affici.

In uiſceribus Ieſu Chriſti, inquit.] Viſcera pro intimis præcordiorum affectibus poſuit. Scriptura uocem hanc pro corde uſurpat, in quo eſt amoris & reliquorum affectuũ ſedes. Ebraicè eſt רחם & רחמים. Cũ Iob 38. legimus: Quis poſuit in uiſcera hominis ſapientiam? & Pſalmo 51. Spiritum rectum innoua in uiſceribus meis. & Prouerb. 12. Viſcera impiorum crudelia. & Hier. 31. Dabo legem meam in uiſcera eorum: non eſt aliter intelligendũ quàm de corde hominis. Ciuili modo & hîc præſens Apoſtoli locus de affectibus cordis accipiendus eſt. Significat ſe præſentiam illorum ex intimis præcordijs deſiderare.

Quid eſt autem quod non dicit, in uiſceribus meis, cum non de alijs quàm ſuis loquatur? Neq; enim fieri poteſt, ut in alienis uiſceribus quicquam deſideremus. Quiſquis deſiderat, in ſuo ipſius corde deſiderat, non in alieno. Reſpondeo: Haud quidem de alijs quàm ſuis uiſceribus loquitur. Verùm quo diſcriminet inter uiſcera carnis, & uiſcera ſpiritus, poſtquàm dixit in uiſceribus, adiecit, Ieſu Chriſti: ſignificãs, ſe deſiderare eos affectu cordis, amore Chriſti accenſi. Vnde eos etiam per Euangelium parturierat ac genuerat, perinde atq; mater pignora ſua in uiſceribus maternis deſiderat. Cum pater filij prodigi conſpecto illo miſericordia moueretur (in Græco eſt ἐσπλαγχνίσθη) accidebat hoc illi in uiſceribus paternis. Sic uſuenire poteſt homini Chriſtiano, præcipuè Chriſti miniſtro, ut filium ſuum in uiſceribus paternis, tanquam pater, fideles uerò in uiſceribus Ieſu Chriſti tanquam ſpiritualis illorum pater deſideret. Sic uiſcera carnis & uiſcera Ieſu Chriſti in eodem homine reperiri poſſunt. Neque enim Chriſtiana σοργὴ eam quæ naturæ eſt extinguit. *Luc. 15.*

Et illud oro, ut charitas ueſtra adhuc magis ac magis exuberet, in agnitione omniq; intelligẽtia, ut probetis quæ ſint præſtãtia, ut ſitis ſinceri, ac tales ut nemini ſitis offendiculo, in diem Chriſti, impleti fructu iuſticiæ, qui contingit per Ieſum Chriſtum ad gloriam & laudem Dei.

Quòd ſuprà precari ſe pro illis dixit, præſuaſumq; eſſe, quòd is qui cœpit in ipſis bonum opus, perfecturus illud eſſet uſq; ad diem Ieſu Chriſti: id paulo fuſius explicat, dicẽs: Et illud oro, ut charitas ueſtra adhuc magis ac magis exuberet, in agnitione omniq; intelligentia, &c. Simpliciter quidem dicit, Et illud oro, non exprimens quem oret. uerùm non intelligit alium quàm Deum, cui in omni precatione ſua gratias pro illis agebat, ſicuti ſuprà meminit. Significat petenda hæc eſſe à Deo, idq; ſupplici & indeſinenti oratione.

Vt charitas ueſtra adhuc magis ac magis exuberet, inquit.) Miſerant ad ipſum cũ Romæ eſſet in uinculis, charitatis ſuæ fructum, quo recrearetur, & dubio procul eã dilectionem exercebãt etiã

inter se mutuò. Orat igitur, ut illa in ipsis magis adhuc exuberet. Non simpliciter dicit, Vt charitas sit in uobis: sed, Vt charitas uestra exuberet. Tribuit illis charitatem, cum dicit: Vt charitas uestra. Non potest charitas eorum dici, qui nulla sunt charitate præditi.

Deinde nõ simpliciter dicit, Vt charitas uestra exuberet: sed, Vt charitas uestra adhuc magis ac magis exuberet. Ergo iam tum exuberabat, sic tamen ut adhuc magis ac magis exuberare posset. Emphasis est in uocula ἔτι, id est adhuc. deinde in eo quòd bis dicit Magis, nõ simpliciter magis, sed magis ac magis. Significat, studendum nobis esse charitatis prouehendæ augmentis. Crescendum est indesinenter in operibus charitatis. Non debemus igitur certa quadam mensura illius esse contenti, sed perpetuò ad ampliora incrementa conniti. Vix autem quicquam est quod minus in nobis crescat, & exuberantius reddatur, quàm charitas. Solet enim illa initiò esse feruentior, postea uerò fieri tepidior ac frigidior. Quare singulari gratia Dei opus est, qua diuinitùs acceptis incrementis magis ac magis exuberet.

Obserua uerò uerbum exuberandi. Instar fontis aquarum uiuentium est charitas. Quemadmodum enim natura illius sic est comparata, ut abundet & exuberet, idq; hoc magis quo magis hauritur: ita comparata est & uera charitas. Effundit aquas suas & illa, & exuberat hoc magis, quo magis operibus illius studemus.

In agnitione, inquit, *omniq; intelligentia.*] Græcè est, ἐν ἐπιγνώσει καὶ πάσῃ αἰσθήσει: id est In agnitione & omni sensu. Dubio procul de sensu mentis loquitur, intelligentia uidelicet: non autem intelligit de scientia & intellectu huius seculi, sed rerum spiritualium, Christi uidelicet, & ueritatis illius. Agnitionem hanc & intelligentiam per fidem in Christum consequuti fuerant. Orat igitur, ut in illa magis ac magis exuberet illorum charitas. Sine charitate namque nihil sumus, etiamsi omnem scientiam habeamus. Imò scientia sine charitate inflat. Ea demum uera est & Christiana intelligentia, in qua charitas augescit. Gloriamur hodie de singulari intelligentia rerum spiritualium, quàm ex Sacris scripturis hausimus. Est quidem illa magna & præclara. Verùm ubi est uel mediocris charitas, ut de magis ac magis exuberante taceam?

Sunt qui pro, In agnitione omniq́ue intelligentia, legant, Cum agnitione, omniq́ue intelligentia. ut sit sensus: Oro ad Deum, ut non modò charitas uestra, sed & agnitio, omnisq́ue intelligentia magis adhuc ac magis in uobis exuberet. Qui sic legunt, uoculam In accipiunt pro cum, id quod Ebræis in præpositione ב nonnunquam usuuenire uidemus.

Adhuc sunt qui legendum esse putant, Per agnitionem, omnemq́ue intelligentiam: quasi charitas per agnitionem & intelligentiam ueluti per organum auctior reddatur. id quod tũ est uerum, quando non ex litera, sed ex operatione spiritus sancti, ueram scientiam & intelligentiam Christi consequimur.

Siue legamus Cum agnitione, siue per agnitionem: admonemur, inter Christianos nõ sufficere charitatem sine cognitione & intelligentia ueritatis Christi, perinde atque non sufficit scientia sine charitate. Quare summoperè curandum est, ut in utraq; tam charitate quàm scientia, sani simus, magisq́ue ac magis crescamus.

Chrysostomus sic: Quid est in agnitione? hoc est, Cum iudicio, cum ratione, ne eadem dilectione diligamus quos uis. Id enim non dilectionis est, sed frigiditatis.

Vt proebtis, inquit, *quæ sint præstantia.*] Exprimit hisce uerbis, & sequentibus, quis nobis scopus & finis esse debeat scientiæ & intelligentiæ: hic nimirum, ut probemus, id est certò per experientiam cognoscamus, quæ sint præstantia. Nõ dicit simpliciter, Vt conijciatis: neq;, Vt sciatis: sed, Vt probetis quæ sint præstantia. Multa nos scire putamus, quæ ex coniecturis incertis temerè & obiter colligimus. Verùm inter Christianos non debet esse locus coniecturis, in causa regni Christi ac salutis nostræ: sed conuenit, ut sint omnia certa, & per experientiam spiritus comprobata.

Quæ sint præstantia, inquit.] Græcè est, τὰ διαφέροντα. Sonat autem τὸ διάφορον aliquando differens, unde ἀδιάφορα indifferentia dicuntur: aliquando excellens, præstans. & potius, quo sensu hoc loco ponitur. Ergo ad probandum ea quæ bona sunt, utilia ac præstantia, opus est scientia & intelligentia. Multis disputatur hac nostra ætate de adiaphoris, rebus uidelicet indifferentibus ac medijs. Et hic ingenij sui acumen nonnulli sedulò ostentant. Quantò satius fuerit probare, quæ sint necessaria ac præstantia? Vulgus, quoniam intelligentia non ualet, facilè decipitur, ut indifferentia amplectatur pro præstantibus ac necessarijs. Quare præter rationem non est, quòd orat Apostolus pro fidelibus, ut crescant in cognitione & intelligentia, quo probent quæ sint præstantia. Et ea demum Christiana scientia est, pertinens ad omnes, probare posse præstantia. Si hac præditi fuissent maiores nostri, multo iam melius haberent Ecclesiæ Christi. Et hodie opus est, ut præstantia probemus, ne per hæreticos seducamur.

Vt sitis sinceri, inquit.] Non dicit: Vt sitis docti ac sapientes. Magna quidem & præclara sapientia est, probare quæ sint præstantia: uerùm Christianæ intelligentiæ finis in ea non est, sed magis ἐν τῇ εἰλικρινείᾳ, hoc est in sinceritate, spiritus ac fidei uidelicet. Εἰλικρινία, est puritas

earum

earum rerum quæ nullo sunt alio quàm naturali ac simplici colore tinctæ, maximè candido, quali sunt lilia: atq; ita transfertur ad animum, spiritum, fidem, sententiam, charitatem, ac totam uitæ conuersationem. Oppositum illius est, corruptio, fucus, impuritas, &c. farina sincera est, nullo fermento mixta, quam uocant ἄζυμον. Huic cõparat Apostolus prima Corinthiorum quinto, ἀλυπρινέαν καὶ ἀληθείαν: secunda Corinthiorũ primo, coniungit ἁπλότητα & ἀλυπρινείαν. Et capite secundo opponit illi cauponationem & adulterationem uerbi Dei. Ea autem sub Antichristo pleno iã impetu regnat. Monet Philippenses, ut caueant, ne fermento pseudapostolorum inficiantur & corrumpantur: qua de re & Christus monuit dicens, Cauete uobis à fermento Phariseorum.

Ac tales, inquit, *ut nemini sitis offendiculo.*] Vulgata editio habet, Et sine offensa. Græcè est, καὶ ἀπρόσκοποι: id est, & inoffensi, sine impedimento, qui in uia Dei inoffenso pede incedant, nec uspiam impingant ac cadant. Huius rei figura in Israelitis præcesserit, ubi iussi sunt uitare fermentum, & calceis ac baculis uti ad migrandum, quo uidelicet essent in fide erga Dominum Deum suum sinceri & constantes, ambularentque coram eo pede inoffenso. Consimili modo & hic coniungit Apostolus sinceritatem & constantiam in fide erga Christum. Multum erat fermenti cùm philosophorum, tum pseudapostolorum: unde multum etiam periculi erat, ne fides Christiana corrumperetur. Quantum fermenti post Apostolorum tempora illatum sit in Ecclesias, nemo sufficienter recensuerit. Multum erat, & hodie quoque est, offendiculorum & impedimentorum, quę passim ijs qui in fide ac ueritate Christi ambulant, obijciuntur. Quare opus est baculo constantię, ne quo pacto offendamus & cadamus. Notum est illud Christi Matth. 18. Væ mundo ab offendiculis. Necesse est enim ut ueniant offendicula. qua de re uide in Comment. nostris super Mattheum.

Erasmus Chrysostomum sequutus sic uertit: Ac tales ut nemini sitis offendiculo. Et illud quidem à Christiano requiritur: uerùm meo iudicio, ἀπρόσκοποι magis est, qui non offenditur & non impingit, quàm qui offendit alios, & ut cadant impellit. Quare non erat addendum quod in Græco non habetur: sed simpliciter uertendum, Et inoffensi, uel sine offendiculo.

In diem Christi, inquit.] Respicit ad id quod suprà dixit, Qui cœpit in uobis bonum opus, perficiet usque ad diem Iesu Christi. Quare quod dicit, ἀς ἡμέραν Χριστ: idem est quòd, ἄχρις ἡμέρας χριστ, id est usque ad diem Christi. Iam secundò meminit diei Christi, hoc agens, ut illũ mentibus nostris inculcet, quo certi de illius aduentu, infractum fidei nostræ cursum retineamus, illumq; ueluti ad certam metam ad diem hunc extendamus. Currimus enim uelut in stadio, ubi qui impingit & cadit in cursu, præmium non assequitur, quia ad metam non pertingit: qua de re uide in priore ad Corinthios Cap. 9.

Impleti fructu iustitiæ, inquit.] Græcè est in plurali καρπῶν, id est fructibus. Nec erat ratio cur numerus mutaretur. Subijcit particulam hanc de bonis Christianorum operibus, quæ uocat fructus iustitiæ. Iustitia Christiani hominis id est, quod bonitas est in arbore. Nam ad bonæ arboris similitudinem respicit, cum dicit: Impleti fructibus iustitiæ. Quemadmodum bonitas arboris fertilitate fructuum declaratur, ita iustitia Christianorum bonis operibus comprobatur.

Qui contingit per Iesum Christum, inquit.] Græcè est, τῶν διὰ Ιησοῦ χριστ, id est ijs qui sunt per Iesum Christum.

Locus hic diligenter est de bonis Christianorum operibus obseruãdus. 1 Principiò admonemur, esse illa fructus, utique bonos. Quæ sit autem conditio, & quis usus fructuum, notum est omnibus. Fructus, opus sunt naturæ fertilis: nec ullis possunt humanis uiribus adscribi, sed ex incremento omnia operantis Dei proueniunt. Plantat quidem homo uitem, illamque colit: uerùm uuas nõ producit, nec productas augescere ac mitescere facit. Id enim totum ex uirtute est operantis Dei, qui solus dat fructificationis incrementum. Consimilis est & bonorum operum conditio.

2 Deinde, non simpliciter uocat ea fructus, sed fructus iustitiæ. Non loquitur autem de iustitia imputata per gratiam, sed de ea quæ est ex operatione regenerantis nos spiritus Dei, qua quæ iusta sunt operamur, & propter quam iusti uocamur. Germanicè illam rectè uocaueris **Frumkeit**. Constat bonitate, probitate & æquitate. Igitur ea demùm bona sunt opera, quę ex iustitia noui hominis fiunt, perinde atque fructus ex bonitate arboris proueniunt. Excluduntur hic opera hypocritica, templaria & superstitiosa, quæ nulla possunt bonitatis & iustitiæ utilitate commendari.

3 Tertiò obseruandum est, quod dicit: Qui sunt per Iesum Christum. Admonet enim, unde sit nobis uirtus ea quæ bona sunt operandi. Ex Iesu Christo uidelicet. Ille uera uitis est, nos palmites. Si quæras unde palmitibus sint uuæ? rectè respondebitur, Ex uite. Nihil habent palmites, nec adferunt quicquam, nisi ex uite. Sic nostra uitis: Sine me, inquit, nihil poteritis facere. Sed hac de re uide Commentarios nostros in Ioannem, cap. 15. Diligenter hic obserua,

quod cum dixisset, Impleti fructibus iusticiæ: non dicit, Qui sunt per iusticiam uestram: sed, Qui sunt per Iesum Christum. Quid aliud sic dicendo innuit, quàm iusticiam bonorum nostrorum operum esse non ex nobis, sed ex Iesu Christo? Hinc rectè dicit, ipsos iusticiæ fructus esse per Iesum Christum.

4 Quartò nec illud transeundum est, quòd non simpliciter dicit, Proferentes fructus iusticiæ: sed, impleti fructibus iusticiæ. Ea in arboribus commendatur fertilitas, qua non sparsos hinc inde fructus ferunt: sed largis & copiosis fructibus sunt referti. Sic Christianorum bonitas & iusticia comparata est, ut ubertim bona opera proferat. Est enim larga & spontanea ad ea quæ bona sunt operandum. Qui quæ bona uidentur, non ex animo faciunt, parcè, rarò, tenuiter & obiter faciunt, ne prorsus nihil fecisse uideātur. Secus comparati sunt, quibus cordi est bonorum operum studium.

5 Quintò, illud quoq; animaduerte, quod dicit: Ad gloriam & laudem Dei. Hic finis & scopus esto Christianis, ad quem quæ bona sunt, operando colliment. Non dicit, Ad promerendum uitam æternam: sed, Ad gloriam & laudem Dei. Sic Seruator Matth. 5. Sic luceat lux uestra, inquit, coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est. Ergo quo magis bonis operibus, quasi bonis fructibus abundamus, hoc magis gloriæ ac laudi Dei seruimus. Hinc enim causa offertur huic mundo, ut in Christianis uirtutem diuinæ bonitatis agnoscat, Deumq; propterea glorificet, quòd tales homines per gratiam suam efficit. Huic gloriæ Dei tantum detrahitur, quantum propriæ nostræ iusticiæ, arbitrio, & uiribus carnis à Scholasticis humanorum meritorum doctoribus tribuitur.

Scire autem uos uolo fratres, quòd quæ mihi acciderunt, magis ad profectū Euangelij euenerunt: ita ut uincula mea manifesta facta sint in Christo in toto prætorio ac cæteris omnibus, utq; plures ex fratribus in Domino freti uinculis meis uberius auderent impauidè sermonem loqui. Nonnulli quidem per inuidiam & contentionem, nonnulli uerò & propter bonam uoluntatem Christū prædicant. Alij quidem ex contentione Christum annunciant non purè, existimantes sese afflictionem addere uinculis meis: alij rursus ex charitate, scientes quòd in defensionem Euangelij constitutus sim.

Quoniam iudicio carnis impossibile uidebatur, fieri posse ea quæ in præcedentibus orauit, propterea quòd tota Euangelij causa unà cum ipso in uinculis constituto periclitabatur, ut in oculis mundi apparebat: cogitationi huic occurrens, tam abesse dicit ut Euangelium unà cum ipso ligatum sit, ut uincula ipsius magis ad profectum illius facere cœperint. Sic dicit: Scire autem uos uolo fratres, quòd quæ mihi acciderunt, magis ad profectum Euangelij euenerunt. Ad quid hoc illos scire uolebat? Ne uidelicet propter ipsius uincula animum desponderent, quasi de tota Euangelij causa actum esset in posterum: ideoque frustra se laboraturos, ut in illa constanter persisterent.

Quod quæ mihi acciderunt, inquit.] Græcè est, τὰ κατ' ἐμέ. In calce præcedentis Epistolæ ad Ephes. reddidit, Quæ ad me pertinent: ubi de hac loquutione dictum est.

Magis ad profectum Euangelij euenerunt, inquit.] Intellige, quàm ad impedimentum. quasi dicat: Non est ut timeatis, uincula mea cessura esse ad Euāgelij subuersionem. Absit. Magis etiā ad profectum illius cedunt.

Est autem profectus Euangelij geminus. Vnus, quo prædicatio illius latius extenditur, & plures undequaq; sectatores ad illud accedunt. De hoc intelligit Apostolus, sicuti mox patebit. Alter, quo uirtus Euangelij in cordibus credentium magis ac magis augescit ac proficit. Pro hoc orabat ad Deum, sicuti uidimus in præcedentibus, ubi dixit: Et illud oro, ut charitas uestra adhuc magis ac magis exuberet, &c.

Obseruandus est hic locus diligenter. Satan cum suis satellitibus non ideo concitauit seditiones aduersus Apostolum, ut Euangelium quod prædicabat, magis ac magis proficeret: sed diuersum potius quærebat, & omnem lapidem mouebat, quo cursus Euangelij impediretur. Diuina uerò prouidentia non solum piorum hominum, sed & reproborum studia pro sua uoluntate dirigens, sic inuertit conatus impios, ut non modò redderentur inanes, sed & in contrarium essent efficaces. Non egemus prioris Ecclesiæ exemplis, quandoquidem & nostra hac ætate reipsa uidemus studia aduersariorum magis ad profectū quàm ad impedimentum Euangelij facere. Mirabilis est Deus in operibus suis. Poterat Apostolum suum coram principibus & magnatibus huius seculi, illustrem, & Euangelium quod prædicabat, ubiquè glorioſum reddere: quo non sub cruce & ignominia, sed in honore & gloria ubique terrarū inualesceret. Voluit quidem ut proficeret, quemadmodū & in toto terrarum orbe profecit: uerùm placuit ipsi ut promoueret sub cruce, sub qua & natum fuerat: quo nulla relinqueretur carni gloria, sed omnis illius uirtus diuinæ prorsus operationi adscriberetur. Oportebat

omnem

omnem huius mũdi sapientiam & potentiam, tanquam ueritati repugnantem, confundi, quo inuicta diuinæ uoluntatis operatio agnosceretur & glorificaretur.

Ita ut uincula mea manifesta facta sint in Christo, inquit, *in toto prætorio, ac cæteris omnibus.*] Exponit quomodo & quousque ea quæ acciderunt sibi in uinculis, ad profectum Euangelij fecerint: sic uidelicet & hactenus, ut in toto prætorio, ideſt regia Neronis ac omnibus reliquis, ciuibus uidelicet Romanis, manifesta facta sint ipsius uincula in Christo. Vincula autem ponit pro causa uinculorum. Ea erat Euangelij Dei annunciatio. Hanc uoluit Deus innotescere ac manifestari omnibus qui Romæ cùm in prætorio Cæsaris, tum in ipsa urbe commorabantur. Vnde autem manifestabatur? Ex eo quòd in uinculis cõstitutus, omnibus ad se uenientibus exponebat, propter quam causam ex Iudæa missus esset Romam, & hac occasione Euangeliũ illis de CHRISTO IESV prædicabat: idq; non obiter, sed diserte ac liberè, & magna cum energia spiritussancti, ita ut ex ipsa domo Cæsaris quosdã ad fidem Christi conuerterit, sicut infrà capite quarto patet.

Ergo quantum ipsa uincula Apostoli Euangelio Christi incommodatura uidebantur, tantum manifestatio illorum, ac declaratio ad profectum illius faciebat. Idem hodie quoque frequenter accidit. Hostes Euangelij Dei, ut illud subuertant, ministros ac professores illius carceribus includunt, ac omnis generis supplicijs tradunt. Verùm quid accidit? In ipsis carceribus, in eductione, in medijs supplicijs manifestant ipsam causam, propter quam à potentibus huius mundi afflictantur & occiduntur. Ea autem manifestatio nunquam inutilis abit, sed multorum corda ad ueritatis cognitionem inducit: atque ita magis ad profectum Euangelij, quàm ad extinctionem facit. Vbi impij homines futurum hoc timent, crudelissimo consilio linguas martyrum Christi amputant: quasi tacentibus illis non loquatur res ipsa, & immanitas ipsorum non moueat spectantium mentes de causis tantæ crudelitatis accuratius quærendi. Vbi igitur cruenta hæc sæuitia abundat, ibi abundat & Euangelij manifestatio, & ex manifestatione luculentus profectus.

Illud in Christo, nonnulli referunt ad uincula, & legunt, Vt uincula mea in Christo: ideſt quę propter Christũ perfero. Verùm in Græco est, ὥστε τοὺς δεσμούς μου φανερούς ἐν χριστῷ γενέσθαι, ideſt ita ut uincula mea manifesta in Christo facta sint. Quomodo aũt manifesta facta fuerint in Christo, suprà exposuimus. Mors sanctorũ hodie, qui propter ueritatem Euãgelij Dei occidũtur, singulari studio aduersariorum accusatione & condemnatione hæreseos infamatur, ne manifestata illius causa ad profectũ Euangelij faciat. Verùm ubi lux ueritatis emergit, sic manifestatur & illa, ut conspicuum fiat, quòd mortui sint non ut hæretici, sed ut martyres Christi: id quod aliquando fit confestim, aliquãdo post aliquot annorum spacium, sicut accidit Husio: aliquando in die manifestationis Christi, ubi cum illo manifestabimur in gloria. Huc pertinet locus Sap. 5. Omnino quicquid fit in Christo, ac propter Christũ, manifestabitur in Christo, quantumuis ab impijs obscuretur.

In toto prætorio, inquit.] Qualis fuerit prætura Magistratus apud Romanos, in historijs uidere licet. Præcipuè fuit is, cui exercitus parerent, quem & imperatorem uocant. Crescente Imperio cœperunt & singulis prouincijs singuli prætores dari. Sic & Hierosolymis prætoriũ erat, in quo Christus condemnatus est à Pilato: & Cæsariæ Paulus in prætorio Herodis custoditus fuit. Act. 23. Milites qui prætori aderant, prætoriani uocabantur. Romæ tum temporis, ut uerosimile est, prætorium erat domus Neronis: & credibile est, ibi fuisse Paulum custodiæ traditum, quemadmodum Cæsariæ in prætorio Herodis.

Obseruandũ autem est, quod declaraturus, quomodo quæ sibi accidebant, magis ad profectum Euangelij facerent, dicit: ita ut uincula mea manifesta facta sint in toto prætorio. Ergo usque adeò ad profectum Euangelij facit, si causa illius in prætorijs Regum ac principum manifesta fuerit, ut duxerit Apostolus dignũ hoc esse, quòd ad Ecclesias Christi cõsolationis gratia scribat. Quomodo autẽ faciat hoc ad propagationem Euãgelij, facilè intelligi poterit.

Principiò, etiamsi Reges ac principes ipsi non statim ad Euangelium Christi accesserint, cessat tamen ex eo furor persequutionis, uel saltem mitigatur crudelitatis sæuitia. quod quanti sit faciendum, ex eo satis patet, quòd 1. Timoth. 2. hortatur fideles, ut orent pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, quo quietam ac tranquillam uitã in omni pietate ducere possint.

Deinde hac occasione spargitur nomẽ IESV CHSISTI inter populos subiectos. Etenim quæ uulgantur in toto prætorio, abscondi non possunt, sed subitò transit illorum rumor ad aures subditorum.

Tertiò, & hoc compendio aperitur ostium Euangelio. Facilius enim admittitur doctrina, cuius antea rumor ex Regia ad subditos peruenit. Quod hoc factum sit etiam Romæ, ex eo patet quod subijcit, dicens:

Ac cæteris omnibus.] Siue intelligas de locis Romano imperio subiectis, siue de urbis illius ciuibus, ad quem modum intellexit Chrysostomus: manifestum est, ex eo quòd uincula Apostoli manifesta erant in Christo in toto prætorio Romæ facta, innotuisse de causa hac etiam

etiam illis qui potestati Romanæ erant subiecti, sic ut rumor nominis Christi ex ipso fuerit prætorio uelut à uertice in subiecta membra translatus. Et hoc consilio uoluit Deus Apostolum suum Romam deduci, ut ibi, tanquam in uertice totius Imperij de Euangelio ipsius testificaretur, indeque nomen Christi in omnes gentes diuulgaretur. Sic Acto. 23. dixit ad eum in uisione Dominus: Constans esto. Sicut enim de me testificatus es Hierosolymis, sic te oportet & Romæ testificari. Quare Hierosolymis? Quia Iudæis erat ea ciuitas metropolis: nec fieri poterat, ut non diuulgarentur in tota Iudæa, quæ ibi gerebantur. Quare Romæ? Quia ibi erat sedes imperij inter propè totius orbis gentes: nec magis abscondi poterât, quæ in illa diuulgata essent, quo minus innotescerent orbi, quàm abscondi potest ciuitas in excelso monte sita. Non moratur Deus ea quæ sunt in hoc mundo sublimia: interim tamen utitur illis ad nominis sui gloriam, uel inter eos qui humiles sunt illustrandam. Hac consideratione facilè agnoscimus, amplitudinem Romani Imperij plurimùm initio cõtulisse ad propagationem Christiani nominis inter gentes, cum fides Romanorum prædicaretur in uniuerso mundo, sicuti uidere est Rom. 1. Verũ iuxtà & illud fateri ac testificari nos cogit ipsa ueritas, quòd mysterium Antichristianæ iniquitatis ex ea urbe per Imperij Romani amplitudinem in Ecclesias gentium propagatum sit, sub hoc prætextu, quòd Romana sedes mater sit Ecclesiarũ, ex qua fides in Christum in totum orbem promouerit: ideoq; iure ac potestate primatus excellat reliquas Ecclesias omnes, sic ut nulla in re cuipiam iurisdictioni ac decretis illius cõtradicere liceat. Ex eo itaq; quòd initiò profuit orbi, tãdem ingens & pernicioſissima pestis per astutiam Satanæ conflata est. Vrbs eadem quæ antea gloriæ Christi seruiuit, postea dominatui τριπλοειδῆς Antichristi seruire cœpit, cuius etiamnum est pedibus subiecta. Sed ad textum.

Vtq; plures ex fratribus in Domino, inquit, *freti uinculis meis, uberius auderent impauidè sermonem loqui.*] Hoc erat alterum cõmodum uinculorum Pauli, ad profectũ faciens Euangelij Christi, quòd ex fratribus plures, intellige, quàm antea: confidentia ex eo sumpta, quòd uiderent uincula mea causam præbere Euangelij in prætorio & passim manifestandi, impauidè & uberius sermonem, de Christo uidelicet, loqui audebãt. Et id quoq; præter opinionem accidebat. Videbatur enim, cum esset Apostolus Christi, prætorianæ custodiæ in ipsa urbe traditus, futurum citius ut perterrefactis fratribus, nemo sermonem de Christo loqui auderet: uel certè pauci, idq; non nisi pauidè ac parcius de illo loquerentur. Verùm multo secus, imò prorsus contrarium eueniebat, sic Deo cursum Euangelij sui mirabiliter & contra rationis humanæ iudicium disponente, ut unde impediri & opprimi posse putatur, inde magis ac magis emergat ac promoueat. Non egemus Apostolicis exemplis. Ipsi nostra hac ætate planè idem in hac Germania nostra uidimus. Cum esset Martinus Lutherus, piæ memoriæ, ad hoc wormaciam Cæsarea authoritate uocatus, ut in frequentia Principum, & cum primis Caroli Cæsaris, deinde magnatum, Episcoporum ac prælatorum perterrefactus, ea quæ contra Romanæ sedis quæstuosam impostoram ac nonnullos Papismi errores docuerat, recantaret: uel totius Imperij sententia damnatus, certo & ineuitabili exitio periret: tam aberat ut quod quærebant aduersarij consequerentur, ut inde magis ac magis manifestaretur Euangelij Christi ueritas, & plures ex pijs ac doctis sumpta fiducia, de illa uberius ac manifestius loquerentur.

Vtq; plures, inquit, *ex fratribus in Domino.*] Fratres in Domino, intelligit eos qui secundum fidem Christi erant ipsi fratres. Etenim particulam hanc, In Domino, discriminationis gratia adiecit: ut significaret loqui se non de Iudæis, quos & ipsos solebat uocare fratres & cognatos secundum carnem, sicuti uidere est Rom. 9. sed de Christianis, fratribus in Christo.

Obserua uerò, quòd non dicit, Vtq; omnes fratres: sed, Vtq; plures ex fratribus. Ergo multi adhuc infirmiores erant, quàm qui palàm & disertè sermonem Christi loqui auderent. Et tamen non reijcit eos, sed agnoscit pro fratribus.

Freti uinculis meis, inquit.] Quomodo per Apostoli uincula reddebantur fratres ad loquendum sermonem confidentiores? Non per uincula, sed per exemplum Apostolicæ constantiæ & per id quod uidebant Euangelium inde magis ac magis manifestari & illustrari, tales reddebantur.

Freti uinculis meis, inquit.] An competit hoc ministro Christi, ut aliunde quàm ex instinctu spiritus Christi sermonem loquatur? An non Christus ipse ad discipulos suos dixit, *Vos non estis qui loquamini, sed spiritus patris uestri loquetur in uobis?* At illi de quibus hic fit mentio, nõ impulsi à spiritu Christi, sed freti uinculis Apostoli, sermonem loquebantur. Respõdeo. Quòd sine impulsu spiritus Christi loquuti sint, nõ potest ex uerbis Apostoli colligi. Ni spiritus Christi non semper & quosuis immediato instinctu ad loquendum uel ad faciẽdum, quod bonum est mouet: sed sæpenumero utitur medijs cùm occasionibus tum exemplis, quibus etiam instinctum & impulsum suum efficaciter addit, imò præmittit. Quare non debemus in hac causa externa media, occasiones & exempla respuere, quibus ad ea quæ bona sunt uel loquenda uel facienda animari moueriq; possumus.

Vberius auderent, inquit, *impauidè sermonem loqui.*] Non simpliciter dicit, Sermonem loquerentur. sed ut fructum uinculorum suorum amplificet, Vberius, inquit, auderent, & impauidè ser-

monem

monem loqui. Et antea illi loquuti fuerant sermonem, sed parcè & pauidè, non tam ubertim & audacter sicuti postea. Simul admonet, quomodo prædicandum sit Euangelium Dei in hoc mũdo. Vbertim uidelicet, audacter & impauidè. Deinde significat hoc se pacto in uinculis quoq; constitutum prædicasse Christum usqueadeò, ut cæteri exemplo suo moti confidentiam loquendi sumpserint. Qua in re nos admonemur, quare subinde Deus singularem quorundam præcipuorum organorum suorum constantiam per uarias tribulationes spectandam proponat: ad hoc uidelicet, ut illam imitemur. Et occasione præsentis loci annotandum uidetur, quæ sit exempli uis ad imitandum trahens.

Exempla fidei & constantiæ in Doctore, principiò doctrinam illius quodammodo confirmant, & authenticam reddunt.

Deinde dilucidant eam quoq;, ac claram reddunt. Nam sine exemplis manet obscurior.

Tertiò, ipso uirtutis conspectu ad imitandum alliciunt, quæ uisa ad amorẽ sui excitat magis quàm audita.

Quartò, spem faciunt, fieri posse per gratiam Dei, ut rectè uiuatur, & in zelo Dei constanter pergatur.

Quintò, pudorem incutiunt torpidis ac negligentibus.

Sextò, reddunt eos etiam anxios ac sollicitos, ne si diuersum ipsi agant, omni dempta excusatione condemnentur. Hæc & nonnulla alia satis declarant, quæ sit uis exemplorũ, quæ Ecclesiæ suæ Deus in præcipuis suis organis proponit.

Nonnulli quidem per inuidiam, inquit, *& contentionem, nonnulli uerò & per bonam uoluntatem Christũ prædicant.*] Quòd complures ex fratribus uinculis suis fretos uberius & impauidè sermonẽ loqui dixit, quomodo id & quàm diuersimodè factum sit exponit. Diuidit autem eos in duo genera prædicatorum, secundum duplices affectus, quibus moti Christum prædicabant. Nonnulli, inquit, per inuidiam & contentionem. Græcè est, διὰ φθόνον καὶ ἔριν, id est propter inuidiã & contentionem. Sensus est: Nonnulli Christum prædicant, propterea quòd inuident mihi tam uberem Euangelij profectum, qui est ex uinculis meis: & spiritu contentionis ducuntur, quo cursum meum impediant, concordiamq; eorum qui Euangelio, quod prædico, credunt, contentiosis sermonibus disturbent, & interea aliquid sibi nominis acquirant.

Obseruandum hic est, inuidentiam & contentionem duas esse antiquas pestes ministris uerbi uehementer insidiosas. Locum inuenerunt inter fratres ipsius Apostoli temporibus: quantum interea inualuerint in Ecclesijs, quis satis expenderit? Hodie certè pleno impetu regnant inter eos quoq; qui puram Euangelij doctrinam profitentur.

Deinde obserua, quomodo eas coniunxerit. Inuidentiam præmittit, deinde contentionẽ illi mox, tanquam filiam matri, subiungit. Vbicunq; siquidem inuidentia locũ inuenit in cordibus mortalium, inuenit autem in carnalibus inanis gloriæ studiosis: ibi euestigiò subsequitur contentio, eaq; non leuis ac momentanea, sed acerba & irremissa. Sic arguit illa, ac prodit animos inuidentiæ stimulis agitatos, & ab affectu charitatis prorsus alienos. Est autem indicibile, quàm duæ hæ pestes perpetua quadam luc Ecclesias corruperint, confecerint ac perdiderint: concordiam fratrum discinderint, sanam doctrinam uitiarint, Synodos noxias magis quàm uides reddiderint, schismata excitarint, ac religionem Christianam incredulis ridendã ac proscindendam præbuerint.

Nonnulli uerò & propter bonam uoluntatem Christum prædicant, inquit.] Hæc altera pars est eorũ qui Christum prædicabant, cum Apostolus esset in uinculis, à priore multum diuersa. Priorũ mala, istorum uerò bona erat uoluntas. Quantum ergo differunt inter se bonũ & malum, tantum differentiæ erat inter illorum & istorum uoluntatem. Et tamen utriq; Christum prædicabant. Nam particula hæc, Christum prædicant, sic est posita, ut de utrisq; prædicetur, non solum de ijs qui ex bona uoluntate: sed & de illis qui propter inuidiam & contentionem Euãgelium prædicabant.

Obseruabat igitur Apostolus, quo animo præditi essent qui Christum annunciabant. Ea siquidem in re admodum multum est situm. Licet enim fieri queat, ut quæ uera sunt, non modo per eos doceantur qui ex bona, sed & per eos qui ex mala uoluntate prædicant: plus tamẽ fructus ex prioribus, quàm ex posterioribus sperari potest. Plus nanq; mouet auditorẽ eius doctoris uerbũ, quum intelligit ea quæ uera sunt, ueraci ac candido corde docere, quàm eius cuius animum sentit esse reprobum: & quæ aliàs uera docet, proferre uel per inuidiam ac zelum, uel per ostentationem & inanis gloriæ studium, uel per turpis quæstus aucupationem. *Vide Augustinũ de doctrina Christiana libro 4. cap. 27.*

Alij quidem ex contentione Christum annunciant, inquit, *non purè.*] Exponit quæ de diuersis prædicatoribus Euangelij dicere cœpit, explicans quid quiq; prædicando Christum quærant. Et primùm repetit de illis, qui ex inuidia & contentione Christum prædicabant: deinde subijcit de illis qui prædicabant illum ex bona uoluntate. Et hic ordo expositionis cõformis est præmissis. Quare miror unde sit inuersio illa, quæ in lectione hac apud Ambrosiũ & Vulgatũ interpretẽ habetur, ubi sic legitur: Quidam ex charitate, scientes quoniam in defensione Euangelij positus sum: quidam autem ex contentione Christum annunciant, non syncerè, &c.

Christum

Christum annunciant, inquit.] In præcedentibus dixit: Christum prædicant. Græcè illic est, τὸν χριστὸν κηρύσσουσιν: hic uerò, τὸν χριστὸν καταγγέλλουσιν. Est autẽ κηρύσσειν, aliquid apud populum publico pręconio promulgare, quod propriũ est præconũ, maximè regalium. καταγγέλλειν quoq; ideſt denunciare aliquid, eodem hic ſenſu ponitur. Neq; enim aliud eſt annunciare Chriſtũ, quàm prædicare Chriſtum. Sunt igitur miniſtri Euangelij præcones, ſummi Regis filium publico pręconio toti orbi prædicantes, & aduentum regnumq; eius tanquam cœlitùs ex regia cœleſti demiſſi annunciantes. Quam fidem autem, quam dexteritatem, & quam parrheſiam requirat eiuſmodi pręconum legatio, nemo ſatis perpenderit.

Non purè, inquit.] Græcè, οὐχ' ἁγνῶς, id eſt, Nõ caſtè. Vulgata editio habet: Non ſincerè. Ambroſius legit, Non ſimpliciter: quaſi ſit, οὐχ' ἁπλῶς. Chryſoſtomus exponit, οὐχ' ἁπλουστέρως, ἀνθ' ὧν ἐπὶ τὸ πρᾶγμα. Poteſt autem particula hæc bifariam accipi: uidelicet uel de doctrina, uel de mente prædicantiũ. Alia nanq; eſt doctrinæ ſynceritas, alia mentis in eo qui docet. Reperias qui pura quidem mente ac uoluntate Chriſtum prædicet, nihil aliud ſpectans quàm ut illius regno ſeruiat: interim tamen ipſam Euangelij doctrinam tradat non puram ac ſynceram, ſed mixtã & corruptam, eo quòd illam non ſatis plenè intelligat. Rurſus inuenias qui purè quidem doceat, uerùm corde non puro, ſimplici & candido, ſed ſiniſtro ac duplici. Iam quæſtio eſt, quo ſenſu Apoſtolus eos qui ex contentione prædicabant, Chriſtum non purè annunciaſſe dicat. Alij referunt non ad doctrinam, ſed ad malam reprobæ mentis intentionem, eo quòd ueroſimile non ſit, ſi doctrinæ ſynceritatem corrupiſſent, gauiſurum de prædicatione illorum fuiſſe Apoſtolum. quæ ſententia placuit Auguſtino lib. 2. quæſt. Euan. cap. 33. & mihi quoq; probatur: ſic tamen, ut nemo inde colligat, nõ fuiſſe tum qui impura docerent. fuiſſe enim tales, infrà cap. 3. abundè ſatis patet, ubi dicit: Cauete canes, cauete malos operarios, cauete cõciſionem, &c. Alij referunt ad utranq; tam mentem prædicantium quàm doctrinam. quæ ſententia Chryſoſtomi fuiſſe apparet, ex eo quod dicit: Non ſyncerè, neque propter ipſam cauſam. Theophylactus tamẽ expoſitionem illius trahit ad eã ſententiã, quã nobis probari diximus.

Exiſtimantes, inquit, *ſeſe afflictionem addere uinculis meis.*] Erant hi quoque ex fratribus, uerùm nomine tantum, non re. Erant enim non amici, ſed inimici. Prædicabant quidem Chriſtum, ſed non quærebant Chriſtum. Non quærebant eum corde, quem ſonabant ore. Ideo poſtquã dixit eos prędicare Chriſtum ex contentione, mox declarandi gratia expreſsius ponit, quidnam contendendo quæſierint, cum dicit: Exiſtimantes ſeſe afflictionẽ addere uinculis meis. Hoc erat uidelicet, quod quærebant. Id autem non prædicabant ore, quo Chriſtum in ſpecie prędicabant: ſed quærebant corde, quo Chriſtum non quærebant.

Exiſtimantes, inquit.] Non dicit, Afflictionem addentes: ſed, Exiſtimantes ſeſe afflictionem addere uinculis meis. Non addebant effectu, ſed opinione tantum, & inani malicioſi cordis propoſito. Neque enim ſucceſsit illis, quod moliebantur: imò quod contrarium erat euenit. Vſq; adeò nanq; nihil incommodi afferebant Apoſtoli uinculis, ut illi gaudij potius quàm triſticiæ materiam præberent. Quare ut uanitatem conſilij ipſorum perſtringat, dicit: Exiſtimãtes ſeſe afflictionem addere uinculis meis.

Eiuſmodi ſunt omnia impiorum hominum conſilia, quibus Deo ac uerbo eius repugnãt. Opinantur ſeſe facere & efficere quod moliuntur, ſed errant ac ſeducuntur. non eſt enim cõſilium aduerſus Dominum. Imò quo magis moliuntur, & aſtutius machinãtur, hoc magis in cauſa ſunt ut promoueat ueritas, quam ſupprimere conantur. Non egemus priſcis exemplis. Nam etiam noſtra hac ætate reipſa compertum eſt omnibus, Rom. pontificũ bullas, condemnationesq; & anathemata, Cęſarũ edicta, Imperalia comitia, præſcriptiones, perſequutiones, carceres, quæſtiones, laqueos, gladios & ignes, quibus exiſtimabatur opprimi poſſe ueritatẽ Euangelij Dei, non modò nihil effeciſſe, ſed magis etiam plurimùm ad profectum Euangelij contuliſſe. Sic olim & Pharao exiſtimabat ſe atterere & opprimere multitudinẽ Iſraelis: uerùm quo magis atterebat, hoc illa magis creſcebat ac multiplicabatur: ſicuti uidere eſt Exod.

Afflictionem, inquit, *addere uinculis meis.*] Græcè eſt θλῖψιν ἐπιφέρειν τοῖς δεσμοῖς μου. Vulgatus interpres reddidit: Preſſuram ſuſcitare uinculis meis. Et Ambroſius ſic: Quod preſſuram ſuſcitet uinculis meis. θλίβω, unde θλῖψις eſt, ſonat premere, ſtringere, & in arctum redigere. Quare non diſplicet, quod uetus interpres θλῖψιν hoc loco preſſuram uertit. Quod uerò ἐπιφέρειν, reddidit ſuſcitare, non ita probatur. Etenim θλῖψιν ἐπιφέρειν δεσμοῖς, propriè eſt preſſuram inferre uincto, ſupra afflictionem, quam ipſa adferunt uincula: ut non malè uerterit Eraſmus, Afflictionem addere uinculis meis.

Quomodo autem preſſuram uinculis Apoſtoli inferre uel addere, Chriſtum annunciando quærebant? Hoc uidelicet agebant, ut libertas & multitudo paſsim Chriſtum prædicantium iritarent Neronem aduerſus Paulum, quem habebat in uinculis, quaſi tragœdiæ ac factionis Chriſtianæ coryphæum & anteſignanum: ad quem reſpicerent omnes, & cuius exemplo auderent quæ aliàs non tentarent: atq; ita uel tolleret hunc è medio, uel libertatem illius, qua Chriſtum impauidè in uinculis prædicabat, reſtringeret, nec cuiquam liberum ad illum accesſum permitteret: & hoc pacto Paulini Euangelij profectum cum primis in prætorio ſuo, deinde

inde & toto orbe cohiberet. Et hæc machinãtes, existimabant se uinculis Pauli haud mediocrem pressuram illaturos. Vnde autem ad malicioſum hoc consilium permoti fuerint, ex eo satis patet, quòd eos Christum ex inuidentia & contentione prædicare dixit. Impellebãt eos stimuli liuoris, quo cursui ac profectui Paulinæ doctrinæ inuidebant. Erant organa Satanæ, ad hoc ab illo missa, ut cursum Euangelij præfractis & contentioſis de Christo prædicationibus sisterent: quales erant illi, qui rusticanæ seditionis tempore carnale ac seditioſum Euangelium turbulento spiritu prædicabant, & Euangelium Christi coram Magistratibus ueluti seditioſum uehementer odioſum reddebant.

Alij rursus ex charitate, inquit.] Repetit iam de sinceris fratribus, qui uinculis suis moti sermonem Domini impauidè loquebantur, & propter bonam uoluntatem Christum prædicabant. Exponit autem quæ fuerit illorum bona uoluntas, qua ad prædicandum Christũ mouebãtur: Dilectio uidelicet. Diligebant Christum, & bene erant erga illius cùm Euangelium tum Apoſtolum affecti. Hoc innuens subiungit:

Scientes quòd in defensionem Euangelij constitutus sim.] Quasi dicat: Quoniam certò cognoscunt, hunc esse scopum ac finem uinculorum meorum, ut rationem reddã Euangelij Christi, quod prædico: ideo animantur & ipsi ad prædicandum Christum, quo me in hoc opere decertantẽ adiuuent. Diligunt enim & ipsi Christum, & illius Euangelium ubiq; propagatum iri cupiũt.

Admonemur hoc loco, quàm debeant à nobis diligi, & pro uiribus iuuari, quos scimus ad hoc esse positos à Domino, ut Euangelicæ doctrinæ sinceritatem ac ueritatem siue lucubrando siue prædicando declarent ac defendãt. Quemadmodum horum labores improbiſsimus hoſtis satan per suos miniſtros impedire ac subuertere satagit: ita conuenit econtrariò omnibus Christi fidelibus, ut illos totis uiribus adiuuent, impendentes ipns omnem & opem & operam, quò, quod faciunt, constanter facere possint.

Quid enim? Attamen quouis modo, siue per occasionem, siue per ueritatẽ, Christus tamẽ annunciatur: & in hoc gaudeo, quinetiam gaudebo. Noui enim, quòd hoc mihi cedet in salutem, per uestram deprecationem & subministrationem spiritus Iesu Christi, secundum expectationem & spem meam, quòd nulla in re pudefiam, sed cum omni libertate ut semper, ita nunc quoq; magnificabitur Christus in corpore meo, siue per uitam siue per mortem. Nã mihi uita Christus est, & mors lucrum.

Ex eo quod cõmemorauit, quantus Euangelij profectus natus sit ex ipsius uinculis, & in declaratione illius mentionem fecit eorum fratrum qui uinculis ipsius freti, ausi sint uberius & impauidè sermonem loqui: illosq; sic discriminauit, ut dixerit alios per inuidentiam, alios per bonam uoluntatem prædicare Christum: & eos qui prædicabant per inuidentiam & contentionem, propterea hoc facere, quòd putarent se pressurã uinculis suis illaturos: obijci poterat, ad quid de illorum prædicatione gloriaretur, qui non Euangelij profectum, sed destructionem potius quærebant. Vt cogitationi huic occurrat, mox exponit, quare de illorũ quoq; prædicatione glorietur. Sic dicit: Quid enim? Hoc est: Etenim quid ad me, quo ipsi cõsilio ac proposito Christum annuncient? Quòd pressuram uinculis meis inferre conantur, id mea non refert. Habent iudicem, qui de eo uiderit. Mihi satis est, quòd Christum annunciant.

Attamẽ quouis modo, siue per occasionẽ, siue per ueritatẽ, Christus tamen annunciatur.] Græcè est, πλὴν παντὶ τρόπῳ, εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ χριστὸς καταγγέλλεται. id est: Quin quouis modo, siue prętextu siue ueritate, Christus annũciatur. Sensus est: Quid enim refert, quo quisq; animo Christũ prędicet? Profectũ Euangelij non impediunt, qui animo non sincero Christũ annunciant: Quin magis expediunt. Quouis enim modo aut studio hoc faciunt, siue falso ptætextu, siue ueraciter, interim Christus annunciatur in mundo. Hoc autem plurimũ ad profectum Euangelij facit, quãtumuis ipsi diuersum quærant. Est autem prætextu aliquid facere, facere nõ ex animo, sed ex simulatione, qua aliud foris præfertur, & aliud in corde celatur ac queritur. Sic falsi fratres Christũ annũciabant prætextu: interim uerò hoc agebant corde, ut uincula Pauli grauarent. Per ueritatẽ aliquid facere, est facere ex corde, sic ut nihil quęratur aliud in corde, quàm quod foris geritur in opere. Sic qui per bonam uoluntatẽ ac dilectionẽ Christũ annunciabant, annũciabant illum per ueritatẽ: hoc est, id ueraciter agebant, quo Euangeliũ illius propagarent, & Christum orbi notum facerent. Neq; enim loquitur hic de ueritate doctrinæ Euangelicæ: sed de ueritate cordis, qua reuera non seipsos, sed Christum quærebant.

Et in hoc gaudeo, inquit, *quinetiam gaudebo.*] Quasi dicat: Tam abest ut prædicatio illorũ pressuram inferat uinculis meis, meq; contristet, ut potius in eo gaudeã, simq; porrò hoc nomine gauisurus. Et in hoc, inquit, gaudeo. Quæsierit quisquam, quomodo gaudere potuerit in eo, quod per inuidentiã, contentionẽ, ac malo studio faciebant falsi fratres. Verùm non in eo gaudebat, quòd ipsi malicioſè quærebant: sed magis in eo, quòd ex prætextu faciebant: hoc est, quòd Christũ annunciabant. Maluisset, dubio procul, omnes in uniuersum fratres ex bene-

uolentia & charitate bonoq; zelo prædicare Christum, indeq; plus adhuc gaudij accepisset: uerùm cum id non fieret, sed non pauci siniſtro ſtudio Chriſtum annunciarent: de eo saltem gauisus est, quòd Chriſtũ etiam ipſi prædicabant. Nihil enim magis in uotis habebat, quàm ut Chriſtus manifeſtaretur orbi. Quoniam igitur hoc illorum quoq; prædicatione fiebat, de illa etiam hoc nomine gaudebat.

Et hoc nobis quoq; uſuuenit. Inueniuntur multi qui & ipſi Euangelium prædicãt, uerùm non purè, longè aliud quàm profectum illius quærentes: interim autem paſsim innoteſcit illius ueritas, & detegitur Antichriſtianæ iniquitatis myſterium: unde cauſa eſt pijs de horum quoq; prædicatione gaudendi, Deoq; gratias agendi, quòd mirabili ſuo conſilio etiam reproborum ſtudijs Euangelij ſui lucem diffundit. Eccleſijs tamen non adimimus poteſtatem deponendi eos ab officio, qui ſic ſe gerunt in miniſterio, ut offendiculo ſint fidelibus. Illi namq; non prædicant ad Euangelij profectum, ſed magis ad deſtructionem.

Obſerua hic, quo animo erga Chriſtũ, & quàm alienus ab omni φιλοδοξίᾳ fuerit Apoſtolus. Non minus gaudebat de eo, quòd alij Chriſtũ prædicabant, dũ ipſe eſſet in uinculis, & Euangelium propagabant in mundo, quàm ſi id ipſe faceret. Nihil enim quærebat aliud, quàm gloriam Chriſti, Euangelij profectum, & mortalium ſalutẽ. Quouis hæc modo, & à quibuſcunq; perficerentur, etiamſi gloria ipſius interea obſcuraretur, impenſe tamẽ gaudebat. Non diſceptabat cum ijs qui uinculis ipſius freti, impauidè ſermonem loquebantur: neq; cum illis qui preſſuram uinculis ipſius inferre uolentes, Chriſtum prædicabant: à quo'nam prædicãdi poteſtatem accepiſſent, & quid prædicando quærerent: ſed cum gaudio audiebat ac probabat, quod Chriſtum annunciarent, quicquid interim nomini ſuo accideret, ac quocunq; tandem conſilio ad prædicandum mouerentur.

Noui enim, inquit, *quòd hoc mihi cedet in ſalutem.*] Quod dixit, Quinetiam gaudebo: id iá declarat dicens, Noui enim quòd hoc mihi cedet in ſalutẽ. Significat ſe non tum modò propterea gaudere, quòd plures uinculis ſuis freti Chriſtũ prædicabant: ſed & porrò in futuro gauiſurũ eſſe, eo quòd ſit ipſi ceſſurum hoc in ſalutẽ. Exponunt hoc cõmuniter de ſalute animæ, quaſi illam ex eo cõſequuturus fuerit, quòd multi fratres Chriſtum annunciabant: uel ex eo, quòd Chriſtũ quouis modo annunciari gauderet. quę ſententia occaſionẽ dat quæſtioni, quam uitari poſſe exiſtimo. Etenim nulla neceſsitate de ſalute animæ locũ hunc exponere cogimur. Vox σωτηρία locũ in illis habet, qui ab exitio ſiue ſpirituali ſiue corporali, in quo perituri erant, liberantur. Quare non eſt neceſſe, ut ubiq; ad animæ ſalutẽ referatur. Quod Iſraelitæ ex Aegypto liberabãtur, σωτηρία Act. 7. in oratione Stephani uocatur, ubi dicit: Exiſtimabat autẽ (Moſes) quòd Deus per manum ipſius daret illis σωτηρίαν: id eſt, ſeruaret & eriperet eos. Et cap. 27. dicebat Paulus: Niſi hi in naui manſerint, uos ſalui fieri (id eſt, ſeruari & eripi) non poteritis. Et ibidem: Propter quod hortor uos, inquit, ut ſumatis cibum. hoc enim ad ſalutẽ ueſtrã pertinet. Et de Noe Ebr. 11. memoratur, quòd parauerit arcã ad ſalutẽ domus ſuę: id eſt, ad hoc ut domus ipſius eriperetur, ne cũ alijs in diluuio periret. Hæc obiter cõmemoro, ne quiſquá imperitorum, uocem σωτηρίαν, quam ſalutẽ uertunt, ubiq; de animæ eſſe ſalute accipiendá putet. Quod uerò loci huius ſenſum attinet, exiſtimo Apoſtolum de eo loqui, quòd ſciat ſe non modò nihil incõmodi ex eo laturum, quod multi freti ipſius uinculis Chriſtũ impauidè prædicabant: ſed fore etiam hanc ob cauſam, ut ex uinculis illis ſeruetur ac liberetur, atq; ita ipſis reſtituatur cum gaudio. cuius rei infrà quoq; mentionem faciet. Et hunc ſenſum ipſa contrariorum ratio poſcere uidetur. Etenim quoniá falſi fratres preſſurã ſe uinculis Apoſtoli Chriſtũ prædicando inferre putabant, ut exprimat quàm diuerſum, contrariũ uidelicet, ex eo futurum eſſe ſciat, dicit: Noui enim quòd hoc mihi cedet in σωτηρίαν. q.d. Tam abeſt ut efficiant quod uolunt. Nõ id agebant illi, ut de ſalute animæ periclitaretur; ſed, ut iritato Cæſare in uinculis opprimeretur, ne unquã ad prędicandũ amplius liberaretur. Cõtrariũ huius erat nõ animę ſalus, ſed libera è uinculis dimiſsio ac liberatio. Hãc futurã eſſe, ſcire ſe dicit. Hunc ſenſum citra ullius præiudiciũ in mediũ adfero. Teneat lector, quod uero propius eſſe iudicauerit.

Per ueſtrã deprecationẽ, inquit.] Ne ſibijpſis quicquã hac in re tribuat, dicit ſe ſcire, quòd ceſſurũ hoc ſibi ſit in ſalutem, non propter ſuã ipſius dignitatẽ & iuſticiam, ſed propter ipſorum deprecationem. Ea autẽ erat, qua quotidiè pro ipſo ad Deũ orabant, ut è uinculis liberaretur. Hanc illorum deprecationẽ confidebat fore haudquaquam inanem. Et reuera plurimũ ponderis apud Deum habet oratio, non modò qua Apoſtolus pro fidelibus, quos in Chriſto genuit: ſed & qua fideles pro Apoſtolo perinde atque filioli pro patre periclitante indeſinenter orant, quemadmodũ Eccleſia Hieroſolymis pro apoſtolo ſuo Petro irremiſsis precib. ut liberaretur, ad Deum oraſſe legitur Actorum 12. Sic puto ueroſimilius eſſe, Eccleſiam Philippenſium, quemadmodum & reliquas, oraſſe pro liberatione Pauli: quàm pro animæ illius ſalute, de qua nihil prorſus addubitarunt fideles.

Et ſubminiſtrationem, inquit, *ſpiritus Ieſu Chriſti.*] Multũ referebat quomodo liberaretur è cuſtodia & uinculis. Poterat Chriſtũ negando liberari. Verùm id genus liberationis omniũ eſt alieniſsimũ à ueris fidelibus, maximè ab Apoſtolo Chriſti. Rurſus liberari potuit abſq; negatione

tione Christi, imò cũ libera & impauida illius prædicatione, nominisq; & Euangelij eius manifestatione, ad quẽ modũ & postea liberatus est. Huc uerò opus erat parrhesia de Christo ritè ac disertè loquendi, quæ esse nõ potest nisi ex subministratione spiritus Christi, quam suis promisit Christus. Quare postquam dixit, Per uestram deprecationẽ: rectè subiecit, Et subministrationẽ spiritus Iesu Christi. Orationis scopus erat, ut per diuinã dispositionem liberaretur. Subministratio spiritus ad id faciebat, ut cum gloria Christi & manifestatione Euãgelij illius liberaretur. Poterat liberari per angelum noctu, sicuti liberatus fuit Petrus: uerùm hũc liberationis modum reliquit consilio ac uoluntati Dei, interim de eo cogitans, qui coniunctus esset cum manifestatione ac declaratione Euangelij Christi, quæ fieret ex subministratione spiritus sancti, secundum Christi promissionem.

Oret igitur ad Deũ Ecclesia pro uinctis Iesu Christi, siue ministris siue fidelibus, ut de manu tyrannorum liberentur. Qui uincti sunt Iesu Christi, petant à Deo sibi dari loquendi sapiẽtiam & parrhesiã per subministrationẽ spiritus, qua & fidei & innocentiæ suæ rationẽ, sicuti decet, reddant. Corda uerò tyránorũ sic dirigat Deus, ut accepta apologia, intelligãt ueritatẽ: & si nomen illi dare detrectauerint, agnoscant saltem uinctorũ innocentiã, & ad liberandũ dimittendumq; eos permoueantur: ad quem modũ Paulũ à Nerone dimissum esse crediderim.

Potest autẽ uox ἐπιχορηγία, id est, subministratio, bifariã accipi, uel passiuè uel actiuè, passiuè, qua subministretur: actiuè, qua subministret spiritus Iesu Christi donum sapientiæ & parrhesiæ, ad loquendum de Euangelio Christi, sicuti loqui cõuenit. Si passiuè accipias, spiritus idẽ erit quod animus: ut spiritus Iesu Christi, sit animus Iesum Christũ ubiq; & in omnib. tã agendo ac patiendo quàm loquendo spirans. Sic spiritus mundi, de quo 1. Cor. 2. animus est, ea quæ mũdi sunt spirans. Si uerò accipias actiuè, spiritus Iesu Christi, est spiritussanctus, spiritus Dei, testificãs de Iesu Christo, & subministrãs electis omnia, quę ad salutẽ sunt necessaria.

Secundũ expectationẽ, inquit, *& spem meã.*] Nõ loquitur de expectatione & spe salutis æternę, sed liberationis, qua salutis uinculis liber ad euangelizandũ euadat. Quẽadmodũ de hac persuasus erat, ita illã sperabat etiã, & constanter expectabat. Apparet hic, qualis sit spes sanctorũ. Quod futurũ sperabat, id adeò cõstanter sperabat, ut spes hæc esset ipsi loco scientiæ, nec aliquid hæsitationis admitteret. Licet autẽ unde eam conceperit, expressum non sit: mihi tamen dubium non est, quin eam non ex carne, sed ex singulari spiritus instinctu acceperit. Deinde ex eo, quòd in uisione dictũ ipsi fuerat à Domino, Bono animo esto Paule. Vt enim testificatus es de me Hierosolymis, sic te oportet & Romæ testificari: & ex eo quòd promiserat ipsi Dominus, quod eripere ipsum uellet à populo & gentibus, ad quas ipsum mittebat, facilè spem hanc concipere potuit, de qua iam loquitur. Act. 23. 26.

Obserua autẽ in eo quoq; spei huius certitudinẽ, quod illi ἀποκαραδοκίαν cõiungit: quę uox non leuẽ aliquã, sed uehementẽ & irremissam expectationẽ significat, in qua rẽ ipsam, quam expectamus, uelut obnixo capite & oculis in illã intentissimis spectamus ac speculamur. Sic solet secũdũ magnitudinẽ ac certitudinẽ spei ardẽtissimis uotis, quod speratur, expectari. Ad quid autem liberationem sui tanto desiderio expectarit, ex ijs quæ sequuntur uidebimus.

Quod nulla in re, inquit, *pudefiam.*] Græcè est, ἵνα ἐν μηδενὶ αἰσχυνθήσομαι: quod uerti potest, Nam in nullo pudefiam. Et uulgata habet: Quia in nullo confundar. Habet hæc lectio ἀποκαραδοκίαν certitudinis, qua se propterea de liberatione sui certum esse significat, quòd spem habeat inconfusibilem. Si uerò cum Erasmo legas, Quod nulla in re pudefiam: expositio est spei, cuius meminit. Sic enim significat, sperare se, quod in nullo pudefiat.

Illud, nulla in re: non est referendũ ad quæuis generaliter, sed astringendũ ad præsentẽ causam, de qua loquitur. In hac nihil esse dicit, in quo sit pudefaciendus. Pudefit autẽ, cuius spes reipsa uana esse deprehẽditur, ubi omnia secus cadunt, quàm sperauerat, sibiq; ipse pollicitus fuerat, id quod in rebus humanis frequẽter accidere uidemus. Vnde natũ est prouerbiũ, quo uulgo dicitur, *Hoffen vnd harren, macht manchen narren.* Sic accidit impijs, quorum spes cõfundit, quandoquidem perire illam necesse est. Spes uerò piorum, qua à ueritate promissorũ ac gratiæ Dei pendent, non confundit, quia deseri à Deo non possunt. Vide Rom. 5.

Sed cum omni libertate, inquit, *ut semper, ita nunc quoq; magnificabitur Christus in corpore meo, siue per uitã siue per mortẽ.*] Quod dixit, Nã nulla in re pudefiã: exponit, & ad propositũ astringit, explicãs id quod sperabat. Sed cum omni παῤῥησίᾳ, inquit: id est, cum plena & omnimoda loquendi de Christo fiducia & cõfidẽtia. Sed de hac uoce iã antea, in ea quæ ad Ephesios est, dixiimus. Sperabat firmiter, fore porrò ad finẽ usq; ut subministratione spiritus adiutus, infracta fiducia & libertate Christum magnificet. Vt semper, inquit, ità nunc quoq;. hoc est: Vt quemadmodũ mihi nunquã defuit subministratio spiritus, per quã confirmatus, nomen Christi in omnibus ubiq; tribulationib. ac locis magnificaui semper: ita nũc quoq; cõstanter futurũ spero, ut eadẽ uirtute adiutus, magnificẽ Christum in corpore meo. Sic ex præteritis colligit de futuro. Reipsa opem spiritus Christi expertus fuerat, in omnis generis laboribus, periculis, persequutionibus, plagis, carceribus, molestijs: quæ omnia sic pertulit, ut in corpore suo Christum magnificaret. Hinc fiebat, ut de eo discrimine in quo detinebatur, dubitare nõ posset, quin in illo

quoq; nomen esset Domini sui Iesu Christi magnificaturus. Admonemur hoc loco, ut & ipsi ex præteritis beneficijs certitudinẽ de futuris colligamus: illudq́, ut semper, ita & nunc memori mente retineamus, & ubi necessitas postulat, firma cum fiducia usurpemus.

Magnificabitur Christus, inquit, *in corpore meo.*] Corpus Apostoli erat infirmũ ac fragile, terrenũ domiciliũ, & uasculum testaceũ, perinde atq; reliquorũ sunt mortaliũ corpora. At interim quàm multa ac grauia discrimina indesinẽter propter nomẽ & Euangeliũ Christi pertulerit, 2. Cor. 11. uidere licet. In omnib. premebatur, laborabat, persequutiones patiebatur, deijciebatur, & semper mortificationẽ Domini Iesu in corpore suo circũferebat: uerùm uirtuti Christi cõfortatus, haud reddebatur anxius, nõ destituebatur loquendi parrhesia, nõ deserebatur, nõ peribat: sed in omnibus, ad miraculũ usq;, fidelis ac cõstans permanebat, ac diuinitùs seruabatur, sic ut eminentia uirtutis esset nõ ipsius, sed Christi. Sic in fragili ipsius corpusculo, in quo ueluti testaceo uasculo, thesaurus scientiæ ac gratiæ Christi, per orbem circumferebatur, magnificabatur Christus, quẽ ubiq; prędicabat, propter quẽ omnia faciebat ac perferebat, & per cuius spiritũ in omnib. cõfirmabatur, & ex omni malo eripiebatur. Hoc pacto ad id usq; tẽporis semper fuerat Christus in corpore ipsius magnificatus: unde & haud præter rationẽ fore sperabat, ut Romæ quoq; in uinculis, quibus tũ detinebatur, idem sibi per uirtutem Christi contingeret. Quomodo nos hodie Christum in corporib. nostris magnificemus, quid attinet meminisse? Studemus delicijs ac uoluptatibus, uentri, inani gloriæ, & opibus. Huc impẽdimus & animas nostras & corpora, & interim Christiani sumus, quorum cũ primis erat, glorificare Deum in corpore nostro. Quod igitur Paulus hic dicit, Vt semper, ita & nunc magnificabitur Christus in corpore meo: inuertendum nobis est, ac dicendum, Vt nunquã, ita neq; nunc magnificatur Christus in corporibus nostris. Neq; in Papatu quippe magnificauimus Christum, neq; nunc in Euãgelio quod profitemur, magnificamus eum in corporib. nostris. Inuenias multos qui ore sonẽt Christum, paucos uerò qui uiuendo ac moriẽdo Christum in corporibus suis magnificent. Non dico nullos, absit. Sunt enim & fuerunt hactenus, qui hoc præstent ac præstiterint: uerùm reliquorum collatione, admodum sunt pauci.

Siue per uitam, inquit, *siue per mortem.*] Hoc est: Siue eripiar ex hisce uinculis, ut diutius uiuã in carne, siue occidar à Nerone, omnino magnificabitur Christus in corpore meo. Dixerit hic quisquã, quòd per uitam Apostoli in corpore illius magnificatus sit Christus, facilè intelligo, quomodo sit factum: quod uerò magnificatus sit per illius mortem, id demum mirum uidetur, cum sit à tyranno, ad ignominiam nominis Christi, occisus: & parum fecerit ad magnificentiã Christi, quòd Apostolum suũ è manu tyranni nõ eripuerit: sed deseruerit, & occidi ab illo permiserit. Magnificatur Rex in corpore militis sui, dum ille omnia pro nomine ipsius facit ac patitur: uerùm ubi illum in manu hostiũ deserit, & non eripit, sic ut sinat eum crudeliter etiã occidi: quis dicet, hunc regẽ per mortem militis sui glorificari ac magnifieri, & nõ magis dehonestari? Respõdeo. Quæstio hæc facilè expeditur. Magnificentia Dei duplex est. Vna, qua ipse magna facit in suis, tanquã omnipotẽs. Sic B. uirgo canit: Quia fecit mihi magna, qui potens est. Altera, qua magnificatur à nobis. Id fit corde, ore, opere, & omniũ malorũ patiẽtia, quæ propter nomen ipsius à mũdo hoc nobis inferũtur. Vtroq; modo magnificatus est Christus in corpore Apostoli sui, cùm per uitã, tũ per mortẽ: tã pasiuè quàm actiuè. De Turcorũ Imperatore ferunt, quòd ostensurus magnificentiã suã in ijs quos secũ habet satrapas & satellites, uni ex illis dũ circũstant ipsum edentẽ ac bibentẽ, mãdare soleat, ut sese cõfestim in oculis legatorũ proprijs manib. trucidet: quo manifestũ reddatur, quàm à suis magnifiat, non uiuendo tantũ, sed & moriendo. Quod ille crudeli sua tyrannide quærit, an non multo iustius Christo competit, qui ipse in corpore suo salutẽ nostrã operatus est, & se diligentib. uitam largitur æternã: & tamen non iubet, ut nosipsi trucidemus: sed ut ipsi uiuamus & moriamur, & quæ mala nobis ab hoc mundo inferuntur, propter nomen ipsius cum gaudio perferamus? Sic nos declaramus, quanti ipsum faciamus, quicquid interim impij aduersus gloriam ipsius moliantur. Sic Ioan. ultimo legitur, quomodo Petrus morte sua glorificaturus esset Deum.

Nam mihi uita Christus est, inquit, *& mori lucrũ.*] Græcè est, ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν χριστὸς, καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος: id est, Mihi nanq; uiuere Christus, & mori lucrum. Potest hæc sententia bifariam accipi. Primò sic, ut duo sint in ea subiecta & duo prædicata, sitq; duob. mẽbris distincta. Duo subiecta, uiuere & mori: duo prædicata, Christus & lucrum, sic ut de uita sua in priori membro prædicet Christum, de morte uerò in posteriori lucrum. Et hanc expositionem cõmuniter ponunt, unde nonnulli disputãt, quomodo uitę suæ Christũ, morti uerò lucrum adscribat. Deinde sic accipi potest, ut nõ sint in ea duo distincta mẽbra, sed unũ tantũ: neq; habeat duo subiecta, sed duntaxat unũ, Christũ uidelicet, de quo prędicet Apostolus, quòd sit sibi lucrũ, siue uiuat siue moriatur. Sic illud, Mihi uiuere Christus, & mori lucrum: idẽ est, quod, Mihi Christus siue uiuã siue moriar, lucrũ est. Et hic sensus mihi quoq; post nõnullos alios probatur. Habent enim hæc uerba ἀντιστοιχίαν prędecedentiũ, quib. dixit: Vt semper, ita nunc quoq; magnificabitur Christus in corpore meo, siue per uitam, siue per mortem. Horũ rationẽ, uel si mauis declarationẽ reddens, subijcit: Mihi nanq; siue uiuam siue moriar, lucrũ est Christus. Q. d. Ego enim (ut sit

emphasis

emphasis in pronomine μοὶ, id est mihi) sic comparatus sum, ut quomodocunque cadant hæc mea uincula, siue moriar in illis, siue liberer ut uiuam, nihil agam & intẽdam aliud, quàm ut magnificetur Christus in corpore meo. Et ea in re mihi abundè satis lucri est. Neq; enim aliud quæro, quicquid quærant alij, quàm hoc unum, ut & uiuendo & moriendo Christum in corpore meo magnificem. Si uixero, glorificabo eum inter gentes per prædicationem Euangelij, & magnificabitur ille in corpore meo, dirigẽdo, protegendo ac seruando me. Si moriar, rursus magnificabitur in corpore meo, propterea quòd uitæ meæ non parco, sed trado illam in mortem propter nominis illius confessionem, & Euangelij prædicationem. Et hanc uitæ ac mortis meæ conditionem, qua per utramq; Christus magnificatur, pro maximo & incomparabili lucro deputo. Lucrum hoc, magnificatio uidelicet Christi, non in morte tantum, sed & in uita Apostoli locũ habuit. Et hunc sensum malo, quàm quo Scholastici exponũt, & colligunt de morte Apostoli: Si lucrum, ergo meritum. Cęci homines, spiritum Apostoli non intelligunt. Non loquitur de aliquo suo merito, neq; de lucro cuius ipse incrementis magis ac magis ditetur: sed exprimit cordis sui ardorem, quo ardebat erga Christum Dominum, quẽ tãtoperè passim prædicabat, & propter quem omnis generis discrimina alacriter sufferebat. Huius magnificentiam sic, siue per uitam, siue per mortem, quærere se dicit, ut hanc solam, pro omnium laborum ac passionum suarum lucro reputet.

Vtinam tales Apostolos habeat Roma, quibus nõ mundi huius opes, gloria & magnificẽtia, sed gloria & magnificentia Christi, siue per uitam, siue per mortem, lucrum sit, qui ex animo dicant cum Apostolo: Mihi uiuere Christus est, & mori lucrum. Regnum Christi, & gloria Christi, meum est regnum, & mea gloria. Satis mihi lucrifacio, ubi nomini Christi omnis gloriæ & honoris lucrum accedit. Sed proh dolor, omnium sunt Romani Apostoli, cum cæteris maiori ex parte Ecclesiarum prælatis, ab hoc uerè Apostolico spiritu alienissimi. Horũ enim lucra sunt, aurum & argentum, honor & Imperium huius mundi, cum omnis generis delicijs ac uoluptatibus. Verendum est, ne, quoniam illis uiuere non Christus, sed mundus est: sit etiã illis mori non lucrum, sed gehenna ac sempiterna perditio, nisi ab eo quod uiuunt ac faciunt, per misericordiam Dei ad meliorem mentem conuersi, desistant.

Quod si contingat uiuere in carne, ea res mihi fructus est operis. Et quid eligam ignoro. Coartor enim ex his duobus, desiderans dissolui, & esse cum Christo, multo longeq; melius est: cæterùm manere in carne, magis necessariũ propter uos. Et hoc certò scio, quòd mansurus sim, & cum omnibus uobis permansurus sim, in uestrum profectum, & gaudium fidei, ut gloriatio uestra exuberet per Christum Iesum in me, per meum ad uos reditum.

Græcè sic: εἰ δὲ τὸ ζῆν ἐν σαρκὶ, τοῦτό μοι καρπὸς ἔργου. id est: Si uerò uiuere in carne, hoc mihi fructus operis. Erasmus de suo adiecit, cõtingat: sic reddens, Quod si contingat uiuere in carne. Sunt qui sic, Quod si uiuere in carne operę precium mihi est: ut hæc coniunctim accepta hypotheticam sententiam cum eo quod sequitur, Et quid eligam ignoro, constituant: sitq; sensus, Si operę precium est: hoc est, si mihi constet maior uitæ meæ fructus quàm mortis, non uideo utrum debeam præoptare. Verùm, meo iudicio, sic est hæc particula & legenda cũ distinctione, & exponenda: Magnificabitur, inquit, Christus in corpore meo siue per uitã, siue per mortem. Mihi enim uiuere Christus est, & mori lucrum. Si uerò uiuere in carne, intellige, si meum in carne uiuere (ut sic dicam) Christus est: hoc est, Si per uitam meam qua uiuo in carne, magnificatur Christus, id mihi fructus est operis: id est, Hoc mihi lucrum est Euangelici & Apostolici mei operis. Sic pronomen τοῦτο, id est hoc, non est referendum ad ζῆν ἐν σαρκὶ, id est uiuere in carne, sed ad id quod Christum in corpore suo magnificandum esse dixit. Neq; enim aliud dicit, quàm quod præmisit: Mihi enim uiuere, Christus lucrum est. Si per uitam carnis meæ, inquit, gloriam Christi illustrauero, id mihi fructus est omnium laborum meorum, & totius operis mei quod obeo in Apostolatu.

Vtitur autem aptissima metaphora fructus. Qui plantat ac seminat, respicit ad operis sui fructum, ad quem omnia destinat. Sic Apostolus cum Christum euangelizaret inter gentes, opus faciebat plantationis: sicut & alibi dicit, Ego plantaui. cuius fructus erat, manifestatio Christi, ad quem perpetuò respiciebat, quemq; unicè quærebat. Scholastici exponunt fructũ operis, augmentationem meriti. Sic perpetuò somniant meritum operum. Commentarij, qui Hieronymo dantur, sic exponunt: Si me uiuere in carne uoluerit, habebo tempus operandi: quasi fructus operis sit tempus operis, & non magis id quod ex opere nascitur.

Admonemur hoc loco, ut uideamus quod nam sit opus uitæ nostræ, & quis illius fructus. Qui nihil boni operis facit, sed sterilis est & inutilis arbor, iudicium excisionis suo tempore experietur. At Christianus, ueluti bona arbor, nõ est ociosus, sed boni alicuius operis studiosus: cuius fructus sit gloria patris nostri cœlestis, iuxtà illud Christi: Sic luceat lux uestra corã hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificẽt patrem uestrum qui in cœlis est. Quod

enim Apostolus uitæ & operis sui fructum non quæsiuit alium quàm manifestationẽ ac glorificationem Christi, id quilibet etiam Christianus secundum uitæ suæ conditionem aliquo bonorum operum genere pro mensura gratiæ Dei facere debet.

Et quid eligam ignoro, inquit.] Sciat lector cõiunctionem Et, esse ab Apostolo positam ociosè, magis Ebraico quàm Græco more. Ebræis enim litera Vau, quę sonat Et, frequenter initio sententiæ ociosè usurpatur. Quare non est ut hic posita quicquam difficultatis gignat lectori. Adhuc loquitur de magnificatione Christi, quatenus illa uel per uitã, uel per mortẽ ipsius perficiebatur. Significat autem sic se erga utrunque magnificandi Christum in corpore suo modum esse animatum, ut ignoret, utrum eligat, uiuere ne uel mori. Et hoc consequenter explicat.

Et quid eligam, inquit, *ignoro*.] Græcè est, καὶ τί αἱρήσομαι, id est: Et quid electurus sim. Intellige, si detur mihi optio, utrũ uiuendo, uel moriẽdo Christum in corpore meo magnificari uelim. Non dabatur ipsi hæc optio: sic tamen loquitur, ne uideatur amore præsentis uitæ sperare & expectare, ut per orationẽ fideliũ liberetur è uinculis. qua de re paulo suprà mẽtionem fecit. Sic enim comparati sumus, ut quæ pluris facimus, & impensius affectamus, obnixius etiam speremus & expectemus. Quare res ipsa poscebat, ut ad declinandã hanc suspicionẽ, quomodo hic affectus esset, declararet. Carnalis homo haudquaquam sic diceret: Ignoro quid eligã, si optio mihi uiuendi uel moriendi detur. Statim enim eligeret uitam, illamq; morti præferret. Et si Christianus quoq; sit, malet tamen per uitam quàm per mortem magnificare Christum. At Christi Apostolus usqueadeò non amabat præsentem hanc uitam, ut morti eam in se non præferret: Christum uerò sic amabat, ut perinde ipsi esset magnificare illum moriendo, atq; uiuendo. Quare ueraciter dicit: Et quid eligam ignoro.

Coartor enim ex his duobus, inquit.] Declarat, quare ignoret qu id eligat. Etenim, inquit, inter duo hæc perplexus hæreo. Sonat Græcum uerbum συνέχομαι, detineri, coartari, & perplexum reddi. Animo erat perplexus inter hæc duo, uiuendo uidelicet perdurare in carne, & mori, sic ut ignoraret utrum eligeret.

Desiderans, inquit, *dissolui, & esse cum Christo*.] Perplexum reddebant ἐπιθυμία, id est concupiscentia, desiderium, appetitus animi, & iudicium mentis. ἐπιθυμία propendebat ad dissolutionẽ corporis: contrà, mentis iudicium ad prorogationẽ uitæ. Hæc duo inter se pugnantia distrahebant animum ipsius, ut ignoraret quid nam eligeret. Dissolutionem corporis appetebat, non ut à tot periculis & laboribus, quibus propter Christum obnoxius erat, semel in uniuersum liberaretur: sed, ut esset cum Christo, quem unicè diligebat. In carne uerò manere necessarium magis iudicabat, non sibi, sed propter eos quos Christo lucrifecerat. Inter hoc itaque mentis suæ iudicium, & desiderium cordis hæsitabat, ignarus utrum eligeret. Sed uideamus singula. Est enim locus hic admodum eximius.

Desiderans, inquit, *dissolui*.] Græcè est ἐπιθυμίαν ἔχων, id est concupiscentiam habens. An idem sit concupiscere, & concupiscentiã habere, iudicent alij. Meo iudicio aliud est, semel atq; iterum concupiscere aliquid, & aliud habere concupiscentiam rei alicuius in corde: non momẽtaneã ac subitam, sed diuturnam, iugẽ, & inhærentem, nec desinentẽ, donec res ipsa apprehendatur, quæ maximopere concupiscitur. Eiusmodi autẽ dubio procul erat cõcupiscentia Apostoli, quam habebat in corde, qua dissolui & esse cum Christo indesinenter cupiebat.

Deinde quod uertunt, Dissolui: Græcè est, ἀναλύσαι. Vsus autem eius uerbi duplex est. Nã aliquando neutraliter pro reuerti, aliquando passiuè pro resolui accipitur. Lucæ 12. ponitur pro reuerti, ubi sic legimus: πότε ἀναλύσει ἐκ τῶν γαμῶν, id est, quando reuertatur à nuptijs. Frequẽter tamen significat, ea quæ composita sunt, resolui in suas partes, unde sunt composita: perinde atque si Syllogismum in positiones suas simplices, ex quibus constructus est, resoluas.
Eccles. 12. Vterq; sensus pulchrè præsenti loco conuenit, si causam, de qua loquitur, consideres. Etenim si spiritus per mortem corporis liberatus, reuertitur ad Deum qui dedit illum: quid aliud erat quod Apostolus cupiebat ἀναλύσαι & esse cum Christo, quàm reuerti ad Christũ, à quo fuerat in orbem ad prædicandum Euangelium missus? Legatus illius erat, & id muneris fideliter ac diligenter obibat: interea tamen ardebat pectus illius amore Domini sui, à quo fuerat amandatus, atq; ægrè abesse ab illo sustinebat, ideoq; admodum ueluti resoluta naue reuerti ad eũ cupiebat. Deinde, quoniam spiritus ipsius corpori uelut inclusus, ad cœlestia redire nõ poterat, nisi compositio ipsius cum corpore per mortem resolueretur: resolutionem eam impẽse affectabat. Sic puto nõ referre, quomodo hic legamus, reuerti ne, uel resolui. Hieronymus in Apologia aduersus Ruffinum, locum hunc sic citat: Et melius est reuerti, & esse cum Christo. Item: Dicimus propterea Paulum corporis nexibus coerceri, nec reuerti & esse cum Christo: ut perfecta, in gentes per eum, prædicatio impleatur. Sed hæc obiter de lectione & expositione huius particulæ. Videamus quæ sint in illa obseruanda.

Principiò, uidemus hic mortem corporis esse resolutionem. Posset hic acutus lector cogitare de resolutione compositorum, in quibus diuersæ naturæ sunt coniunctæ: uerùm ea cogitatio ad præsens propositum non facit. Satis hic est obseruare, spiritum nostrum & corpus sic esse

esse cõiuncta & cõposita, ut nequeant in sempiternũ in hac diuersa conditione, qua cohęrent, subsistere: sed necessarium esse ut resoluantur ac separentur, usq; ad tempus renouationis, per quam corpora nostra accepta incorruptione & immortalitate, coniunctioni spiritus in sempiternum duraturæ coaptentur. Quare mirum uideri non debet, quòd omnibus in uniuersum mortalibus imposita est moriendi necessitas.

Deinde obseruandum est, esse mortem corporis Christiano homini desiderabilem. Neq; enim ut Apostolus tantum, sed & ut Christianus loquitur, dicens: Desiderans resolui. Inuenias quidem in seculo quoq;, qui mortem sibi optent: uerùm longè diuersa ratione ab ea, quę mouebat Apostolum. Non pauci sibijpsis mortem ultrò intulerunt, non ut essent in cœlestibus: sed ne amplius præsentis uitæ subiecti essent molestijs & calamitatibus, ijs præsertim quibus specialiter afficiebantur. Paulus non dicit & liberari à præsentibus malis: sed, & esse cum Christo.

Tertiò, & esse cũ Christo, inquit. Obserua, illud τὸ εἶναι, id est esse, non extingui morte. Prius omnino est esse, quàm cum Christo esse. Cum Christo esse non potest, quisquis amplius non est. Sunt igitur adhuc, qui mortui sunt: & eo modo sunt, ut uel felices uel infelices esse queãt.

Cum Christo, inquit.] Non simpliciter esse cupiebat, (nam & tum erat) sed eo modo esse, quo, nisi resolueretur, esse non poterat, cum Christo uidelicet.

Cum Christo esse, inquit.] Quare nõ dicit: Et regnare cũ Christo, cumq; illo sedere à dextris Dei? Nam si compassi fuerimus cum illo, cõregnabimus etiam, & unà cum illo à dextris Dei sedebimus. Non quærebat gloriam regni: sed simpliciter, ut esset cum Christo. Id sibi summæ felicitatis loco futurum ducebat. 2. Timot. 2. Ephes. 2.

Dixerit quisquam: Atqui uiuebat in Christo, & Christum in se uiuentem habebat. Viuo iã non ego, inquit, sed uiuit in me Christus. Quomodo ergo ad hoc resolui cupiebat, ut esset cũ Christo? Respondeo. Aliud est esse in Christo, & in se habere Christum: & aliud, esse cum Christo. In Christo sumus fide ac dilectione, & ipse in nobis per spiritum suum uiuit, dum sumus adhuc in corpore mortali, & ab illo peregrinamur in hoc seculo, perq; fidẽ, nõ per speciẽ ambulamus. Cum Christo futuri sumus præsentes, posteaquam exuti fuerimus hoc corpore, idq; in cœlestibus, quemadmodum latroni dictum est ab illo: Hodie mecum eris in paradiso. Continget hoc spiritibus nostris, donec à mortuis excitati, & corpore & spiritu in sempiternum cum illo agamus. 2. Cor. 5.

Cogitent hic fratres nostri, doctores Vbiquitatis: Si Christus non solum diuinitate, sed & corpore suo ubiq; est, quorsum necesse sit resolui, ut cum Christo esse possimus: cũ ille, iuxtà ipsorum sententiam, perinde sit corpore in terris atq; in cœlestibus. Paulus iam cum Christo est: Christus autem corpore ubiq; est, ut illi cõtendunt: Ergo & Paulus ubiq; est. Vbi nam est spiritus Pauli? Non possum dicere quod sit nusquam, neq; quod sit ubiq;. Ergo alicubi est. Nõ est autem apud inferos, aut in terris: in cœlestibus ergo sit oportet. Cum Christo futurum se esse sperabat. Et dubiò procul cum Christo est. Vbi? Vbi uidelicet Christus est. Vbi ille est? Ascendit ad cœlos, sursum est in nube spectantib. Apostolis sublatus. Quæ sursum sunt quærite, inquit, ubi Christus est. Colos. 3. In cœlos, inquit August. mitte manum, & ibi Christum tene. Cur hac non sumus Christianæ fidei simplicitate contenti?

Multo longeq; melius est, inquit.] Desideratur aliquid, ne sit hiulca lectio. Græcè est, πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον, id est, Multo magis melius. Si sic legerimus, Desiderans resolui, & esse cum Christo: ut, esse cum Christo, ad uerbum desiderandi referatur, omnino desideratur relatiuum, id est quòd: ut legatur, ὃ πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον: id est, Quod multo magis melius est Prædicat enim de præsentia, qua post resolutionem futurus erat cum Christo, multo illam esse meliorem, quàm sit præsens hęc uita.

Dixerit quisquã: Cum crederet longè ac multo melius esse, resolui & agere cum Christo, quàm manere in carne, quomodo ignorabat utrum eligeret? Quis enim sanæ mentis, si detur optio, non eliget magis id quod melius esse nouit, quàm quod est deterius? Respondeo. Erat quidem melius esse cum Christo, quàm manere in carne: uerùm non Ecclesijs, sed ipsi. Ecclesijs melius erat ut maneret in carne, quàm ut resolueretur & rediret ad Christum. Ipsi melius fuisset, resolui & esse cum Christo, quàm manere in carne. Quoniam autem non quærebat quod suum, sed quod aliorum esset, licet quid sibi melius futurum esset sciret, id tamen non elegit. Perinde mihi fecisse uidetur, atq; si materfamiliàs præsentia mariti sui destituta, liberis suis dicat: Desideriũ habeo migrare hinc, & esse cum marito meo: uerùm nescio quid eligam, migrem ne uel maneam. Illud mihi quidem melius fuerit: uerùm ut maneam, uobis uideo esse necessarium. Talis erat animus Apostoli, qui nisi consideretur, ipsa illius uerba non statim intelligentur.

Cæterùm manere in carne, inquit, *necessarium magis est propter uos.*] Manere in carne intelligit nõ de perpetua mansione, qua mortis necessitatibus eximeretur: sed de ea, qua uinculis illis ereptus, diutius in hac uita maneret, donec tandem terminus illius secundum constitutionem Deo adesset. Non est autem ociosum, quòd pro eo quod dicendum erat, manere in hac uita: dicit,

ta: dicit, Manere in carne. Carnem iam secundò ponit pro uita, quam agimus in carne constituti. Aliud autem est uiuere secundum carnem, & uiuere uel manere in carne. Secundum carnem uiuere, mors est. est enim uiuere secundum concupiscentias corruptæ carnis, qua de re uidere est Rom. 8, ubi eodē sensu tamen, esse in carne, sumitur. Dicit enim: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Verùm ibi caro sumitur non de carne, qualis condita est à Deo, sed qualis est à satana per peccatum corrupta: ut in carne esse, idem sit quod esse in ueteri homine sub peccato. Hic uerò manere in carne est, manere in uita hac caduca & fragili, quam in corpore constituti uiuimus.

Obserua uerò, quàm sit hæc loquutio, manere uel esse in carne, conueniens ei quod de re solutione dixit. Aliud est caro, & aliud is qui est & manet in carne: sicut aliud est domus, & aliud is qui habitat in domo. Qui est & manet in carne, spiritus est, manēs in carne, ut illam uiuificet & regat. Et tamen cum mox dicit, Et hoc certò scio, quòd mansurus sim: id quod spiritus est, sibi tribuit. Quomodo manebat ipse in carne, cum perinde caro esset atque spiritus, tanquam ex carne & spiritu compositus? Tāta uidelicet est spiritus & carnis, unde homo est, communicatio & unitas, ut quæ propria sunt utriusq;, rectè homini adscribantur. Paulus resolutus per mortem carnis, reuersus est ad Christum, & est cum Christo in cœlestibus. Quomodo? Spiritu. Paulus mansit diutius in carne propter Ecclesias. Quomodo? Spiritu. Idē Paulus mortuus est perinde atq; cæteri homines. Quomodo? Carne, non spiritu: & est adhuc in corruptione, carne, non spiritu. Sic diuersa prædicata eidem homini, secundum diuersas spiritus & carnis naturas, tribuuntur per communicationem idiomatum, id est proprietatum, qua non carni quæ spiritus, nec spiritui quæ carnis, sed toti homini quæ utriusq; sunt communicantur. Si quæratur, ubi sit spiritus Pauli, non poteris ueraciter respondere, quòd sit reuersus in puluerem terræ. Nam caro quæ in terræ puluerem reuersa est, eam proprietatē non communicat spiritui, sed homini: quia in spiritu non est caro, sed in homine. Si quæratur, ubi sit caro Pauli, non rectè responderis, si dixeris: Cum Christo in cœlestibus. Nam id spiritus Pauli, qui cum Christo est, carni non communicat, communicat autem Paulo: quia in Paulo est natura spiritus, non in carne. ut rectè dicas: Paulus est cum Christo in cœlo, Paulus est in sepulchro. Quare admodum errant, qui per communicationem idiomatum, id quod est humanæ naturæ in Christo proprium, diuinæ: & quod diuinæ est, humanæ tribuunt. Si quæras, Vbi est corpus Christi? id quod iam nostris demum temporibus in quæstionem uenit: respōdent alij, in cœlis, & sic respondent secundū Scripturas: alij uerò contendunt, illud esse ubiq;. Quomodo? Per communicationem idiomatum. Per hanc tribuunt humanæ naturæ in Christo, quod est diuinæ. Si quæratur, Vbi est Christus? Rectè respōdetur, In cœlestibus, & ubiq;. In cœlestibus, secundum humanam: ubiq;, secundum diuinam naturam. Nec est ut dicat: Ergo duos habemus Christos: unū, qui sit corpore in cœlis: alterū, qui sit diuinitate sua ubiq;. Absit. Vnus & idem Christus, Deus est & homo. Neq; Deus tantum est Christus, neq; homo tantum: sed simul & Deus & homo. Si diceremus Christum esse Deum, qui non sit homo, deinde hominē, qui non sit simul & Deus: omnino alium atq; alium Christum constit ueremus. Paulus unus & idem homo erat, ex spiritu & carne constitutus. An duos Paulos facimus, cū dicimus illum spiritu esse cum Christo, & carne in sepulchro? Nemo sic insanit, ut hoc dicat. Sol ille quem quottidie uidemus, unus est & idem. Non facimus duos soles, cum dicimus eū corpore suo esse in cœlo, splendore uerò ac calore in terris. Cum esset corpus Christi in sepulchro, erat utiq; in illo localiter, & spacio suo circumscriptum. Videte locum, inquit angelus, ubi positus erat Dominus. Interea spiritus illius non erat in ipso, sed in paradiso, unà cum latrone iuxta illud, Hodie mecum eris in paradiso. diuinitas uerò erat ubiq;. Erat'ne propter hanc diuisionem spiritus & corporis, diuisa personalis naturarum Christi unitas, atq; ita duo Christi, aut tres: quorum primus ubiq;, secundus in paradiso, tertius in sepulchro fuerit? Absint hæ nugæ. Vnus & idem Christus corpore erat in sepulchro, spiritu in paradiso, uerbi diuinitate ubiq;. Videte locum, ubi positus erat Dominus, inquit angelus. Quis Dominus? Vtiq; Christus. Poterat dicere: Vbi positum erat corpu sillius. Verùm ut integram seruaret eiusdē personæ unitatem, & proprietatem corporis per communicationem idiomatum, toti Christo tribueret: rectè dixit, Videte locum, ubi positus erat Dominus. At interim nō erat corpus Christi cum spiritu ipsius in paradiso, nedum cum uerbo ubiq; circumfusum, quamuis personali esset unitate cum illo coniunctum, quā coniunctionem nec mors nec sepultura dissoluit. Quomodo igitur unitatem personæ soluimus in Christo, cum corpus illius in cœlestibus localiter agere, uerbi uerò diuinitatem infinitam & ubiq; esse credimus: atq; ita eundem Christum secundum humanæ naturæ proprietatem ubiq; esse negantes, secundum uerbi diuinitatem nullo teneri loco, sed ubiq; esse fatemur? Cœpit illa non demum post resurrectionē uel ascensionem, sed à primo incarnati uerbi momento. Et ut non est ante clarificationem corporis locali illius circumscriptione soluta, ut duo essent Chtisti: ita ne nunc quidem, postquàm ad dexteram patris in cœlestibus consedit, per id soluitur, quod corpus humanitatis illius nō est ubiq; cum infinita diuinitate circumfusum. Sed dicta sint hæc obiter de personali unitate in

tate in Christo, & communicatione idiomatum, quarum per occasionem huius loci mentionem faciendam esse duximus.

Manere autem in carne, inquit, *necessarium magis est propter uos.*] Quomodo erat hoc necessariũ? Non simpliciter, sed per collationem. Non dicit, Necessarium est: sed, ἀναγκαιότερον, id est magis necessarium. Intellige, quàm sit resolui & esse cum Christo. Erat quidẽ id melius, uerùm magis erat necessarium, ut maneret in carne. An non & illud necessariũ erat? Erat sanè omnino necessarium, ut moreretur ac resolueretur, secundum ineuitabilem necessitatem, qua constitutum est omni homini, ut simel moriatur. Verùm non erat necessarium, ut tum moreretur: magis autem necessarium erat, ut maneret adhuc in carne. Notanter itaq; non simpliciter dicit, Necessarium est: sed, Magis necessarium est.

Quare autem magis necessarium erat non mori quàm mori? Poterat dicere, Quia cursum meum nõdum consummaui. Erat quidem hoc uerum, interim tamen conuenientius erat ad propositum, ut causam reijceret in ipsos Philippẽses: quo intelligerent, quàm essent Deo cu ræ, eoq; sese gratiæ magis ac magis accommodarent. Ideo dicit, Propter uos.

Propter uos, inquit.] Ergo ne propter solos Philippenses necessarium erat, ut adhuc diutius maneret in carne? Non hoc sentit. Neq; id uerum erat. Sic autem loquitur, quoniam ad illos peculiariter scribit: aliàs necessarium erat & cæteris Ecclesijs, ut diutius Apostoli sui cura ac moderatione uterentur.

Admonemur hoc loco, ubi in causa aliqua certant inter se nostrum cõmodum & necessitas proximi, ut malimus facere quod proximo est necessarium, quàm quod rebus nostris conducit. Præsens proximi necessitas omnino præferenda est utilitati nostrę, quæ differri potest ad tempus. Mallet homo Christianus diutius ferre præsentis uitę miserias, quo fidelibus prodesse queat, quàm cum suo commodo, fidelium uerò detrimento, maturè liberari.

Propter uos, inquit.] An non poterat post resolutionẽ cum Christo in cœlestib. existẽs, magis prodesse illis, quàm agẽs in terris, & manens in carne? Potuisset sanè, si uera essent, quæ de mortuis sanctis tradunt ac credunt Papistæ. Verùm nihil huius Apostolus ne somniauit quidẽ. Sciebat se necessariũ esse Ecclesijs, illisq; prodesse posse, donec agebat in carne: & docere poterat ignorantes, confirmare infirmos, erigere lapsos, emendare peccantes, in uiã reducere errantes, & compescere contradicentes. Sciebat se post mortem cũ Christo constitutũ, nihil horum posse præstare. At domini Ecclesiarum centies malunt Apostolos esse cum Christo, quàm adhuc manere in carne. Nam plus quæstus faciunt ex mortuis, quàm facere possent ex uiuis. Si in carne adhuc esset Petrus, & Romæ ageret, putas ne, ex Senioribus eius Ecclesiæ redderet satrapas ac purpuratos principes, & ex Christo Regem regum ac dominum dominantium? Nequaquam. At solus nominis illius prætextus post mortem præstitit hæc omnia. Illis hominibus acceptior est mortuus Apostolus, quàm uiuus. At fidelibus utilior est, & magis necessarius quilibet Christi minister in carne constitutus, quàm mortuus Apostolus: perinde atq; canis uiuus utilior est suo domino, quàm leo mortuus.

Et hoc certò scio, inquit, *quod mansurus sim.*] Græcè est, καὶ τοῦτο πεποιθὼς οἶδα: id est, Et hoc persuasus, uel ut uulgata habet, Confidens scio. Vnde hac de re persuasus fuerit, suprà diximus, ibi: Secundum expectationẽ & spem meam. Quàm autem non fuerit nõ leuiter persuasus, in eo declarat, quòd non simpliciter dicit, Et hoc persuasus sum: sed, Et hoc persuasus scio. Sic dicere solent, qui se certò de re aliqua persuasos esse affirmare uolunt.

Quòd mansurus sim, inquit] Disputant hic, liberatus ne ex uinculis illis Apostolus manserit in carne diutius, & ad Philippenses alias q; Ecclesias redierit, uel secus? Alij id asserũt, alij negant. Quod me attinet, quoniam scire non possum diuersum accidisse, ab eo quod hic futurũ esse certò se scire dicit: malo sentire cum illis, qui liberatum, & ad Ecclesias reuersum esse credunt.

Et cum omnibus uobis permansurus sim, inquit.] Ne cogitarent: Etiamsi maneat adhuc in carne nobiscum, tamen non manebit, inde autem quid solatij ad nos redire poterit? Postquã dixit, Et hoc persuasus scio, quòd mansurus sim: addit, Et cum omnibus uobis permansurus sim. significans haud simpliciter se, sed sic mansurum esse, ut ad ipsos redire, & coràm cum ipsis conuersari possit, imò conuersaturus etiam sit.

Quid est autem quòd dicit: Permãsurus sim? An erat per omnem reliquam uitam uel suã uel Philippensium, Philippis mansurus? Id enim uerbum permanendi significare uidetur. Verùm si Græca inspiciantur, non erit quæstioni huic locus. Non enim Græcè διαμένων, sed sic legimus: καὶ συμπαραμενῶ πᾶσιν ὑμῖν. quod uerti poterat, Et coràm ac præsens unà cũ uobis omnibus manebo. Quemadmodum enim παρεῖναι adesse simul, iuxtà & coràm esse significat: ita & παραμένειν, iuxtà, coram & præsenter manere: & συμπαραμένειν, simul cum alijs coram manere sonat. Non dicit, Quàm perseueranter: sed, Quàm præsenter & coràm, unà cum ipsis omnibus sit mansurus.

In uestrum profectum, inquit.] Suprà dixit: Manere in carne, necessariũ est propter uos. Id iã explicat, quare propter ipsos necessarium magis fuerit manere in carne. In uestrũ profectum, inquit.

inquit. Quamuis constantes essent in fide, tales tamen adhuc erant, qui proficere possent ac deberent, ideoq; opus haberēt Apostoli sui præsentia & instructione. Similes erāt liberis nō-dum satis adultis, quibus opus est ut materna cura educantur.

Cogitent hic Ecclesiarum Episcopi, quomodo ipsis conueniat συμπαραμένειν cum fidelibus in fide & cognitione Christi educandis, qua de re extant Canones ac decreta conciliorū. Di-stinct. 41, Can. Episcopus uilem, &c. sic legitur: Episcopus uilem suppellectilem & mēsam, ac uictum pauperem habeat, & dignitatis suæ authoritatem fidei & uitæ meritis quærat, hospi-tium quoq; non longè ab ecclesia habeat. Tales Episcopi uocantur παροικοι, eo quòd domici-lia ipsorum contigua sunt ecclesijs, quibus præsunt. Et his facilè est manere cum grege Domi ni, in illius profectum. Verùm tales canones sunt iamdudū exauthorati ac παλαιοι. Nec manēt iam Episcopi cum ecclesijs: neq; qui manent, in profectum gregis Christi manent: sed cōmo-dis proprijs consulunt, ocioq; ac luxui uacant, & ex sudore ac laboribus plebis, opes coacer-uant, & principes agunt.

Et *gaudium fidei*, inquit.] Vox fidei referenda est non solum ad gaudium, sed & ad profectū. Significat reditum suum ad ipsos facturum ad hoc, ut proficiant & gaudeant in fide Christi. Proficiant in seipsis, acceptis fidei incrementis: & gaudeāt de reditu ipsius, ac Christianę fidei dilatatiōe, qua passim propagabatur, & adhuc amplius per ipsius erat liberationē propagāda.

Obserua, quàm pertinenter gaudium cum profectu fidei coniungat. Licet uera fides in Christum, perpetuo quodam partu gignat gaudium spiritus: sic tamen illa comparata est, ut quo magis proficit, hoc plus gignat gaudij: atq; ita fit, ut crescente fide ac cognitione Christi, crescat etiam gaudium spiritus in cordibus fidelium.

Vt gloriatio uestra, inquit, *exuberet per Christum Iesum in me, per meum ad uos reditum.*] Gloriabatur Apostolus de fide ac constantia eorum quos Christo genuerat: Vicissim gloriabantur illi de singulari præstantia Apostoli, quem nacti fuerant. Hinc est quòd præsens particula ab alijs exponitur actiuè, ab alijs passiuè. actiuè de gloriatione Philippensiū, qua illi de Apostolo: pas siuè, de ea qua Apostolus de Philippensib. gloriatus fuerit. ad quem modum Chrysost. expo-nit dicens: τοτέστιν, ἵνα ἔχω καυχᾶσθαι ὑμῶν μᾶλλον. Hoc sensu legendum esset, Non ut gloriatio ue-stra: sed, Vt gloriatio uestri. Verùm quoniam addit, Per meum ad uos reditum: existimo acci piendum esse de gloriatione Philippensiū, qua illi exuberanter gloriaturi erant de liberatio-ne ac reditu Apostoli: ut rectè uersum sit, Vt gloriatio uestra exuberet in me: id est, Vt exube-ranter gloriemini in me, ubi ad uos reuersus fuero.

Vt gloriatio uestra, inquit.] Licebat'ne Philippensibus gloriari de homine? Respondeo: Gloriabātur nō simpliciter de homine, sed de tali homine, per quē ubiq; magnificabatur Chri stus, & per quem ipsi ad fidem Christi uenerant: & gloriabantur non secūdum illius carnem, sed secundum Christum: uel, ut est in Græco, in Christo Iesu.

Adhuc etiamsi ad illos reuersus nō fuisset, sed uel Romæ māsisset, uel per Neronē necatus ad cœlestia migrasset, an de Apostolo suo nō fuissent gloriaturi? Respondeo. Non dicit, Vt gloriatio uestra sit in me: sed, Vt gloriatio uestra exuberet, uel abundet in me. Gloriabantur & antea de illo, & gloriaturi quoq; erant, etiamsi morte sua Christum glorificasset: uerùm in reditu ad ipsos amplior erat gloriandi de illo, quemadmodum & gaudendi, occasio.

In Christo Iesu, inquit.] In illo erat omnis ratio fidelibus de Apostolo suo gloriandi. Et nos quoq; qui ex Gentibus Christiani sumus, gloriamur in Apostolo nostro, quem Deus gentiū uoluit esse Apostolum, non alia ratione quàm secundum & propter Christum Iesum, tanquā in electo Christi organo, cuius doctrina ad finem usq; mundi gentes in Christo il'uminat, & ab errorum tenebris ad ueritatis lucem ducit.

Per meum ad uos reditum, inquit.] Græcè est διὰ τῆς ἐμῆς παρουσίας πάλιν πρὸς ὑμᾶς: id est, per meam præsentiam rursus apud uos. Quod dixit, Et quod unà cum uobis omnibus mansurus sim: id iam clarius exprimit, dum illis præsentiam suam pollicetur. Sanè magni momenti res est, præsentem habere Apostolum. Quanto feliciores essent Romani, si præsentem haberent in carne uerum Christi Apostolum, quàm quòd præsentem habent Antichristum, cum purpura torum suorum multitudine: quorum talis est præsentia, ut si post quantamcunq; absentiam ad palatia sua reuerterentur, nemo piorū de reditu ipsorum admodum gloriaretur. At Chri-sti Apostolus sic se gerit in Ecclesia fidelium, ut absens desideretur, & reuersus cum gaudio & gratulatione recipiatur. Huic se exemplo cōformare debent fideles Christi ministri, ut & ipsi amentur præsentes, desiderentur absentes: reuersuri auidè expectentur, ac reuersi cum gau-dio & ambabus manibus recipiantur.

Tantum ut dignum est Euangelio Christi conuersemini: ut siue cum uenero & uidero uos, siue absens sim, audiā de rebus uestris, quòd stetis in uno spiritu, una anima, adiuuantes decertantem fidem Euangelij, nec in ullo terreamini ab aduersarijs: quæ illis quidem est causa perditionis, uobis autem salutis, & hoc à Deo: quia uobis donatum est pro Christo, non solum ut in eū credatis, uerum-

etiam

etiam ut pro illo patiamini, idē certamen habentes, quale uidistis in me, & nunc auditis in me.

Hactenus de uinculis suis, deq; eo quod nonnulli fratres propter ipsius uincula audacius Euangelium annunciabant, & de persuasione liberationis ac reditus sui ad ipsos pleraq; cōmemorauit, quo animi illorum nonnihil erigerentur: iam subijcit admonitionem de conuersatione uitæ, quæ deceat Euangelium Christi, & de constanti tolerantia afflictionū, quæ ipsis propter Christum inferebantur.

Tantum ut dignum est Euangelio Christi conuersemini, inquit.] Dixit se mansurum cum ipsis omnibus in ipsorum profectum, & gaudium fidei, & exuberantem gloriationem. Hic autem plurimum referebat, qualiter interea temporis sese gererent: ne si secus quàm conueniebat Euāgelio Christi conuersarentur, gaudium hoc in tristiciam uerteretur. Quare conditionem hāc adiecit dicens: Tantum ut dignum est Euangelio Christi conuersemini. Quasi dicat: Sic quidem res meæ comparatę sunt, ut faciant ad gloriam Christi, & sic persuasus sum, quòd rediturus sim ad uos, in uestrum profectum, gaudium & abundantem gloriationem, quātum in me situm est. Verùm etiam atq; etiam curandum uobis est, ut uestrum quoq; officium faciatis, ne quod futurum spero, uestra culpa impediatur. Nemo est qui gaudium uestrū de futuro meo reditu impedire queat, nisi uos soli, si perperā uos, & secus quàm conueniat Euangelio Christi, gesseritis. Quare hoc unum à uobis peto, ut conuersationem uestram Euangelio Christi conformetis. Id si feceritis, persuasus sum, fore ut redeam ad uos, faciatq; pręsentia mea ad uestrum profectum, gaudium, & exuberantem gloriationem.

Obsecro, quid aliud hodie quoque à fidelibus, qui relicto Papismo, Euangelio nomen dederunt, requirendum est, quàm hoc ipsum quod Apostolus requirit à Philippensibus: uidelicet, ut sicuti conuenit Euangelio Christi, quod profitentur, dignè ac piè cōuersentur. Reliqua sunt ipsis in promptu & expedito. Reuelatus est Antichristus, patefactum mysteriū iniquitatis, detecti omnis generis errores, manifestata Christi ueritas, prostant sacrę scripturæ, dati sunt doctores ueritatis, ipsa sapientia clamitat in plateis: nihil desiderari potest amplius, quàm ut omnem nostram uitam ad Euangelium Christi, de quo gloriamur, conformemus, ne probrum illi & ignominiam inferamus: fiatq;, ut unde cum gaudio glorariari poteramus, inde magis contristemur & condemnemur.

Dixerit quisquam: Quomodo fieri potest ut conuerser in hac carne, sicuti dignum est Euāgelio Christi? Incomparabilis est Euangelij dignitas, quis nam illi ut par est correspondebit? Respondeo. Nemo prorsus, ne angeli quidem, quantumuis sublimes ac cœlestes. Verùm non requirit hoc à nobis Apostolus. Quod reddiderunt interpretes, Vt dignū est Euangelio Christi: in Græco est, ἀξίως τοῦ εὐαγγελίου τοῦ χριστοῦ. quod sonat, Conuenienter & competenter Euangelio Christi. quibus uerbis nihil intelligit aliud, quàm quod uita nostra concordare debeat doctrinæ Euangelij, quæ requirit animum fidelem, pium, sanctum, amantem Dei ac fratrum: cœlestium bonorum appetentem, terrena fastidientem, benignum, mansuetum, &c. Ager ἀξίως respondet semini quod accepit, quando non zizania, sed fructus profert accepto semini correspondentes. Ager quidam est Ecclesia, semē uerò Euangelium de Christo Iesu: fructus sunt Euangelio conuenientes, uera resipiscentia, fides in Christū, spes uitæ æternæ, dilectio Christi ac fratrum, crucifixio carnis & concupiscentiarum, mansuetudo spiritus, tolerantia afflictionū, & quæ alia sunt huiusmodi. Qui in hisce conuersatur, sicuti conuenit Euangelio Christi conuersatur.

Adhuc: Et hæc, inquies, talia sunt, ut carni nostræ sint impossibilia. Respondeo. Agnosce igitur corruptionem illius: & quod illi est impossibile, pete à Deo, qui operatur omnia in omnibus pro bona sua uoluntate. Multa sunt carni nostrę impossibilia, etiam quod terrenam hanc uitam attinet, & tamen necessaria. Vnde hæc illi contingunt, inde & ista petenda tibi esse cogita. Illius opus est, ut ex impia fiat pia ac iusta, cuius erit ex mortua & corrupta reddere non modò uiuam, sed & immortalem & incorruptibilem.

Observa hoc loco uerbū παρατίνεσθαι.

Vt siue cùm uenero & uidero uos, inquit, *siue absens sim, audiā de rebus uestris, quòd stetis in uno spiritu*, &c.] Inter ea quæ ad Euangelicam conuersationem pertinent, non sunt minimi momenti, constātia in ferendis afflictionibus propter Christum illatis, & concordia fratrum. Quare cum dixisset, Tantum ut dignū est Euangelio Christi conuersemini: mox specialiter de concordia hac & constantia subijcit, dicens:

Vt siue cū uenero & uidero uos, siue absens sim, audiā de reb. uestris quòd stetis in uno spiritu, una anima, &c.] Sensus est: Quicquid de me fiat, siue ueniam & uideam uos, siue absens à uobis de rebus uestris audiam: uestrum erit sic uos gerere, ut uel uideam uos uel audiam stare coniunctos in uno spiritu, & concorditer decertare unà cum fide Euangelij, nec ulla in re perturbari ab aduersarijs, &c.

Vt siue cum uenero, inquit, *& uidero uos*, &c.] Græcè sic legitur: ἵνα εἴτε ἐλθὼν πρὸς ὑμᾶς, εἴτε ἀπὼν ἀκούσω τὰ περὶ ὑμῶν, ὅτι στήκετε. id est, Vt siue ueniens & uidēs uos, siue absens audiam de reb. uestris, quòd stetis, &c. Vbi omnino aliquid desideratur. Erasmus adiecit uerbū Sim, legens, Siue absens

ſens ſim: cũ ſit in Græco ſimpliciter, ἄντε ἀπὼν: id eſt, Siue abſens. Sunt qui ſic reddant: Vt ſiue ueniens uideam uos, ſiue abſens audiam de uobis, quòd ſtetis in uno ſpiritũ. Si ſimpliciter legamus ut eſt in Græco, Vt ſiue ueniens & uidens uos, ſiue abſens audiã de rebus ueſtris: hic ſub intelligendum uidetur, uel uideam uel audiam, quòd ſtetis in uno ſpiritu, &c.

Obſerua hic prudentiam Apoſtoli. Quò animos Philippenſium erigeret, ſignificauit illis quàm perſuaſus eſſet, fore ut ad ipſos reuerteretur. Quoniam autem fieri poterat, ut ſi non ſtatim ad eos rediret, animo remiſsiore facti, omnẽ ueræ pietatis ac fidei zelum abijcerent, quaſi fruſtra reditum illius expectaſſent: ideo monet eos, ut quod reditum ſuum concernit, id totũ Deo committant: & interim hoc unum curent, ut quicquid ſibi accidat, ipſi partes ſuas fideliter ac conſtanter obeant.

Deinde ne ſibijpſi contrarius eſſe uideatur, non dicit, Vt abſens de rebus ueſtris audiam: ſed, Vt ſiue ueniens ac uidens uos, ſiue abſens de rebus ueſtris audiam. Sic committit omnẽ hanc cauſam diſpoſitioni Dei, & ſimul eos monet ut idem faciant & ipſi.

Quòd ſtetis in uno ſpiritu, una anima, inquit.] Exprimit quales eos eſſe ac permanere uelit, ſiue præſens eos uideat, ſiue abſens de rebus illorum audiat. Vtitur autem ſimilitudine militum, in acie aduerſus hoſtes ſtantium ac dimicantium. Illi, niſi uno & eodem ſpiritu & anima una firmi ac concorditer ſtent in acie, nec à facie hoſtium expaueſcant, ſed coniunctis uiribus fortiter decertent, uictores euadere non poterunt. Conſimilis eſt & Chriſtianorum conditio, qua de re diximus in ea quæ eſt ad Epheſ. cap. ultimo, ubi eadẽ eſt ſtandi metaphora ad ſimilitudinem militum uſus.

Obſeruandum hic eſt ſinceri amoris ingenium. Cupiebat quidem uidere eos, & præſens cum illis agere, ſicut animati ſunt communiter qui amoris ſunt affectu præditi: uerùm quoniam non quod ſuum, ſed quod illorum erat, impenſè quærebat: ſignificat illis, quales eos ſiue ueniens uidere, ſiue abſens quòd tales ſint audire cupiat, concordes uidelicet & conſtantes in fide Chriſti. Pertinebat enim hoc ad ipſorum ſalutem, quam omnium ſtudioſiſsimè quærebat.

Quòd ſtetis, inquit, *in uno ſpiritu, una anima.*] Maximum eſt fidelium non modò ornamentum, ſed & ſtabilimẽtum aduerſus omnis generis inſultus, ſi uno ſpiritu & anima una prædit, pro fide Chriſti decertent. Hic murus aheneus eſt, & ſatanæ inſuperabilis. Quod autem duas haſce uoces Spiritum & Animã attinet, alij illas aliter accipiunt. Sunt qui ſpiritum intelligant de chariſmate ſpiritus ſancti, ex quibus eſt Chryſoſtomus. Sunt qui accipiant de mente & intelligentia. Sunt quibus idem hic eſt ſpiritus, quod cor. ſecundum illud: Et erat illis cor unũ, & anima una. Meo iudicio rectè accipitur de ſpiritu ſancto, qui unus eſt omnium filiorũ Dei ſpiritus: ut anima ſit idem, quod animus & uoluntas. Pulchrè autem, poſtquàm dixit, In uno ſpiritu: ſubiecit, Vna anima. Vbi enim non eſt unus ſpiritus, ibi non poteſt una eſſe anima. Quòd primis Chriſtianis cor erat unum & anima una, non erat aliũde quàm ex eo, quòd uno erant Chriſti ſpiritu prædit. Varietas ſpiritus, uarietatem gignit cordium, animorum ac uoluntatum. Quid autem cõuenientius eſſe poterit Chriſtianis, quàm unitas ſpiritus & animæ? Sunt enim unum corpus, cuius caput eſt Chriſtus. Vnius corporis unus eſt ſpiritus, & anima una. In uno ſpiritu omnes in unum corpus baptizati ſumus. 1. Cor. 12. & Epheſ. 4. Vnum corpus, inquit, & unus ſpiritus.

Adiuuantes, inquit, *decertantem fidem Euangelij.*] Græcè eſt, συναθλοῦντες τῇ πίστει τοῦ εὐαγγελίου. id eſt, Concertantes fide, uel fidei Euangelij. Vulgata editio habet, Collaborantes fidei Euangelij. Ambroſius legit: Cum fide Euangelij certantes. Poteſt hęc particula bifariam accipi. Primò ſic, ut prępoſitio συν in participio συναθλοῦντες, iungatur cum τῇ πίστει: legaturq; , Certãtes unà cũ fide Euangelij, quaſi fides Euãgelij certet, debeamusq; illã cõcertando iuuare. quẽ ſenſum expreſſerũt utriq; Latini interpretes. Deinde ſic, ut referatur prępoſitio συν nõ ad fidẽ, ſed uel ad ipſum Apoſtolum in certamine cõſtitutũ, cũ quo unà decertare debeamus. ad quẽ modũ reddidit Germanicus interpres, *vnd Kempfet ſampt vns im glaubẽ des Euangelij*: uel ad ipſos Philippẽſes, omnes ac ſingulos, ut ſignificet debere eos ſimul omnes ueluti coniunctis uiribus cum eodẽ ſpiritu & anima in fide, uel per fidem Euangelij certare. Poſterior ſenſus mihi ſimplicior uidetur, ut referatur uocula συν ad ipſos Philippenſes. Neq; enim ſimpliciter monet, ut cum fide certent: ſed ut unanimes & eodem ſpiritu alius alium concertando iuuantes, coniunctis ſtudijs pro Chriſto pugnent, quo ſimul omnes uictores euadant. Siquidem etiamſi ſint qui firmiter ſtando ac certando uincant: uictoria tamen illorum nihil prodeſt reliquis, qui in pugna hac uel terga obuertunt hoſti, uel dedunt ſe illi, uel turpiter cadũt ac pereunt: ſed illis tantũ, qui conſtanter certarunt. Quare & omnib. & ſingulis neceſſarium eſt, ut ſimul cõcertent.

Obſerua uerò, quòd addit: Fide Euangelij. Ergo non ſolum eodẽ corde ac ſpiritu pugnandum eſt Chriſtianis, ſed & eadem fide: eaq; non quauis, ſed quæ ſit Euangelij. Vocatur autem Chriſtiana fides, fides Euangelij, duplici nomine. Primò, propterea quòd concipitur in corde ex auditu Euangelij. qua de re uidere eſt in Epiſtola ad Romanos cap. 10. Deinde ex eo, quòd per hanc credimus Euangelio, illiq́ue obedimus. Per hanc pugnamus aduerſus omnes

ſatanæ

ſatanæ tentationes, omniaq; falſa dogmata, & infeſtationes totius mundi, dum per illam ueritati Dei, quę eſt in Chriſto, firmiter inhærētes: quicquid illi aduerſatur, procul à nobis abijcimus ac ſeparamus. Hæc eſt uictoria, inquit Ioānes, quę uincit mundū, fides noſtra. 1. Ioan. 5. Et Petrus: Aduerſarius ueſter Diabolus, inquit, ſicut leo rugiens circuit, quærens quē deuoret, cui reſiſtite fortes in fide. 1. Pet. ultimo. Nō ſunt autē iſta de alia quàm Euāgelij fide dicta.

Nec in ullo terreamini ab aduerſarijs, inquit.] Victores euadere non poſſunt, qui faciem hoſtiū ferre nequeunt. Miles perterrefactus ac pauidus, aut eſt fugæ aut cædi proximus. Quare prudentis ducis eſt, quibus poterit modis cauere, ne milites ipſius à facie hoſtium terreantur. Cōſimili modo & Apoſtolus hortatur fideles, ne timeant ſibi ab aduerſarijs. Nouit enim fieri non poſſe, ut in pugna fortiter certent, qui ullo pacto expaueſcunt. Quomodo enim certarēt, qui pauore perculſi, ne ſtare quidem poſſunt in acie? Hunc terrorem & Chriſtus à ſuis reijcit, cum dicit: Ne timeatis eos qui corpus occidunt, &c.

Per aduerſarios autem, intelligit omnes eos qui Chriſtianæ fidei quouis modo reſiſtunt, illamq; oppugnant, ſiue ſint manifeſti hoſtes, ſiue falſi doctores. Philippenſibus ab utroq; genere τῶν ἀντικειμένων periculum erat. Hac enim manifeſtis perſequutionib. per eos atterebantur, qui manifeſti erant nominis Chriſti hoſtes: illac uerò per inſidias pſeudapoſtolorum ad defectionem ſollicitabantur. Quare ſummopere neceſſariū erat, ut aduerſus utroſq; firmi ſpiritu, corde ac fide ſtarent, ac pro ueritate Euangelij Dei impauidi decertarent.

Græca uox ἀντικείμενοι, qua hic utitur Apoſtolus, ſonat oppoſitos, qui uelut ex diametro cōtrarij ſunt & repugnant ueritati. Aduerſarius exercitus ſatanæ, ἐκ τῶν ἀντικειμένων eſt, quorum caſtra & acies Eccleſię Chriſti indefinenti militia opponuntur. Nō mox ἀντικείμενος uocandus eſt, quiſquis ſemel atq; iterum ueritati incognitę contradicit. Veri ἀντικείμενοι ſunt reprobi, qui uelut in caſtris ſatanę militantes, noctes ac dies hoc agunt, ut ueritatem Dei ſubuertant. Inuenias hodie quoq; multos, qui licet errent, tanquam ſeducti ac faſcinati: pro ἀντικειμένοις tamen haberi non debent, eo quòd ueritatem Dei haud oppugnāt, nec hoſtiliter ſunt aduerſus pios animati. Nec dubito, quin multi ſint inter aduerſarios Euangelij Chriſti, qui tamen ex illis nō ſint: ſed potius ad nos pertineant, quiq; aliquando egreſſuri ſint ex illorum caſtris, & ad nos tranſituri: quemadmodum & inter nos haud paucos inuenias, qui non ſint ex nobis, ſed pertineant ad caſtra τῶν ἀντικειμένων, ad quæ etiam ſuis temporibus tranſibunt: quales iam nō pauci à nobis defecerunt, & ueritatem Dei, quam antea profeſsi nobiſcum fuerunt, infenſiſſimè impugnant. Verùm, qui ſani ac firmi ſunt in fide Euangelij, haud expaueſcunt à facie aduerſariorum: ſed ſtationem ſuam intrepidè retinēt, ſcientes quid & cui credant: nec dubitantes, in ſempiternum fieri non poſſe, ut ueritas uincatur à mendacio. Illud obſeruet lector, quòd aduerſarijs tribuit ſtudium perterrefaciendi pios, dum hortatur ne terreātur ab illis. Eſt hoc illis perpetuum. Verùm nihil poſſunt, ſi perſtiterimus.

Quæ illis quidem eſt cauſa perditionis, inquit, *uobis autem ſalutis.*] Græcè eſt, ἥτις ἐστὶν αὐτοῖς μὲν ἔνδειξις ἀπωλείας: id eſt, Quæ ipſis quidem eſt indicium, uel argumentum, uel demonſtratio perditionis. Vulgata editio habet, Quæ eſt illis cauſa perditionis: quam uerſionem retinuit Eraſmus. id quod admodum miror, cum ἔνδειξιν Rom. 3. oſtenſionem, & 2. Cor. 8. documentum uerterit. Sonat enim ἔνδειξις non cauſam, ſed indicium, oſtenſionem, argumentum, ſpecimen ac demonſtrationem. Non erat Sophiſtis hac uerſione patrocinandum, qui alioqui plus ſatis eiuſmodi loquutionibus inhiant, quibus cauſa ſalutis noſtræ non gratiæ Dei, ſed noſtris uel operibus uel paſsionibus tribui uidetur. Lege itaq; ſic: Quod illis quidem eſt argumentum, perditionis, perinde ac ſi ſit in Græco, ὃ ἐστιν αὐτοῖς μὲν ἔνδειγμα ἀπωλείας. quæ lectio clarior eſt. Aliàs, ſi legas, Quæ: non ita mox occurrit, quò ſit referendum. Eſt autem referendum ad id quòd aduerſarij pios quidē infeſtant, ac terroribus à ueritate Dei abſtrahere nitūtur: illi uerò impauidi perſiſtunt. Id uidelicet argumentum habet perditionis ipſorum, ſalutis uerò piorum. Monet hiſce uerbis, tam abeſſe ut efficiant aduerſarij quod uolunt, ut magis hinc pateat certiſsimū perditionis ipſorum documentum: ac ſimul demonſtretur, fore eos ſaluos, quos ipſi propter ueritatem Chriſti perſequuntur, dum illi firmi in fide perſiſtunt, nec in ullo à terroribus ipſorum perterrefiunt. Sic duo ſunt hac in re indicia. unum, perditionis aduerſariorum: alterum, ſalutis piorum ac fidelium. Prius in eo monſtratur, dum impij pios perſequuntur, & ueritati Dei aduerſantur: poſterius uerò in eo, quòd pij nullis terroribus cedunt, ſed imperterriti in fide Chriſti, omnia pro nomine illius patiuntur.

Simul tamen cogitandum hic eſt, nec aduerſarios perire, niſi tales eſſe ad finem uſq; pergant: nec eos ſeruari, qui ad tempus quidem aduerſa propter Euangelium perferunt, uerùm tandem deficiunt. Paulus perſequutus fuerat Eccleſiam Chriſti, & tamen non perijt, quia cō uerſus eſt ad Dominum. Et Chriſtus ipſe dicit: Qui perſeuerauerit uſq; in finē, hic ſaluus erit. Quare quod hic Apoſtolus dicit, Quòd quidem ipſis eſt indicium perditionis, uobis uerò ſalutis: hac eſt conditione limitandum, ſi illi non ceſſent aduerſari, & ex oppoſito ueritatē impugnare: iſti uerò non cedant, ſed fortiter & impauidè dimicent. Finge te uidere duorum militū conflictum, quorum alter crebris quidem ictibus antagoniſtam ſuū impetat, ſed fruſtra: alter

uerò ictus omnes excipiat, & interim illæsus persistat. In eiusmodi conflictu satis patet, utrius futura sit victoria & salus, & uter sit periturus. Sic est comparata piorum & impiorum pugna. Impij multis modis impugnant piorum hominum fidem ac salutem, uerùm nihil efficiũt: pij contrà omnia fortiter sustinent, & per patientiam animas suas seruant, ac uictores euadunt. Vnde manifestum argumentum cuilibet cordato præbetur, quorum futura sit salus, & quorum perditio.

Et hoc à Deo, inquit.] Monet non esse humanarum uirium, non terreri ullis infestationib. aduersariorum: sed fortiter ac concorditer pro nomine Christi certare, ac citius quæuis mala ferre, quàm cedere ac deficere. sed esse hoc donum Dei. Sic monet legitimè certantes, unde uires certandi acceperint: & erigit infirmos, ut petant illas à Deo, ne causentur infirmitatem carnis. Etenim uirtus Dei in infirmitate nostra perficitur, dũ ipse nos uirtute sua firmos reddit ad persistendum, pugnandum, ac uincendum. Admonet firmiores, ne uirib. suis quicquã tribuant, aut infirmiores præ se fastidiant: sed agnoscant donum Dei, illoq; modestè & salubriter utantur.

Quia uobis donatum est, inquit, *pro Christo, non solum ut in eum credatis, uerùm etiam ut pro illo patiamini.*] Exponit quod dixit, Et hoc à Deo: ne trahatur ad perditionem impiorum, cuius mentionem fecerat dicens, Quod illis quidem est argumentum perditionis: sed ad id quòd sequitur, Vobis uerò salutis. Licet enim etiam perditio impiorum à Deo sit, de eo tamen non loquitur, cũ dicit, Et hoc à Deo: sed de patientia ac salute eorum qui pro Christo mala quæuis patiuntur. Quæ à Deo sunt, alia sunt dona, alia iudicia inter iudicia. recensenda est impiorum perditio: inter dona uerò fides, patientia, & salus piorum.

Quia uobis, inquit, *donatum est.*] Nõ simpliciter dicit, Quia uos accepistis, uel, quia uobis datum est: sed, Quia uobis ἐχαρίσθη: id est, gratuitò dono datum est, ne quid ullis ipsorum meritis relinquat. Nemo facilè negat, à Deo esse, quicquid boni habetur ab hominibus: uerùm inuenias qui tribuant bona à Deo accepta non solum gratię Dei, sed & nostris meritis. Prudenter itaq; Apostolus, postquã dixit, Et hoc à Deo: subiecit, Quia uobis dono datum est, quo meritorum respectum excludat, & totum gratiæ Dei deputet. Est enim aliud dare ex merito, & aliud dare gratis ac libero dono.

Quia uobis, inquit, *donatum est pro Christo.*] Quomodo pro Christo? Quid est donari cuipiam aliquid pro Christo? Potest uerti, Propter Christum. Quæ donat fidelibus Deus, donat utiq; propter Christum: uerùm quoniam non simpliciter in Græco est, ὅτι ὑμῖν ἐχαρίσθη ὑπὲρ χριστοῦ, sed ἐν ὑμῖν ἐχαρίσθη τὸ ὑπὲρ χριστοῦ: uocula τὸ ad sequentia respicit, efficitq; ut illud ὑπὲρ χριστοῦ referendum sit non ad præcedens uerbum Donatum est, sed ad sequentia. Volebat dicere, Quia uobis donatum est, ut non solum credatis in Christum, sed & propter illum patiamini. Nisi placet sic legere, Quia uobis donatum est hoc propter Christum: ut τὸ sit pro τοῦτο positum. Sanè non est absimile uero, uoluisse illis inculcare Apostolum, non solum dono ipsis, sed & propter Christum, esse datum à Deo, quòd credebant in illum, & propter illum aduersa patiebantur.

Non solum ut credatis in eum, inquit.] Locus hic manifestè docet, esse fidem in Christum, liberum Dei donum. Ergo non est doctrina Euangelij tale quid, quod naturali possit intellectu capi, ac iudicio probari. Iesum Christum crucifixum esse unigenitum Dei, ac unicum redemptorem ac seruatorem mundi, uerum Deum ac uerum hominem, qui sedeat à dextris Dei in cœlestibus, omnemq; habeat potestatem in cœlo & in terra, & denuò uẽturus sit in fine mundi, ad iudicandum uiuos & mortuos, non capit humanus intellectus: sed potius iudicat esse meras nugas: & eos qui hæc credunt, omnium asserit esse mortalium stultissimos. Quid ergo faciunt, qui Christianam fidem tale quid esse putant, quod haberi possit ab omnibus: ideoq; uiolenter illam extorquere conantur, cum sit ea non omnium, sed electorum tantùm, quibus dono datur à Deo, ut credant in Christum?

Obserua uerò, quòd non dicit, Vt credaretis: sed, ut credatis in Christum. Non est igitur ut dicat quisquam initio quidem, ubi primùm auditu Euãgelium: necessarium est, ut detur à Deo fides: postquã uerò semel credere cœpimus, tum situ est in nobis, ut porrò credamus, inq; fide permaneamus. Commentum hoc friuolum est. Non modò principium fidei donum Dei est, sed & omnis illius progressus ac perseuerantia. Nisi det nobis illam Deus omnibus ac singulis momentis, in omnibus & singulis tentationibus ac necessitatibus, nemo nostrùm propterea credere potest, quòd olim dono Dei cedere cœpit. Quis adeò insanit, ut principiũ duntaxat uitæ nostræ dono Dei adscribat, & non etiam illius progressus, incrementa, & iugẽ conseruationem? Omnino autem quemadmodum quod non solum cœpimus uiuere, sed & etiamnum uiuimus, dono Dei datum est: ita & nõ solum principium fidei, sed & quod adhuc & in finem usq; credimus, nõ nobis, sed dono Dei adscribi debet. Quare admodũ conuenienter non dixit Apostolus, Quia uobis donatum est, ut credaretis: sed, Vt credatis in Christum.

Quid sit autem credere in Christum, diximus alibi. in Locis nostris, loco de Fide, materiã hanc attigimus.

Deinde in eo quod non simpliciter dicit, Vt in eum credatis: sed, Non solum ut in eũ credatis:

datis: obseruandum est, non sic dari, fidem in Christum à Deo, ut credamus tantum sed dari cum fide etiam reliqua necessaria. Est quidē sic necessaria fides, ut sine illa impossibile sit placere Deo: uerùm simul necessaria est & efficacia fidei, per quam non solum credamus, sed & diligamus, speremus, aduersa patiēter perferamus, à diuina bonitate pendeamus, & quæ alia sunt huiusmodi præstemus.

Verumetiam, inquit, *ut pro illo patiamini.*] Quoniam affligebantur ab impijs, propterea quòd à catholica gentis suæ communione, & auitis falsorum deorum cultibus, propter Christum defecerant: monet eos, ut usq; adeò non turbentur hoc nomine, ut agnoscant potius in se donum Dei, à quo acceperant: ut nō solum crederent in Christum, sed & propter illū patereˉtur.

Obserua hic, quomodo Christianæ fidei coniungat patientiā. Vera fides, quæ est in Christum, sic est comparata, ut reddat Christianum patientem eorū malorum quæ propter Christū inferuntur. Qui ad tempus duntaxat credunt, quod Iesus Nazarenus sit Christus & filius Dei, & quod uera sint quæ de illo per Euangelium prædicantur: non autem credunt in Christum, id est non pendent à Christo syncera ac firma fiducia, illi in tempore tentationis ac persequutionis retrocedunt, quos Seruator Matth. 13. in parabola seminis perstringit. Qui uerò corde credunt in Christum, illi simul & donum patientiæ in tempore tribulationis à Deo accipiunt, ut propter Christum, in quem credūt, omnis generis afflictiones cū gaudio perferāt.

Deinde obserua, quòd non dicit, Vt pro illo affligamini: sed, Vt pro illo patiamini. Haud quidem esse potest patientia, ubi nullæ sunt afflictiones: uerùm quoniam loquitur de dono Dei, credentibus in Christum dato, cōmendat non afflictiones sanctorum, quæ illis inferuntur ab impijs, sed patientiam illorum, quam dono Dei acceperunt. Nemo propterea beatus est, quòd affligitur, quia afflictiones per se bonæ non sunt: nec felicem per se reddunt quenquam, sed potius miserum ac calamitosum: patientia uerò afflictionum animas sanctorum in uera fide ac confessione Christi conseruat.

Tertiò, obseruandum & illud est, quòd non simpliciter dicit, Vt patiamini: sed, Vt pro illo patiamini. Admonemur, hanc esse sortem Christi in hoc mundo, ut habeatur odio, affligatur, & damnetur. Exempla eius rei in ipsius personā primùm designata, præcesserunt: durarentq; in hodiernum usq; diem, si in mundo hoc corporaliter ac talis maansisset, qualis in illo ad tempus, in diebus uidelicet carnis suæ, conuersatus est. Quis enim dubitat, eos qui in nomē Christi, & propter confessionem illius in eos qui credunt in ipsum, sæuiunt, in personam ipsius cū primis hodie quoq; sæuituros esse, si perinde ipsum atq; membra illius affligere possent? Iam cum id fieri nequeat, duret uerò perpetuò nominis illius odium: consequenter illud in Christianos trāsfertur, ut hi patiātur, quicquid illi malorū mūdus hic inferret, si quo pacto posset.

Ad hæc admonemur etiam, non eam commendari patientiam simpliciter, qua mala à malis propter Christum illata perferimus: sed requiri, ut patiamur etiam ea pro Christo. Hoc est, ut sic fide ac dilectione pendeamus à Christo, ut citius perpessuri simus omnis generis afflictiones, quàm à confessione uerbi ac fidei illius discessuri. Refert plurimum, quo respectu patiamur aduersa, quæ nobis ab hoc seculo prauo & corrupto, propter Euangelium Christi inferuntur. Si propter merum disidendi ac contendendi studium, si propter constantiæ ostētationem, si propter terrenum aliquod emolumentum, si ne turpiter cessisse uideamur, si ad acquirendum aliquid nominis in hoc seculo, ut pro martyribus habeamur, uel propter aliud quippiam, quicquid illud sit: eiusmodi patientia non commendatur ab Apostolo, quia non pro Christo iam, sed propter nescio quos nostros affectus mala patimur. Multo minus probanda est eorum patientia, qui non affliguntur propter Christum, sed propter falsa & intolerabilia dogmata, & inemendabilem pertinaciam, quocunq; tandē respectu aduersa patiantur. Nam etiamsi Christum ipsi prætexant, ac se propter illum pati glorientur, non poterit tamen pertinere ad Christum, quod neq; infertur propter illum, neq; ueraciter pro illo toleratur, nisi falsa dogmata & pertinax illorum assertio ad illum pertinere queant. Qui pro ueritate doctrinæ Christi patitur, rectè pro Christo pati censetur: qui uerò pro mendacio, is utiq; non pro Christo, sed pro eo patitur, qui omnis est mendacij author.

Idem certamen habentes, inquit, *quale uidistis in me, & nunc auditis in me.*] Si extra iactum telorum in toto egisset Apostolus, parum efficaciter fideles Christi in certamine constitutos, ad patiētiam & constantiam hortari potuisset: iam uerò, quoniam plus quàm illi afflictabatur, admodum meritò suo illos exemplo ad patientiam retinendam hortatur. Non requiro, inquit, à uobis patientiam malorum quæ nihil loci habeat in me. Vidistis ipsi, quanta cū apud uos essem pro Christo pertulerim: & iam auditis de uinculis meis, quanta tum patientia tandiu in illis detinear. Quare molestum uobis uideri non debet, quod affligimini ab aduersarijs propter Christum, cum idem certamen mihi quoq; acciderit, atq; ita tamen à Christo propterea non defecerim, ut etiamnum pro illo patiar. Si quid esset in hac patientia, quod sine salute animæ nostræ uitari declinariq; possit, uitarem illud & declinarem ego cum primis. Verùm qua fide mihijpse consulo, eadem & uestræ saluti consultum esse cupio.

Quo autem conscientias illorum uelut in testimonium uocet, non dicit simpliciter, Idem

certamen habentes, quod ipse habeo: sed, Quale uidistis in me, & nunc auditis in me. Quomodo ignorare poterant quæ uiderant olim, & tum quoq; audiebãt? Nec dicit, Quod habent reliqui Christiani: sed suum illis exemplũ proponit, quod sine pudore ad se nõ pertinere haudquaquam causari poterant. Neq; enim est discipulus supra præceptorem suum.

Nec ociosum est, quòd non solum dicit, Quale uidistis in me: sed addit, Et nunc auditis in me. Sic enim constantiam patientiæ suæ exprimere, illisq; exempli uice, quod imitarentur proponere uoluit. Quòd autem dicit, Et nunc auditis in me, uidetur legendum esse, De me, quamuis in Græco sit, ἐν ἐμοὶ, id est In me.

Illud quoq; obseruandum est, quòd cum dicendum fuisse uideatur, Eandem patientiam habentes: dicit, Idem certamen habentes. Qui patitur, quomodo certat? An certare pati est, & non magis conniti, ne quid patiendum sit ab hoste? Cum affligerentur, in custodias conijcerentur, uel proscriberentur, bonis suis spoliarentur, ac tandem trucidarentur sancti, an certabant? Cum quo, & quomodo certabat Paulus, cum Romæ teneretur in uinculis? Respondeo. Certamen sanctorum non est luctari cum hoste, & uerbera uerberibus ne quid patiendum sit reprimere, ad quem modum certatur in seculo: sed est, non assentiri mendacijs, non abnegare ueritatem Dei, nullis minis, terroribus, afflictionibus, imò ne morte quidem ipsa absterreri à confessione nominis Christi, sed in ea constanter permanere. Hoc genus certaminis per patientiam perficitur, non qua faciamus quod uolunt aduersarij, quo nos uincant: sed qua feramus citius omnia quæ inferunt mala, quàm ut uoluntati illorum cedamus. Neque pro præsenti hac uita, neque pro retinenda libertate carnis, neque pro opibus & honoribus certamus: sed pro retinenda gratia Dei in Christo, ueritate, libertate spiritus, & salute æterna, quibus nos satan priuare nititur. Pro his omnibus constanter retinendis, fortiter stamus in acie, & patimur citius omnia quàm ut aliquid ex illis cedamus. Sic certamus ac uincimus patiendo, quæ citra dispendium salutis nostræ ferri possunt, ne patiamur ea quæ nos hosti subijciant.

CAPVT II.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Hortatur secũdo hoc Capite ad charitatem, unanimitatem, & animi submissionem, idq; exemplo Christi: & ut suam ipsorum salutem cum timore operentur, inq; medio prauæ nationis irreprehensibiliter uiuant: deniq; promittit illis Timothei, ac suum ad ipsos aduentum: in præsenti uerò mittit Epaphroditum ab infirmitate admodum graui restitutum.

SI qua igitur consolatio in Christo, si quod solatium dilectionis, si qua communio spiritus, si qua uiscera ac miserationes, complete meum gaudium, ut similiter affecti sitis, eãdem charitatem habentes, unanimes, idem sentientes: ne quid fiat per contentionem, aut per inanem gloriam, sed per humilitatem animi alium quisq; se præstantiorem existimet: ne sua quisq; spectetis, sed unusquisq; quæ sunt aliorum.

Hortatus est suprà paulò ante calcem precedentis Capitis, ut starent in uno spiritu & anima, una simul fide Euangelij certantes: iam consequenter relicta materia certaminis, redit ad eam quæ est concordiæ & unanimitatis, ad quam retinendam hortatur eos admodum obnixè, dicens:

Si qua igitur consolatio in Christo.] Græcè est παράκλησις, quæ uox & adhortationem & consolationem significat. Ambrosius legit: Si qua ergo exhortatio in Christo. Sic & Germanicus interpres uertit. Vulgata editio habet: Si qua ergo consolatio in Christo. Consimili modo & Chrysostomus, hanc uocem pro consolatione accepit. Sic enim exposuit: εἴ τινά μοι βούλεσθε παράκλησιν ἐν τοῖς πειρασμοῖς δοῦναι. Si legamus cum Ambrosio, Si qua igitur exhortatio in Christo, accipiendum est de exhortatione, qua Philippenses ad concordiam in Christo permoueantur, ut sit sensus: Si tales estis, apud quos locum aliqua exhortatio inueniat, quæ fit in Christo: Si ualet aliquid apud uos exhortatio, quæ fit in nomine Christi. Si uerò legere placet, Si qua consolatio in Christo: sensus esse uidetur, Si sic comparati estis, ut procliues sitis ad consolandum, laborantes in Christo. Potest etiam sic exponi: Si ex eo quod in Christo estis, aliquid inter uos loci habet consolatio. uel: Si in Christo consolationem ac refocillationem habetis, si consolatur ac recreat uos Christus, in omnibus quas suffertis afflictionibus. Posteriori huic sensui fauere uidentur, quæ in calce præcedentis Capitis præcesserunt, ubi dixit eos idem habere certamen pro Christo, proq; illo pati afflictiones. in illis autem nisi consolationem inuenissent in Christo, haudquaquã perstitissent. Et hunc sensum id quoq; innuere uidetur, quòd non simpliciter dicit, Si qua consolatio in Christo: sed per illationem à præcedentibus ductã,

Si qua

Si qua igitur consolatio in Christo. Quasi dicat: Itaq; , si pro Christo patientes, consolatione in eo sentitis, quòd propter illum in certamine constituti estis.

Si quod solatium dilectionis, inquit.] Hoc est: Si amanter erga me affecti, aliquod mihi in uinculis constituto, solatium exhibere cupitis. Dilectionis hoc est ingenium, ut qua poterit ratione, soletur laborantes & afflictos. Et qui laborant & affliguntur, sic animati sunt, ut cũ primis cupidi sint solatiorum, præsertim quæ adferantur ab amicis ac dilectis. Quare nihil illis accidere potest acerbius, quàm si nemo sit, qui aliqua ipsos consolatione recreare studeat. Sic propheta Psalmo 69. Et expectaui, inquit, num quis sit qui simul contristetur, & non fuit qui consoletur, & neminem inueni.

Quod reddiderunt, Solatium: Græcè est, παραμύθιον, quod propriè sonat affabulationem & alloquium, quo tristes & afflictos erigere consolariq; solemus, unde pro solatio & cõsolatione ponitur. Vide Ioannis undecimo, & primo Thessal. secundo & quinto. ubi uerbũ παραμυθεῖσθαι hoc sensu legitur.

Si qua, inquit, *communio spiritus.*] hoc est: Si eiusdem spiritus participes sumus, si non alio spiritu præditi estis uos, quàm præditus sum ego, sed prorsus eodem, illiusque communionem inter nos declarare cupitis, id quod tanquam ueri Christiani sedulò conniti debetis: sanè magnum est, si communicare datur in mysterio corporis ac sanguinis Domini. qua de re magnæ sunt contentiones in Ecclesijs obortæ, quas Dominus tandem tollat è medio. Multo autem maius est, si detur nobis communio hæc spiritus, de qua Philippenses admonet Apostolus. Quotus autem quisque est, qui de illa seriò cogitet, cum fieri nequeat, ut sine illa ueri ac sinceri Christiani simus? Nec erit unquam possibile, ut extra hãc Spiritus Christi communicationem, uera possit obtineri inter nos charitas, pax & concordia. Quare hanc & Corinthijs, in partes ac studia se ectis, in calce posterioris Epistolæ data opera apprecatur.

Si qua uiscera, inquit, *& miserationes.*] Græcè legitur: εἴ τις σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοί. Omnino apparet à Græcis antiquarijs admissum esse errorem in eo, quod in compluribus exemplaribus habetur, εἴ τις σπλάγχνα. quod perinde est, ac si dicas inter Latinos: Si quis uiscera. Sic & inter hasce Græcas uoces εἴ τις σπλάγχνα, disconuenientia est & generis & numeri. Licet enim uocula τὶς non solũ Quis, sed & Qua uerti possit, sicut & hoc loco bis posita habetur, ubi dicit, Si qua consolatio: item, Si qua communio: hic tamen ad σπλάγχνα, quæ uox & neutri generis, & pluralis numeri est, rectè coniungi non potest. In Latina quidem lectione, Si qua uiscera, non offenditur lector: uerùm Græcæ uoculæ τὶς non est ea conditio, quæ est Latinæ, Qua, quod utriusque linguæ periti sciunt. Erasmus hac de re admonuit quidem, uerùm scrupulum illius non sustulit. Chrysostomus in expositione loci huius bis legit, non εἴ τις: sed, εἴτινα σπλάγχνα. In ipso contextu quidem inuenio, εἴ τις: uerùm suspicor in contextu uerborum Apostoli, omnia esse in concionibus Chrysostomi ad receptam inter posteros Græcos lectionem, attemperata. Addam quid mihi uideatur. Quid si ab Apostolo scriptum sit, εἴ τὰ σπλάγχνα, id est: Si ea uiscera: intellige, quæ sunt inter Christianos, & eos qui de eodem spiritu communicant? antiquarij uerò uel imperitiores, uel negligentiores, pro τὰ legerunt τὶς. qui error propter propè similem duarum istarum uocum ductum, facilè irrepere potuit, maximè cum uocula τὶς secundò præcedat. Hæc obiter de lectione.

Si qua uiscera, inquit, *ac commiserationes.*] Nequit satis exprimere fidelium affectus, quo ad id quod instituit Philippensium animos permoueat. Sic omnino sunt animati, ut maximam ex eo consolationem in tribulationibus sentiant, quòd Christi sunt, & propter Christum aduersa patiuntur: deinde admodum sunt pro ingenio dilectionis propensi ad consolandum afflictos fratres: tertiò, communicant inter se de eodem spiritu Christi: & quartò, prorsus sunt ex imis præcordijs ac uisceribus procliues ad commiserationem erga afflictos. Horum igitur, tanquam propriè ad ueros Christianos pertinentium, admonet Philippenses, ut nisi uelint esse alieni ab affectibus Christianorum, reipsa tales esse se cõprobent in eo, ad quod ipsos hortari cœpit, in studio uidelicet consensionis, charitatis & unanimitatis.

Quid autẽ sonent σπλάγχνα, & qua metaphora in Scripturis sumantur, diximus capite præcedenti, ubi dicit: Testis enim mihi Deus est, quòd desiderem uos omnes in uisceribus Iesu Christi. Hanc uocem, quoniam metaphorica est, mox adiecta propria exposuit dicens, καὶ οἰκτιρμοί, id est miserationes: per quam nihil intelligit aliud, quàm per uiscera.

Complete meum gaudium, inquit, *ut similiter affecti sitis.*] Iam exprimit, quorsum admonuerit Philippenses de consolatione, quæ sit in Christo, de solatio dilectionis, de communicatione spiritus, deque uisceribus ac miserationibus, & quid facere debeant, si hæc locum in ipsis habeant. Non dicit, Mittite ad me de facultatibus uestris subsidia. uel, Satagite, ut liberer ex hisce uinculis, sed quid? Complete, inquit, gaudium meum, ut similiter affecti sitis, &c. Non postulat tale quid, quod in proprium ipsius cedat emolumentum, sed quod ad ipsorum erat salutem necessarium. Nec dicit tamen simpliciter, Sitis affecti similiter: sed, Complete meũ gaudium, ut similiter affecti sitis. quo significet, quàm sit sibi cordi, si similiter sint inter se affecti,

cti, & quàm ea de re impensè gaudeat.

Obseruandum est autem quòd non dicit, Afficite me gaudio: sed, Complete gaudium meum. Cœperat gaudere de illorum fide, qua credebant in Christum: de cõstantia, qua pro Christo aduersa patiebantur: deque liberalitate, quam erga ipsum missis subsidijs declarabant, & alijs nonnullis uirtutibus, de quibus in uinculis constitutus audiebat. Id autem gaudij nondum erat plenum, nondum ad perfectionem peruenerat, quia nondum quiescebat solicitudo Apostolici pectoris: qua metuebat, ne, quemadmodum alijs nonnullis Ecclesijs acciderat, ipsi quoq; in sectas, partes ac studia, per pseudapostolorum insidias abducerentur: uel inter ipsos exurgerent, qui dissidia & contentiones excitarent. Hoc metuens tantoperè urget eos, & obtestatur, ut gaudium suum compleant.

Sunt itaque de Apostolico hoc gaudio obseruanda, primùm, quòd in uinculis constitutis gaudebat. Vsq; adeò non erat animo in uinculis deiecto, ut etiam capax esset gaudij, imò gauderet. Deinde, unde gauisus sit: de profectu, uidelicet Euangelij. Suprà gaudij huius mẽtionem fecit, dicens: Christus tamen annunciatur, & in hoc gaudeo, quinetiam gaudebo. Item, de fide & constantia Philippensium. Tertium, quale fuerit illius gaudium: Incompletum ac dimidiatum, deniq; cum solicitudine coniunctum: ideoque hortabatur eos obnixè, ut gaudium suum complerent.

Erat igitur situm in Philippensibus, ut gauderet Apostolus? Erat planè. Sciendum hic est, triplex esse piorum hominum gaudium. Primum est fidei, quo gaudent in Domino. ad quod genus gaudij hortatur Philippenses infrà cap. ultimo, dicens: Gaudete in Domino semper, iterũ dico gaudete. Secundũ est dilectionis, quo gaudemus quoties proximis omnia prosperè succedere uidemus. de quo loquitur dicens: Gaudete cum gaudentibus, & quoties illi rectè sese gerunt. quò pertinet præsens gaudium, de quo loquitur. In hoc gaudij genere situm erat in Philippensibus, ut gauderet Apostolus. Sic situm est in liberis, ut ipsorum gratia gaudeant parentes: & in discipulis, ut de profectu illorum lætetur præceptor. Tertium gaudij genus est plenæ ac sempiternæ felicitatis, quam in futurum seculum repositam expectamus.

Vt similiter affecti sitis, inquit.] Græcè est, ἵνα τὸ αὐτὸ φρονῆτε, id est ut idem sentiatis. Exprimit uno & altero uerbo, quomodo gaudium suum complere debeant: idem uidelicet sentiendo. Est autem idem sentire, non solum idem credere de Christo, idemq; sperare: sed etiam in alijs rebus non diuersum, aliud atq; aliud, sed idem sentire ac iudicare. Ea res pulchrè facit ad pacem ac tranquillitatem. Tum demum felix ea domus est, in qua non modò uxor erga maritũ suum, & liber erga utrosq; parentes, ac serui erga heros suos rectè animati sunt, eosq; agnoscunt: sed & in omnibus quæ agenda sunt, idem omnes sentiunt, ne qua dissensione in partes ac studia scindantur. Eiusmodi cõsensu completur gaudium patrisfamiliâs. Consimili modo & Apostoli gaudium tum demum complebatur, quando non modò idem credebant de Christo fideles: sed & alieni ab omni dissentiendi studio, idem inter se in omnibus quæ agenda erant, sentiebant.

Loquitur autem haud dubiè non de quouis consensu, sed de eo qui sit sine errore, sine mẽdacio, sine peccato. Aliàs idẽ sentiunt inter se & Iudæi & Turci & hæretici & Papistę: quitamen illorum consensus, quoniã in malo est, laudari non potest. Ex eo tamen cogitandum est, quàm sit dedecorosum Euangelio Christi, quòd qui Euãgelici uideri uolunt, tantoperè inq; tã multis à se inuicẽ dissentiũt: cũ ij qui in grauib. errorib. uersantur, αὐτοφρονεστάτοις inueniantur.

Multum tamen refert, qua in re diuersum sentiamus. Nam etiam inter ea quæ uera sunt, ac bona, multũ est discriminis. Dissentire in fide ac uera cognitione Dei, in doctrina ueræ pietatis ac mysteriorum Christi, omnino noxia est & exitiosa dissensio. In reliquis uerò dissentire, quæ etsi substantialia non sunt Christianæ religionis, utilia tamen sunt, si rectè usurpentur: licet non faciat ad honorẽ & cõmodum Euãgelicæ professionis, minus tamẽ habet detrimẽti. Paulus & Barnabas, insignes Christi Apostoli, non erant αὐτοφρονεστάτοις in eo, esset ne Ioannes, cognomento Marcus, in comitatum Apostolicum assumendus: sed usq; adeò dissentientes, ut alter ab altero propter eam dissensionem seiungerentur. Hac utiq; in re, quæ tamen pertinebat ad ministerium Euangelij, non idem sentiebant: qui tamen alios hortabantur, ut idem sentirent omnes. Quo exemplo uidemus, quàm desperare non debeamus, propter dissensiones accidentales, quamuis & illæ caueri debent, modò in substantialibus simus αὐτοφρονεστάτοις. Interea tamen gaudium Christiani pectoris plenum esse non potest, ubi non idem sentimus omnes, non modò in substantialibus, sed & accidentalibus & parergis.

Obijciunt nobis Papistę, quòd tantoperè dissentimus inter nos ipsos: & propè tot sunt sententię, quot capita. Et inde argutantur, uersari nos non in ueritate, sed in mendacio. sibiq; adscribunt ueram Christi Ecclesiam, eo quòd in sua religione idem sentiant omnes. Verùm hoc argumento fallunt seipsos, & seducunt imperitos. Quàm enim non concedimus esse Turcos ueram Ecclesiam Dei, eo quòd in religione sua sunt αὐτοφρονεστάτοις: tam nec istis concedimus quod iactant, quantumuis idem in religione sua sentiant. Quin cogitent non esse mirũ, si non

si non modò innumera, sed & omnia mortalium millia in eo quod uanum est ac mendacium consentiant: pauci autem in eo quod uerum est, à se inuicem dissentiant. Nam natura procliues sumus omnes ad mendacia, & ueritatem Dei ægrè agnoscimus, ac difficulter retinemus. Quare, quemadmodum consensus non mox arguit uerum esse, in quo contentitur à multis: ita dissensio non mox conuincit, mendacium eos sequi, qui in quibusdam à se inuicem dissentiunt. Obsecro, quantum satanæ putas esse negocij, eos qui natura mendaces ac uani sunt omnes, de quouis mendacio sic persuasos reddere, ut existiment se nihil minus quàm mendaciũ amplexos esse pro uero? Quare iudicaturi de controuersijs nostrorũ temporũ, non debent ad catholicum cuiuscunq; religionis respicere consensum: sed ad sacrarum scripturarum canonem, indeq; probare quid uerum sit, quid non sit.

Eandem charitatem, inquit, *habentes, unanimes, idem sentientes.*] Ἀντιφώνησις, quam ad complementum gaudij sui requirit à Philippensibus, cognatis quibusdam uirtutibus ac medijs alitur & corroboratur: rursus contrarijs nonnullis ac uitiosis affectibus prorsus extinguitur. Necessarium itaq; ratus est, de utrisq; facere mentionem, quo scirent quid sequi, quidq; uitare deberent, quo ἀντεφθόνησιν retinere possent. Cum itaq; dicit, Eandem charitatem habentes, unanimes, idem sentientes: satis innuit, fine ἀντιφθόνησιν & ἀντιψυχίαν, & ἀντιφρονήσεως, hoc est, fine eadem dilectione, eodem animo & unitate sensus fieri non posse, ut idem sentiamus. Et huc pertinet etiã ταπεινοφροσύνη, id est animi uel sensus humilitas, cuius mox mentionem faciet.

Eandem, inquit, *dilectionem habentes.*] Primo loco ponit charitatem, in qua optimum est antidotum aduersus studia dissensionum. Non autem simpliciter dicit, Charitatem habentes: sed addit, Eandem. Significat uitari non posse dissensiones, si diuisa sit in Ecclesia dilectio. Chrysostomus eandem dilectionem exponit ὁμοίως καὶ φιλῶν καὶ φιλεῖσθαι, id est similiter & diligere & diligi, ne quis plus dilectus minus diligat. Verùm, meo iudicio, aliud est æqualiter diligere diligentes se, atque ita parem habere dilectionem: & aliud, non diligere diuersum, sed idem: id quod est eandem habere dilectionem, quæ plurimum potest ad consensionem conseruandam. Vbi quod alij diligunt, alij econtrà fastidiunt, ibi non potest in rebus agendis stabilis haberi consensio. Germanicè dicimus, *Wes einem liebet, das leidet dem anderen.* Ibi certè non habetur eadem dilectio, sed diuersa, quam comitatur eueſtigiò dissentiendi studium: quod locum habere non potest, ubi obtinet eadem dilectio, in cuius contubernio habitat studium consentiendi. Vbi Christum Dominum pariformiter diligunt omnes, ubi nemo est qui non exæquo diligat fratres omnes, propter Christum, tanquam membra Christi: ubi profectus Euangelij diligitur ab omnibus, ubi omnes eodem amore doctrinã Apostolicam prosequuntur, ubi non est quisquam qui non sit amans pacis & concordiæ: ibi omnino regnat eadem dilectio, quam hic Apostolus requirit à Philippensibus. Si hanc habuissent Corinthij, nõ fuissent in sectas diuisi. Nemo speret fieri posse ut restituatur Ecclesijs legitima consensio, nisi profligata primùm ἀντιφιλία, Christianam ἀντιφιλίαν amplectantur omnes.

Vnanimes, inquit.] Græcè est συμψυχοί. Animam quidem significat Græca uox ψυχή, uerùm sæpenumero pro animo ponitur: sicut hic quoque accipienda est. Sunt enim συμψυχοί, animo eodem coniuncti. Quare rectè uerterunt, Vnanimes. Subiecit hoc Apostolus necessariò. Nisi enim inter συμψυχοὺς, non potest eadem esse dilectio. Qui nanque diuersimodè animati sunt, diuersa quoque diligunt: qui uerò eodem sunt animo præditi, ficque coniuncti, ac si unam omnes & eandem habeant animam, sicuti Germanicè dicimus, *zwen leib vnd ein seel*, dum unitissimam animorum coniunctionem exprimere uolumus: illi eadem quoq; diligunt, idẽ uolentes & idem nolentes.

Idem sentientes, inquit.] Græcè est, τὸ ἓν φρονοῦντες. Chrysostomus sic: τί ἐστι σύμψυχοι, ἑνὸς ὄντος ἀνὼ, τὸ ἓν φρονοῦντες. ἓν ἐστι τὸ φρόνημα, ὥσπερ μιᾶς ψυχῆς. Suprà dixit, ἵνα τὸ αὐτὸ φρονῆτε, id est, Vt idem sentiatis: hic cum dicit, τὸ ἓν φρονοῦντες, id est, Vnum sentientes: idem secundo per tautologiam dicere uidetur. Nam tautologia esse apparet, quod dicit: Vt idem sentiatis, unum sentientes. Verùm nulla est hic ociosa tautologia, nec in uerbo nec in sensu. Quoniam fieri non potest ut idem sentiamus, nisi sentiamus unum: & diuersitas esse non potest in uno, potest uerò in pluribus. ideo notanter adiecit: Vnum sentientes. Donec in uno cõsistimus, idem sentimus. Vbi iam nõ unum, sed plura sentire incipimus, necesse est ut ἑτεροφρονοῦντες reddamur. Ante Arium, unum sentiebant Christi Ecclesiæ: Christum unigenitum Dei ac uerum Deum, patri consubstantialem, esse sentientes. In hoc uno consistentes, idem sentiebant omnes. Vbi uerò unitas ista per Arium rupta est, ut iam non unum sentirent omnes, sed in duas sententias scinderentur: ibi desierunt esse αὐτοφρονοῦντες.

Vnitas autem ista non est ad unam aliquam sententiam, numero unam, astringenda, cum dicit Apostolus, Vnum sentientes. Ego sentio Christum esse uerum Deum, tu tenes eum esse uerum hominem. Sunt duæ sententiæ, si ego Deum tantum, tu uerò hominẽ tantum, Christũ esse senseris. Hic non sentiremus idẽ, quia nõ unũ, sed duo diuersa. Si uerò, quod ego Christũ Deum esse sentio, non sic sentio ut hominem eum esse negem: & quod tu sentis eum esse ho-

minem, non sic sentis, ut uerum Deum esse neges, sed utrique & uerum Deum & uerum hominem concorditer confitemur: iam non duæ sunt nostræ sententiæ, sed prorsus una & eadem. Sic unum sentiunt fideles omnes, etiamsi de Deo, de Christo filio eius, deq; spiritu sancto ac religione Christiana, multa quidem numero, sed non diuersa, unanimiter senserint: id quod propter rudiores annotamus, ne scrupulosius quęrant, quod nam sit illud unum, quod omnes sentire debeamus.

Ne quid fiat per contentionem, inquit, *aut per inanem gloriam.*] Verbum Fiat, non est in Greco cõtextu: sed simpliciter, μηδὲν κατὰ ἐριθείαν ἢ κενοδοξίαν, id est: Nihil secundum contentionem aut inanem gloriam. Dixit, Vnum sentientes, & mox addit, Nihil secundum contentionem aut inanem gloriam: ubi participium φρονοῦντες repetendum est, ut sensus sit: Nihil sentiẽtes, quod sit secundum contentionem & inanem gloriam. Non loquitur de factis, sed de sensibus.

Subijcit iam consequenter uicios os affectus, per quos fit, ut non idem sentiamus omnes. Ponit autem initiò ἐριθείαν, id est contendendi libidinem: deinde, κενοδοξίαν, id est inanem gloriam, uel magis inanis gloriæ affectationem: & tertiò φιλαυτίαν, in eo quod infrà dicit, Ne sua quisque spectetis. Inter eos sanè qui hisce uitijs laborant, non poterit unum & idem sentiri. Delectantur enim contentiosi dissensionibus usqueadeò, ut plerunque nullam aliam ob causam ab alijs dissentiant, quàm ut à recepta sententia discrepent, & aliquid nominis ex ea singularitate acquirant. Aliud est diuersum sentire per errorem & ignorantiam, id quod multis minimè contentiosis usuuenire potest: & aliud studio contendendi discrepare ab alijs. Qui per ignorantiam à uero errant, errandoque dissentiunt, manifestata ueritate non dissentiunt amplius: qui uerò per contentionem dissentiunt, illos nemo ad consensum perduxerit, quantumuis luculenter exponatur ueritas.

Qui studio inanis gloriæ laborant, turpe sibi putant idem sentire cũ alijs: gloriosum uerò singularis alicuius sententiæ haberi authorem, ac cæteris uideri doctiorem, aut sanctiorem. Quare nec illi ad retinendum consensum in Ecclesia quicquam conferunt: sed dissensionibus illum, si quis antea fuit, discerpunt. Magna itaque ratione Apostolus, ubi à Philippensibus requirit, ut idem sentiant: contendendi libidinem, & inanis gloriæ affectationem, fugiendam esse monet.

Interea uerò non prohibet, quo minus probemus ea quæ sentienda proponuntur. Non reijcit ueræ gloriæ studium, sed eius quæ uana est & inanis. Multum discriminis est inter ἐριθείαν & δοκιμασίαν, id est contentionis libidinem, & probationem. Deinde inter κενοδοξίαν & ἀληθοδοξίαν, id est inanis gloriæ studium, & eam quæ uera est & Christiano homini conueniens. De probatione alibi dicit: Omnia probate, quod bonum est tenete. De laude & gloria, quæ uera sit, infrà capite ultimo monet, dicens: Quæcunque sunt uera, quæcunque honesta, quæcunque iusta, quæcunque pura, quæcunque accommoda, quæcunque boni nominis: si qua uirtus, & si qua laus, hæc cogitate, &c. Vnde est quòd hodie tantopere à Papismo dissentimus? Papistæ dicunt, hoc fieri ex contentione: sed errant. Est enim ex eo, quòd per gratiam Domini accepta ueritatis luce inspeximus ac probauimus illius omnia, ac deprehendimus esse illum Antichristianismum, plenum innumeris erroribus, abominationibus, impietate, hypocrisi, eidolomania, simonia, impostura, tyrannide, ac sanguine martyrum Christi: ut cũ illo sentire, sit ἀπὸ διὰ πασῶν à Christo Domino, & ab illius spiritu & doctrina dissentire. Nec possunt ne probabiliter quidẽ dicere, quòd per inanẽ gloriam ab ipsis dissentiamus: cũ manifestum sit, subire nos in hoc seculo omnis generis probra & ignominiam propter hanc dissensionem, cum in Papismo plerique nostrûm fuerimus in honore ac precio. Quòd si seriò putant, dissensionem hanc esse non ex probatione ueritatis, sed ex contentione: quorsum tantoperè cauent, ne sacrarum scripturarum lectio libera permittatur Christi fidelibus, unde liceat ipsis probare omnia, & tenere quæ sunt uera, & omnino retinenda? Si causa hæc contentionibus ageretur, an desunt ipsis Sophistæ, homines ad contendendum nati? Verùm probè intelligunt, unde sit quòd ab ipsis dissidemus: ideoq; quoad eius possunt, cauent apud suos, ne illucescat illis Euangelicæ doctrinæ ueritas, & libera fiat sacrarũ scripturarum lectio: quo impleatur in illis quoque, quod Saduceis obiecit Christus dicens, Erratis, nescientes Scripturas: & quod Chrysostomus alicubi dixit, Hinc omne malum, quòd Scripturæ ignorantur: cuius ipsi contrarium in ore habent dicentes: Hinc omne malum, quòd Scripturę leguntur. Sed relictis illis redeamus ad Apostolum.

Sed per humilitatem animi, inquit, *alium quisque se præstantiorem existimet.*] Inanis gloriæ studio ταπεινοφροσύνῃ, id est animi submissionem opponit. Ea est de seipso non sublime & arroganter, de alijs uerò humiliter & abiectè, id quod proprium est inanis gloriæ: sed per inuersionem de seipso sentire humiliter & submisse, de alijs uerò magnificè & honestè. Qui sic animati sunt, non quærunt ut alijs ipsi sentiendo præeant, nec grauantur aliorum sententiam sequi, modò cognoscant illius ueritatem: qui uerò inanis gloriæ studio laborant, illi prorsus contrario modo dedignantur sentire cum alijs, ne sint inglorij, & in

turba

turba idem ſentiendum, obſcuri: ſed connituntur potius ut cum ipſis ſentiant alij, ſintq; ipſi ſententiæ alicuius authores, adeoq; cæteris conſentientibus præſtantiores ac nominatiores.

Non dicit ſimpliciter, Per humilitatem. Sunt enim multæ humilitatis ſpecies, quarum nulla ad id conducit, quod quæritur. Eſt humilitas rei domeſticæ, eſt generis, eſt fortunæ, eſt conditionis, eſt conuerſationis, eſt uerborum, eſt ueſtium, eſt geſtuum. Nullam iſtarũ ponit, quia nulla ex illis eſt cui nequeat eſſe coniuncta inanis gloriæ affectatio & ὑψηλοφροσύνη, per quam impeditur uerus ac legitimus in Eccleſia conſenſus. Notanter itaq; ταπεινοφροσύνην ponit, per quam ſolam omnis uanæ gloriæ ambitio & arrogãtia excluditur, animiq; fidelium ad ueram conſenſionem accommodantur. Quòd ſe Rom. Pont. ſeruum ſeruorum Dei uocat, ταπεινολογία quidem eſt, ſed non ταπεινοφροσύνη. Nam iudicat ſe omnibus alijs in uniuerſum eſſe ſuperiorem & excellentiorem: ideoq; citius cœlum terræ mixturus eſt, quàm de primatus ſui ambitione quicquam remiſſurus.

Alium quiſq; ſe præſtantiorem exiſtimet.] Non dicit, ἄλλον ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν, id eſt, Alios præſtantiores uobis exiſtimate: ne uideatur hæc animi humilitas inferioris tantum ordinis hominibus præſcribi, qua potiores pro excellentioribus habeant ac uenerentur: unde præſtãtioribus competat, ut uulgares Chriſtianos inferiores ſe eſſe iudicent, id quod à quouis ſeculariter perito doceri poteſt. Apoſtolus non talem ταπεινοφροσύνην docet, quæ ſit ex humilitate ſtatus, conditionis & fortunæ, ſed ex ſpiritu Chriſti: pertineatq; non ad ſolos plebeios & obſcuros, ſed ad omnes in uniuerſum Chriſtianos, cuiuſcunq; tandem ſint ſtatus & cõditionis. Vnde notanter dicit, ἀλλὰ τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν: id eſt, ſed per humilitatem animi alius alium excellentiorem ſe exiſtimet. Cum dicit, Alius alium, uel, ut Vulgata editio habet, Inuicem: requirit talem animi humilitatem, qua & ego quoſuis alios mihi præferã, pluriſq; quàm meipſum faciã: & uiciſsim omnes alij de me præclarius quiſq; quàm de ſeipſis ſentiant. Sic inter Chriſtianos unuſquiſq; eſt & humilis & excelſus. Humilis ſuoipſius, excelſus aliorũ iudicio ac ſenſu: atq; ita humiles ſunt omnes, & excelſi omnes. Hic nemo peccator eſt, ſed iuſti omnes: ac rurſus nemo iuſtus, ſed peccatores omnes. Iuſti omnes non ſuo, ſed aliorum: rurſus peccatores omnes non aliorum, ſed ſuo quiſq; iudicio. Nemo hic cæteros dignitate excellit, ſed excellitur quiſq; ab omnibus, ſua ipſius exiſtimatione: uiciſsim nemo excellitur ab alijs, ſed excellit alios, ipſorum iudicio. Obſecro, cum in Synodis diſceptant inter ſe prælati, quo quiſque loco pro prælaturæ ſuæ dignitate ſedere debeat: quo nam loco ſedet inter illos iſta animi humilitas, qua alius alium excellentiorem ſe exiſtimet? Si hac prædíti eſſent, diſceptarent potius ſinguli, non ut ſublimius, ſed ut inferius ſederent.

Caro hic argutula dicit: Quid ſi non ſint cæteri me præſtantiores? Quomodo conuenit ut ſentiam id quod reuera non eſt? An debeo hoc facere per ignorantiam, qua nec meipſum nec alios cognoſcam? At eiuſmodi ignorantia non competit ulli homini, nedum Chriſtiano. An ſcienter ac prudenter? At ſic ſentire quod uerum non eſſe ſcio, quid aliud eſt quàm bonum dicere malum, & malum bonum, contra meam ipſius conſcientiam? Quanto itaq; ſatius eſt, ut & meipſum & alios cognoſcam, & qualis quiſq; reuera eſt, talite: de illo ſentiam?

Reſpondeo. Non hoc quæritur ab Apoſtolo, ut pro animi humilitate ψυλοφροσύνη utamur, & exuidentibus cæci reddamur. Etiamſi ſcias te eſſe doctiorem, potentiorem, ditiorem, uel etiam nominatiorem, & ſecundum externum ſtatum præſtantiorem cæteris: ſcire tamen nõ poteris, eſſe te illis meliorem, iuſtiorem, ac coram Deo acceptiorem. Hic nihil ſcienter contra conſcientiam tuam feceris, ſi qualis qualis ipſe exiſtas, cæteros te iuſtiores ac meliores eſſe iudicaueris. Etſi fieri quoq; poſsit, ut ſis etiam melior cæteris: de hoc tamen non tibijpſi cum Phariſæo iudicium ſumere, ſed cum primis Deo, deinde & cæteris permittere debes. Non enim qui ſemetipſe commendat, ſed qui commendatur à Deo, probatus eſt. Si iudicandũ tibi fuiſſet inter Phariſæum & publicanum, uter iuſtus in domum ſuam reuerſurus eſſet, pronunciaſſes utiq; non pro publicano, ſed pro Phariſæo. Verùm quàm eo iudicio erraſſes, Dominica ſententia teſtatur, qua pronunciatum eſt pro publicano, non pro Phariſæo.

Adhuc dixerit quiſquam: Inter Chriſtianos ſunt coniuges, ſunt parentes ac liberi, ſunt magiſtratus & ſubditi, ſunt domini ac ſerui, ſunt præceptores ac diſcipuli. Hic conuenit quidem, ut uxor præferat ſibi maritum ſuum, liberi parentes, ſubditi magiſtratum, ſeruus dominum, diſcipulus præceptorem ſuum: uerùm non ita uiciſsim conuenit, ut maritus uxorem ſuã, pater filium, magiſtratus ſubditum, dominus ſeruum, & præceptor diſcipulum, contempta ſtatus ſui dignitate quàm à Deo accepit, & contra ordinem diuinitùs conſtitutum, ſe putet eſſe excellẽtiorem. Quid enim hinc naſceretur aliud, quàm inferẽda rerum humanarũ confuſio?

Reſpondeo. Neq; hoc ſpectatur ab Apoſtolo: ſed ea ſimpliciter animi quæritur ſubmiſsio, qua nemo ſeipſe præferat alijs: ſed citius quiſque pluris faciat alios, quàm ſemetipſum. Hic non eſt locus conſiderandis humanarum rerum ſtatibus, ut ſecundum illorum præſtantiam de nobis & alijs iudicemus: ſed ſiſtere debet ſeipſum quiſque iudicio Dei, ac de ſeipſo iudicare non iuxta præſtantiam quam habet in ſeculo, ſed ſecundum naturæ ſuæ deprauationem, qua omnis homo ipſa eſt uanitas. Non eſt hic cogitandum, marito, patri, principi, domino ac

no ac præceptori, quis sit secundum status sui præstantiam: sed quis sit in seipso secundum naturæ suæ uilitatem, idq; in conspectu Dei. Deinde quoniam fieri potest ut melior sit corã Deo uxor quàm maritus, filius quàm pater, subditus quàm princeps, seruus quàm dominus, discipulus quàm præceptor, etiamsi id nondum sit manifestum: conuenit tamen, ut Christianus maritus hac in re sibi præferat uxorem, pater filium, princeps subditum, &c. Melior & excellentior est inter Christianos, non qui externo statu & ordine, aut sciẽtia & potẽtia: sed qui fide in Christum, dilectione, patientia, animi submissione, timore Dei, studio benefaciendi, cæteris est coram Deo præstantior. Hic etiam qui iusti sunt, rectè per animi submissionem cęteros se iustiores ac meliores esse iudicant, licet ipsi cæteros excellant. Dubio procul publicanus prę ferebat sibi Pharisæum, quo tamẽ ipse multo erat iustior. Gratus est Deo hic error, quo cauetur, ne glorietur & insolescat coram illo caro nostra, ne ue fratres contemnantur, & omne genus malorum in Ecclesias introducatur.

Quomodo, inquies, puniet princeps subditum, & pater filium, si cogitat & putat eũ se esse meliorem? Qua fronte qui se iudicat esse deteriorem, castigabit eũ, quem se existimat esse meliorem? Respondeo. Castigabit eum non ut melior Christianus deteriorem, aut ut iustus peccatorem: sed ut princeps ac iudex flagitiosum, & ut pater filium delinquentẽ. Interea cogitabit, multo se in conspectu Dei digniorem esse plagis. Et hac cogitatione admonebitur, ut castiget non dedignanter ac seuerius, sed cum dolore, & communis infirmitatis commiseratione. Philosophia hæc, uerè Apostolica & Christiana, ridicula quidem est in oculis mundi: uerùm ad Christianam religionem ac salutem summoperè necessaria.

Ne sua quisq; spectetis, inquit, sed unusquisq; quæ sunt aliorum.] Quorsum hoc adiecit? Quia fieri nõ potest ut alios nobis ducamus excellentiores esse ac præstãtiores, donec nostras uirtutes spectamus, ad aliorum uerò cæci sumus. Pharisæus non spectabat in publicano ueræ resipiscentiæ, confessionis, humilitatis & contritionis uirtutes: sed sua ipsius ieiunia, sabbatha, & decimas, ideoque illum sibi longè postponebat. Qui suijpsius admirator est, quid facit aliud quàm quòd alios prę se fastidit? Quare non frustra admonet Apostolus, ne sua quisq;, sed quæ aliorum sunt spectemus. Et Christus: Nesciat sinistra tua, inquit, quod facit dextera tua. Usq; adeò non uult, ut quæ nostra ipsorum sunt spectemus.

Dices: Atqui non uetat Apostolus, ne sua quisq;, sed ne sua tantum spectet. Neq; enim simpliciter dicit, Ne sua quisq; spectetis: sed adijcit, ἀλλὰ καὶ τὰ ἑτέρων: id est, sed etiam quę sunt aliorum. Cum dicit, Sed etiam quæ sunt aliorum: satis indicat, non prohibere se ne nostra spectemus: sed ne nostra tantum, & non etiam aliorum, consideremus.

Respondeo. Sic loquens, non concedit: ut nostras uirtutes spectemus sed uetat, ne quod facimus, faciamus. Solemus autem neglectis fratrum uirtutibus, nostras tantum spectare. Id reprehendens dicit, Sed etiam quæ sunt aliorum. Si dicas, Nemo suam iusticiam spectet & iactet, sed etiam aliorum: ex eo non poterit rectè colligi, quòd liceat nobis nostrã spectare ac iactare iusticiã, modò non tantum nostrã, sed & aliorum spectemus ac iactemus. Nam hac in re dupliciter peccamus. Primò, facientes quod Deo displicet: deinde omittentes, quod illi placet. Peccamus, quæ nostra sunt spectantes: peccamus etiam, quòd nostra tantum spectantes, de aliorum uirtutibus ne cogitamus quidem.

Adhuc dices: Quomodo non licet ut mea spectem, cũ hic idem Apostolus Gal. 6. moneat, ut meipsum considerem? Quid est considerare meipsum, quàm quæ mea sunt spectare?

Respondeo. Hic loquitur de uirtutibus, illic de propria infirmitate & uitijs. Quod uirtutũ respectum attinet, ibi non nostras, sed quæ fratrum sunt spectare, illasque plurimi facere & commendare, ad nostras uerò prorsus cæcutire iubemur. Quod uerò uitia spectanda concernit, ibi oculos non ad aliena, sed ad nostra ipsorum intendere debemus. Hic locum non habet præsens Apostoli admonitio, sed contraria potius, qua moneamur, ne aliorum quisq;, sed quę sua sunt spectemus ac dijudicemus. Et hac annotatione nihil derogamus illorum officio qui superiores sunt, & in hoc ordinati, ut peccantium delicta corrigant.

Is enim affectus sit in uobis, qui fuit & in Christo Iesu: qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo: sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo: humilem prębuit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & Deus illum in summam extulit sublimitatem, ac donauit illi nomen quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat, cœlestium ac terrestrium & infernorum, omnisq; lingua confitetur quòd Dominus sit Iesus Christus, ad gloriam Dei patris.

Multa uis est exempli, qua de re & aliàs monui. Quod igitur hactenus suis uerbis de humilitate animi hortatus est: iam consequenter subiecto exemplo non modò illustrat, sed & magis ac magis confirmat & commendat. Poterat id facere uel suo ipsius exemplo, uel alio

quopiam

quòpiã ex antiquis patrib. aut prophetis ſumpto: uerùm quoniã & difficilis eſt carni iſta humilitas: & parum æquum uidetur, non quæ noſtra, ſed quæ aliorũ ſunt ſpectare: adfert in medium eius rei exemplum nõ uulgare, ſed quod & manifeſtum ſit & clariſsimum, ac tale inter Chriſtianos, ut nulla amplius permittatur carni ratio, qua imitationẽ illius abſq; pudore detrectare queat. Sic ipſius Chriſti exemplum proponens dicit:

Is enim affectus ſit in uobis, qui fuit & in Chriſto Ieſu.] Græcè eſt: τοῦτο γὰρ φρονείσθω ἐν ὑμῖν, ὃ καὶ ἐν χριστῷ ἰησοῦ. Hoc eſt: Id enim ſentiatur in uobis, quòd & in Chriſto Ieſu. Vel, Id enim ſentiat: intellige quilibet, inter uos. Verùm qnoniã non ſequitur, ὃ καὶ χριστὸς ἰησοῦς: id eſt, quod & Chriſtus Ieſus, puta ſenſit: ſed, ὃ καὶ ἐν χριστῷ ἰησοῦ: id eſt, quod & in Chriſto Ieſu: exiſtimo ſatius eſſe ut legamus, Hoc enim ſentiatur in uobis, quod & in Chriſto Ieſu, intellige, ſentiebatur.

Videtur autem uocula rationalis γάρ, id eſt enim, parum pertinenter hoc loco poſita: unde & omiſit eã Germanicus interpres. Cõuenientius fuiſſe uidetur, ſi dixiſſet, Hoc igitur: quàm, Hoc enim ſentiatur in uobis. Habet enim ea uocula ἀντιλογίαν. Haud autem uidentur hæc uerba rationem reddere, ob quam debeamus non quæ noſtra, ſed quæ aliorum ſunt ſpectare: ſed magis exemplum proponere, quo admoneamur, ut quod Chriſtus fecit, nos quoq; faciamus. Verùm omnino eſt hęc rationalis uocula conſulto ac data opera poſita. Significat enim ob id potiſsimum debere nos non quæ noſtra, ſed quæ aliorũ ſunt ſpectare, quòd Dominus & caput noſtrum, unigenitus Dei Chriſtus, idem, idq; noſtri gratia, fecit: ad cuius imitationẽ tanquam membra corporis illius, & eodem cum ipſo ſpiritu præditi, non ſimus admonendi & inuitandi tantum, ſed reipſa teneamur & aſtringamur: culpabiles futuri, ſi diuerſimodè ab illo animati fuerimus. Quare quòd dicit, Hoc enim φρονείσθω ἐν ὑμῖν: idem eſt quod, Hoc enim ſentiri debet, uel Sentiendum eſt, in uobis, quod & in Chriſto Ieſu. Sanè omnino ſic eſt comparata communicatio illa, qua Chriſto iuncti ſumus, ut idem ſentiendum ſit nobis cum illo, niſi degeneres ſimus. Vt ſit ſenſus: Etenim ſi Chriſti ſumus, & agit in nobis ſpiritus Chriſti, non debemus ſentire inter nos quod ſentitur inter filios huius ſeculi: ſed imitari & exprimere eũ ſenſum, qui fuit in capite noſtro Ieſu Chriſto.

Sit itaq; ſententia hæc altiſsimè cordibus noſtris infixa, & habeatur pro catholico omniũ Chriſtianorum canone, debere nos uidelicet ſentire inter nos & animari conformiter cum Chriſto Ieſu: nec dubitare hoc nos ueriores ac germaniores eſſe Chriſtianos, quo cordibus ac ſenſibus noſtris Chriſto Domino capiti noſtro ſumus conformiores: hoc uerò alieniores ab illo, quo longius ab hac conformitate ſenſuum diſceſſerimus.

Qui cum eſſet, inquit, *in forma Dei, non rapinam arbitratus eſt, ut eſſet æqualis Deo: ſed ſemetipſum inaniuit.*] Exponit de quo affectu Chriſti loquatur, quem imitari debeamus. Is autem eſt ueræ humilitatis ac ſubmiſsionis, prorſus κενοδοξίᾳ contrarius, à qua nos omnes dehortatur. Quoniam ille incomparabilis apparuit in Chriſto, non ſimpliciter eum proponit: ſed cum competenti amplificatione, ac tali, quæ omnem omnibus quantumuis in ſublimitate conſtitutis excuſationem adimere ualeat.

Eſt autem totus hic contextus tribus partibus comprehenſus, quibus exemplum Chriſti illuſtratur. Prima continet, unde ſe: ſecunda quouſq;, humiliauerit Chriſtus: tertia, quouſque exaltatus ſit à patre. Vnde ſe humiliauerit, in eo exponit Apoſtolus quòd dicit: Qui cũ in forma Dei eſſet. Quouſq; uerò, in eo proponit quod dicit: Non rapinam arbitratus eſt, eſſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum inaniuit forma ſerui ſumpta, &c. Quomodo autem & quouſq; exaltatus ſit à Deo, conſequenter declarat dicens: Quapropter & Deus illum in ſummam extulit ſublimitatem, &c. Videamus ſingula ex ordine.

Qui cum eſſet, inquit, *in forma Dei.*] Græcè eſt, ὃς ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων: id eſt, Qui in forma Dei exiſtens. quòd æquè uerti poteſt: Qui cum in forma Dei ſit, atq;, Qui cum in forma Dei eſſet. Placet tamen ut cum interpretibus legamus, Qui cum in forma Dei eſſet.

Exponitur autem hæc particula bifariam. Nam alij referunt eã ad diuinitatem uerbi, nondum incarnati: alij uerò ad totum Chriſtum, Deum uidelicet & hominem. Priorem ſententiã tenet Auguſtinus lib. 1. de Trinitate, cap. 7. ſic dicens: Eſt ergo Dei filius Deo pater, natura æqualis, habitu minor. In forma enim ſerui, quam accepit, minor eſt patre: in forma autem Dei, in qua erat etiam antequam hanc accepiſſet, æqualis eſt patri. In forma Dei uerbum erat, per quod facta ſunt omnia: in forma autem ſerui factus ex muliere, factus ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret. Proinde in forma Dei fecit hominẽ, in forma ſerui factus eſt homo, &c. Sententiam hanc pleriq; cùm ueterum tum recentiorum ſequuntur. Poſteriorẽ ſequitur Ambroſius, ſic exponens: Qui cum in forma Dei eſſet, inter homines utiq; conuerſatus, geſtis & operib. apparebat eſſe Deus. Forma enim Dei nihil differt à Deo. Et aliquãto poſt: Dei enim filius homo natus, ſic in forma Dei erat, quia cum homo uideretur, opera Dei faciebat: ut in geſtis rebus appareret Deus eſſe, qui tantum homo eſſe putabatur. Opera enim formã ſignificabant, ut quia opera eius non utiq; hominis opera ſunt, hic qui in opere uel forma Dei erat, Deus intelligeretur. Forma enim Dei quid eſt, niſi exemplum quo Deus apparet, dum mortuos excitat, ſurdis reddit auditum, leproſos mundat, &c. Hæc ille. Quomodocunq; accipiamus,

mus,omnino constat formam Dei uocari imaginem,maiestatem, splendorem ac gloriam diuinæ naturæ, quæ nulli potest cõpetere creaturæ. Aliàs formam Deus non habet, quia spiritus est. forma diuinitatis illius est in omni sapientia, potentia,bonitate,in rerum omniũ creatione,conseruatione ac gubernatione relucente.

Obseruandum autem est, quomodo loquatur Apostolus. Is enim affectus sit in uobis,inquit, qui fuit & in Christo Iesu : qui cum esset in forma Dei. Poterat dicere,Qui fuit in uerbo Dei,quod cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratum est, æquale esse Deo,&c. Verùm sic loquendo,uisus fuisset diuinitatem uerbi, per omne illud tempus quod incarnationem illius præcesserit,data opera separare à Christo, atq; ita non quadraret Christo humiliationis huius exemplum,quod in illo nobis spectandum & imitandũ proponit. Quare consultius multo erat ut diceret: Is enim affectus sit in uobis, qui fuit & in Christo Iesu, qui cũ in forma Dei esset,non rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo. Sic enim loquẽdo, Christum nobis proponit non temporarium, sed æternum, qui non demum incarnationis tempore cœperit,in quo Iesus uocatus est:sed semper,hodie,heri, & in sempiternum extiterit.quò pertinet,quod ad Iudæos dixit:Antequam Abraham fieret,ego sum. Cum uerbo suo Deus mundum conderet, condidit illum per Christum. Cum ante mundum in principio apud Deum esset uerbũ, Christus erat apud Deum. Hæc est communicatio idiomatum uerbi & carnis, Dei & hominis in Christo, per quam nobis totus in utraq; natura Christus considerandus proponitur.

Quid est autem quòd non dicit, Qui cum esset Deus:uel,Qui cum esset in essentia ac natura Dei:sed,Qui cum esset in forma Dei ? Tribuit ne Christo formam duntaxat Dei,sine ueritate diuinæ naturæ & essentiæ ? Absit. Exemplum quod nobis in Christo proponit,situm est non in essentiæ, sed formæ diuinæ inanitione : quæ per incarnationem uerbi,ac dispensationem salutis nostræ facta est, in qua magis sub forma serui quàm sub forma Domini ac Dei, inter homines conuersari uoluit. Ea submissio non fuit inanitio diuinæ naturæ & essentiæ, sed formæ tantum.Nam etiam sub forma serui mansit uera in Christo diuinæ naturę essentia. Finge Regis cuiusdam primogenitum filium tempore belli aliquandiu formã regiæ Maiestatis exuere, & formam serui uel gregarij alicuius militis induere, inq; illa seruire reliquis omnibus.De illo non rectè dixeris:Is affectus sit in uobis, qui fuit in Regis nostri filio, qui cũ natura esset Regis filius,inaniuit semetipsum factus seruus. Neque enim tali facto Regius filius regiam originis suæ prærogatiuam abijceret, sed formam tantum Regiæ maiestatis per formam serui ad tempus obnubilaret. Consimili modo & de Christo non rectè diceret Apostolus:Qui cum esset in natura & essentia Dei, inaniuit semetipsum: quandoquidem non naturã & essentiam, sed formam tantum diuinitatis Christus homo factus ac forma serui assumpta inaniuit,manens interea quod natura erat. Quare damnabilis prorsus est cæcitas & impietas hæreticorum,qui uerba Apostoli à proposito illius detorquentes,ueram in Christo diuinitatis naturam & essentiam propter dictionem Formæ negant.

Non rapinam arbitratus est, inquit, *ut esset æqualis Deo.*] Græcè est, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, τὸ εἶναι ἴσα θεῷ: id est,Non rapinam arbitratus est,æqualem esse Deo. Vulgata editio habet: esse se æqualẽ Deo.Incipit exponere humilitatem ac submissionem Christi. Primùm autẽ negat illum fuisse auidum diuini honoris, gloriæ ac magnificentiæ.Hoc expressurus dicit:Non rapinam arbitratus est,æqualem esse Deo.q.d. Quamuis esset in forma Dei, posset; æqualem se Deo præstare ac gerere:usq; adeò tamen non fuit appetens diuinæ gloriæ, ut haudquaquam rapiendã eam esse duceret,etiamsi ad illam nonnisi interueniente raptu pertingere posset. Hoc sensu, æqualitatem Dei non arbitrari rapinam, est eã non appetere, neq; habere pro tali quæ sit auidè rapienda.In raptu est auiditas. Quæ rapimus,magna auiditate appetimus, inuadimus,nobis uindicamus, mordicus retinemus, nec facilè auferri nobis patimur. Aequalitatem Dei raptuit satan, similis esse cupiens altissimo. supremum in Ecclesia honorem, imò æqualitatem Christi rapinam arbitratus est Romanus pontifex, ideoq; rapuit ad se primatum: quẽ sic mordicus retinet, ut citius sit subuersurus Ecclesias omnes, & totum orbem sanguine inundaturus,quàm illum resignaturus.

Sunt ex nostris qui sic legant, Non rapinam arbitratus esset, Deo æqualis esse.ut sit sensus:Licitè poterat æqualis esse Deo, tanquam in forma Dei cõstitutus : & si talis apparuisset, non fuisset arbitratus æqualitatem hanc constare sibi ex rapina,cum habeat illam ex natura. Et tamen seipsum exinaniuit,forma serui accepta.

Chrysostomus exponit ad hunc modum: Quod rapuit quis,& præter congruum accepit, istud deponere non audet, ueritus ne pereat,ne excidat, sed perpetuò ipsum detinet:qui uerò naturalem quandam dignitatem habet, non ueretur descendere etiam ab illa,sciens quòd nihil tale passurus sit.Et aliquanto pòst: Quid ergo dicit? Quòd Dei filius non sit ueritus à dignitate sua descendere. Non enim rapinam arbitratus est diuinitatem,non timuit ne quis naturam aut dignitatem Dei sibi auferret, propterea & deposuit eam,securus quòd recepturus esset eam, dissimulauitq; eam,nihil ex eo imminuendum ratus.Propterea non dixit,Non rapuit:sed,Non rapinam arbitratus est.Non raptum habebat principatum,sed naturalem:non donatum,

donatum, ſed legitimum ac ſecurum. Propterea non contatur uel ſeruorum formam accipere, &c. Hæc ille.

Licet uerba ſint ſatis manifeſta, ſenſus tamen Apoſtoli non eſt adeò perſpicuus, ut mox quur hoc & quomodo dicat, poſsit intelligi. Quare cogimur uarias expoſitiones adferre in medium, ut habeat Lector quod eligat, & tanquam uero propius teneat. Dicam igitur, quid mihi uideatur. Poſtquam dixit fuiſſe Chriſtum in forma Dei, & iam expoſiturus eſſet, quomodo ſepoſita illa ſeſe exinaniuerit, & ad ſerui uſq; formã humiliauerit, ſciretq; uim exempli huius pendère non tam à facto quàm à cauſa facti: priuſquam factum exponeret, ſiniſtram ſuſpicionem reijcit, qua ſuſpicari poſſet incredulus, depoſuiſſe Chriſtum formam & æqualitatem Dei, propterea quòd cõuictus ſentiret ſe habere illam nullo iure, ſed ex furto ac rapto, ad quẽ modum ſatanæ cõſtitit ſuus principatus: ideoq; non habere factum Chriſti uirtutis alicuius & imitandæ humilitatis exemplum, ſed magis meritam reprehenſionẽ. Caro, ut eſt auida gloriæ, & iuſiurandum quoq; regni gratia frangendum eſſe cenſet, non facilè credit fieri poſſe, ut qui ſupremi honoris faſtigia legitimè poſsidet, ſponte ſua ſeſe ad formam ſerui demittat. Quare ubi de Chriſto prędicatur, quòd formam & ęqualitatem Dei accepta ea quę ſeruorum eſt depoſuerit, mox infert: Ergo illam ad ſe non pertinentem rapuerat, & deponere quam rapuerat coactus, iuſto Dei iudicio ad ima uſq; humiliatus eſt. Hanc cogitationem ſuggerit ille ſpiritus, qui honorem diuinitatis in mundo hoc rapuit, quem tandem cum ſempiterna confuſione ad ima æterni ignis deiectus amittet. Vnde erat, quòd miniſtri illius dicebant de Chriſto, In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia: niſi ex hac illius ſuggeſtione? q.d. Vnus eſt ex illis ſpiritibus, qui quoniam Deo pares eſſe uolebant, cœlitùs ſunt deiecti, ac cœleſti gloria priuati. Et hinc erat quòd Euah æqualitatem Dei rapere conata eſt, edendo de ligno uetito, quo fieret ſicut Deus. Crediderat enim mendaci ſpiritui diuini honoris raptori. Huic igitur ſuſpicioni mox initio occurrens, dicit: Non rapinam arbitratus eſt, eſſe æqualem Deo. Q.d. Cum eſſet in forma Dei, æqualitatem illius non ideo depoſuit, quòd illa inuitus, quaſi rapto acquiſita, priuatus ſit: uel quòd ſenſerit, conſtare eam ſibi ex rapto, ideoq; illam ultrò depoſuerit. Depoſuit iure legitimo & natura ad ſe pertinentẽ, idq; non coactus, ſed ſuapte ſponte. Hunc ſenſum puto propius ad mẽtem Apoſtoli accedere: unde & ſubdit, Sed ſemetipſum inaniuit, &c.

Vt eſſet æqualis Deo, inquit.] Poteſt legi, quòd erat æqualis Deo. Et ſic legendum eſt, ſi referatur ad id quod præceſsit, Qui cum eſſet in forma Dei: ut idem ſit, æqualem eſſe Deo, quod in forma eſſe Dei: & pertineat utrumq; ad diuinitatem uerbi, ante illius incarnationem. Si uerò legamus, Vt eſſet ęqualis Deo, ſicuti interpreti placuit: intelligendũ eſt de æqualitate Dei, quam declarare poterat Chriſtus in ſuſcepta diſpenſatione. Si hic ſenſus placet, erit ad hunc modum exponendus: Qui cum eſſet in forma Dei, poterat ſe ſecundum illam ſic gerere, ut in omnibus æqualem ſe Deo eſſe oſtenderet. Quòd autem id non fecit, non eſt ex eo, quòd iudicarit ſe raptum admiſſurum, ſi id faceret, quaſi honor ille ad ſe non pertineret. Abſit. Eſt enim unigenitus Dei, pari cum illo poteſtate ac gloria præditus. Quare alia cauſa eſt, propter quã, quod iure facere poterat, non fecit.

Quid ſit autem alicui æqualem eſſe, ſatis notum eſt. Non eſt eſſe eundem qui ille eſt, ſed parem. Filius eſt æqualis patri, ſed non idem qui pater. Alius enim eſt pater, alius filius. Deinde inter homines & res alias creatas, alia eſt imperfecta æqualitas, alia perfecta. Imperfecta, qua ex parte tantum: perfecta uerò, qua per omnia alius eſt alij æqualis. In perſonis uerò S. Triadis non eſt imperfecta, ſed plena ac perfecta. Aequalis eſt filius patri per omnia, eſſentia, natura, æternitate, immenſitate, bonitate, iuſticia, ſcientia, omnipotentia, ſapientia, poteſtate, dominatu, & operatione.

Nec eſt ut dicat Arianus quiſquam, Quomodo filius per omnia ſit æqualis patri: cum ipſe Ioan. 14. dicat, Pater maior: me eſt. Si maior filio eſt pater, quomodo filius per omnia æqualis ſit patri. In forma Dei, in qua erat ante incarnationem, per omnia eſt æqualis patri: in forma uerò ſerui minor eſt patre, imò & ſeipſo, ut cum Auguſtino loquar: quemadmodum & in forma Dei æqualis exiſtens patri, maior eſt ſeipſo.

Sed ſemetipſum inaniuit, inquit.] Hactenus expoſuit breuiter, quid Chriſtus in ſuprema celſitudine, forma Dei uidelicet conſtitutus, non fecerit, quod tamen iure ſuo facere potuiſſet: iã ſubijcit quid fecerit, in quo ſita eſt exempli huius forma, omnibus Chriſtianis ad imitandum propoſita. Sed ſemetipſum, inquit, inaniuit, forma ſerui ſumpta. Non dicit, Sed de celſitudine ſua, de potentia ſua, de gloria ſua paululum remiſit: uel, multitudinem miniſtrorum ſuorum nonnihil reſtrinxit, de opibus ſuis parumper detriuit. ſed quid: Semetipſum, inquit, inaniuit, uel euacuauit. Græcè eſt, ἐκένωσεν. Quid ſibi retinet, qui nõ modò res ſuas in gratiã aliorũ, ſed & ſemetipſum impendit? Quando noſmetipſos euacuabimus in uſus fratrũ, qui ne de ijs quidem quæ extra nos ſunt, aliquid illis communicare ſuſtinemus? imò, quod adhuc deterius & diuerſum prorſus ac contrariũ eſt exemplo Chriſti, qui in eo magis ſumus ut fratres noſtros ſpoliemus & euacuemus, quo nos impleamur, quàm ut noſmetipſos ad implendum illos

uacuos & inanes reddamus? Quomodo autē inaniuit ſemetipſum Chriſtus? An quod erat non manſit, ſed prorſus amiſit? Erat æqualis patri eſſentia & natura. An æqualitatem hanc uerę diuinitatis abiecit, ut iam nec Deus eſſet, nec aliud quicquam niſi quædam euacuatæ ſubſtantiæ inanitas? Abſit. Quod erat eſſentia & natura manſit, formam uerò diuinitatis ad tempus humiliauit ac diſsimulauit.

Dixerit hic quiſquam. Quomodo ſemetipſum inaniuiſſe dicitur ab Apoſtolo, cū Ioannes de illo cap. 1. dicat: Et uerbum caro factum eſt, & habitauit in nobis (& conſpeximus gloriam eius, gloriam uelut unigeniti à patre) plenum gratia & ueritate. & paulo poſt: Et de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia. Si uerbum incarnatum plenum gratia & ueritate apparuit, ut reuera apparuit, & de plenitudine illius nos omnes accepimus gratiam pro gratia, quomodo exinaniuit & euacuauit ſemetipſum?

Reſpondeo. Non ſic inaniuit ſemetipſum, ut inanis & uacuus ad nos miſeros & omnium pauperrimos ueniret in mundum. Euacuauit ſemetipſum, dum immenſam diuinæ gloriæ & magnificentiæ maieſtatem ad tempus obnubilauit. interea uerò bonitatem, miſericordiam, gratiam & prouidentiam diuinam ac cœleſtem non abiecit: ſed in nos effudit, ut inanitatem noſtram ac paupertatem diuitijs ſuis adimpleret. Pauper pro nobis factus eſt in mundo, ut nos diuites redderet in cœlo. Inanitio ipſius, noſtri eſt adimpletio. Quare non ſunt contraria de Chriſto Pauli & Ioannis teſtimonia, ſi rectè intelligantur, & uerba illorum non ultra propoſitum diuexentur.

Forma ſerui ſumpta, inquit.] Quouſq; inanierit ſemetipſum Chriſtus, hac particula exprimitur: A forma Dei: uidelicet uſq; ad formam ſerui. formam forma mutauit, diuinam & dominicam in humanam & ſeruilem inaniuit. Quantum diſcriminis autem ſit inter immenſam formæ Dei ſublimitatem, & inanem formæ ſerui humilitatem, ne angeli quidem, nedum humanæ mentis ſtupiditas capere poterunt. Dum ſerui formam aſſumpſit, hoc ipſo formā Dei inaniuit. Quid eſt ſeruus, Deo deorum ac Domino dominantium comparatus? Sumpſiſſet ſaltem formam angeli: quo facto, haud prorſus ſeſe inaniuiſſe uideretur. Sunt quidem & angeli ſerui Dei: ſed audi, qualis ſerui formam ſumpſerit.

In ſimilitudine hominum conſtitutus, inquit, & figura repertus ut homo.] Ergo homo factus, ſerui formam aſſumpſit. Non eſt autem ocioſum, quòd non ſimpliciter dicit, Homo factus: ſed, In ſimilitudine hominum conſtitutus, & figura repertus ut homo. Poterat naturam humanam ſic aſſumere, ut longè ſe præſtantiorem in omni uita & conuerſatione, quàm humanæ imbecillitatis conditio communiter in omnibus eſt mortalibus comparata, gereret & oſtenderet: & interim quod naturam attinet, nihilo ſecius uerus homo eſſet. Verùm non ſolum naturam noſtram aſſumpſit, ſed & externam communis infirmitatis noſtræ neceſsitatem ac uitam, ut ne in illa quidem diſsimilis ac diuerſus à nobis eſſet. Conceptus eſt in utero matris, in illo nouē mēſium ſpacio delituit. quo completo natus eſt, & linteis inuolutus, more infantiū materno lacte enutritus, puer parentibus obediuit, eſurijt, ſitiuit, comedit ac bibit, dormiuit, laborādo fatigatus eſt, & inter homines humano more conuerſatus paſsiones ac mortem cum dolore & horrore ſuſtinuit. Hoc uidelicet pacto non modò in natura, ſed & in ſimilitudine hominū conſtitutus, & in figura ut homo repertus eſt. Hoc ſenſu Apoſtolus ſimilitudinem ac figuram hominum Chriſto tribuit: longè alienus ab illorum impietate, qui dictionibus iſtis ueritatē humanæ naturæ excludi, & inane duntaxat hominis ſpectrum ſtatui ſentiunt.

Et figura repertus ut homo, inquit.] In Græco non eſt τυπὸς, ſed σχῆμα, qua uoce Apoſtolus 1. Cor. 7. quoq; uſus eſt, dicens: παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου: ubi Eraſmus uertit, Præterit enim habitus mundi huius: ad quem modum hic quoq; uerti poterat. Loquitur enim hic, perinde atq; illic, non de figura corporis, ſed de conuerſatione uitæ humanæ, in qua ſic ſe geſsit Chriſtus, ut reipſa uerus homo alijs mortalibus ſimilis ſit repertus: hoc eſt, certis & euidentibus experimentis deprehenſus ac cognitus. Metaphora eſt in uoce εὑρεθὲις, ſumpta ab ijs reb. quæ ſtudioſe quæſitæ certò reperiuntur, & quales ſint cognoſcuntur. quo ſenſu & nos Germani utimur cum dicimus, Es *hat ſich erfunden: und*, Es *wūrt ſich finden*.

Nec impedit hunc ſenſum uocula ὡς, id eſt ſicut, tanquā, quaſi, uelut: quantumuis illā pro ſua impietate ſtabiliēda citēt Marcionitę: quaſi per illā probari queat, inuētū eſſe Chriſtū nō uerè hominē, ſed uelut hominē, propter hominis ſimilitudinem. Non obſeruant mentē Apoſtoli, quæ in eo eſt, ut aſſerat Chriſtum ſic aſſumpſiſſe formam ſerui, & in ſimilitudine hominum eſſe factum, inq; illa humano more conuerſatum: ut certò ſit ac euidenter deprehenſus, quòd uerè ſit homo. Quod enim dicit, Et habitu repertus ut homo: perinde eſt ac ſi dicturus eſſet, aliquem certo experimento deprehenſum quòd ſit uir bonus. dicas illum repertum eſſe ut uirum bonum. qua loquutione ſatis indicas, eſſe eū talem deprehenſum, de quo nihil poſſit eſſe dubij, quin ſit reuera uir bonus. Cōſimilem planè ſenſum & præſens hęc habet loquutio, qua Chriſtum Apoſtolus habitu ut hominem repertum eſſe dicit.

Apparet autem eſſe ueroſimile, illud, In ſimilitudine hominum factus, ad humani corporis pertinere effigiem: & quod ſequitur, Et habitu repertus ut homo, de externa uitę morum, & actorum

& actorum conuersatione esse dictum: ut intelligamus Christum & factum esse in effigie hominum, & repertum habitu uitæ, quemadmodum alij homines reperiuntur. Nam hisce duobus ueluti argumentis cognoscitur homo: si & forma corporis similis sit hominibus, & habitu morum totiusq; uitæ reperiatur ut homo.

In similitudine hac & habitu hominis nihil loci habet peccatū, quòd ut ad naturam, ita & ad similitudinem & habitum hominis non pertinet: sed magis ad schema diaboli. Quare per se patet, non esse illud à Christo assumptum, cùm similitudinem ac habitū hominis assumpsit. Assumpsit quod creatum est à Deo per ipsum: non quòd subintroductum est à diabolo, & carni nostrę inditum. Vnde & Ebr. 4. cum dixisset, tentatum illum fuisse per omnia secundū similitudinem, nostri uidelicet: adiecit, Dempto peccato.

Humilem præbuit semetipsum, inquit.] Græcè est ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, id est humiliauit semetipsum. Respicit ad eam præcedētis adhortationis partem, qua dixit: Sed per humilitatem animi aliū quisq; se præstantiorem existimet. Humilitatis huius exemplum in Christo proponens dicit, Humiliauit semetipsum. Abundè multum humiliauit se Christus, dum Deus existens, homo factus est. Verùm ne cogites, si hominem esse, est humilem esse: satis humilis sum, dum & ipse homo sum: proponit in Christo non eam duntaxat humilitatem quæ est in homine, ut homine, sed & eam qua se homo factus adhuc demissius humiliauit. qua de mox subijcit, dicens: Factus obediens, &c.

Obserua uerò, quòd nō dicit, Humiliatus est: sed, Humiliauit semetipsum: quemadmodū nec suprà dixit Exinanitus est, sed exinaniuit semetipsum. Vt iterum atq; iterum inculcet, demissionem hanc & humiliationem haud accidisse Christo aliunde, præter animi ipsius sentētiam, sed ultrò ac sponte esse ab ipso factam. Proponit itaq; nobis non coactam, & aliunde nolentibus & inuitis illatam humilitatem: sed spontaneam ac uoluntariam, in corde nostro natam, qua non humiliemur ab alijs, sed humiliemus nosipsi.

Factus obediens, inquit, *usq; ad mortem, mortem autem crucis.*] A' suprema celsitudine, qua in forma Dei cōstitutus Christus Deo æqualis erat, ad infimum usq; humilitatis fundū descendit: dum nec immortalitatem sibi retinuit, quam Adam tamen in paradiso habere potuisset, si nō peccasset: sed ad mortem usq;, eamq; omniū probrosissimam, crucis uidelicet, se se demisit.

Obserua uerò quòd non simpliciter dicit, Humiliauit semetipsum usq; ad mortē: sed, Humiliauit semetipsum, factus obediēs usq; ad mortem. Sic unà cū singulari humilitate Christi, singularem etiam illius obedientiam cōmendat. Et ea demum uerè Christiana humilitas est, quæ coniunctam habet ueram obediētiam erga uoluntatem Dei: non quæ uerbis iactatur, & deformatis cùm gestibus tum indumentis ostentatur, qualem monachorum esse uidemus.

Non dicit autem, Factus obediens ad moriendum: sed, Factus obediens usq; ad mortem. Obedientia Christi non in morte tantum, sed & in omni uita carnis ipsius declarata est: Non ueni, inquit, ut faciam uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui misit me. Et: Qui me misit, mecū est, & non relinquit me solum, quia ego quæ placata sunt ei facio semper. Perfectio autem illius in eo exprimitur, quòd non in quibusdam, & ex parte tantum, sed in omnibus, etiā ad mortem usq; patri obediens fuit. Hic enim extremus est obedientiæ terminus, ad quē non pertingit, nisi qui in omnibus est ad obediendum uoluntati Dei paratus: seq; totum abnegauit, & ad seruiendum illi per omnia dedidit. Et hæc demū est forma illa serui, quam posita forma Dei Christus assumpsit. de quo uaticinium extat Esaiæ 42. Ecce seruus meus, sustentabo eum, electus meus, beneplacitum animæ meæ: dabo spiritum meum super ipsum, iudicium gentibus proferet, &c. Vide Matth. 12. *Iohan. 6.8.*

Mortem autem crucis, inquit.] Obediens patri non modò mortuus est pro nobis, ut nos à morte redimeret: sed & in cruce mortuus est. Ergo uolūtas patris fuit, ut nō simpliciter quouis genere mortis, sed morte crucis moreretur. At in cruce erat maledictio. Lex enim eū qui pendet in ligno, maledictum esse pronunciat, Deut. 21. Voluit ergo Deus filium suum non solum mori, sed & maledictum fieri pro nobis. Cur id uoluerit, uidere est Gal. 3. ubi sic legimus: Christus nos redemit à maledictione legis, dum pro nobis factus est maledictio (scriptū est enim, Maledictus omnis qui pendet in ligno) ut in gentes benedictio Abrahæ ueniret per Christum Iesum, ut promissionem spiritus acciperemus per fidem. Quæ hac in re notanda sint, uide in Cōmentarijs nostris super Ephes. & ad Galatas.

Hactenus exposuit unde se Christus, & quousq; humiliauerit: in quibus duæ priores præsentis contextus partes, quemadmodum & suprà diximus, cōtinentur. colligamus iam, quæ insint huic exemplo Christi, nobis ad imitandum proposita. Principiò, multum refert quo sit in statu, qui sic se humiliat, ut alios se iudicet esse præstantiores. Qui conditione est humili & obscura, ut nō habet occasionem superbiendi, seq; supra alios extollendi: ita non admodum in eo cōmendari potest, si se alijs iudicet esse inferiorem, quos præstantiores esse uidet: admodū uerò detestabilis est, si ne talis quidem existens, alienus à spiritu superbiæ reperitur. Quare proponitur nobis humilitas Christi, qui cum non esset uulgaris & humili conditione, sed omniū supremus, in forma Dei uidelicet constitutus, ac Deo æqualis, tantoperè se humiliauit,

miliauit, ut nemo inter mortales quãtumuis natalibus, uirtutibus, opibus & honoribus excellens eximi possit, quo minus ad exempli huius imitationem astringatur: nulloq; pacto excusari queat, si nõ & ipse alios se iudicat esse prestãtiores, spectatq; nõ sua, sed quæ sunt aliorũ.

Deinde, non est ut dicat qui cęteros excellit, Cur me infrà alios abijciã, qui me multo sunt inferiores? Præstantiam ac dignitatem quam habeo, non sum furto uel rapina consequutus, ut me illius pudêre debeat. Iure natalium, uel legitimis rationibus potitus sum hac prærogatiua, qua cęteros excello. Quisquis hoc dicit, respiciat ad exemplum Christi. Nec ille formã & æqualitatem Dei, in qua erat, furto uel rapina acquisierat, uel sic acquisitam arbitrabatur: sed sciebat se natura esse Deum, & tamẽ semetipsum exinaniuit, spectans non sua, sed quę nostram salutem concernebant.

Tertiò, Exinaniuit semetipsum, ut nos impleret. Sic & qui diuites sunt, ac dotibus prestantioribus ornati, semetipsos euacuare debent, ut alios impleant.

Quartò, sumpsit formam serui, cum esset Dominus omnium. Consimili modo qui domini sunt ac potentes, aliorum debent fieri serui, ac necessitatibus inferiorum seruire.

Quintò, cum homo factus esset, humiliauit semetipsum, maluitq; inter uulgares ac paupe res recenseri, quàm inter magnates ac diuites: sic debemus & nos haudquaquã fastidire quæ sunt humilia, etiamsi cæteris simus in hoc seculo præstantiores. Humilis Christus humilitatẽ nobis cordis ac spiritus, etiam eam quę externæ est conditionis, consecrauit.

Sextò, humilitati suæ coniunxit ueram obedientiam, qua se uoluntati patris per omnia, etiam ad mortem usq;, eamq; crucis, subiecit: sic nihil sibi liberum, ne uitam quidem retinuit, sed omnia in uoluntatem patris sui resignauit. Huic nos quoq; exemplo conformari conuenit, ne ab eo discrepemus, quem nobis Deus non modò Seruatorem, sed & omnis ueræ pietatis exemplar esse uoluit.

Quapropter & Deus illum in summam extulit sublimitatem, inquit.] Pertinent hæc cum ijs quæ sequuntur, ad tertiam partem præsentis contextus, in qua non amplius de eo agitur, quod nobis est secundum Christi exemplum faciendum: sed de beneuolentia Dei, quam in eos declarare solet qui semetipsos humiliant. Quemadmodum ille superbis resistit, humilib. uerò dat gratiam: ita & illos humiliat, istos exaltat, iuxta dictum Christi: Qui semetipsum exaltat, humiliabitur: & qui semetipsum humiliat, exaltabitur. Et hanc quoq; beneuolentiã Dei spectandã nobis proponit Apostolus in Christo, ut in quo perfectę humilitatis exemplum propositũ est, in eodem & supremam exaltationem cõsideremus, & simul hac occasione de gloria exaltati Christi instruamur.

Quapropter & Deus illum in summam, inquit, *extulit sublimitatem.*] Non simpliciter dicit, Et Deus illum exaltauit: sed, Quapropter & Deus illum exaltauit. Propter quid? Quia illum in tã extrema humilitate, ad quam se obediendo uolũtati ipsius demiserat, deserere nõ poterat, ideo illum exaltauit. Exaltauit eũ tanquã pater filiũ: uerùm maluit Apostolus exaltationẽ Christi præcedenti humilitati & obedientiæ tribuere, ut exemplo quod proposuit seruiret. Cogitent hic superbi, elati, arrogantes, inflati, quid ipsis futurum sit, quãdo unigenitus Dei nõ nisi per extremæ humilitatis uiam ad gloriam suam peruenit. Quid aliud consequentur, quàm ut tanquam abominabiles Deo in profundissimum perditionis & confusionis barathrum deijciantur? Quicquid enim altum est coram hominibus, abominabile est coram Deo, inquit Seruator Lucæ 16.

Deinde non dicit, Quapropter exaltauit semetipsum, quemadmodum suprà dixit, Exinaniuit semetipsum, & humiliauit semetipsum: sed, Quapropter & Deus exaltauit illũ. Quamuis in forma Dei constitutus formam serui sponte sua susceperat, ac semetipsum ad mortem usq; patri obediens humiliauerat: haud tamen cum opus susceptæ dispensationis absoluisset in mundo, semetipsum exaltauit: sed opus exaltationis suæ patri permisit, cuius sese uoluntati per omnia subiecerat.

Tertiò, non simpliciter dicit, Exaltauit illum: sed ὑπερύψωσεν αὐτὸν, id est superexaltauit illum. Erasmus uertit, In summam extulit sublimitatem. Vt exaltatio præcedenti humilitati respon deret, exaltauit eum non aliquò usq;, sed super omnia quæ in cœlo sunt & in terra, supra omnes cœlos & omnes angelos. Humiliauerat semetipsum infra omnia, quare & exaltauit eum supra omnia. Quòd autem ascendit, inquit Ephes. 4. quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est qui & ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia.

Quemadmodum autem humiliatio, ita & exaltatio, toti quidem Christo, uerùm iuxtà hominem, competit. Verbum enim æternum in se ut humiliari non potest, ita nec exaltationis est capax, nisi in assumpta carne. Caro nostra in Christo ad profundũ usq; humiliata, ad summũ est cœlestis honoris ac præminentiæ fastigium sublimata. In illa humana natura nostra super omnia regnans sedet à dextris Dei. In illa simul nos Deus excitauit, & unà in cœlestibus ad dexteram suam sedere fecit. Ephes. 2. Principium exaltationis illius factum est per resurrectionem & ascensionem. Et nos per resurrectionem & ascensionem, qua in nubibus obuiam

Christo

Christo in aera rapiemur: ad cœlestem gloriam è puluere terræ, unde factura nostra primùm constitit, exaltabimur, modò ab imagine humiliati Christi non discrepemus.

Ac donauit illi nomen, inquit, *quod est supra omne nomen.*] Non exprimit omnes species exaltationis huius, neque glorificati corporis dotes: quales sunt, immortalitas, claritas, agilitas, ac subtilitas: sed supremam tantum diuinæ gloriæ dignitatem ac sublimitatem, qua adoratur ab omnibus. In dotibus glorificati corporis communicabimus cum illo (erimus enim illi similes, iuxta illud capite sequenti: Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ) in hac uerò dignitate, qua excellit omnia, neminem habet consortem, nisi patrem ac spiritum. Quòd autem dicit, Ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomen: nihil est aliud quàm, Ac donauit illi dignitatem & gloriam, quæ est supra omnem dignitatem ac gloriam. Ephes. 1. rem eandem sic exprimit: Et sedere fecit eum ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum ac potestatem, & uirtutem & dominium, & omne nomen quod nominatur non solum in seculo hoc, uerumetiam in futuro, &c.

Sunt qui aliter exponant: alij de nomine Dei, alij de nomine Iesu, alij de nomine filij. Generalis expositio est, qua nomen hic pro dignitate accipitur. Hac à scopo aberrari non potest. Comprehendit enim quicquid nominis Christo datum est à patre. Ambrosius & Lyranus de nomine Dei exponunt. At illud in Scripturis etiam principib. ac iudicibus tribuitur, sicuti uidere est Psalmo 82. & Ioan. 10. nisi intelligatur de nomine יהוה. Qui de nomine Iesu accipiunt, mouentur per id quod mox sequitur: ut in nomine Iesu omne genu se flectat. At hoc nomen datum illi fuit, priusquam in utero secundum carnem conciperetur. Hic uerò de nomine loquitur Apostolus, quod datum illi est post exaltationem. Commentarij qui Hieronymo dantur, exponunt de nomine filij: citantque illud Ebr. 1. Consedit in dextera Maiestatis in excelsis, tanto præstantior factus angelis, quanto excellentius præ illis nomen hæreditauit. Nam cui angelorum dixit unquam: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Ac rursum: Ego ero ei pater, & ille erit mihi filius. Verùm præstantiam dignitatis & gloriæ Christi non astringit eo loco Apostolus ad nomen filij, licet illud adducat: sed amplificat illam consequenter, dicens: Rursum autem cum inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei. Item: Ad filium autem: Thronus tuus Deus in seculum seculi, uirga rectitudinis uirga regni tui. Item: Ad quem autem angelorum dixit unquam: Sede à dextris meis, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Sic coniungit dignitatem ac prærogatiuam filij primogeniti, Maiestatem regni, adorationem diuinitati competentem, & æqualitatem Dei, quo præstantiâ nominis Christi explicet. Quare existimo quod hic Apostolus dicit, Ac donauit illi nomen quod est supra omne nomen, non esse astringendum ad unum aliquod nomen dignitatis Christi: sed in genere exponendum de uniuersa dignitate ac gloria, quam Deus Christo filio suo, super omnia exaltato, donauit: in qua quemadmodum est uaria & multiplex, ita & multa præstantiæ nomina concurrunt, quibus uocatur Christus, Rex, Sacerdos, Mediator, Redemptor, Seruator, Vnigenitus Dei, Dominus, Verbum Dei, & Deus.

Quid est autem quòd uerbo donandi utitur, dicens, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ: id est, Et dono illi dedit? Cum sit Christus natura unigenitus Dei, patri per omnia æqualis, quomodo donauit illi dignitatem, quæ ad illum iure ac priuilegio naturæ ac primogenituræ pertinet? Potest ne rex primogenito suo donare successionem regiæ Maiestatis, quæ ad illum hæreditatis iure deuoluitur? Recte ne pater filijs suis hæreditatem bonorum suorum donare dici potest?

Respondeo: Si naturam humanam in Christo consideres, nihil habet incommodi, quòd illi Deus summam dignitatem donasse dicitur. Neq; enim ad hanc illa naturaliter pertinere potest: si uerò totum Christum & Deum & hominem spectes, necesse est ut respicias ad natiuitatem Verbi, intelligasq; Deum gignendo donasse Verbo suo ab æterno æqualem dignitatem, perinde ac si Solem splendori suo quem ex se gignit, insignem illam claritatis gloriam, quam uix intueri possumus, donare dicas.

Sed dixerit quisquam: At dignitas hęc, quæ Verbi est, ab æterno est: deinde & assumpta caro per incarnationem Verbi personali unitate facta est illius particeps. Quomodo ergo excellentiam illius Christo, post passionem, mortem, resurrectionem & exaltationem, demum dono à Deo datam esse dicit Apostolus?

Respondeo: Aliud est res ipsa, & aliud nomen rei. Rem ipsam habuit Christus ab æterno, & antè quàm in carne humiliaretur, & in ipsa susceptæ dispensationis humilitate, cum in forma Dei conuersaretur in hoc mundo (quemadmodum & subinde diuinæ uirtutis specimina de se ante mortẽ crucis, & post illam adhuc in cruce pendens præbuit) nomen uerò rei id est, manifestam diuinæ Maiestatis gloriam & confessionem in mundo nõ est nisi post exaltationem consequutus. Quare notanter dicit Apostolus: Et donauit illi nomen quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat, &c.

Quòd est supra omne nomen, inquit.] Vtiq; excepto nomine Dei patris, à quo nominis excellentiam accepit. Multa sunt excellentia nomina in cœlo & in terra, quę & ipsa sunt à Deo tra-

dita: uerùm omnia, quantumuis illustria, non modò inferiora sunt, sed & subseruientia Christo. Quid enim sunt angeli cœlestes? quid reges ac principes terræ? quàm ministri Christi, reges regum, ac domini dominantium?

Vt in nomine Iesu, inquit, *omne genu se flectat, cœlestium ac terrestrium, & infernorum.*] Excellentiam nominis Christi considerandam proponit in illius adoratione & confessione, quæ utræque de diuina illius maiestate, quam habet in gloria patris, testantur. Ad illius adorationem pertinent quæ hic dicit, quam per genu flexionem exprimit, tanquam externum quidem cultum, uerum internæ reuerẽtiæ & adorationis testem. Loquitur secundũ linguam Scripturę sacræ, quæ adorationem exprimit uel per uerbũ השתחוה, id est quod flectere se & incuruare significat, sicuti uidere est Exo. 20. in Decalogo. uel per genu flexionem, ut habetur 1. Reg. 19. ubi oraculo Dei ad Eliam dicitur: Reliqui in Israel septem millia uirorum, qui non incuruauerũt genua sua ante Baal: hoc est, qui non adorauerunt eidolum Baal. Quòd autem cultus adorationis soli Deo debeatur, uel ex eo patet, quòd Christus tentatori respondit, dicens: Vade satana: scriptum est enim, Dominum Deũ tuum adorabis, & illum solum coles. Quare ubi Christo hoc datũ est nominis, ut in nomine ipsius flectant se omnia genua, datus illi est supremus, soliq; Deo competens honor. Viderint igitur, quales Christiani sint, qui genua sua ante diuorum simulacra flectunt, & honorem hunc Christo à patre datũ ad mortuos sanctos, illorumq; eidola transferunt.

Cœlestium, inquit, *terrestrium & infernorum.*] Chrysostomus exponit de toto mundo, angelis, hominibus & dæmonibus. Sic autem omnes rationales creaturæ exprimuntur, ad quas sensus aliquis diuinæ maiestatis pertingere potest. Quicquid est spirituum in cœlestibus, quicquid hominum in terris, quicquid spirituum sub terris, apud inferos, potestati ac dominio Christi subiectum est à patre: ut illi subsit, illum reuereatur, illum tanquam dominum omnium agnoscat & colat.

Atqui, dicet quispiam, ne nunc quidem omnia hominum ac dæmonum genua sese in nomine Iesu flectunt: quid igitur est quòd hoc illi donatum esse dicit à Deo, ut in nomine ipsius omne se genu, cœlestium, terrestrium & infernorum flectat? Respondeo: Non sic est hoc ab Apostolo dictum, quòd tum, cum Epistolam hanc scriberet, reipsa impleretur: sed quòd sic esset cõstitutum à Deo, ut fieri, & suo tempore perfectè impleri debeat. Quare quod dicit, Vt in nomine Iesu omne genu se flectat: idem est quod, ut in nomine Iesu omne genu se flectere debeat. Ex parte factum est hoc, quod attinet pios ac fideles homines, cœlestes quoq; spiritus: in uniuersum uerò fiet in die iudicij extremi, quando hic Iesus, benedictus in sempiternum, rediturus est in nubibus cum omni cœlesti militia, ad iudicãdum uiuos & mortuos. Tum uidelicet omnia, omnium tã spirituũ quàm hominum, tã mortuorum quàm uiuorũ genua in nomine Iesu flectentur. Vnde & hic idẽ Apostolus uaticinium hoc Ieshaiæ de ultimo iudicio in fine mũdi futuro Rom. 14. citat, dicẽs: Omnes enim statuemur apud tribunal Christi. Scriptum est enim: Viuo ego, dicit Dominus: Mihi sese flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Igitur unusquisq; nostrûm de seipso rationẽ reddet Deo. Verba hæc ex 45 capite Ieshaiæ desumpta sunt: quę quomodo legãtur in Ebręo, deinde & in uersione Septuaginta, & quomodo ab Apostolo citentur, in ea quæ ad Rom. est Epistola, dicto iã capite annotauimus. Hic usurpat ea paulo liberius, ponitq; nõ ut Scripturę locũ, sed ut Apostolicã de gloria exaltati Christi sententiã. Ideo diserte exprimit, quæ in ipso uaticinio nõ sunt expressa: utpote, Vt in nomine Iesu: item, Cœlestium, terrestriũ & infernorum: &, Cõfiteatur (in Ebręo est נשבע, id est iuret) quòd Dominus sit Iesus Christus ad gloriam Dei patris. Quare non est ut laboremus, omnia quæ hic dicit, ad uaticinium prophetæ conferendo.

Ad illud redeo, quòd Chrysostomus cum alijs, per cœlestes, angelos, per terrestres, homines, per infernos, dæmones intelligit. Non inficior quòd etiam dæmones in die iudicij diuinæ maiestatis potentiã in Christo sint, nolint uelint, agnituri. Apparet tamen quod in Græco est, καταχθονίων, id est subterraneorum, accipi posse de mortuus, qui sub terra in sepulchris dormiunt, & per terrestres ἐπιγείων intelligi uiuos: ut quod hic dicit Apostolus, idẽ fit cũ eo quod Rom. 14. ad hunc modum legimus: In hoc enim Christus mortuis est, & resurrexit & reuixit, ut mortuis ac uiuis dominetur: & cum eo quòd dicimus, Christum rediturũ esse, ad iudicandum uiuos & mortuos. Nusquam in literis Apostolicis dæmones καταχθονίους uocari legimus, quin magis datur illis potestas aeris: sicuti uidere est Ephes. 2. Sed non contendo: simpliciter dico quid mihi uideatur.

Prętera obseruet Lector, quomodo machinã hãc Dei Apostolus diuidat in ἐπουρανίων, ἐπιγείων, & καταχθονίων: id est, in eos qui sunt supra cœlos, supra terram, & infra terrã. Supra cœlos angelos esse, dicunt omnes qui Scripturas exponunt. Oportet igitur separatam esse regionem supra cœlos, quæ cœlestib. competat spiritibus. Quòd si cœlum illud, quod exaltato Christo, angelis & beatis spiritibus tribuitur in Scripturis, non uspiam, sed ubiq; est, quàm latè diuina potentia, maiestas, iusticia & gloria extenditur, ut nulla possit illi singularis regio cõpetere: prorsus inanis est hęc Apostoli partitio, qua mundum in angelorum, hominũ & dæmonum, uel

uel angelorum, uiuorum & mortuorum hominum mansiones diuidit: nec est ulla ratio, quare angelos uocet cœlestes, si non magis agunt in cœlis quàm in terris, & sub terris, sed ubique simul, & eodem tempore diffunduntur. Non possumus eos uocare ἐπιγείους, multo minus καταχθονίους: quemadmodũ nec ἐπιγείους, nec καταχθονίους uocare possumus ἐπουρανίους. Terrestres uocamus, à terra quam inhabitant: subterraneos, à terra sub qua sepulti iacent. quanam alia ratione uocamus angelos ἐπουρανίους, quàm propterea quòd regionem ἐπουρανίου naturæ suæ competentem inhabitant? Quare admodum mirabiles tenebras in Scripturas inducunt, qui diuisionẽ hanc, cœlestium, terrestrium & inferorũ confundentes, cœlum cõminiscuntur quòd non sit uspiã, sed ubiq; supernè & infernè diffusum. Quæso, ubinam sunt angeli, spiritus illi cœlestes? Sunt ne sub terris? At nusquam legimus eos esse καταχθονίους. Sunt ne supra terram? Verùm nulla Scriptura uocat eos ἐπιγείους. Vbi ergo? In cœlo, secundum Scripturas. Regio aeris uocatur cœlum, in qua uolitant aues, quę idcirco uolucres cœli appellantur. An illic eos uersari dicemus? Sed quibus hoc testimonijs probabimus? Deinde uisibile hoc firmamentum, in quo sunt sol, luna & stellę, frequenter cœlum in Scripturis uocatur. Dicemus ne hic esse regionẽ ἐπουρανίου, in qua sedes sint angelorum? Verùm nemo cordatus est, qui hoc dicat. In quo ergo cœlo uersantur, propter quod hoc nominis consequuti sunt, ut cœlestes uocẽtur? Elias turbine in cœlũ sublatus esse scribitur 2. Reg. 2. In quod cœlũ? An in regionẽ aeris, uel uisibilis firmamẽti, utuel aues circũuolitantes, uel cursum solis ac lunæ spectet? Quid igitur aliud statuẽdũ est, quàm esse regionẽ cœlestem supra uisibile hoc firmamentũ, in qua degant cum Christo cœlestes spiritus?

Et omnis lingua, inquit, confiteatur, quòd Dominus sit Iesus Christus ad gloriam Dei patris.] Quidam accipiunt hic linguã pro gente, ideo quòd diuisio gentium, diuisione cõstat linguarũ: ut omnis lingua, sit omnis gens, quælibet natio. Verùm, meo iudicio, repetendũ est quod proximè præcesit: legendumq;, Et omnis lingua cœlestiũ, terrestriũ & inferorũ: quo cõfessio gloriæ Christi uniuersaliter in extremo iudicio, perinde atq; genuflexio, futura, non ad gentes tantũ, sed ad omnes in uniuersum cœlestes, terrestres & inferos referatur. ut sit sensus: Tam erit manifesta, tamque omniũ oculos omnesq; sensus reuerberans, ad iudiciũ descẽdentis Christi gloria, maiestas & potentia, ut nemo nec cœlestium, nec terrestrium, nec inferorum futurus sit, qui non uel cogatur fateri cum pauore, uel sponte sua cum gaudio confiteatur, quòd Dominus sit Iesus Christus ad gloriam Dei patris.

Sed dixerit quisquam: Quæ est igitur cœlestium spirituũ lingua, qua de Christo confitean tur, quòd sit in gloria Dei patris? An linguas illi habent, perinde atq; homines. Respondeo: Consimiliter quæri potest, quænam sint cœlestium spirituum genua, quę in nomine Iesu cũ hominibus flectant? Quo igitur sensu tribuitur illis genuflexio, cũ genua carnis nõ habeant: eodem illis etiam confessionẽ linguæ tribui intelligamus, tametsi linguas carnis non habeãt. Subiectionem omnimodam, & reuerentiam testabuntur omnes & angeli & homines, tã mortui quàm uiui, sed modis quiq; sibi conuenientibus.

Illud, Quòd Dominus sit Iesus Christus, ad gloriã Dei patris, in Græco sic legitur, ὅτι κύριος Ἰησοῦς χριστὸς εἰς δόξαν θεοῦ πατρός: id est, quòd Dominus Iesus Christus in gloriã, uel ad gloriã Dei patris. quod trifariã legi potest. Primo sic: Quòd Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Sic habet uulgata editio, & Ambrosius. Deinde ad hunc modũ: Quòd Dominus sit Iesus Christus in gloria Dei patris. Tertiò sic: Quòd Dominus sit Iesus Christus ad gloriam Dei patris. Primæ lectionis hic est sensus: Et omnis lingua confiteatur, quòd Dominus Iesus Christus, quẽ Iudæi crucifixerunt, ab ipsa crucis ignominia & profundissima humilitate exaltatus est ad gloriã nõ qualemcunq;, sed eã quæ est Dei patris, tanquã unigenitus Dei. Sic prædicatur de Domino Iesu Christo, quòd sit in gloria Dei patris sui. Secunda lectio hunc sensum habet: Et omnis lingua confiteatur, quòd Iesus Christus, qui in forma serui apparuit, & habitu inuentus est ut homo, Dominus sit omniũ quæ in cœlo sunt & in terra: idq; in gloria Dei patris. Sic prædicatur de Iesu Christo, quòd sit omnium Dominus, & æquali cũ Deo patre gloria præditus. Tertia lectio, annotante etiam Erasmo, sic exponi potest: Et omnis lingua ad gloriam Dei patris confiteatur, quòd Iesus Christus sit Dominus. Et hoc sensu particulam hanc exponit Chrysostomus. Sic illud, Ad gloriam Dei patris, referendum est ad uerbum Confiteatur. Tres hę lectiones ac sententiæ, & singulæ & coniunctæ, uerę sunt. Est enim reuera Iesus Christus Dominus, & est Dominus Iesus Christus in gloria Dei patris: & quisquis utrumq; hoc confitetur, Deum patrem hac confessione glorificat, qua unigeniti illius gloriam confitetur ac prædicat.

Occasione præsentis loci de exomologesi, id est confessione, pauca notanda ueniunt. Confessio in Scripturis triplex habetur. Prima est resipiscentiæ, secunda fidei, tertia experientiæ. Confessio resipiscentiæ est, qua nos peccasse resipiscentes confitemur. De hac est illud Dauidis: Dixi, Cõfitebor aduersum me iniusticiã meã Domino, & tu remisisti iniquitatẽ peccati mei. Quæ hãc cõcernũt, in Locis nostris & alibi annotauimus. Cõfessio fidei nostrę est, qua Christũ Seruatorem, Redemptorem, Mediatorẽ, Magistrum ac Dominum nostrum unicum, Vnigenitum Dei, patri æqualem sic coram hominibus confitemur, ut nos à uerbo

ac fide illius nullis perſequutionibus & afflictionibus auelli ſinamus. Hæc confeſsio inde ab initio ſemper omnis generis periculis obnoxia eſt in hoc mundo. Verùm inſignẽ habet promiſsionem ex ipſius Domini corde & ore profectam, qua dixit: Qui me cõfitebitur coram hominibus, confitebor eum & ego coram patre meo. Confeſsio experientiæ eſt, qua reipſa de ueritate per experientiam conuicti, Chriſtum omnes cœleſtes, terreſtres & inferi, Dominum eſſe, & ad gloriam patris exaltatum in die iudicij confitebuntur. Talis erat confeſsio Thomæ, cùm de ueritate reſurrectionis Chriſti, contrectatione uulnerum illius conuictus diceret: Deus meus, & Dominus meus.

Quantum autem diſcriminis ſit inter confeſsionem fidei, quæ fit in hoc mundo: & confeſsionem experientiæ, in fine mundi futurã, per ſe patet. Hæc promiſsionem habet æternæ uitæ, illa non habet. Neq; enim omnes ſaluabuntur: & tamen omnes confitebuntur, quòd Dominus ſit Ieſus Chriſtus, in gloria Dei patris. Ibi impij quoq; Chriſtum uocabunt Dominum, dicentes: Domine, quando te uidimus eſurientem, &c. Matth. 25. & tamen audient: Ite maledicti in ignẽ æternũ. Quare per extortã illam confeſsionem, quæ cum magnis erit pauoribus ac ſera pœnitentia coniuncta, non ſaluabuntur: qui dum hic in carne uiuerent, gratiam ac ueritatem Chriſti reſpuerũt, & in impœnitẽtia & incredulitate ſua ad mortem uſq; perdurarũt.

Quis autem uel minimam partem eius læticiæ, exultationis ac gloriæ perpenderit, quatũ cumulabuntur & exultabuntur ueri fideles, qui Chriſtum & Euangeliũ illius in mundo hoc, in medio impiorum confeſsi ſunt, & etiamnum confitentur: quando illum in gloria patris ſui cum ſumma maieſtate & potentia deſcendentem, ab omnibus cœleſtibus, terreſtribus & inferis, quòd Dominus ſit, ſuppliciter & manifeſta confeſsione agnoſci uidebũt? Tunc reuera ſtabunt iuſti in magna non modò conſtantia, ſed & exultatione, aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt & afflixerunt: & illi econtrà uidentes turbabuntur timore horribili, &c. Vide Sapientiæ quinto. Confiteamur itaque Chriſtum ex fide, dum ſumus in hac uita, quem olim omnes confiteri uidebimus: ut tum illum cum gaudio amplecti, & ex animo confiteri queamus. Confiteamur illum inter impios, nec fugiamus crucis illius ignominiam: ut & ille nos coram patre ſuo confiteatur, & pijs omnibus cum ſumma & ſempiterna felicitate coniungat.

Proinde, dilecti mei, quemadmodum ſemper obediſtis non tanquam in preſentia mea ſolum, ſed nunc multo magis in abſentia mea, cum timore ac tremore ueſtram ipſorum ſalutem operemini. Nam Deus eſt is qui agit in uobis, & ut uelitis, & ut efficiatis, pro bono animi propoſito.

Non ingreditur hic nouam aliquam adhortationem, ſed abſoluit eam quam in exemplo Chriſti proponere cœperat. Quòd enim colligat ex ijs quę de humilitate & obediẽtia Chriſti præmiſit, uel ex eo patet, quòd nõ ſimpliciter dicit: Dilecti mei quemadmodum ſemper, &c. ſed, Proinde, uel Itaque, ut uetus habet editio, dilecti mei, quemadmodũ ſemper obediſtis, non tanquam in præſentia mea ſolùm, ſed nunc multo magis in abſentia mea, cum timore ac tremore ueſtram ipſorum ſalutem operemini. Quod lectionem attinet, uulgata editio ſic habet: Non in præſentia mei tantum. At Græca exemplaria, quæ in manibus habemus, interſeruntuoculam ὡς. Sic enim habent, μὴ ὡς ἐν τῇ παρουσίᾳ μου μόνον: id eſt, Non tanquam, uel, Non ueluti in præſentia mea tantum. Chryſoſtomus tamen nuſquam ſic legit, ſed ſimpliciter, μὴ ἐν τῇ παρουσίᾳ μου μόνον: id eſt, non in preſentia mea tantum. ad quem modum legit & Ambroſius. Deinde, in eo quod ſequitur, Sed nunc multo magis in abſentia mea: Chryſoſtomus addit uocalem ἡμῶν, id eſt etiam, ἀλλὰ νῦν πολλῷ μᾶλλον ἐν τῇ ἀπουσίᾳ μου: id eſt, ſed nunc quoque multo magis in abſentia mea.

Sunt autem in hoc contextu (ut id obiter diuiſionis ac lucis gratia annotem) quinque membra. Primùm, collectionem habet ex præmiſſo Chriſti exemplo: ſecundum, amicam appellationem: tertium, præteritæ obedientiæ encomium: quartum, ipſam adhortationem: quintum, adiectam rationem.

Proinde, inquit.] Colligit & infert ex præmiſsis, ut ſit ſenſus: Itaq;, cum Chriſtus ad hunc modum ſemetipſum humilem in forma ſerui, Deoq; patri obedientem præbuerit, etiam atq; etiam uidete, quomodo exemplum illius ſequamini.

Dilecti mei, inquit.] Amica appellatio eſt, dilectionis erga ipſos affectum exprimens: ad hoc adhortationi præmiſſa, ut illam cordibus ipſorum hoc acceptabiliorem reddat, quo minus authoritatem Apoſtolici magiſterij, plus uerò paternæ dilectionis ſpirat. Hoc conſilio non dicit ſimpliciter, Proinde quemadmodũ ſemper obediſtis, ita nunc quoq; obedite: ſed, Proinde, dilecti mei, inquit, quemadmodum ſemper obediſtis, &c. Apoſtolicum hunc affectum non ſpirant Romani pontifices, dum quæ uolunt per ſtrictam obedientiã, uelut à ſubiectis dominaliter extorquent.

Quemadmodum ſemper obediſtis, inquit.] Prædicat & laudat præteritam illorum obedientiã, quò ad continuandã illam animos eorum prouocet. Eiuſmodi encomia plurimùm ualent, ſi adhortationib. præmittantur. id quod & Chryſoſtomus annotat dicẽs, τὰς παραινέσεις μετὰ ἐγκω-

μίου

μίαν πεποίθησιν ἀῦ. Per illa namq; ſignificamus, agnoſcere nos probare ac plurimi facere præteritam diligentiã: deinde bona ſpe eſſe de futura continuatione ac perſeuerantia: ad hæc uelut ex præiudicio urgemus, non eſſe factum impoſsibile, quod antea ab initio, & ſemper ſtudioſe ac diligenter ſit factum.

Obſerua uerò quàm cautè non dicat, Quemadmodum ſemper obediſtis mihi, ne eam uideatur obedientiam requirere, qua ſibi obediant: ſed ſimpliciter, Quemadmodũ ſemper obediſtis: ut addi poſsit, Deo, uel Euangelio Dei. Neq; enim aliam obedientiã requirebat, quàm qua Euangelio ac doctrinæ gratiæ Dei obedirent fideles. Romani uerò pontifices hac obedientia non contenti, dicunt: Et Petro & mihi. Nota eſt hiſtoria.

Non tanquam in præſentia mea ſolum, ſed multo magis nunc in abſentia mea.] Poſſunt hæc bifariam accipi. Primò ſic, ut referantur ad pręcedens encomium, hoc pacto: Quemadmodum ſemper obediſtis, non ſolum cum præſens apud uos eſſem, ſed & nunc multo magis in abſentia mea obeditis: ita porrò ueſtram ipſorum ſalutem operemini. Deinde ad hunc modum, ut pertineant ad ſequentem adhortationem, hoc ſenſu: Quemadmodum ſemper obediſtis, ita ſalutẽ ueſtram non tanquam in præſentia mea ſolum, ſed & iam multo magis in abſentia mea operemini. Priore ſenſu laudat eos, quòd non ſolum cum præſens eſſet, ſed & tum in abſentia ipſius, cum Romæ teneretur in uinculis, obedirent: & hortatur, ut porrò *ſal*utem ſuam ipſorum operentur. Poſteriore uerò hortatur, ut ſalutem ſuam non modò in præſentia, ſed & multo magis in abſentia ſua operentur: idq; ea diligentia, qua ſemper obedierãt. Vtrouis ſenſu hæc accipiamus, obſeruandum eſt, non conuenire Chriſtianis, ut ſint ad oculum tantum præſentis doctoris obedientes: ſed & in illius abſentia ueram ex animo præſtent obedientiã: & hanc ſi ſit irremiſſa, dignam eſſe quæ laudetur ac prædicetur.

Deinde & illud obſeruãdum eſt, quòd non ſimpliciter dicit, Sed & nunc in abſentia mea: ſed addit, Multo magis. Particulæ huius magna eſt ratio. Satis quidẽ obediens uidetur, quiſquis perinde in abſentia heri ſui officium facit, atq; in illius præſentia: uerùm ſi grauiora ſint præſtanda, conuenit homini non ſolum ſincero, ſed & cauto ac prudenti, ut plus multo impendat obedientiæ ac diligentiæ in abſentia heri ſui, quàm in illius præſentia: ut quod rebus agendis per illius abſentiã decedit, ſua ipſe diligentia reſtauret; &, ſi quid incõmodi ac detrimenti acciderit, haud uideatur per ſuam accidiſſe negligentiam. Sic in prophanis etiam reb. cordatus ſeruus plus obedientiæ in abſentia heri ſui quàm præſentia præſtat, quanto magis id in hac cauſa Chriſtiano eſt homini faciendum? Sed hoc in eo patet, quod confeſtim ſubijcit, dicens:

Cum timore ac tremore ueſtram ipſorum ſalutem operemini.] Pro eo quòd dicendum erat, Obedite: dicit, Cum timore ac tremore ueſtram ipſorum ſalutem operemini. Significat ſe loqui de obedientia, qua uerbo & Euangelio Dei obedientes ſuæ ipſorum ſaluti conſuluerant, cum præſens apud eos eſſet: monetq; ut idem multo magis in abſentia ſua faciant. q.d. Sicuti ſemper obediuiſtis Euangelio, & ſalutis ueſtræ rationem habuiſtis: ita nõ ſolum in pręſentia mea, ſed & nunc cum abſens ſum: imò multo magis iam, cum timore ac tremore in hac obedientia pergentes ſaluti ueſtræ ad finem uſq; cõſulite. Cur multo magis quàm antea erat illis in obedientia Euangelij cum timore ac tremore uerſandũ? Quia undequaq; tẽtationibus ſatanæ magis quàm antea, cùm per manifeſtos impios, tum per falſos Apoſtolos ac ſeductores impetebantur: & interim ſolatio & cõfirmationibus Apoſtoli ſui deſtituti erãt, quibus cũ præſens eſſet, bene fuerãt uſi. Perinde habet hæc admonitio, ac ſi medicus præſens ægroto adeſſe non ualens, & interim tamen pro ſalute illius ſolicitus, miſsis literis moneat eũ in hęc uerba: Quemadmodũ, dilecte, in omnibus quę ſalutẽ tuam cõcernunt, cum pręſens eſſem, obediuiſti, eaq; obedientia tibi feliciter ceſsit: ita nunc quoq;, imò adhuc amplius, dũ abſens ſum, in hac obedientia pergendo tuæ ipſius ſaluti cõſule. Hic ſpiritus eſt uerborum Apoſtoli.

Doctores operum & meritorum exiſtimant hunc locũ pulchrè doctrinæ ipſorũ patrocinari, quaſi noſtræ ſit uirtutis noſtram ipſorũ ſalutem operari: hoc eſt, ut ipſi intelligunt, bonis operib. ſalutẽ promereri. Non ſumus nos noſtri ipſorum ſaluatores: ſed Saluator noſter Chriſtus eſt, qui nobis ſalutẽ in cruce moriendo promeruit, ac gratis in ſe credentes iuſtificat & ſaluat. A nobis uerò requiritur, ut oblatam ſalutis gratiã per obedientiam fidei ac reſipiſcentiã acceptemus, & acceptam per confeſsionem, ſpem firmã, perſeuerantiam, animi humilitatẽ, ac ſtudiũ Chriſtianę dilectionis ac conuerſationis, adiuuante nos gratia Dei, cõſeruemus. Hæc curanda nobis ſunt, ne gratiã ſalutis in uanum acceperimus. Haud tamẽ in his eſt cauſa ſalutis noſtræ, quam uocant, per quam: quæ ſolius eſt Chriſti, & operationis ſpiritus ſancti. Quare quòd hic dicit Apoſtolus, Veſtram ipſorũ ſalutem κατεργάζεσθαι, id eſt perficite: hactenus dicit, quatenus obedientia Euangelij cauſam ſalutis habet, ſine qua non. Ad quẽ modum & ſalus ægroti primã cauſam, per quam, à Deo illiusq; gratia, cuius miniſter eſt medicus: ſecundariam uerò, ſine qua non, ab obediẽtia ægroti habet, qua ſe medico & gratiæ Dei morigerũ prębet: atq; ita ſaluti ſuę cõſulit, illãq; perſeuerãter obediẽdo perficit. Cõſimilis eſt & fideliũ cõditio. Huc pertinẽt quæ & in calce Capitis pręcedẽtis, & ab initio pręſentis huius monuit:

Cum

Cum timore, inquit, *ac tremore.*] Loquitur de timore qui sit cum anxia solicitudine coniunctus, quam per tremoris dictionem exprimit: atq; ita securitatem & leuitatem animi reijcit. ut sit sensus: Quo plus imminet uobis tentationum & periculorum in absentia mea, hoc plus timoris ac tremoris uobis competit, ne quo pacto per uestram leuitatem ac securitatē incomparabilem salutis uestræ gratiā amittatis, quā Euangelio obedientes feliciter estis consequuti. Non docet dubitare de salute per fidem in Christum accepta: sed monet, timendum ipsis esse, ne si negligenter in Euangelio Christi conuersentur, fiat ut tam insignem gratiam amittāt, adeoq; & in uanum acceperint. Quod ergo Dominus ad eum quem sanauerat dixit, Ecce iā sanus factus es, noli peccare amplius, ne quid tibi deterius contingat: nobis quoq; dici potest, Ecce iam salutem estis in Christo consequuti, quod reliquum est, cum timore ac tremore curate, ne hac amissa, posteriora uestra peius habeant quàm priora.

Adhortatione hac Apostoli, qua dicit, Cum timore ac tremore uestrā ipsorum salutē operamini: multi Christianorum, Apostolorum tempora sequuti, relicto non solum seculi, sed & Ecclesiarum, conuictu heremiticæ uitæ asperitatem sequuti sunt: putantes se eiusmodi conuersationis duritie suam ipsorum operari salutem. In Papatu postea inualescente Simonia sic est primùm imperitioribus, deinde tandem omnibus Ecclesijs catholicè impositum, ut magnis sumptibus & impensis salutem se comparare sibi crederent. Hic uendi in Ecclesijs cœperunt omnia, nihil dari gratis. Hac nostra tempestate tantum inualuit securitatis inter nostros, quos Euangelicos uocant, ut perinde sibi omnis generis scelera securè permittant: ac si satis sit ad salutem, si non accedamus ad eidololatriam ac falsos cultus, simusq; non amplius Papistæ, sed habeamur pro Euangelicis: ut planè nihil loci in plerisq; nobis habeat præsens Apostoli admonitio. Quid timeam, dicunt, operercq; meam ipse salutem, cum mihi sit Christi sanguine parta salus? Si hoc uerè credimus, agamus Redemptori gratias, simusq; cum timore soliciti, ne malè uiuendo alienos nos à parta salute constituamus.

Nam Deus est is qui agit in uobis, inquit, *& ut uelitis, & ut efficiatis pro bono animi proposito.*] Pertinet hæc particula ad præcedentia, quibus ad hoc est adiecta, ut animētur Philippenses ad operandum suam ipsorum salutē. Poterant enim cogitare, esse id ipsis impossibile: atq; ita per desperationē à religione ac fide Christi, tanquam seruatu impossibili, deficere. Et reuera sic est, si uires nostras prorsus infirmas consideremus. Animat igitur & cōfirmat eos in proposito ac studio perseuerantiæ, dicens: Nam Deus est qui agit in uobis, &c. q. d. Quàm sedulò saluti uestræ consulere, inq; eo proposito bona cum spe perficiendi pergere debeatis, ex eo cognoscere potestis, quòd diuina se uirtus luculenter in uobis exerit. Palàm namq; est, nō esse humanarum uirium ea quæ hactenus præstitistis, & etiamnum præstatis: sed Deum esse qui hanc in uobis uoluntatem & operandi efficaciam per spiritum suum, quem in Christum credentes accepistis, operatur. Cum igitur habeatis in uobis operantem Deum, etiamsi uirib. ipsi ad perficiendum uestram ipsorum salutem impares estis: illi tamen omnium est facillimum, ut opus hoc in uobis uirtute sua perficiat, & uos ad omnia quæ huc necessariò requiruntur, instructos reddat. Quare obfirmato animo diuinam in uobis uirtutem sequentes, in studio obedientiæ ac sanctæ conuersationis pergite.

Nam Deus est, inquit, *qui operatur in uobis*, &c.] Sic ordina: Nam qui operatur in uobis & uelle & operari, Deus est. Operabatur autē in illis spiritus Christi, qui datus ipsis erat, mox atq; Euangelio credidissent, imò qui corda ipsorum ut audientes crederent aperuerat. Hunc spiritum uocat Deum. Quorsum autem huius admonet Philippenses, cum operationem spiritus huius haud ignorarent: utpote, quam reipsa experiebantur? Sciebant hanc quidē: uerùm fieri poterat, ut esse eam Dei, operantis in ipsis, non satis perpenderent. Neq; enim incredulis tantum hoc accidit, ut licet miranda & uires humanas excedentia in oculos ipsorū incurrant, haud tamen Deum esse intelligant, aut credant, qui illa in hominib. operetur: sed & pij subinde huius sunt admonendi, ut in se operantem Deum sentiant & agnoscant. Increduli, si operantem Deum agnoscerent, operationem illius non damnarent & impugnarent. Diuinā uirtutem in Apostolis, & per Apostolos operantem, non agnoscebant sacerdotes, scribę, pharisæi ac seniores Hierosolymitani: imò nec in Christo illā agnouerant, sed satanæ tribuerant. Admonebantur itaq; hac de re à Gamaliele, sicuti uidere est Act. 5. Et utinam admoneri se sinant Principes hodie, ut uigilanter animaduertant & cognoscant, quis nam sit, qui in uerbo Euangelij & fidelibus Christi nostra hac ætate hanc uoluntatem & efficaciā operatur, ut relicta maiorum suorū religione, imò superstitione, in qua quietè ac tranquillè agerè poterant, doctrinā Euangelij amplectantur, quā Pontifices & Episcopi hæreseos damnant: illiq; sic adhæreant, ut citius ipsam uitā suā impēdant, quàm ab illa se auelli sinant. Qui Philippis rerū potiebantur, nō agnoscebāt eum qui operabatur in Christianis esse Deū: alioqui nulla eos in re afflixissent, sed potius in precio habuissent. Et ipsi Christiani nō satis hoc agnoscebant: quare necessariū erat, ut huius admonerentur. Et hodie quotusquisq; nostrūm est, qui diuinæ operationis in se, certum & indubitatum sensum capiat? Locum hunc præsentem facilè liberi arbitrij doctoribus obijcimus: uerùm non ita facilè ueritatem illius in nobis ipsis agnoscimus.

Quis

Quis Deus autē ille ſit, qui operatur in aduerſarijs Euangelij Chriſti, ſole ipſo clarius eſt, ſi ea quæ faciunt conſideres. Operatur in illis deus huius ſeculi, omnis generis immundiciā, Simoniam, eidolomaniam, cæcitatem, ſuperbiam, auariciam, odium ueritatis, crudelitatem in gregem Domini, & quæ huiuſmodi ſunt alia: unde ſatis manifeſtum eſt, quo ſpiritu agātur.

Et ut uelitis, inquit, *& ut efficiatis.*] Græcē eſt, ὑπὲρ τοῦ θέλειν ὑπὲρ τοῦ ἐνεργεῖν: id eſt, Et uelle & operari. Vulgata editio habet, Et uelle & perficere. uerùm cum præcedens participium ἐνεργῶν uerterit interpres, Qui operatur: non eſt ratio, qua uerbum illius ἐνεργεῖν perficere uertatur. Quoniā operatur Deus omnia in omnibus, ne de generali illius operatione loqui uideatur. Poſtquā illum operari in Philippenſibus Chriſtianis dixit, ſpecificandi gratia adijcit: Et uelle & operari. nam hæc duo faciebant ad propoſitum. Sine illis quippe fieri non poterat, ut ſuam ipſorum ſalutem perficerent. Quare tribuit utrumq; diuinæ operationi. Sed uideamus quæ hic notanda ueniant.

Principiò uidendum eſt, quomodo operetur Deus uelle in fidelibus. Velle quid ſit, notū eſt. Accidit autem frequenter, ut uoluntas noſtra ſit cæca & ἄλογος, ita ut neſciamus ipſi quare aliud uelimus, aliud nolimus. Verùm uoluntas illa quam in fidelibus ſuis operatur Deus, nō eſt talis. Operatur enim in illis non nudam uoluntatem, ſed cum primis intelligentiam, fidē, ſpem ac dilectionem: quibus addit uoluntatem ea faciendi, amplectendi ac ſectandi, quæ & bona & ſaluti ipſorum accommoda eſſe ſciunt, credunt, & ſperant. Omnia hæc ex diuina operatione proueniunt. Eſt autem cor ſedes ut aliorum affectuum, ita & uoluntatis. Hanc operatur, dum eam per ſpiritum ſuum cordi immittit. Sic & ſatan operatur uelle in reprobis, dum ea quæ mala ſunt mittit in illorū corda: ad quē modū miſit in cor Iudæ, ut Dominū proderet.

Deinde quæri poteſt, an bonam uoluntatem operetur Deus in omnibus, quibus eorum quæ bona ſunt intelligentiam largitur. Verùm reipſa uidemus eſſe quamplurimos, qui ſcientiam quidem earum rerū habent quæ ad ſalutē faciunt, & tamen uoluntate illas amplectendi deſtituūtur: ſic fit, ut meliora ſciētes, deteriora faciamus. Quare quòd hic Apoſtolus dicit, Nā Deus eſt qui operatur in uobis & uelle & operari: nō niſi ad ueros fideles & electos pertinet.

Tertiò, quæſierit quiſquam, an ſolus Deus bonam uoluntatē operetur in homine? Reſpondeo, Vtiq; ſolus, uerùm dupliciter. Primò, ſine ullo medio, per inſpirationem ſui ſpiritus. Deinde, per miniſterium uel angelorum uel hominum. Nihil quidem poteſt miniſter, niſi Deus ipſe in corde hominis operetur: interea tamen multum poteſt, ſi incrementum det Deus. Sine hoc uni auaro ne mille quidem miniſtri perſuadebunt, ut uoluntatem miſerendi ac largiendi in corde concipiat.

Et uelle & operari, inquit.] Quid neceſſe eſt etiā operari? An non ſufficit bona uoluntas, cū illa coram Deo habeatur pro facto? Reſpondeo. Vbi factum impeditur, ne fieri poſsit, ibi pro illo acceptatur uoluntas: ſecus uerò, ſi quod fieri à nobis poteſt ac debet, per negligentiā uel ſocordiam noſtram omittitur. Deinde, ſic comparata eſt omnis uoluntas, ut geſtiat ad perfectionem eius rei quam uolumus. Hinc eſt quòd illam ſequitur operatio. Tertiò, plenitudo bonæ uoluntatis eſt in illius operatione. Si uolueris obedire Deo, uoluntas hæc tum impletur, quando reipſa Deo obedire ſatagis. Multa ſunt eiuſmodi, quæ non modò uoluntatem, ſed & ipſum opus requirunt.

De eo quoq; quæri poteſt, quid neceſſe ſit, ut non modò uelle operetur in nobis Deus, ſed & operari. Videtur enim nihil impedire nos amplius, quominus quod bonum eſt operemur, ſi adſit operandi uoluntas. Reſpondeo. Poſſe facere quod bonum eſt, ſi uolueris, nō eſt hominis, ſed Dei tantum. Ille quæcunque uult facit in cœlo & in terra, inquit propheta. Nobis non mox eſt operandi efficacia, etiā in illis quæ per gratiam Dei bona uolumus: niſi qui dedit uelle, det etiam facultatem operandi. Hinc eſt illud Rom. 7. Velle quidem mihi adiacet, uerùm perficere non inuenio. Et: Bonum quod uolo, non facio. Eſt igitur utrumq; petendum à Deo, tam ut poſsimus operari quod bonum eſt, quàm ut uelimus. Quare conſultò dicit Apoſtolus: Nam Deus eſt qui operatur in uobis & uelle & operari.

Ergo non ſolum operari quod bonum eſt, ſed & uelle, noſtrum non eſt, ſed Dei, utrumq; in nobis operantis. Vbi ergo eſt liberum illud arbitrium in bono, de quo Scholaſtici tantoperè contendunt? Sed de illo uide in Locis noſtris.

Deinde, ſi operatur in nobis Deus quæ bona ſunt: ergo ſi quid boni fecerimus, nō tam eſt noſtrum opus quàm Dei. Vbi eſt igitur meritū noſtrum? Quòd itaq; pro gratia ſua Deus bona in nobis opera remunerat, nihil eſt aliud quàm quod ſecundum Auguſtini dictū, dona ſua & quæ facit ipſe opera in nobis coronat.

Hæc eſt doctrina uerè Apoſtolica, quam aduerſarij impugnant. Dicunt nos reddere ex hominibus truncos, in quibus nulla ſit uoluntas, nulla efficacia ad operandum: ſed dicunt hoc per calumniam. Condidit Deus hominem non truncum, ſed ſpiritu, mente & facultate cùm uolendi tum operandi naturaliter præditum. Quis hoc negat? Verùm quoniam ueneno ſerpentis tota eſt illius natura infecta & corrupta, iam in malo quidem nimis liberè uult & operatur: in bono uerò non ita, niſi in illo Deus ſingulari ſua gratia & uelle quod bonum eſt, &

perficere

perficere operetur. Nemo itaq; mortalium, dum uiuit, truncus est. Si namq; Christianus est, bonam habet uoluntatem, & efficaciam quoq; quod bonum est operandi, pro mensura operantis in ipso Dei. Si extra Christum est, naturaliter uult & operatur: uerùm non nisi in naturalibus, & in malo, ex infectione naturæ: in bono autem non ita.

Pro bono animi proposito, inquit.] Græcè est, *ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας*. Vocē hāc *εὐδοκίαν* Erasmus Eph. 1. uertit beneplacitum. Alij referunt eam hoc loco ad bonam Philippensium uoluntatem, propter quam operatus sit in illis Deus & uelle & operari. Et huc Erasmum respexisse apparet, dum uertit: Pro bono animi proposito. Alij uerò, quod magis placet, referunt ad beneplacitū Dei: ut idem sit *ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας*, quod *κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ*. Chrysostomus sic exponit: *διὰ τὴν ἀγάπην, διὰ τὴν ἀγαπησάσαν αὐτοῦ*.

Hanc itaq; particulam adiecit Apostolus, non modò ut omnem causam operationis Dei in nobis beneplacito illius assignet: sed & ut bonam nobis indat fiduciam, quod haud grauatim operetur in nobis, ut & uelimus & operemur quod bonum est: quandoquidem id nō nostri meriti, sed suæ ipsius beneuolentiæ respectu facit. Nemo enim grauatim facit, quod ex beneplacito suo facit: facit enim hoc ex naturali propensione. Sic natura sua comparatus est Deus, ut diligat nos, & pro bonitate sua, qua est *φιλάνθρωπος*, salute nostra delectetur. Quare omniū ad hoc est propensissimus, ut illā in nobis operetur, & nos quoq; cōformes sibi & uoluntate & operatione reddat. Hæc itaq; *εὐδοκία* Dei non immeritò nobis ab Apostolo cùm hic, tū alibi tam diligenter commendatur: qua de re Ephes. 1. uidere licet.

Omnia facite sine murmurationibus ac disceptationibus, tales ut nemo de uobis queri possit: sinceriq; filij Dei, irreprehensibiles in medio nationis praua ac tortuosæ: inter quos lucete; tanquam luminaria in mundo, sermonem uitæ sustinentes, ut gloriari possim in diem Christi, quòd non in uanum cucurrerim, nec in uanum laborauerim.

Priusquam contextum hunc tractemus, admonendus uenit Lector, ut præcedentia diligētius inspiciat. Exposuimus quidem ea secundum communem sensum, quem mox prima facie præferre uidentur: uerùm quo illa sæpius inspicimus, hoc magis apparet omnia quæ præmissa sunt, ab eo quod dixit, Proinde dilecti mei, &c. usq; huc, ubi subijcit, Omnia facite sine murmurationibus, posita esse uice encomij: sic ut hic primum de ijs admonere incipiat, quæ sint ex paradigmate Christi fidelibus imitanda. Vt summa eorum sit hęc: Proinde dilecti mei, omnia facite sine murmurationibus ac disceptationibus: & cętera per encomium inserta sint, ut ex illis permouerentur ad amplexandum adhortationem, quam instituit, sitq; hic sensus: Proinde dilecti mei, quemadmodum semper obediuistis, & non tanquam in præsentia mea solum, sed nunc etiam multomagis in absentia, cum timore ac tremore uestram ipsorum salutem perficitis (nam uerbū *κατεργάζεσθε* perinde uerti potest, Perficitis, atq; perficite) (Deus enim est, qui operatur in uobis & uelle & perficere, pro beneplacito) ita omnia facite sine murmurationibus ac disceptationibus, &c. Huius admoneo, non quòd sic ista legenda & accipienda esse affirmem: sed ut Lectorem ad hoc excitem, ut ipse consideret, quid sit probandū & accipiendum. Repugnare uidetur, quod uulgata editio habet: Omnia autē facite sine murmurationibus, &c. Verùm uocula *δὲ*, id est autē, non est in Græco: sed simpliciter, *πάντα ποιεῖτε*, id est Omnia facite.

Omnia facite sine murmurationibus, inquit, *ac disceptationibus*.] Sūma est: Hortatur eos, ut se gerāt in hoc mundo, sicuti conuenit filijs Dei. Germani filij alieni sunt à murmurationibus ac disceptationibus: sed omnia spiritu uoluntario & cōcordi faciunt. Sic dicit: Omnia facite sine murmurationibus. Quæ omnia? Neq; enim iubet ut indiscriminatim ac simpliciter omnia faciāt. Omnia, intellige, quæ ad perficiendum salutem ipsorum requirebantur, quorum suprà facta est mentio. Omnia, inquit, quæ facienda uobis sunt, sine murmurationibus ac disceptationibus facite. Ergo non est satis ad ueram pietatem, & bonorum operum studium, ea facere quæ in se bona sunt: sed requiritur ut competenter fiant, refertq; plurimùm quo animo perficiantur. Sed de hac materia in Locis nostris diximus.

Sine murmurationibus, inquit, *ac disceptationibus*.] Murmur quid sit, in Commentarijs nostris super Ioannem cap. 6. diximus. Ab hoc dehortatur fideles etiam 1. Corinth. 10. dicens: Ne murmuretis, sicut & quidam illorum murmurarūt, & exterminati sunt ab extinctore: ubi pleraq; huc faciētia annotauimus. Disceptationes sunt Græcè *διαλογισμοί*, id est disputationes, quibus inter se altercantur, & rationes factorum uel dictorum studio contendendi diuexant, qui animo sunt inquieto, ac sinistris suspicionibus laborantes, in omnia quæ ab alijs fiunt, iurganter inquirunt.

Hæc duo uitia nominatim exprimit. Sunt enim admodum seruilia, adeoq; aliena à Germanis filijs. Seruorum ingenia sic sunt comparata, ut proni sint ad obmurmurandum, obloquendū, querulandū, & inter sese disceptādum. Quàm autē turpe sit ac dedecorosum si quod in seruis culpatur, admittatur etiam à filijs, nemo est qui ignoret. Vbi charitas est, nota illa fi-

liorum

liorum Dei, ibi nec murmurationibus nec disceptationibus locus esse poterit. Illa omnia credit, omnia sperat, omnia boni consulit, omnia in meliorem partē interpretatur, omnia patienter tolerat. Contrà ubi obtinent φιλαυτία, φιλονικία, superbia: ibi necesse est nascantur & impatientia, & siniſtræ suspiciones, & murmura, & disceptationes. Hisce uitijs contaminantur etiã ea quæ in se sunt bona: quare quàm longissimè sunt à conuictu fideliũ abarcenda. Christianorum est, hospitio accipere fratres. Hic non tam refert quales, quàm quo animo accipias. Si cum murmurationibus id facias, tam abest ut factum tuum beneficij sit loco habendũ, ut magis sit culpabile. Hinc est illud 1. Pet. 4. Hospitales estote erga uos inuicem, sine murmurationibus. At hodie ne ij quidem qui xenodochijs præfecti sunt, quenquam peregrinũ sine murmuratione accipiunt. Quo animo acciperent aliquem in suam ipsorum domũ, qui ne de alieno quidem hilariter benefacere possunt?

Tales ut nemo de uobis queri possit, inquit.] Græcè est, ἵνα γένησθε ἄμεμπτοι: id est, Vt sitis sine querela. ad quem modum & uulgata habet editio. Ambrosius legit, Vt sitis irreprehensibiles. Germanicus interpres uertit, *On mackel*, id est sine macula. Chrysost. exponit τοῦτέστιν ἄληπτοι, id est irreprehensibiles. Græca uox, sine querela significat, sic comparata, ut utrumq; significet, tam eum qui non queritur de quoquã, quàm eũ de quo nemo meritò queri possit. Quemadmodũ autem utrumq; uitiosum est, & procliuẽ esse ad querulandum & murmurandũ, quod est impatientis ac morosi: & sic uiuere, ut iurè quisquam de nobis conqueri possit, quod est hominum iniquorum: ita econtrariò bonum est ac laude dignum, tam si non sis propensus ad querulandum ac murmurãdum, quàm si sic uiuas, ut nemo inueniat in te, de quo ueraciter queri possit. Prior sensus cum præcedentibus, posterior cum sequentibus facit. Quemadmodum enim quisquis facilè murmurat, facilè etiam querulatur: ita quisquis sic uiuit, ut non admittat unde quisquam meritò queri possit, is utiq; est & sincerus & irreprehẽsibilis. Quare utrouis sensu accipiamus hanc uocem, nihil existimo esse incommodi. Erasmus posteriorem expressit, dum uertit: Tales, ut nemo de uobis queri possit. Studio nõ reddidit, Vt nemo de uobis queratur: sed, Vt nemo de uobis queri possit, propterea quòd nemo tam sanctè, iustè & innocenter uixit unquam, de quo non sint improbi homines conquesti: sic ut ne unigenitus Dei quidem, Christus Dominus, in quo nihil peccati fuit unquam, murmurationes ac querelas reproborũ effugere potuerit. Nõ requiritur ergo à fidelibus sors ista, quę ne Christo quidem contigit, ut placeant omnibus: sed innocentia uitæ requiritur, de qua nemo meritò queri possit.

Sincerię.] Græcè est, καὶ ἀκέραιοι: id est, non mixti: quod de candore ac simplicitate animi ponitur: cuius oppositum est, esse duplicem, corruptum, & impurum. Animus Christiani hominis non solum erga Christum (qua de re uide 2. Cor. 11.) sed & erga proximos simplex, candidus ac purus esse debet, alienus uidelicet ab omni duplicitate & mixtura. Vtitur hac uoce Christus Matth. 10. dũ iubet discipulis suis, ut sint simplices sicut columbæ: καὶ ἀκέραιοι, inquit, sicut columbæ. Verùm hodie Romani apostoli tales homines suauiter rident, uocantes eos bardos, & bon Christian: ipsi existentes interim dentati uelut lupi, & unguibus præacutis, ad lacerandum instructi, uelut harpyiæ & aquilę, ut incredibilem uersutiam taceam. Quare quẽadmodum non sunt ἀκέραιοι, ita etiam non sunt ἄμεμπτοι: sic se gerentes, ut meritò de illis totus Christianus orbis iam olim conqueri cœperit.

Filij Dei irreprehensibiles, inquit.] Qui Græcè nesciunt, possunt hic facilè errare, ut sic distinguant: Sincerię; filij Dei, irreprehensibiles in medio nationis prauæ: quam distinctionem, licet illa nihil habeat falsi, Græcus tamen contextus nõ recipit, in quo sic legitur: καὶ ἀκέραιοι, τέκνα θεοῦ ἀμώμητα. Vbi sanè quemadmodum masculinum genus neutro coniungi nõ potest, ita nec dictio ἀκέραιοι, cum ijs quæ sequuntur, τέκνα uidelicet θεοῦ ἀμώμητα, copulari potest. Quare si incidat quisquã in exemplaria, quæ habeant ἀμώμητοι: sciat esse legendũ non ἀμώμητοι, sed ἀμώμητα.

Suprà annotauimus, duo illa uitia murmurationis ac disceptationis esse admodum seruilia, adeoq; aliena à germanis filijs. Eò respexisse Apostolum hoc loco apparet, ubi postquam Philippenses à seruili ingenio auocans dixit, Omnia facite sine murmurationib. ac disceptationibus, &c. subijcit, filij Dei irreprehensibiles. Incomparabilis planè gratia est, per fidem in Christum fieri filios Dei. Quid itaq; mirum, si requiratur etiam singularis innocentiæ & integritatis puritas? quæ tam eximiæ gratiæ ac glorię filiorum Dei respondeat. Quod autem fide in Christum filij Dei reddamur, Iohannis primo uidere licet, ubi sic legimus: Et dedit eis potestatẽ filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius, &c. Huius nos gratiæ admonens, requirit condignã sanctæ uitæ puritatẽ, ne propter nos nomẽ cœlestis patris ignominia afficiatur.

Dices: Quomodo sic uiuere potero, ut sim irreprehensibilis? Respondeo: Coram Deo non poteris, apud quem nemo est innocens, ne infans quidem unius diei, & in cuius conspectu non iustificatur ullus uiuens: coram hominibus uerò per gratiam Dei sic cõuersari poteris, ut causas reprehendendi te ac damnandi non habeant neq; boni neq; mali, quantumuis quærant illas mali, ac frequenter non datas pro datis accipiant. Poteris hoc inquam per gratiam Dei, per quam accepisti ut sis filius Dei. Qui nos adoptat per gratiam suã in filios, datq;

ſpirituum filij ſui in corda noſtra: per eandem nobis largitur etiam, ut irreprehenſibiles uiua-
mus in hoc ſeculo.

In medio, inquit, nationis prauæ ac tortuoſæ.] Non dicit, In conſpectu Dei. Licet enim rectè requiratur, ut erga Deũ ſinceri ſimus, & integri corde, in uera fide ac dilectione: fieri tamen nõ poteſt, ut in omni conuerſatione uitæ noſtræ irreprehenſibiles coram eo inueniamur, ſicuti in hoc ſeculo conuerſari poſſumus. Notanter igitur adiecit, In medio nationis prauæ ac tortuoſæ. Quæ erat illa? Viuebant Philippenſes in medio nationis Macedonicæ: cuius etiã pars aliqua erant. An hanc Apoſtolus ſingulariter nationem prauá ac tortuoſam uocat? Sanè fieri potuit, ut ea natio ſingulari malicia ac pertinacia ueritati Dei reſiſteret, unde generatio prua ac peruerſa nominari ab Apoſtolo meruerit: quemadmodum comparata fuit, & nũc quoq; eſt, natio Iudęorum, quam Seruator ipſe hoc nomine malam, adulteram, incredulam, peruerſam & nequam uocat. Verùm quoniam ea de re nihil nobis certi cõſtat, ſimplicius ac certius exiſtimo, ut intelligamus de incredulis omnibus, Euãgelio Dei pertinaciter aduerſantibus: in quorum medio non modò Philippenſes Chriſtiani, ſed & cæteri omnes quibuſuis terrarũ locis habitabant: & hodie quoq;, licet alij plus, alij minus, habitant.

Apparet autem hęc incredulorum epitheta deſumpſiſſe Apoſtolum ex Deut. cap. 32. ubi Iudęi, ſicut in uerſione Sept. legitur, γένεα μεμπτὰ, & γενεὰ σκολιὰ καὶ διεστραμμένα, id eſt filij, reprehẽſibiles, & generatio prua ac peruerſa uocantur: inter quos qui uiuebant pij, omnino in medio prauę ac peruerſę nationis uiuebant. Ad hũc itaq; Scripturę locum reſpiciens, dicit, fideles qui Philippis & in reliqua Macedonia uiuebant, tanquam ueros filios Dei in medio eorũ uiuere, qui perinde atq; Iudęi natio ſint non bona, ſed praua, non recta ac ſimplex, ſed tortuoſa ac peruerſa, eo quòd ſingulari quadam malicia ac peruerſitate Euangelio Dei reſiſterent.

Satis autem patet, ad quid hoc dicat. Sciebant quidẽ inter quàm malos, prauos ac peruerſos uiuerent. Nam id reipſa indeſinenter experiebãtur, perinde ac ſi quis nudus in medio ſpinarum & urticarum uerſetur, cui non ſit opus ut quo loco degat admoneatur. Quare non ſic meminit huius Apoſtolus, ut intelligant Philippẽſes inter quos uiuant: ſed ut admoneat eos, quanta cura ac ſolicitudine connitendum ipſis ſit, ut in tam praua ac peruerſa incredulorum hominum natione uiuẽtes, irreprehenſibiliter conuerſentur, ne quam illis malicioſe cũ ipſis agendi occaſionem ſua ipſorum culpa obijciant.

Nec caret emphaſi, quòd non ſimpliciter dicit, In natione praua ac peruerſa: ſed, In medio nationis prauę ac peruerſę. Sic enim inculcat illis neceſsitatẽ eius curę ac diligentię, ut quanto peioribus ac pluribus circumdati ſint incredulis & aduerſarijs, hoc ſciant ſe maiore cura ac ſolicitudine quamuis debere reprehenſionis uitare occaſionem. Multũ eſt, cum uno & altero peruerſo homine uiuendi habere neceſsitatẽ, id quod norũt qui hoc incommodi reipſa experiri coguntur: quantum autem ſit, ſi in ipſo peruerſę nationis medio cõuerſari cogamur, facilè intelligi poteſt. Eſt autem in medio prauę nationis uiuere, eorum fidelium qui & numero ſunt pauciores, & uiribus inferiores. Loth uiuebat in medio prauorum, qui & multitudine, & poteſtate, & impunitate pręualebant. ubi plures ſunt pij quàm reprobi, ibi dici non poteſt, quòd pij in medio reproborum: ſed potius contrarium, quòd reprobi in medio piorum uiuant. Nemo uerò exiſtimet, inter catholicos Chriſtianos fieri non poſſe, ut ueri fideles in medio prauæ nationis cõuerſentur. Licet enim catholica ſit Chriſtiani nominis profeſsio, haud tamen mox ibi eſt uera fides, & pietas catholica: ſed reipſa deprehenditur inter illos quoque multos eſſe uocatos, & paucos electos. Nec eſt ut litem nobis moueat quiſquam, quaſi hoc dicẽdo, nationes Chriſtianorum uocemus prauas & peruerſas, ſimusq; in illas iniurij ac contumelioſi. Vtinam ſic ſint comparatæ omnes Chriſtiani nominis Eccleſiæ, ut non niſi per calumniam prauæ ac peruerſæ nationes uocari queant. uerùm longè aliud eſt, ſic uocari propter fidem ac religionem Chriſti, id quòd fit à Iudęis & Turcis, imò & à falſis Chriſtianis: & aliud, hiſce uocibus notari propter ſingularem maliciam, impietatem, uerſutiam, & inemendabilem peruicaciam catholicè regnantem, cuius reſpectu ab ipſo Chriſto populus Dei natio praua, nequam, peruerſa & adultera uocatus eſt.

Itaq; duplici modo accidit pijs, ut in medio prauę nationis uiuere cogantur. Primò, Dũ inter ethnicos & à fide Chriſti prorſus & ex profeſſo alienos uiuunt: quę erat ſors Chriſtianorum, priuſquã impleretur illud Pſal. 2, Et nũc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: ſeruite Domino in timore, & exultate illi cum tremore. Oſculamini filium, &c. & hodie quoq; eorum eſt, qui in medio Turcorum uiuunt.

Deinde, Dum degunt in Eccleſijs malignantium, inter falſos Chriſtianos, carnales, ſuperſtitioſos, ſimulacrorum cultores, diuorum inuocatores, Simoniacos, & conuerſatione uitę Epicureos. Vtrum autẽ periculoſius ſit, res ipſa noſtra hac ętate mõſtrat. Tutius uiuunt Chriſtiani inter Turcos, quàm inter Papiſtas: pręſertim ubi dominantur ij, quorum quęſtui ac luxui quicquid uſpiam eſt opum, ſub prętextu religionis ſeruire cogitur.

Adijciam & hoc: Multę ſunt malicię & ſcelerum ſpecies, in gente incredula, impia, reproba ac ſcelerata, hic commemorari poterant. Quid igitur eſt quòd ex illis omnibus hãc unam

in quæ

in medium adducit, quà impij, inter quos Philippenſes uiuebant, natio erant praua & peruerſa. Græcæ eſt σκολιὰ ἢ διεστραμμένη. σκολιὸν ſignificat obliquum ac diſtortum, & διεστραμμένον per uerſum. Vtriuſque uocis idem eſt ſenſus. Non erat hoc ſolùm impiorum uitium, ſed erat ſingulare, & uehementer Euangelio Dei contrarium, pijsq; hominibus omniũ moleſtiſsimũ. In hoc uitio nihil eſt quod ſit apertum, & tale, cui quiſquam, niſi eodem peruerſo ingenio præditus, facilè poſsit occurrere: ſed ſunt omnia ſubdola, flexuoſa, obliqua, obtorta, & peruerſa, ſic ut eiuſmodi hominum nec dicta, nec facta, nec ſtudia & conſilia intelligas, uereq; impleatur in illis illud Prophetæ: Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? In medio talium uiuens homo pius, ſimplex, & innocens, utique opus habet ut ſummo ſtudio in omnibus ſe gerat irreprehenſibilem.

Inter quos lucete, inquit, *tanquam luminaria in mundo.*] Græcè eſt φαίνεσθε, quod uerbum ſignificat apparere, eſſe conſpicuum, perinde atq; ea quæ locis editis collocata omnibus ſunt ſpectantibus manifeſta. Qui uerbi huius ſenſus me mouet, ut malim legere, Inter quos apparetis, quàm, inter quos lucete. Sunt Chriſtiani in hoc mundo, inſtar ciuitatis in monte ſitæ, quæ abſcondi non poteſt: quo ſimili & Chriſtus utitur Matth. 5. Rectè monentur Chriſtiani, ut quod per gratiam Dei facti ſunt, per uitæ conuerſationem exprimere ſatagant. Sic Chriſtus ipſe diſcipulos ſuos lucem mundi eſſe dixit, & ciuitatem in monte ſitam, quæ abſcondi nequeat. quibus mox ſubiungit: Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona, & glorificent patrem ueſtrum qui in cœlis eſt. Conſimili modo hoc quoq; loco etiamſi pronunciando dicat Apoſtolus, Inter quos apparetis uel lucetis tanquam luminaria in mundo: includitur tamen uis adhortationis, qua permoueantur ut lucem gratiæ Dei ac Chriſtianæ ueritatis per irreprehenſibilem Chriſtianæ uitæ innocentiam ac ſanctimoniam exprimant. Quoniam uerò φαίνεσθε reddi poteſt tam lucete quàm lucetis, exiſtimo nihil eſſe incommodi utrouis modo, ſiue in indicatiuo cum uulgata, ſiue in imperatiuo cum Eraſmi editione legamus.

Tanquam luminaria, inquit, *in mundo.*] Græcè eſt, ὡς φωστῆρες ἐν κόσμῳ. Duo luminaria, maius & minus, Solem uidelicet ac Lunam, quæ ſunt in firmamento, uocat Scriptura φωστῆρας. Illa ſic ſunt illuſtria, & in edito poſita, ut dum in firmamento circumeunt, mundum hunc ſplendore ſuo illuminent. Exiſtimo tamen, Apoſtolum loqui hic de luminaribus nocturnis, luna ac ſtellis, illisq; comparare fideles Chriſti, in hoc mundo caliginoſo lucem ueritatis circumferentes. Et addit:

Sermonem, uel, uerbũ uitæ ſuſtinentes: quibus uerbis exponit, quomodo ſimus φωστῆρες in mundo. Eo uidelicet, quo acceptum ſermonẽ uitæ in mundo circumferimus. Ergo ſermonẽ uitæ, Euangeliũ uidelicet, luci cõparat: & quatenus hanc lucem impoſitã nobis ἐπέχομεν, id eſt continemus, inſtar φωστήρων ſumus in mũdo. Eſt enim φωστὴρ, idem quod ſeruans & continens lucem, ἀπὸ τοῦ φῶς, id eſt lux, & τηρέω ſeruo & contineo. Veritas, uita & lux Chriſtus eſt: & quatenus Euangeliũ Chriſtũ prædicat, hactenus lux eſt ac ſermo uitæ.

Locus hic diligenter eſt obſeruandus, quod attinet ueros Chriſtianos: de quibus iſta notanda ueniunt. Primò, lucere illos in mundo. Mundus totus eſt in tenebris errorũ & ignorantiæ, niſi acceptis luminaribus aliquouſq; illuſtretur. Etenim lumen illud rationis humanæ, unde mundana eſt ſapientia, uſq; adeò obtenebratum eſt, ut prorſus in cauſa pietatis, ueritatis ac ſalutis cæcuciat, imò ueritati Dei contradicat. Quare uiſum eſt Deo omnibus ſeculis aliquot mittere luminaria, quæ in caligine mundi huius luceant, ac uiam ueritatis monſtrent. Sic dedit olim patriarchas, poſt illos miſit Moſen unà cum lege, poſt Moſen prophetas, poſt prophetas Chriſtum & Apoſtolos, unà cum ueris fidelibus, quorum Eccleſiæ durant uſq; ad finem mundi. Verùm quoniam mundus amat tenebras magis quàm lucem, fit, ut odio proſequatur hæc luminaria, tam abeſt ut illis bene utatur. Et hoc eſt iudicium illius, quo condemnabitur. Ioan. 3.

Deinde, non ſolos Apoſtolos & doctores, ſed & oẽs ueros fideles Chriſti, eſſe luminaria in hoc mundo lucentia. Nam quæ hic ab Apoſtolo ſcripta ſunt, ſcripta ſunt Philippenſibus Chriſtianis, nõ ut doctorib. ſed ut Chriſtianis: idq; cõmuniter omnib. ac ſingulis. Huc ea quoq; faciũt, quę Epheſijs cap. 5 ſcripſit: Eratis aliquãdo tenebrę, nunc aũt lux in Domino, ut filij lucis ambulate, &c. Cum igitur Chriſtiani debeant eſſe luminaria mũdi, quid locis poterit eſſe in mundo, ubi luminaria illius extinguuntur? Extinguuntur aũt improbiſsimo principis tenebrarũ ſtudio, primũ occidendo, deinde corrumpẽdo. Quæ præcipua ſunt organa lucis, occiſioni dantur: reliqua multitudo uel ſuperſtitionũ caligine, uel operibus tenebrarum & carnis obſcuratur.

Tertiò, quare Chriſtiani & quomodo ſint luminaria in mũdo: propterea uidelicet, quòd & quatenus cõtinent ſermonẽ uitæ. Tanquã luminaria, inquit, in mundo ſermonẽ uitæ continentes. Non dicit, In doctrinis, mandatis ac traditionib. humanis uiuentes: ſed, ſermonem uitæ continentes. Quis eſt aũt ſermo uitę alius, quàm ſermo Euangelij Dei: de Chriſto, uera luce ac uita? Nam hoc ſolo illuminantur mẽtes hominũ, ut uiã ueritatis Dei uideant: ac Deũ

patrem & Christum filium eius cognoscant, in qua sola cognitione uita habetur æterna. uide Ioan. 17. Itaq; qui sermonem hunc uitæ auersantur, non sunt φωστῆρες, sed σκοτοστῆρες.

Quomodo aũt sermo uitæ sic continetur, ut reddat nos luminaria in mundo? Non dicit, Sermonem uitæ audientes, uel intelligentes. Neq; enim auditus, neq; intellectus ueritatis reddit nos tales, qui luceamus tanquam luminaria in mundo. Et tamen uterq; necessarius ad hoc est, ut tales efficiamur. Audiendo, intelligendo & credendo accendimur mente, ut in nobis ipsis lux simus: uerùm nondum lucemus tanquam luminaria in mundo, nisi acceptam lucem proferamus in apertum. Bifariam igitur continendus est sermo uitæ, quo simus tanquã luminaria. Primò, docendo & confitendo: deinde per cõuersationem uitæ, quod credimus ac scimus secundum Euangelium exprimendo. Qui utrunq; hoc præstant, illi per omnia similes sunt luminaribus firmamenti: qui uerò confitentur ac docent tantum, non autem uiuunt secundũ sermonẽ uitæ, similes sunt candelabris, quorũ luminare totũ est lucidũ. Nam ipsum illius corpus particeps est lucis quam mundo subministrat. Sic sunt comparati, qui & mente & ore, & totius uitæ conuersatione facti sunt illustres: hoc est, & in seipsis sermonem uitæ continent, & foràs quoq; illum ad illuminandum alios docendo ac uiuendo proferunt. Hi demum sunt ueri φωστῆρες in mundo: & ad tales respicit Apostolus. Candelabrum uerò, licet impositam lucem sustineat, est tamen illius in seipso expers. Huic similes sunt, qui docent quidem quæ uera sunt, & sermonem uitæ ad aures aliorum ore proferunt, ipsi uerò prorsus sunt interim ab illo & sensibus & conuersatione uitæ diuersi, nihilo plus lucis in se habẽtes, quàm habet candelabrum. Imò ipsa quoq; lux uerbi Dei quod ore docent, non est per omnia lucida: sed quodammodo per diuersam uitæ conuersationem, ueluti per mucum obscurata. Docet quidem de talibus Christus: Quæ dicunt facite, quæ faciunt facere nolite. uerùm quid interim ipsi ueritatis luci decedat, in illis hodie experimur, qui talibus doctoribus uti coguntur: præsertim ubi officiũ suum non faciunt, q̃ eiusmodi luminaria emũgere debebãt.

Vt gloriari poßim, inquit, *in diem Christi, quòd non in uanum cucurrerim, nec in uanum laborauerim.*] Diligebat eos omnes, quos Christo lucrifecerat, ideoq; ex animo de salute illorum gandebat: & unde gaudebat, inde etiam gloriabatur. Hoc animo præditus, hortatur Philippenses, ut suam ipsorum salutem perficientes sic se gerant in hoc mundo, ut gloriari possit, quòd non in uanum cucurrerit, nec in uanũ apud ipsos laborauerit. faciebat enim hoc cum primis ad ipsorum salutem, quam unicè quærebat: sicut in uanum cucurrisse ac laborasse, ad ipsorum utiq; perditionem fecisset. Quod itaq; dicit, Vt gloriari possim in diem Christi, quòd non in uanũ cucurrerim, nec in uanũ laborauerim, nihil est aliud, quàm quòd cursum ac labores meos non reddideritis inanes: sed bene & utiliter, ad uestrã uidelicet salutem, collocaueritis. Ad hunc modum accepta hæc uerba, prorsus aliena sunt ab affectu propriæ gloriæ, quem prima fronte præferre uidentur. Duplex est gloriatio, quemadmodum & gaudium. una carnis, altera spiritus. Qui secundum carnem gloriantur, sua ipsorum encomia ebuccinant: qui uerò secundum spiritum, non suas ipsorum glorias, sed Dei spirant, & de salute mortaliũ gaudent ex animo. A priori gloriandi genere alienissimum fuit Apostolicum hoc pectus.

Illud, In diem Christi, bifariam accipi potest. Primò, ut referatur ad proximè præcedens: Vt gloriari possim. Si sic acccipitur, legendum est, In die Christi. Deinde, ut referatur ad participium ἐπέχοντες, sitq; sic legenda: Sermonem uitæ continentes in diem, id est usq; ad diem Christi, ut possim gloriari quòd non in uanum cucurrerim.

Inter hosce duos sensus, non admodum scrupulose discreuerim. Etenim neuter est causæ quam agit Apostolus, incommodus. In priore admonemur, tum fore tempestiuũ gloriari de uera fide & doctrina Christi, deq; uera Ecclesia, contra omnes aduersarios, quando erit dies Christi, quo manifestabuntur omnia. Tum gloriabuntur ueri doctores, quòd non fuerint hæretici ac falsi doctores, pro quibus habentur iam in hoc mundo. Is dies ultima sententia inter eos discernet, qui iam iudicantur & iudicant: declarabitq; utra pars in eo quod uerum est, ambulauerit.

In posteriore requiritur, ut sermonem uitæ non solum ad tempus, sed usq; ad diem Christi contineamus. Et hoc sanè plurimùm commendabit Apostoli huius doctrinã, quòd inde ab illius Apostolatu ad finem usq; perdurat, & ab electis in hoc mundo continetur. Aduersati sunt illi pseudapostoli, cum adhuc uiueret, & Apostolatu suo sedulò fungeretur: & aduersantur illi hodie quoq; eiusdem farinæ homines, Antichristi satellites: quare hoc erit amplior illius in die Christi gloria, quo ministerium illius pluribus insultibus satanæ impugnatum, uanum & inane reddi non potuit.

Quòd non in uanum cucurrerim, inquit.] De hac currendi metaphora, & quid sit in uanum currere, diximus in ea quæ est ad Galatas cap. 2. paulo post initium, quæ huc quoq; facere possunt. Consimili modo, & in uanum laborare, est laborare uel in re uana, uel citra fructum & effectum. Quòd autem sollicitus fuerit Apostolus, ne in uanum uel frustra laboraret, uidere est Gal. 4. ubi dicit: Timeo uobis, ne quo pacto frustra laborauerim inter uos. In seculo qui laborant, frustra se laborare censent, si nihil emolumenti ex laboribus suis acceperint. Apo-

stolo

ſtolo huic longè alius fuit in laboribus ipſius reſpectus. Quicquid ipſi accideret, parum curabat, ſed id tantum ſpectabat, ut per Euangelizandi labores ſaluti fidelium cõſuleret, ac plurimos Chriſto Domino lucrifaceret. Hic demum profectus eſt ac fructus Apoſtolici laboris, ad quem unicè contendere debent fideles Chriſti miniſtri. Haud quidem eſt in ipſorum poteſtate, ut labores ſuos reddant frugiferos: ſed in manu Dei, qui dat incrementum: inſontes tamẽ & extra culpam non erunt, niſi legitimè currant, & fideliter in opere Domini laborent. Si id ritè præſtiterint, extra culpam quidem erunt, ſicubi labor ipſorum aliũde factus fuerit irritus: interim tamen extra dolorem non erunt, quem in cordibus ſuis de perditione eorum concipient, qui ſermonẽ gratiæ ac ſalutis fruſtra audiuerunt, uel audire detrectarunt: uel etſi audierunt quidem, & auditum cum gaudio receperunt, haud tamen in eo quod receperunt conſtanter permanſerunt. Tum enim fruſtra laborat miniſter uerbi, quando uel nõ auditur, uel auditus non recipitur, uel receptus ſermo uitæ non niſi ad tempus retinetur: quod poſterius Apoſtolus hic in Theſſalonicenſibus futurum timebat: eamq; ob cauſam Timotheũ ad illos mittebat, ut fidem eorum cognoſceret, ne fortè tentaſſet eos is qui tentat, & ipſius labor factus eſſet inanis. 1. Theſſ. 3.

Putabimus ne eos ad hunc eſſe modum animatos, qui non uocati alij ad concionandum, alij ad cantandum, alij ad miſſandum, alij ad alias prælaturas occupandum currunt: quorum ſcopus non eſt mortalium conſulere ſaluti, ſed ſuo ipſorum proſpicere uentri? Id ſi ſucceſſerit, abundè ſibi ſatis efficaciter concionari, cantare, orare, miſſare, abbates, archipresbyteros, Epiſcopos & Carnales agere uidentur, quicquid interim de ſalute mortalium fiat. Apoſtoli Romani, nõ à Chriſto, ſed ab Antichriſti latere miſsi, currunt & ipſi per mare, per terras, non ad ouiculas Chriſto lucrifaciendas, ſed ad reges & principes Pontifici ſuo ſubijciendos, eaq; in re nonnunquam admodum improbè laborãt, & omnibus modis ſatagunt ne fruſtra currant, & re infecta inanes ad Pontificem ſuum reuertantur. Qui nunc eſt in Gallia legatus à Pontifice, non ad euãgelizandum, ſed ad turbandum Euangelij Chriſti profectum miſſus, quid non molitur, & in quas ſe formas minando, largiendo, ac promittendo non uertit, quo efficiat, ne fruſtra cucurrerit, & in uanum laborauerit? Ab eiuſmodi Apoſtolis ego non requiro, ut currendo & laborando fructificent Chriſto, proſintq; mortalium ſaluti: ſed ſufficere illis iudico, ſi ſeruiant ei domino, Antichriſto ſcilicet, fideliter, à quo ſe miſſos eſſe profitentur: & tandem unà cum illo recipiant, quod malis ſeruis Chriſtus Matth. 24. & Antichriſto, illiusq; ſectatoribus Apoſtolus minatus eſt, 2. Theſſ. 2.

Quinetiam ſi immolor ſuper hoſtia ſacrificioq; fidei ueſtræ, gaudeo, & congaudeo omnibus uobis. Ob idipſum aũt & uos gaudetis, & cõgaudetis mihi.

Redit ad id quod capite præcedenti de reditu ſuo ad ipſos ad hunc modum ſcripſit: Et hoc certò ſcio, quòd manſurus ſim, & c[illegible] omnibus uobis manſurus ſim, in ueſtrum profectum & gaudium fidei, ut gloriatio ueſtr[illegible] exuberet per Chriſtum Ieſum, in me, per meum ad uos reditum. Ne ex eo tantùm, quod reuerſurum ſe ad ipſos pollicetur, gaudendum ſibi eſſe exiſtiment: ſecus uerò agendum ſi non redeat, ſed à Nerone occidatur, pro ſua prudentia particulam hanc adijcit: unde præmoneantur, quàm ſic quoq; gaudendum ſit ipſis, ſi propter opus fidei à Nerone occiſus, ad ipſos amplius reuerti nequeat.

Quinetiam ſi immolor, inquit.] Vulgata editio perperam habet, Aemulor. Dubio procul factum hoc eſt per negligẽtiam antiquariorum. Græcè eſt σπένδομαι, quod quamuis paciſcor ſignificat, hoc tamen loco pro immolor poſitum eſt. Mortem ſuam uocat immolationem. Poterat dicere, Quinetiam ſi morior: ſi moriturus fuiſſet non aliter quàm ſecundum communem moriendi neceſsitatem. Verùm quoniam ſemetipſum propter Euangelium Chriſti oblaturus erat Deo, per manus incredulorum mactandum ac ſacrificandũ, ideo uerbo immolandi uti uoluit: ut admoneret eos, quàm non ſit eorum mactatio, qui pro Euangelio Chriſti ab impijs mactantur, ſimpliciter habenda pro morte, ſed pro uictima & ſacrificio, in oculis Domini multo magis precioſo, quàm ſint omnes omnium pecudum immolationes.

Non dicit autẽ, Iam immolor, ſicuti 2. Timoth. 4. loquitur: ſed, Quinetiam ſi immolor. Sic enim dicendo contradiceret præcedentibus, quibus ſpem ipſis de reditu ſuo fecerat. Et eſt ſenſus: Quinetiam ſi quod timetis futurum eſſet, uidelicet non reuerſurum me ad uos, ſed in hac captiuitate mea moriturũ, non erit ut inde contriſtemini, &c. Sic enim moriendo, uictima & ſacrificium fierem Domino. Futurum quidem erat, ut immolaretur: uerùm non uult ut timeant, ne id fiat in ea captiuitate, in qua tum detinebatur, ſed ut ſperent potius fore ut ad ipſos reuertatur: deinde ut ſi, ſic uolente Deo, contigerit ſe immolari, haudquaquam contriſtentur, ſed potius gaudeant.

Super hoſtia, inquit, *& ſacrificio fidei ueſtræ.*] Quoniam non ſimpliciter dicit, ἐπὶ τῇ λειτουργίᾳ: ſed, ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ, nõ incommodè uertit Eraſmus, Super hoſtia & ſacrificio fidei ueſtræ. aliàs uox λειτουργία non ſonat propriè ſacrificium, ſed publicum miniſterium, ſi ſine expreſſa ſacrificij mentione ponatur. Sic Rom. 15. uertit eam hic idem Eraſmus, non ſacrficium, ſed

ministerium. Quare uetus interpres rectius hoc præsenti loco uertisset, Sacrificium, quàm obsequium, propter adiunctam θυσίαν.

Potest autem hæc particula bifariam accipi. Primò, ut referatur ad præcedentia, & continua lectione sic legatur: Quinetiam si immolor super hostia & sacrificio fidei uestræ, ut exprimatur causa immolationis ipsius. sitq; sensus: Quinetiam si propterea immolor, quòd uos & reliquas gentes, per ministerium Euangelij quod prædico, ueluti uictimam & sacrificium Deo obtuli, dum uos à gentilibus erroribus ac falsorum deorũ cultibus abductos ad fidem in Christum perduxi. Huic sensui conforme est quod Rom. 15. sic dicit: εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν Ιησοῦ χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη, ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ, ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος, &c. Deinde sic, ut post uerbum Immolor, sit distinctio, & subiecta hæc particula iungatur cum sequentibus ad hũc modũ: Quinetiã si immolor, gaudeo & congaudeo uobis omnib. super hostia & sacrificio fidei uestrę. Q. d. Etiamsi immolor, nihil inde nec mihi nec uobis accidet mali: imò causam potius habeo ex eo gaudendi, & uobis omnibus congaudendi, ob id quod per fidem in Christum hostia Deo & acceptum sacrificium estis facti. Hunc sensum Chrysost. tenuit.

Quomodocunq; accipiamus hãc particulã, uidemus duplex poni sacrificiũ: unũ passionis & mortis, alterum fidei. Prius uocat Apostolus immolationem, posterius fidem. Illud cruentum est, hoc incruentum. Cruentis sacrificijs nostrum hoc seculum abundat, in quo per impios crucis Christi inimicos corpora sanctorum mactantur & immolantur. Incruentum sacrificium fides est, qua nos ipsos totos ad obediendum uoluntati Dei offerimus, simulq; illi laudem ac preces sacrificamus.

Gaudeo, & congaudeo omnibus uobis, inquit.] Non recipio expositionem eorum, qui illud Gaudeo sic exponunt, quia hoc erit ad meam gloriam. Non respicit ad suam gloriam Apostolus, sed potius ad gloriam Christi, quam erat morte sua illustraturus. qua de re cap. præcedenti mentionem fecit: deinde ad salutem eorum quos Christo lucrifecerat. Sic erat super immolatione sua gauisurus, & Philippensibus fidelibus omnibus super fidei ipsorum sacrificio cõgratulaturus. Quòd si posterior lectio placet, quã paulo suprà posuimus, ut legamus, Quinetiam si immolor super hostia & sacrificio fidei uestræ, gaudeo & cõgaudeo uobis omnibus: intelligendum erit de uno & eodem Apostoli gaudio, quo gaudebat & congaudebat Philippensibus omnibus, super ipsorum fide ac salute. quod sanè gaudium sibi ne morte quidem eximi posse significat. Q. d. Etiamsi ego occidor & immolor, ut ad uos reuerti nequeam, gaudeo tamen & congratulor uobis, quod per ministerium Apostolatus mei ad fidem in Christum perducti, uos ipsos Deo ad obediendum illi totos sacrificastis & obtulistis.

Sit igitur hoc morientium ministrorum Christi gaudium, siue communi morte, siue uiolenta propter Christum illata moriantur, ut super hostia & sacrificio fidelium Christi ex animo gaudeant. Huiusmodi affectus cõprobat, quid toto ministerij ipsorum cursu quæsierint: ea´ne quæ ipsorum fuerint, an quæ aliorum salutem concernunt. Econtrariò uerò haud modicam sentiunt cordium suorum tristiciam, qui ex hac uita migrantes, in ijs quibus in Domino præfuerunt, non inueniunt ea quæ salutis, sed magis quæ perditionis ipsorum indicia præbeant. Et Ambros. hac de re annotat.

De eo quòd non simpliciter dicit, Congaudeo uobis: sed, Congaudeo uel cõgratulor uobis omnibus, diximus capite præcedenti, ubi aliquoties uniuersalem uoculam Omnes, inculcat, quo dilectionem suam qua omnes fideles Christi complectebatur, exprimat. Sic hoc quoq; loco eundem affectum spirat, quo intelligant, neminem in ipsorũ esse Ecclesia, quamuis uulgarem & abiectum, cuius fidei ac saluti non ex animo congratuletur.

Ob idipsum autem & uos gaudetis, inquit, *& congaudetis mihi*.] Quod Græcè est χαίρετε καὶ συγχάρητέ μοι, æquè reddi potest imperandi modo, Gaudete & congaudete mihi. Et uulgata editio habet: Gaudete & congratulamini mihi. Cur Erasmo magis arriserit indicandi modus, non uideo. Mihi non liquet, quare hic receptam uersionem deserere debeam.

Ob idipsum autem, inquit, & uos gaudete, & congaudete mihi. Ob quid? Ob meum uidelicet sacrificium, si immolari me Dominus uoluerit. uicissim & uos gaudete & congaudete mihi, quemadmodum ego super uestro gaudeo, & uobis omnibus congaudeo. Mirum uidetur, quomodo fieri possit, ut discipuli super cruenta doctoris & Apostoli sui morte gaudeant. Rursus reprehensibile fuerit, si id ægrè ac dolenter ferant, unde ipse lętatur, cum sit ipsis cum gaudente gaudendum, & cum mœrente mœrendum. id quod hic à Philippensibus petit Apostolus. Si immolandus sim, inquit, de eo gaudebo admodum: quare ob idipsum gaudete & uos, & congaudete mihi, si me sincerè diligitis. Sic ad discipulos suos & Christus dixit Ioan. 14. Si diligeretis me, gauderetis utiq;, quia uado ad patrem. Consimili modo & Apostolus hic dicere potuit: Si immolor, gaudete, & congaudete mihi, si me diligitis, quia uado ad Christum.

Locus hic diligenter notandus est. Propriè nanq; ad ueros Christianos pertinet, inter carnales uerò nihil potest habere loci. Calamitosum uidetur, quòd tanta cum ęquitia sanguis fidelium Christi funditur. Et est sanè rationis ac naturæ nostræ iudicio res admodũ horrẽda ac de-

ac deploranda, ipsis oculis spectare innocentum hominum mactationem, in quibus nulla inueniri possunt flagitia, quæ tam cruentæ æquitiæ prætexi queant. Verùm si sors illorum non carnis, sed fidei oculis inspiciatur, tam non est horrendum quod patiuntur, ut magis sit & ipsis & nobis super eo gaudendum & congaudendum. Primò, ipsorum gratia. Nam etiamsi in oculis hominum dira patiuntur, spes tamen illorum immortalitate plena est. uide Sap. 3. & quod ad momentum perferunt, æternum cœlestis gloriæ pondus operatur: 2. Cor. 4. & eiusmodi immolatione resoluuntur, ut sint cum Christo: Philip. 1. Tam lucrosum ac precioſum mortis genus quomodo non ampliſsimam haberet ueri gaudij materiam? Deinde, & propter Christum, cuius Euangelium, nomen & ueritatem in mundo confeſsione ac morte sua glorificat. Huc illud pertinet cap. præcedenti: Magnificabitur Christus in corpore meo, siue per uitam siue per mortem. Et quod Ioan. cap. ult. dicit: Hoc autem dicebat, qua morte glorificaturus esset Deum. Tertiò, & ob id quod semen est sanguis Christianorum: qui quo copioſius funditur ac ueluti seminatur, hoc plus adfert Christianæ sementis. cuius rei non solum in prima Eccleſia initio Christianiſsimi, sed & hac nostra ætate manifeſta ueritas irrefragabiliter declaratur. Quartò, etiam hoc nomine, quòd huiusmodi sanctorum patientia regnum tenebrarum, in quo dominatur Antichristus, confunditur & expugnatur: hiſce & cõ similibus alijs rationibus admonemur, quàm non debeamus forte hac fidelium Christi contristari, qua pro ueritate Dei trucidantur: sed gaudere potius, & pro fidei illorum constantia offerre Deo sacrificium laudis, & ex animo precari ut confortes illorum efficiamur.

Spero autem in Domino Ieſu, Timotheum me breui miſſurum uobis, ut & ego læto ſim animo, cognito ſtatu ueſtro. Neminem enim habeo pari mecum animo præditum, qui germanè res ueſtras curaturus ſit. Nam omnes quæ ſua ipſorum ſunt quærunt, non quæ Chriſti Ieſu. Porrò probationem eius noſtis, quòd ut filius mecum ueluti cum patre ſeruierit in Euangelium. Hunc igitur ſpero me miſſurum, moxubi uidero mea negocia.

Respicit ad ea quæ suprà cap. præcedenti de rebus suis ad eos propterea scripsit, ut cognoscentes, quod quæ ipsi in uinculis constituto accidebant, magis ad profectum quàm ad detrimentum Euangelij facerent, alacri animo in fide Christi persterent ac pergerent. Eregionè desiderabat de rebus ipsorum cognoscere, ut & ipse cognito illorum statu exhilararetur. Hanc partem iam subijcit dicens:

Spero autem in Domino Ieſu, Timotheum me breui miſſurum uobis, ut & ego læto ſim animo, cognito ſtatu ueſtro. Epiſtolam hanc miſit ad eos per Epaphroditum. Quare per illũ de rebus ipsorum non cognouit? Mihi uidetur sic illum miſisse, ut apud eos maneret, tanquã ipsorum Apostolus: quare non poterat per eum cognoscere, quomodo se gererent. Timotheum uerò mittere ad hoc proposuerat, ut & curaret ille res ipsorum, pro pietatis ac prudentię suæ dexteritate: & ad se reuersus, de statu ipsorum certa nunciaret. Quòd autem illum non unà cum Epaphrodito miſit, in causa fuit, quòd nõdum certò tenebat, quis futurus esset rerum suarum status: id quod tamen paulo pòst manifestè se cogniturum sperabat. Ideo non simpliciter dicit, Spero me Timotheum miſſurum uobis: sed, Spero me Timotheum ταχέως, id est citò, confeſtim, miſſurum uobis. Et infrà: Hunc igitur spero me miſſurum, mox ubi uidero mea negocia.

Spero autem in Domino Ieſu, Timotheum me breui miſſurum uobis.] Non simpliciter dicit, Timotheũ breui mittam: sed, Spero aũt Timotheũ me breui miſſurum. Non sic innititur suo proposito, ut confidenter facturũ se quod in animo habebat præsumat, sed in spe illius consistit. Quid sperabat? Timotheum se breui miſſurum. Non simpliciter miſſurũ, sed breui miſſurum. Hoc est, sperabat breui fore, ut è uinculis illis liberaretur: quo facto, certa posset de rebus suis nũciare Eccleſijs, & Timotheum à se ad illas mittere. Et hanc spem non humanitùs conceperat, sed ex fiducia, qua à gratia & prouidentia Christi pendebat. Ideo non simpliciter dicit, Spero: sed, Spero in Domino Ieſu. Sciebat se captiuum teneri eo loco, unde non facile humano posset consilio elabi. Iuxtà tamen sciebat potentiam Domini sui, cui seruiebat, multo esse maiorem, quàm Romani imperatoris, & Regũ omnium, quantumuis magnorũ & potentũ. Sensus igitur est: Spero autem Dominum Ieſum, cui pater omnem poteſtatem dedit in cœlo & in terra, breui me ex hiſce uinculis liberaturum, & Eccleſijs suis redditurum. Mox ubi hoc factum fuerit, mittam uobis Timotheum.

Non est autem ociosum quod non dicit, Spero in Christo: Sed, spero in Domino Ieſu. Sic enim refricat illud, quod suprà dixit: quod Dñs sit Ieſus Christus ad gloriã Dei patris: &, quòd in nomine Ieſu omne genu se flectat, cœlestiũ, terrestriũ, & subterraneorũ. Romę uocabantur imperatores cõmuniter Dñi, eo quòd in ipsorũ poteſtate uidebantur esse omnia. Et hodie quoq; Turcorum Imperatorem magnum Dominũ uocant. Et noſtri Reges ac principes, Epiſcopi quoque & reliqui prælati, Domini appellantur. Cum ergo sub Romani imperij Domino captiuus teneretur Apostolus, patienter quidẽ eã captiuitatẽ ferebat: uerùm

interea ſpe firma pendebat à Domino Ieſu, quẽ ſciebat eſſe Regem regum ac Dominum dominantium, habereq; in manu ſua omnium illorũ corda & conſilia. Hanc ſpem ſuam ad hoc exprimit, ut moneat & Philippenſes & nos omnes, quomodo debeamus cõtra terrenorum dominorũ potentiã ſpẽ fixã habere in Domino Ieſu, & nos totos uoluntati illius cõſecrare.

Et illud obſeruandum eſt, quòd non ſimpliciter dicit, Timotheum me miſſurum: ſed, Timotheum me miſſurum uobis. Poterat dicere, Timotheum me miſſurum ad uos, quemadmodum infrà de Epaphrodita loquitur: uerum ſic dicendo non expreſsiſſet, quod hunc ipſorum bono miſſurus illis eſſet, uidelicet ut qua pollebat ſingulari pietate, fide ac dexteritate, res ipſorum curaret. Non mox mihi, id eſt in meos uſus mittitur, quiſquis ad me mittitur. Mittit ſuos legatos & Romanus Põtifex ad reges & principes, uerũ non regibus ac principibus, ſed omnino ſibi regnoq; ſuo conſulens. Verus Chriſti Apoſtolus mittit non Philotimum, non Philochryſon, ſed Timotheum, religioſum ac reuerentem Dei: non ſibi, ſed Eccleſiæ Philippenſium, ut illos in ſyncera Chriſti fide confirmet. Huiuſmodi legationes eſſe debebant miniſtrorũ Chriſti. Verùm non ſolum Romana ſedes, ſed & noſtri ſæpenumero mittunt ad Eccleſias qui illas occupent, non ædificent: ſicq; agant omnia, ut liquidò uideantur non Eccleſijs, ſed ſibi eſſe miſsi.

Vt & ego læto ſim animo, inquit, *cognito ſtatu ueſtro.*] Erat hæc una cauſa, cur Timotheum miſſurus erat. nam mox alium quoq; adijciet. Non dicit ſimpliciter, Vt cognoſcam τὰ περὶ ὑμῶν, id eſt, quæ circa uos geruntur, res ueſtras, uel ſtatum ueſtrum: ſed, Vt & ego læto ſim animo, cognito ſtatu ueſtro. Habes hic ingenium uerę dilectionis. Pollicetur ſe breui miſſurum Timotheum, uidelicet, ubi ope Domini Ieſu liberatus fuerit è uinculis, ut cognito ipſorum ſtatu læto ſit animo. Obſecro, nõ erat illi ſatis occaſionis ad lætandum futurum, ubi liberatus eſſet è uinculis, niſi etiam de ſtatu Philippenſium cognoſcat? Si quę ſua erant, duntaxat ſpectaſſet, utiq; abundè ſatis fuiſſet illi gaudij ex tam inſperata ſui liberatione. Verùm quoniam ſic diligebat Eccleſias, ut pro illis ſolicitus eſſet magis quàm pro ſeipſo: non erat gaudium ipſius plenum futurum, niſi cognito illorum ſtatu.

Deinde & illud obſerua, quòd non ſimpliciter dicit, Vt læto ſim animo: ſed, Vt & ego læto ſim animo. Q.d. Vt non uos cantùm cognitis meis rebus lætemini, ſed & ego cognito rerum ueſtrarum ſtatu læto ſim animo. Et hic ingenium mutuæ dilectionis exprimitur: Quoniam diligebat Philippenſes, ſtudioſe curabat, ut illi rebus ſuis cognitis exhilararentur: & rurſus eam ob cauſam res illorum cognoſcere geſtiebat, ut ipſe quoq; læto reddatur animo. Qui uere amat, ubi proſperè agit, proſperitatem ſuam innoteſcere cupit amicis, quo ſibi congratulentur: & rurſus de illorum rebus cognoſcere geſtit, quo uiciſsim illis & ipſe congratuletur.

Cognito ſtatu ueſtro, inquit.] Non dicit: Cognito ueſtro erga me amore, officio ac ſtudio: ſed, Cognito ſtatu ueſtro. uel, Cognitis ijs quæ circa uos geruntur. De ſtudio & amore ipſorum erga ſe non erat ſollicitus, neq; cognoſcendi illius gratia Timotheum erat ad ipſos miſſurus: ſed ſtatum ipſorum cognoſcere cupiebat, quia diligebat ipſos & ſalutem ipſorũ, non res ſuas in ipſis quærebat.

Mirum uerò eſt, qualis nam ſtatus rerum Philippenſibus Chriſtianis eſſe potuerit, unde Apoſtolus gaudio ſe affici poſſe ſperarit. Veroſimile eſt, fuiſſe inter illos paucos admodum iuxta ſeculum nobiles, diuites ac potentes: ſed ſecundum ſortem Chriſtianæ uocationis maiori ex parte extitiſſe eos homines plebeios, idiotas & obſcuros: deinde quoniam Chriſtiani erant, propter Chriſtum communi fuiſſe odio expoſitos, ac grauiſsimis perſequutionib. obnoxios. ſicut & ſuprà cap. præcedẽti datũ illis eſſe dixit, ut pro Chriſto paterentur. Huiuſmodi hominum ſtatus quid habebat in ſe, unde gaudendum fuerit ei qui ſalutis ipſorum cupidus uideri uolebat?

Reſpondeo. Huiuſmodi rerum ſtatus in ſe quidem talis non eſt, qui congratulationis materiam habeat: uerùm ſi ſit coniunctus cum ſincera erga Chriſtum fide, conſtanti patientia, fraterna dilectione, humilitate animi, unanimi conſenſione, & ſancta Chriſtianæ uitæ conuerſatione: tum demum reuera continet in ſe dotes omnium clariſsimas, unde non immeritò Chriſti gaudeat Apoſtolus, ac talibus congratuletur ex animo.

Dixerit quiſquam: Quid autem ſi de ſtatu Philippenſium longè diuerſa auditurus & cogniturus fuerit ex Timotheo, utpote quòd parum amplius haberent fidei, parum dilectionis, parum conſenſionis, &c. An mox cognito eiuſmodi illorũ ſtatu, gauiſus fuiſſet? Reſpondeo: Meliora ſperabat, pro ingenio charitatis, quæ omnia credit, & omnia ſperat.

Quæſierit hic aliquis, quorſum opus fuerit mittere Timotheum tam prolixo ac periculoſo itinere ad cognoſcendum Philippenſis eccleſiæ ſtatum, cum poſſet de illo per præſentiã ſpiritus ſui, quantũuis corpore abſens, cum gaudio cognoſcere, non minus q̃ Coloſſenſium ordinẽ ac fidẽ ad eum modũ uidere potuit. Sic enim in Epiſtola ad illos cap. 2 ſcribit: Etenim quáuis carne ſim abſens, tamen ſpiritu uobiſcũ ſum, gaudens ac uidens ueſtrũ ordinẽ, & ſoliditatẽ ueſtrę in Chriſtum fidei. An nõ eodẽ modo & Philippenſis Eccleſiæ ſtatũ ſpiritu præſens uidere & cognoſcere potuit? Reſpondeo. Quod ad Coloſſenſes ſcribit, ſingulare

habet

habet prę̃sentiam ſpiritus, non naturalẽ,ſed miraculoſam: qualis fuit, qua Elizeus factum Giezi corpore abſens,perinde ſpiritu prę̃ſens uidit ac ſi corpore prę̃ſens fuiſſet: qua de re uidere eſt 2. Reg. 5. Verùm quę miraculoſa ſunt, & naturę noſtrę uires ſuperant, nõ ſunt ſic in poteſtate ſanctis Prophetis & Apoſtolis,ut faciant ea quoties uolunt:ſed pendent à ſingulari operatione ſpiritus Dei. Quare non ſunt facta illorum eò rapienda,quaſi nihil debuerint cõmunibus & naturalibus modis, ſed omnia inſolitis & miraculoſis perficere: id quod ne Chriſtus ipſe quidem fecit. Deinde multo erat utilius Philippenſibus, ut mitteretur ad eos Timotheus, per quem non ſolum cognoſceret Apoſtolus, quo eſſent in rerum ſtatu: ſed & res illorum curarẽtur,quod per miraculoſam ſpiritus ipſius præſentiam fieri nequiuiſſet. Illa nanque etiamſi ad hoc facere poteſt, ut quæ geruntur cognoſcantur,nec ad ea tamen ea quæ non bene geruntur corrigenda, nec ad ea quæ facienda ſunt inſtituenda ualet. Quare licet corpore abſens,ſpiritu præſens,ordinem Coloſſenſium cum gaudio uideret:neceſſarium tamen erat, ut per Epiſtolam eos inſtrueret,& in fide Chriſti confirmaret, quod per ſolam ſpiritus ſui præſentiam facere non poterat: quemadmodum nec Elizeus propheta puerum ſuũ Giezi in ipſo facto corripere,& ne id faceret prohibere potuit, quamuis uideret ſpiritu præſens quid faceret, ſed expectare coactus eſt donec ad ſe reuerteretur.

Neminem enim habeo, inquit, *pari mecum animo præditum, qui germanè res ueſtras curaturus ſit.*] Erat Timotheus ex ſelectis Euangelij Chriſti organis, & præterea ipſi Apoſtolo ſummopere neceſſarius: unde cogitari poterat,quare hunc miſſurus eſſet,cum ad id negocij alium quempiam ex diſcipulis mittere poſſet. Reddit igitur hanc conſilij ſui rationem,quòd præter illum neminem habeat, qui res Philippenſis Eccleſiæ germanè ſit curaturus.

Poteſt autem hæc ἀντιλογία bifariam accipi. Primò ſic, ut intelligamus Apoſtolum præter unum hunc Timotheum neminem inter omnes ſuos habuiſſe diſcipulos, qui perinde atque ipſe animatus eſſet ad opus Domini obeundum, ſecumque eſſet ἰσόψυχος. Hunc ſenſum quo Timotheus cum ipſo Apoſtolo confertur, Eraſmus exprimere uoluit: ubi reddidit ἰσόψυχον, non ſimpliciter Pariter animatum,ſed,pari mecum animo pręditum. Huic ſententiæ fauere uidetur quod 1. Cor.16. ſic legimus: Quòd ſi uenerit Timotheus, uidete ut abſque metu ſit apud uos. Opus enim Domini operatur,quemadmodũ & ego. Non quærebat uidelicet quæ ſua eſſent, ſed opus Domini fideliter in Eccleſijs illius operabatur. Et hactenus erat Apoſtolo ἰσόψυχος, id eſt pari cum illo animo pręditus. Non tribuit illi ἰσομετρίαν in opere Domini,aut ἰσεργασίαν, ſed ἰσοψυχίαν. Non pari menſura operabantur Paulus & Timotheus. nam Paulus plus omnibus laborabat: pari tamen erant animo in opere Domini prędíti. Hactenus pares eſſe poſſunt Apoſtolus & diſcipulus, licet in quantitate operis ac fructuum ſint impares. Et utinam ſit hęc ἰσοψυχία inter omnes Chriſti miniſtros, qualis fuit inter Paulum & Timotheũ, non qualis eſt inter Pontificem & Cardinales.

Deinde ſunt qui hunc ſenſum non probant. Exiſtimant enim,comparari hic Timotheum non cum Paulo,ſed cum reliquis illius diſcipulis. Illi,quod eſt in textu, pari animo prædítum, perinde accipiunt ac ſi ſit, ἰσόψυχον αὐτῷ, id eſt, pariter cum illo animatum. In priore ſenſu ſubaudiendum eſt, præter ipſum, quaſi ſit: Neminem enim habeo pari mecum animo prædítum, præter ipſum.quod in poſteriore non deſideratur: deſideratur uerò, cum ipſo. Verùm nihil refert utrouis modo accipiamus. Chryſoſtomus tamen ſecundum priorem ſenſum exponit ad hunc modum: τοῦτό φησιν, ὁμοίους ἐμοὶ καὶ Πάυλον ὑμῶν, καὶ φροντίζοντα. ὁ φιλῶν ὑμᾶς μετ' ἐμοῦ, τιμᾷ δὲ καὶ ἐμέ. Et Ambroſius ſic expoſuit dicens: Erat enim Apoſtolo unanimis.

Neminem enim habeo, inquit, *pari animo prædítum.*] Admonemur hoc loco, quàm non mirum in nouiſſimis hiſce & omnium corruptiſſimis temporibus uideri debeat, quòd tam pauci reperiuntur,qui pari fide,animo ac zelo cum priſcis ſanctis & Apoſtolis ſint in cauſa Chriſti & Eccleſiarum illius prædíti:cum ipſi Paulo inter omnes ipſius diſcipulos uix unus contigerit, qui eſſet ipſi ἰσόψυχος. Non eſt igitur nouum, ſi ſub optimo quolibet præceptore multi ſint ignaui diſcipuli,& uix unus reperiatur qui paria cũ illo faciat. Qua in re uidemus,quàm diſcipulorum profectus non pendeat à diligentia ac præſtantia præceptoris, ſed ab eo à quo donum præſtantis animi confertur. Alioqui querimonia hæc in apoſtolo Paulo nihil habuiſſet loci. Etenim ſi per ipſum ſtetiſſet, reddidiſſet diſcipulos ſuos omnes per omnia ſibi pares. Non reddidit autem : ergo non potuit. Sic etiam noſtra hac ætate prę̃ſtantes aliquot doctores uidimus, per quos Dominus lucem Euangelij ſui illuceſcere fecit in mundo: quorum nemo pares ſibi poſt ſe diſcipulos relinquere potuit, imò ne filios quidem: ut reipſa uideamus eiuſmodi ſingularia organa Dei nec ex carne naſci, nec ullo humano ſtudio parari, ſed diuinitùs excitari.

Qui germanè, inquit, *res ueſtras curaturus ſit.*] Exprimit qualẽ animũ ab eo requirat, quẽ poſsit utiliter ad Philippenſes mittere: talem uidelicet, qui res illorũ germanè ſit curaturus. Oportere aũt ſignificat pariter illũ ſecũ eſſe animatũ. Nõ dicit,q̃ pari mecũ ſit ſciẽtia,intelligẽtia,& loquẽdi dono prędítus. Neq; enim uel ἰσογνώμων uel ἰσοτιμία par ſtudiũ ad ędificandũ Eccleſias

gignit,

gignit, gignit uerò ἰσόψυχία. Par animus, par operandi ſtudium gignit. Videmus hodie multos æqualiter doctos, ἀλλὰ διὰ παθῶν à ſe inuicem diſſentire, ſic ut alij ædificent Eccleſias uerbo ueritatis, alij deſtruant illas uerbis mendacij: alij curent res Eccleſiarũ, alij res ſuas agant. Vnde eſt hæc inter æqualiter doctos ſtudiorum & operum diuerſitas? Ex eo uidelicet, quòd nõ ſunt ἰσόψυχοι, ſed ὑπερόψυχοι. Si eſſent pari animo præditi cum Apoſtolo ac Timotheo, pari etiam candore res Eccleſiarum curarent.

Locus hic paucis quidem uerbis, uerùm ſatis prægnantibus, depingit officium ueri Epiſcopi, & Apoſtolorum diſcipuli.

1 Principiò requirit ab illo, ut pari ſit animo cum Apoſtolis Chriſti præditus. Gloriantur Romanæ eccleſiæ epiſcopi de apoſtolo Petro, illumq; ſibi pro peculiari ipſorum Apoſtolo uindicant. Verùm an ſint illi ἰσόψυχοι, iudicet ipſorum conſcientia, & totus Chriſtianus orbis.

2 Deinde talẽ ponit, qui ſit ſollicitus, nõ negligẽs ac ſecurus, ſicuti patet in uerbo μεριμνῶν. Eſt enim officium Epiſcopi plenum curarum ac ſollicitudinum. Rom. 12. dicit: Qui præeſt, in ſollicitudine: ſubintellige, præſit.

3 Tertiò, exprimit etiam quænam ſint ea quæ curare debeant Epiſcopi. Qui germanè, inquit, res ueſtras curaturus ſit. Debent ergo curare res Eccleſiarum. Verùm an haſce non curant noſtri Epiſcopi? An nõ illarum gratia Epiſcopatus ambiunt? Curant utiq;: ſed ne quid ipſis de cenſibus, reditibus, iure, ac dominijs Eccleſiarum decedat. In hos uſus habent ſuas harpyias, officiales, fiſcales, procuratores, oeconomos, &c. Quare nihil illis decedere uidetur, quod ad curam rerum Eccleſiaſticarum pertineat. Et inter noſtros quoq; Euangelicos Magiſtratus pleriq; reperiuntur, quorum pectora eiuſmodi Eccleſiaſticorum bonorum cura tangat. Verùm res Eccleſiarum Chriſti Epiſcopo curandę, non ſunt dominia, prædia, cenſus ac reditus, ſed quæ animarum ſalutem concernunt; quorum ſuprà facta eſt mentio, & infrà quoq; fiet.

4 Quartò, in eo quòd non ſimpliciter dicit, Qui res ueſtras curet: ſed, Qui germanè res ueſtras curet: admonet, non eſſe ſatis curare quæ ſunt curanda, niſi γνησίως curentur. Sonat Græca uox, ingenuè & germanè. Vbi pater παιδικῶς quæ filij ſunt curat, curat ea γνησίως: conſimili modo & ea cura, qua frater quæ fratris ſunt ex animo curat, γνήσιος eſt, germana & ingenua. Quare ea uox omnem fucum & inſinceritatem ab opere & cura Epiſcopi excludit.

Nam omnes, inquit, *quæ ſua ipſorum ſunt quærunt, non quæ Chriſti Ieſu.*] Quòd ſe neminem præter Timotheum habere dixit, qui pari ſecum ſit animo præditus, ac res ipſorum germanè curaturus, ſic dictum uideri poterat, quòd neminem præter illum haberet diſcipulum tum temporis ad manus, quem mittere poſſet. Subiungit igitur cauſam, ob quam ſe neminem habere dixerit, qui res ipſorum candidè ſit curaturus. Nam omnes, inquit, quæ ſua ſunt ipſorum quærunt, non quæ Chriſti Ieſu. Ergo in cauſa erat non penuria diſcipulorum ſimpliciter, ſed taliũ diſcipulorũ qui eſſent ἰσόψυχοι, γνήσιοι καὶ φιλόχριστοι: qualis unus ex omnibus erat Timotheus. Habebat diſcipulos non paucos: ſed ex illis omnibus erat hic unus, qui ex animo non quæ ſua, ſed quæ Ieſu Chriſti eſſent, quæreret.

Nam omnes, inquit.] Quemadmodum 2. Timoth. ult. cõqueritur, quòd nonnulli ſe dereliquerint, diligentes hoc ſeculum: alij uerò, præter Lucam, alio profecti ſint: ita tum quoq; accidiſſe uero ſimile eſt, cum iſta ſcriberet: uidelicet ut omnes, cum qui diſceſſerant, tum qui adhuc cum ipſo utcunq; hærebant, non tam quæ Chriſti, quàm quæ ipſorum eſſent, curarẽt, præſertim Timotheo collati. Erant Chriſtiani, & prẽterea diſcipuli Apoſtoli: uerùm nondũ ſeſe totos ad miniſtrandum Domino & Eccleſijs dederant, id quod Timotheus ex animo ſe cerat. quare illi collati, magis quæ ſuai ipſorum eſſent, quàm quę Chriſti Ieſu, quærere uidebantur. Sic apparet quæ hic de illis Apoſtolus ſcribit, per collationem eſſe accipienda, eamq; duplicem: unam, qua conferantur cum Timotheo: alteram, qua, quòd res ſuas quærebant, cum eo ſtudio conferatur, quo utcunq; & Chriſto ſeruiebant. Quoniam impenſius quæ ſua ipſorum, quàm quæ Chriſti erant, quærebant, dicit eos Apoſtolus non quæſiſſe quæ Chriſti erant.

Quomodo autem & qua in re quæ ſua ipſorum erant quæſierint diſcipuli Apoſtoli, non exprimitur quidem: uerùm ſi conditionem & Apoſtoli & Eccleſiarum, quæ tum erant, conſideremus, puto ſatis liquere, quomodo id ab illis, & qua in re ſit factum. Non puto eos res ſuas quæſiſſe, quomodo quæſiuit Iudas proditor, Simon magus, Giezi puer Elizei, & pſeud apoſtoli, per auariciam, turpem quæſtũ, & omnis generis impoſturas: ad quẽ modũ quærunt ferè omnes qui Eccleſias occupant in Papatu, à Pontifice maximo uſq; ad minimũ ædituũ. Tales enim haud crediderim Apoſtolũ in comitatu Apoſtolatus ſui fuiſſe toleraturũ, ſed potius excõmunicaturum. Quomodo namq; tales tuliſſet, qui Ioannẽ cognomento Marcũ propterea aſſumere ſecum noluit, quòd ſemel à comitatu ſuo ac Barnabæ diſceſſiſſet? Act. 15. Chryſoſtomus ſic exponit: ἐπειδὴ πάντες γὰρ τὰ ἑαυτῶν ζητοῦσιν, οὐ τὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τουτέστι τὸν ὀπαδὸν ἀπάγειν, ἢ τὸν ἐν ἀσφαλείᾳ ὄντα. Aliquid dicit, ſed nõ ſatis explicat. Erat Apoſtolꝰ in uinculis cõſtitutus, ut nõ poſſet Eccleſias, ſicuti cupiebat, & neceſſariũ eſſe ſciebat, inuiſere, & in fide Chriſti cõfirmare,

& quæ

& quæ corrigenda erant, corrigere, quæ instituenda, instituere. Scribebat quidem ad illas, uerùm fieri nō poterat ut literis quæ curanda erant, perinde atq; uiua inspectione ac præsentia, curarentur. Quare res ipsa postulabat, ut non solum literas, sed & ex discipulis suis fideles homines mitteret, qui res Ecclesiarum coràm cognoscerent & curarent. Ad hanc rem autē non erant omnes pariformiter secum animati, uno dempto Timotheo. Nam cæteri, quoties subeundi erant itinerum labores ac discrimina, & interim quæ ipsorum erant negligenda, ministerium hoc Ecclesiarum detrectabant, uel ægrè subibant. Hoc autem facientes satis declarabant, quàm quæ sua ipsorum essent, non quæ Iesu Christi, quærerēt. Idem faciebant & illi, qui subinde ad suos redibant, & res suas curabant. Hoc est uidelicet quod queritur, dicens: Nam omnes quæ sua ipsorum sunt quærunt, non quæ Christi Iesu.

Et de talibus tantum dici potest, quòd res suas quærant. Qui quærit quod ad se pertinet uel natura uel iure, uel officio, is rectè quæ sua ipsius sunt quærere dicitur. Natura pertinet ad me, ut corporis ac uitæ meæ necessitatibus consulam: & hactenus de alimento illi, de indumento, de incolumnitate ac securitate prospiciam. Iurè pertinent ad me, quæ mea sunt uel hæreditate, uel dono, uel labore, uel precio acquisita. Dū ista quæro, utiq; quæ mea sunt quæro. Officio me concernunt, quæ uel mihi officij gratia debentur, uel ego alijs fidei meæ concreditis debeo. Maritus sum, debeo uxori officiū mariti, & uicissim illa mihi debet subiectionem uxoris. Paterfamiliàs sum, debeo domui meæ omnem necessariam prouidentiā, ne quid desit matrifamiliàs, liberis, seruis ac reliquis domesticis. Nisi hæc quæro, non quæro quæ me concernunt, & infideli sum deterior. Consimiliter & de reliquis est officijs sentiendum. Qui hæc pro personæ & naturæ iurisq; sui conditione quærit, utiq; quæ sua sunt quęrit. Qui uerò quærit in hoc seculo honores, opes, uoluptates, ignauum ocium, supereminentiam, & quæ alia sunt eiusmodi, quorum quædam ad neminem mortalium, quædam ad ipsum non pertinent, is sanè non quærit quæ sua sint ipsius, sed prorsus aliena. Vbi quærit Episcopus dominationem, quærit quod ad ipsum non pertinet: iuxta illud Lucæ 22. Reges gentium dominātur ipsis, uos autem non sic. Si quærit opes, quærit quod quærere non debet, iuxta illud Christi: Ne colligatis uobis thesauros in terra, Matth. 6. Si quærit delicias, & turpe ocium: quærit quod ad neminem mortalium, multo minus ad ipsum pertinet. Quare de talibus dici ueraciter non potest, quòd quæ sua ipsorum sint quærant, cum quærant ad se non pertinentia. Eiusmodi autem Episcopis ac Prælatis refertus est Papatus: quos omnium minimè toleraret in Ecclesijs Apostolus, si in uiuis ageret: & de quibus non diceret quòd res suas curarent, sed potius quòd uentri suo ac satanæ seruirent.

Non quæ Christi Iesu, inquit.] Ergo qui res suas curant, non curant ea quæ sunt Christi Iesu. Quomodo autem illi non quærebant ea quæ erant Christi? Quatenus Ecclesijs illius ex animo seruire detrectabant, sicuti suprà expositum. Qui res Ecclesiarum non curat, non curat ea quæ sunt Christi. Quę namq; Ecclesiarū sunt, Christi sunt. Hęc quęrere non possunt, qui quæ ipsorum sunt quærunt. Neq; enim requiritur à ministro Christi, ut simpliciter aliquid faciat in Ecclesia, sed ut quę Christi sunt in illa quęrat. Nec id tantū queritur Apostolus, quòd aliquid rerum suarum faciant: sed quòd quę ipsorum sunt quęrant. Aliud est simpliciter facere aliquid quod rebus meis conducit, & interim ex animo quęrere quę sunt Christi: & aliud, quærere quæ mea ipsorum sunt, & interim utcunq; facere aliquid quod ad Christum pertineat. Prius potest rectè fieri à Christi ministro, nec de illo loquitur hic Apostolus: imò idem ipse hortatus est Timotheum, ut moderato uini usu stomachi sui infirmitatē curaret. Et ipse quoque res suas agebat, cum laboraret manibus, ut uictum inde acciperet. Posterius uerò reprehensibile est in Christi ministro, & de hoc conqueritur dicens: Omnes enim quærūt quæ suaipsorum sunt, non quæ Iesu Christi. Quemadmodum enim nemo potest duobus seruire dominis, ita & nemo potest pariter quæ sua ipsius, & quæ Christi sunt, quærere. Est enim in uerbo Quęrēdi studium expressum, quo & animus & tota uita hominis sic occupatur, ut qui sua quęrit, quæ Christi sunt quærere nequeat.

Obseruet autem diligens Lector, ubi Apostolo quod hic de discipulis conqueritur, acciderit: Romæ uidelicet. Ibi neminem habebat, qui pari secum esset animo præditus: sed quotquot habebat discipulos, uno Timotheo dempto, omnes non quæ Christi Iesu, sed quæ sua ipsorum erant quærebant. Iam tum portendebatur esse hoc fatale Romanæ ecclesiæ, ut omnes illius ministri quærant quæ carnis sunt, non quæ Iesu Christi. Malum hoc antiquum est & inueteratum, nec medicas patitur ista podagra manus. Tolerabile hoc esset, nisi hæ pestes omnium ad se Ecclesiarum dominatum rapuissent, & deprauationem hanc ministerij in omnes Ecclesias transfudissent.

Deindè & hoc obseruādum est, quòd dolorē hunc Apostolus non continuit in corde suo, sed disertis uerbis Epistolæ huic ad Philippēses inseruit: conquerens de discipulis suis, quòd omnes quærant quæ sua sint, non quæ Iesu Christi. Reuera non timuit, ne hoc dicens grandē ignominiā inureret ordini ac ministerio Apostolico. Si dicas hodie de Episcopis & Prælatis, quòd omnes res suas curent, non quæ Iesu Christi: uociferabuntur, intolerabilem iniuriam

fieri

fieri ordini ac dignitati Episcopali. Quare non cogitant omnem contemptum, quo iam ordo ipsorum confunditur, haud esse aliunde quàm ex ipsorum corruptione, & omnium iustissimo Dei iudicio?

3 Tertiò, priusquam progrediamur, uideamus etiam quid sit quærere quę sunt Iesu Christi. Seruus bifariam potest quærere quæ domini sui sunt. Primò, Si quærat quomodo uoluntati illius seruiat, & quod ille mandauit fideliter obediendo faciat: deinde, Si quæ Domini ipsius sunt, & ad ipsum non pertinent, perfidè sibi uindicet: utpote, si usurpet in domo illius omnem potestatem ac dominationem, si manum in bona illius immittat, illisq; pro libidine sua abutatur: si uxori quoq; illius imperare præsumat. An hæc facere tentans, non quærit quę sunt ipsius domini?

Consimili modo bifariam quæruntur, quæ sunt Iesu Christi. Qui fidelis illius minister ac seruus est, hoc unicè quærit, ut uoluntati illius in omnibus obediat: & quæ ille facienda præcepit, faciat: quæ dispẽsanda tradidit, fideliter dispenset. Hęc faciẽs, legitimè quæ Christi sunt quærit. Perfidus uerò minister, non hoc quærit ut uoluntati Christi Iesu obediat, facienda faciat, dispensanda fideliter dispenset: sed, ut honore, potestate, ac bonis illius potiatur. Et hæc quærens, quærit utiq; quæ reuera Christi sunt. Exempli gratia: Romanus pontifex quærit in Ecclesia Christi supereminẽtiam ac plenitudinem potestatis super omnia quæ in cœlo sunt, in terris & apud inferos, uindicat sibi primatũ uniuersalem, constituit se caput Ecclesiæ uniuersalis: deinde iuri suo subijcit omnia omnium Ecclesiarum bona, quæ patrimonium uocant crucifixi: comedit & bibit & deliciatur in illis cum inanibus & carnalibus hominibus, conseruos suos percutit, oues Christi mactat in ipsam Ecclesiam, quæ sponsa Christi est, imperium sibi sumit, illamq; libidini suæ seruire cogit: osculum subiectionis, quod Christo à regibus & principibus debetur, secundum illud Psal. 2. Osculamini filium, sibi usurpat, & ab Imperatoribus ac regibus ad pedes ipsius prouolutis porrecto pede extorquet. Obsecro, dum hæc quærit, an non perfidè quæ Iesu Christi sunt quærit? Ergo malus hic seruus, de quo est Matth. 24. & quærit quæ sunt Christi, & non quærit. Quærit, in quibus loco Christi regnet, ut sit uerus Antichristus: non quęrit, in quibus uoluntati illius seruiat.

Porrò probationem eius nostis, inquit, *quòd ut filius mecũ ueluti cum patre seruierit in Euangelium.*] Et hęc ad commendationem Timothei pertinent. Habent autem expositionem eius quod paulò suprà dixit, neminem se præter hunc habere pari secum animo præditum.

Porrò probationem eius nostis.] Græcè non est ὑπομονὴ, id est porrò: sed simpliciter, τὴν δὲ δοκιμὴν αὐτοῦ, id est, Probationem autem eius. Vulgata editio habet, Experimentum autem eius. Et illud nostis, Græcè est γινώσκετε: quod etiam Cognoscite reddi potest, quemadmodum & uulgatus interpres reddidit. Ambrosius tamen legit, Nostis. Commẽdat Timotheum tanquá probatum Christi ministrũ. Admonemur, multo consultius esse Ecclesijs Christi, ut probatis ministris utãtur, quàm illis quorum adhuc fides in opere Domini incognita est & incerta. Probatio autem fidelis ministri, uel est ecclesiæ per ipsam experientiam cognita, uel potest illi testimonio fide dignorum hominum innotescere. Vtrumq; hic in commendatione Timothei expressum est. Probationem illius & cognouerant Philippenses, & per testimonium Apostoli de illa adhuc certiores redduntur. Verùm hanc uidemus hodie inualescere socordiam, ut citius ad ministerium Ecclesiæ admittantur, quorum fides incognita est, imò quorũ magis cognita est uanitas & ignauia, quàm de quorum probatione dubitari non potest. Studio uitantur probati ministri, ubi mores in Ecclesia sunt corrupti. Ibi sanè frustra commendatur probatus ac fidelis minister. Quare mirum non est quòd hodie passim inutiles, leues, imperitos, ociosos uentres, fruges cõsumere natos, lusores, uenatores, assentatores, uoluptuarios, &c. Ecclesijs præesse uidemus. Apostolicæ diligentiæ est, ad Ecclesias mittere non nisi probatos ministros. Ab hac plurimùm abludunt, qui cum eligendi potestatem acceperint, eligunt sciẽter ac prudenter non probatos in fide ac ministerio Christi, sed quorum comperta est uanitas.

Quòd ut filius mecum, inquit, *ueluti cum patre seruierit in Euangelium.*] Græcè est, ὅτι ὡς πατρὶ τέκνον σὺν ἐμοὶ ἐδούλευσεν εἰς τὸ εὐαγγέλιον: id est, Quòd sicut patri filius mecum seruiuit ad Euangelium. Vbi uocula ἵνατι desideratur, ut sic legatur: Quòd sicut patri filius, sic mecum seruiuit ad Euangeliũ. Alij subintelligunt uocula σὺν, hoc pacto, ὅτι ὡς σὺν πατρὶ τέκνον, σὺν ἐμοὶ ἐδούλευσεν: id est, Quòd sicuti cũ patre filius, mecum seruiuit, &c. Qua in re probatus fuerit Timotheus, hisce uerbis declarat: Nõ dicit autem simpliciter, Quòd mecum seruierit: sed, Quòd perinde mecum, atq; filius cum patre, seruierit ad Euangelium. Tria habet hoc Timothei encomium. Primùm est, quòd seruierit ad Euangelium: secundum, quòd cum ipso Apostolo seruierit: tertium, quòd cum illo seruierit perinde atq; filius cum patre.

Quòd seruierit, inquit, ad Euangelium: uel in Euangelio, sicuti uulgata uersio habet. Non simpliciter dicit, Quòd prædicauerit Euangelium: sed, quòd seruierit ad Euangelium. Non mox seruit Deo ad Euangelium: quisquis Euangelium prædicat. Seruire Deo ad Euangeliũ, est non simpliciter prædicare Euangelium: sed totum se, omnibus alijs negocijs abiectis, ad Euangelij propagationem Deo tradere & consecrare. Inuenias multos Euangelij prędicatores, de

res, de quibus ueraciter dici non potest, quòd Deo ad Euangelium illius seruiant. Perinde atq; multos inuenias, qui edant quidem & bibant, uerùm non ob id uentris sunt serui. Seruire alicui ad rem aliquam, est totum illi esse obstrictum. Sic seruierat Deo Timotheus ad Euangelium. Et tales ministros requirit Euangelium, qui seruiant illi ex animo.

Mecum, inquit.] Non dicit quòd seruierit mihi: sed, mecum. Obediebat quidem Apostolo, & si quò per illum mittebatur, alacriter proficiscebatur: uerùm non seruiebat Apostolo, sed cum Apostolo seruiebat Deo ad illius Euangelium. Neq; dicit, quòd seruierit sub me, hoc est, sub meo magisterio: sed, mecum. Sic omne magisterij supercilium excluditur. Agnoscit Apostolus & se esse seruum, & discipulos suos, non ὑποδούλους, sed συνδούλους Dei ad Euangelium. Sic & Epaphram, Colos. 1. & Tychicum, Colos. 4. conseruos suos uocat.

Sicut filius cum patre, inquit.] Similitudo hæc patris & filij diligenter est obseruanda. Timotheum suum Paulus, quem Christo genuerat, conserui loco habuit: Paulum uerò Timotheus non ut conseruum suum, sed ut patrem ueneratus est: cumq; illo perinde atq; cum patre filius ad Euangelium seruiuit. Sic duo hæc sanctissima pectora ab omni fuerunt philodoxia aliena. Habent in hoc exemplo seniores pariter & iuniores, quod illi in Paulo, isti in Timotheo imitentur. Seniores, ne se supra iuniores efferant, & iuuentutẽ illorum prę senij sui grauitate contemnant: sed illos ut conseruos suos diligant, & in precio habeant, etiamsi illi ipsis filiorum officia præstent. Si quid in illis per imperitiam minoris ætatis desiderauerint, fraterna eos placiditate instruant: si qua specimina futuræ dexteritatis præbuerint, condignis illa encomijs prouehant. Sic Paulus Timotheum suum dilexit, pro conseruo habuit, iuuentutem illius diligenter instituit: egregias quas habebat ueræ pietatis dotes, cum gaudio ornauit & commendauit.

Iuniores hic discant, quàm se reuerenter senioribus coniungere, & filiorum illis officia uoluti patribus officiosè præstare debeant. Si qua de re per illos admonentur, cogitent admonitionem esse paternam, ipsis ueluti filijs summopere necessariam. Si quo pacto illi per grauioris ætatis imbecillitatem in obeundo ministerio defecerint, uices illorum obedienter ipsi suppleant. In summa, seruiant cum illis in Euangelio Dei, non ut pares cum paribus, sed ut filij cum patribus. Quæ submissio, quæ reuerentia, quæ obedientia deceat filios erga patres, nemo est qui ignoret. Verùm quemadmodum senes ætatis suæ grauitate abutuntur erga iuniores, ita uicissim iuniores iuueniliter aduersum seniores insolescere uidemus: atq; ita fit, ut quoniam senes non habent iuniores ut filios, iuniores uicissim senes non colant ut patres. Ad quem modum Senator ille, cum Imperator molestè ferret, quòd uenienti sibi non assurgeret, respondit: Cum tu me non habeas ut Senatorem, quomodo ego te habere potero ut Imperatorem?

Hunc igitur spero me missurum, inquit, *mox ubi uidero mea negocia*.] Non sine emphasi repetit initium promissionis huius de missione Timothei, illamq; absoluit, cum expositione uoculæ παχὺς, qua suprà usus est. Non simpliciter dicit, Hunc spero me missurum: sed, Hunc igitur spero me missurum. Q.d. Quoniam talem, præter illum, qui res uestras probè curet, inq; ministerio Euangelij probatus sit, non habeo: spero fore ut ipsum mittam.

Illud, Mox ubi uidero mea negocia, adiectum est, ad exponendum quod suprà dixit: Spero me Timotheum breui missurum. Sperabat breui fore, ut è uinculis, in quibus erat, expediretur, uel certior aliquo pacto de liberatione sui redderetur: quo facto, Timotheum ad illos mittere constituerat.

Confido autem in Domino, quòd & ipse breui uenturus sim. Sed operæ precium arbitratus sum, Epaphroditum fratrem & collegam & cõmilitonem meum, uestrum autẽ Apostolum, quiq; mihi subministrat in necessitate mea, mittere ad uos. Quandoquidẽ desiderabat omnes uos, anxius animi, propterea quòd audissetis eum infirmatum fuisse. Et certè fuit infirmus, ita ut esset uicinus morti: sed Deus misertus est illius. at non illius tantum, sed & mei, ne dolorem haberem super dolorem. Studiosius itaque misi illum, ut cum uideritis illum, denuò gaudeatis, & ego magis uacem dolore. Excipite igitur illum in Domino cum omni gaudio: & qui huiusmodi sunt, eos in precio habete: quoniam propter opus Christi eò accessit, ut morti proximus fuerit, non habita ratione uitæ, ut suppleret id quod in uestro erga me officio fuit diminutum.

Postquam spem fecit Philippensibus, breui fore ut Timotheum suum ipsis mittat, ne quæ suprà de suo ad ipsos reditu scripsit, parum firma uideantur: quasi propterea hunc ipsis mittere constituerit, quòd de suo ipsius aduentu nonnihil addubitet, particulam hanc amoliendæ suspicionis eiusmodi gratia subijcit, dicens: Confido autem in Domino, quòd & ipse breui uenturus sim. Sciebat plurimùm referre, quàm essent de suo ad ipsos reditu persuasi, ad hoc ut in sincera erga Christum fide, & firma malorum tolerantia persisterent. Quare spem

illius, quam facere illis ſuprà cœpit, hiſce uerbis confirmat. Sic iterum utitur uerbo perſuadendi πέποιθα, de quo cap. præcedenti, ubi dixit: καὶ τοῦτο πεποιθὼς οἶδα. Dejeo quòd addit, In Domino, paulo ſuprà dictum eſt, ubi ſe in Domino Ieſu ſperare dixit, quòd breui ſit Timotheum ipſis miſſurus. Et ut ſpem hanc in cordibus illorum acuat, non dicit ſimpliciter, Quòd & ipſe uenturus ſim: ſed, quòd & ipſe ταχέως, id eſt, uelociter uel confeſtim uenturus ſim: intellige, poſt aduentum Timothei. Significat ſe miſſum ad ipſos Timotheum eueſtigio inſequuturũ. Hac ſpe cupit eos retinere in officio.

Sed operæ preciũ arbitratus ſum, inquit, *Epaphroditũ, &c. mittere ad uos.*] Græcè eſt, ἀναγκαῖον δὲ ἡγησάμην: id eſt, Neceſſariũ aũt arbitratus ſum. Quæ de Epaphrodito cõmemorat hoc loco, duabus partib. cõprehenduntur. Vna, qua rationẽ reddit, quare illũ Philippenſib. remiſerit: altera, qua illũ cõmẽdat. Rationẽ reditus illius ab eo quod dicit, Neceſſariũ aũt arbitratus ſum: uſq; ibi, Excipite igitur illũ, exponit. Nec facit hoc præter rationẽ. Philippenſes miſerãt hũc Epaphroditũ Romã, ut ipſi tanq̃ Apoſtolo ipſorũ in uinculis conſtituto, contributionẽ ab ipſis factam adferret, illiq; in neceſſarijs ſubminiſtraret. Cum igitur eum remitteret, res ipſa poſcere uidebatur, ut quã nam de cauſa id faceret, paucis exponeret, ne quam reditus illius ſiniſtram ſuſpicionem Eccleſiæ illi moueret. Sic itaque dicit:

Neceſſarium aũt arbitratus ſum Epaphroditũ mittere ad uos.] Primò cauet, ne ſe inuito redire ad ipſos præſumpſiſſe uideatur Epaphroditus. Huc facit, quòd ſe illũ miſiſſe dicit: nec ſimpliciter miſiſſe, ſed neceſſariũ iudicaſſe ut eũ remitteret. Non potuit igitur illi quiſq̃ exprobrare, quòd Apoſtolũ, ad quẽ ab Eccleſia miſſus erat, ut illi ſeruiret, ac ſolatio eſſet, in uinculis conſtitutum deſeruerit: id quod Demas feciſſe cõmemoratur. Ab hac nota uſq; adeò liberatur, ut etiã laudandus fuerit propter obedientiã Apoſtolo præſtitã. Deinde, ne nõ adeò bonã gratiã ſecum inijſſe, atq; ita ſuſq; deq; præſentiã ipſius à ſe habitã fuiſſe uideretur: & hanc quoq; ſuſpicionem cauet, dum eum tam claris elogijs ornans dicit:

Fratrẽ, & collegã, et cõmilitonẽ meũ.] Græcè eſt συνεργὸν, quod Eraſmus uertit collegã, cũ ſignificet cooperatorẽ. fratrẽ eũ uocat, propter cõmunẽ in Chriſtũ fidẽ: cooperatorẽ propterea, quòd in opere Domini cùm ipſi Romæ ſubſeruiendo, tum in Eccleſia Philippenſiũ coelaborando cooperabatur: cõmilitonem, propter communicationem certaminum, quibus ſingulariter obnoxij ſunt, qui in opere Domini fideliter laborant.

Sunt hæc tria elogia Epaphroditi diligenter obſeruanda. Prius eſt, in cõmuni fide eſſe fratrem. Niſi hoc ſit, nec ſecundũ nec tertiũ eſſe poteſt. Nequit enim eſſe cooperarius & cõmilito in opere Domini, qui cõmunis eſt fidei expers, & à fraterna ſocietate alienus. Deinde qui frater eſt, poteſt fieri cooperarius, ſi uocatus fuerit à Dño, & in ſortẽ miniſterij electus. Tertiò, duplici nomine cõmilito redditur, qui cum propter fidem ſuã unà cum fidelibus, & propter opus Domini ſimul cum reliquis cooperarijs, contra aduerſarios certamen ſuſtinet. De hoc genere certaminis mentio ſuprà facta eſt in calce capitis præcedentis.

Veſtrum aũt Apoſtolũ, inquit.] Non contentus ijs elogijs, quib. eũ ſibi cõiungit, tanq̃ fratrẽ ſuũ cooperariũ & cõmilitonem: adiungit etiã, q, habebat ab ipſa Philippenſiũ eccleſia, à qua ad ſe Romã fuerat amandatus. Illud exprimit dicens: Veſtrũ aũt Apoſtolũ. Scio alios exponere paſsiuè, quaſi propterea uocet eũ Apoſtolũ Philippẽſium, quòd illorũ eſſet doctor, docendi gratia ad eos miſſus: uerùm mihi probabilius eſſe uidetur, ut accipiamus hic Apoſtolũ Philippẽſium pro legato Philippẽſis eccleſię, quẽ illa ad Paulum miſerat. Conſimili modo & 2. Cor. 8. Apoſtoli eccleſiarũ fratres illi uocantur, qui ab eccleſiis erant ad colligendam cõtributionem miſsi: ubi & Eraſmus Græcã uocem Apoſtolos, legatos uertit. id quod hic quoq; facere poterat. Nec eſt leuis momenti functio, eſſe legatum Eccleſię, quæ eſt cõmunio ſanctorum membrorum Chriſti, ac filiorũ Dei. Quare elogiũ hoc, quo Paulus Epaphroditũ legatũ Philippenſiũ uocat, non eſt adeò uulgare, ut apparet. Magni momẽti erat in oculis Apoſtoli, ſi quis ad ipſum Eccleſię alicuius legatus eſſet miſſus. Habebat. n. Eccleſias Chriſti in magno precio, non ut eas exugeret, ſed ut in fide Chriſti cõfirmatiores redderet. Romanus Pſeudoapoſtolus gaudet & ipſe, ſi legati Eccleſiarum Romã ueniant, modò non ueniant uacui. Nam curia Romana non petit ouem ſine lana.

Quiq; mihi ſubminiſtrat, inquit, *in neceſsitate mea.*] Pertinet hoc ad legationis rationẽ, quæ impoſita erat Epaphrodito. Ad hoc enim miſſus erat Romã, ut neceſsitatibus Apoſtoli ſubminiſtraret. In Græco eſt, καὶ λειτουργὸν τῆς χρείας μου: id eſt, Et miniſtrũ neceſsitatis meæ. Sonat Liturgus miniſtrum publicũ, publico ſubſeruientẽ. Et hic Epaphroditus nõ ſuo, ſed publico, Eccleſiæ uidelicet, nomine Apoſtolo miniſtrabat, ideoq; ab illo uocatur. Neque ſimpliciter διάκονος, neque δοῦλος, id eſt, miniſter aut ſeruus, ſed Liturgus.

Qua in re aũt ſubminiſtrauit ille Paulo? In neceſsitate mea, inquit. Apoſtolo bifariã ſubminiſtrandũ eſt. Primò, ad eũ modũ quo Timotheus Paulo ſubminiſtrauit, dum ad Eccleſias ab illo miſſus, profectus eſt, illasq; cõfirmauit, & quę curanda in illis erant curauit. quò pertinent, quæ paulo ſuprà de illo ſunt cõmemorata. Deinde in ſubminiſtratione earum rerũ, quæ uitæ illius ſunt neceſſariæ. Hoc modo Epaphroditus Apoſtolo miniſtrauit. Non dicit,

Qui

Qui mihi ſubminiſtrauit in neceſsitate Eccleſiarum: ſed, In neceſsitate mea. Quę nã erat illa? Erat in carcere conſtitutus. Vt homo, opus habebat ſuſtentatione uitę per neceſſariã alimoniam conſeruandę: ut captiuus, opus habebat fidis hominibus, quorum opera ſi quid acciditſet incommodi, releuaretur: & quę apud certos homines agenda erant, agerẽtur. In huiuſmodi reb. ſubminiſtrauit illi Epaphroditus, nomine Eccleſię, à quà erat in hũc uſum miſſus. Hodie nõ eſt ubiuis liberum, ut amici ac fratres captiuis in neceſsitatibus illorũ miniſtrent: præſertim ſi religionis cauſa in cuſtodia detineantur. Plus humanitatis olim inter gentes locum habuit, quàm hodie inter pſeudochriſtianos.

Cùm igitur dicit, mittere ſe ad eos Epaphroditũ, neceſsitatis ſuę miniſtrum: ſatis indicat quanti ipſos faciat, quorũ gratia tam neceſſarium ſibi hominem, malit ipſis remittere, quàm impedire, quo minus recepto illo, ad tempus gaudeant.

Quandoquidem deſiderabat omnes uos anxius animi, inquit: *propterea quòd audiſſetis eum infirmatum eſſe.*] Cauſam aſsignat, quare neceſſarium arbitratus ſit fratrẽ, ad hoc, ad ſe ab Eccleſia miſſum, ut neceſsitati ſuæ ſeruiret, & id etiam fideliter præſtantẽ, à ſe dimittere. Aſsignat autem talem, quæ & ipſa faciat ad cõmendationem Epaphroditi: tam abeſt ut malam illi gratiam apud Eccleſiam ipſius eſſet conciliatura. Non enim dicit, Quoniam diutius apud me hærere nolebat: ſed, Quoniam deſiderabat omnes uos. Significat illum ſic amanter fuiſſe erga totam illorum Eccleſiam affectum, ut quotidie memor eſſet eorum omnium, præſentiamq; eorum impenſè deſideraret. Nec dicit, Quoniã deſiderabat ſuos, ne carnalem fuiſſe affectum putes: ſed, Quoniam deſiderabat uos. idq; non ſimpliciter: ſed addit, Omnes, ut agnoſcas in illo affectũ philadelphiæ, & philecclesiæ, prorſus ſyncerum, & uerè Chriſtianum. Diligebat omnes, neminẽ ex illis faſtidiebat, in ſingulis reſpiciebat unum Chriſtum, & propter hunc amanter erga omnes & ſingulos afficiebatur. Prædicat hunc illius affectum Apoſtolus, tanquam ſibi admodũ acceptum, & quo ipſe quoque prędditus erat: ſicuti capite præcedenti uidere licet, ubi dicit: Teſtis enim mihi Deus eſt, quàm deſiderem uos omnes in uiſceribus Ieſu Chriſti.

Exiſtimo hic obiter de deſiderio hoc annotandum, quale nã eſſe poſsit in Eccleſia Chriſti. Apparet eſſe duplicis generis. Primò, quo in communi Chriſtianus animus omnes, non modò ſuæ Eccleſiæ, ſed & totius orbis fideles, quos nunquã uidit nec cognouit, uidere ac præſens cum illis conuerſari deſiderat. Audimus noſtra hac ætate de multis fratribus, qui in omnibus circumquaque regnis Antichriſtum fugiant, & doctrinam Chriſti ex animo complectantur, proq; illa multa incommoda patiantur. Quomodo hos omnes non deſiderabit animus Chriſti amans, licet illos nec uiderit unquam, nec de nominibus eorũ audierit? Deinde uſuuenit primis Eccleſiæ temporib. ut non modò Apoſtolus, epiſcopus, doctor ac ſenior Eccleſiæ: ſed & quilibet fidelis, omnes ac ſingulos Eccleſiæ ſuæ fratres & nomine, & facie, & cõſuetudine uitæ agnoſceret, atq; ita abſens ſingulos deſideraret. Hoc genus deſiderij locum habet, ubi paucorum fidelium numero conſtat Eccleſia, & mutuo conuictu omnes inter ſe connectuntur. Sic facile fuit Apoſtolo, & Epaphrodito, omnes ac ſingulos Philippenſis Eccleſiæ Chriſtianos cognoſcere, ac conſuetudinem illorum deſiderare, eo quòd memoria illorum haud multitudine immemorabili confunderetur.

Anxius animi, inquit, *propterea quòd audiſſetis eum infirmatum eſſe.*] Multæ ſunt deſideriorũ ſpecies. Exponit igitur q. dicit, eum omnes ipſos deſideraſſe. Deſideriũ illius ex eo naſcebatur, q. anxius eſſet animi, ꝓpterea quòd Philippẽſes infirmatũ ſe eſſe cognouiſſent. Grecè eſt ἀδημονῶν: quæ uox eum ſonat, qui ſingulari quadam mœſticia affectus conſortia populi fugit, ac ſolitudinem appetit. Sic animatus erat Epaphroditus, cùm anxius eſſet propter Philippẽſes, ne nimia triſticia conficerentur, cùm propter Apoſtoli captiuitatem, tum propter ſuam infirmitatem: indeq; moti, conſtantiam fidei alij prorſus abijcerent, alij nonnihil remitterent. Hac ſolicitudine affectus deſiderabat illos omnes, quo per præſentiam ſuam recrearentur. Cùm id animaduerteret Apoſtolus, neceſſarium ratus eſt, ut eum ad ſuos remitteret.

Dixerit hic quiſquam: Eſto. fuerit anxius animi, ob id quòd audierant Philippenſes eſſe ipſum graui morbo correptum: iam cùm ſanitati eſſet reſtitutus, quare non cogitauit, de eo quoq; ipſos ex auditu poſſe fieri certos, perinde atq; de infirmitate ipſius ex auditu cognouerant? Reſpondeo: Sic ſunt res humanę comparatę, ut citius ad nos præpoſtera uelocitate famæ perferantur, quæ nos turbare, quàm quę exhilarare poſſunt. Triſtia nos ſtringũt citius, quàm læta reſoluunt. Et ſic eſt amoris ingenium, ut etiam tuta timeat.

Quid, inquis, neceſſe erat ob id eſſe anxium, quòd audierant ipſum ægrotare: cùm non conſtaret ipſi, quo animo erga auditum hunc afficerentur? Reſpondeo: Diligebat eos, nec dubitabat ſe uiciſsim ab illis diligi. Quare perſuaſus erat, haud leui illos dolore ex auditu morbi ſui confici. Charitas non dubitat: ſed omnia credit, & omnia ſperat.

Adhuc: Chriſtiani erant: quare cùm audirent de morbo Epaphroditi ſui, haudquaquam cõueniebat ipſis abiectiore ob id fieri animo, ſed potius illud cõmittere ꝓuidẽtiæ Dei. Quare non erat ratio, ꝓpter quã ille anxius eſſet animi. Reſpondeo: Charitas, dũ infirma fratrum cõſiderat, nõ tã cogitat qd illi facere debeãt, q. quid ipſis ex infirmitate animi accidere poſsit.

Et certè fuit infirmus, inquit, *ita ut esset uicinus morti.*] Certè, non est in Græco: sed simpliciter, καὶ γὰρ ἠσθένησε παραπλήσιον θανάτῳ. id est, Etenim infirmus fuit, ita ut esset propè morti uicinus. Significat rumorem de infirmitate illius sparsum, haudquaquam fuisse uanũ, ideoq; & solicitudinem illius non fuisse præter rationem. Hoc consilio addit etiam de grauitate morbi, dicens: Ita ut esset propè morti uicinus.

Non est ut miremur, infirmari posse etiã sanctos, idq; in medijs uerę fidei & dilectionis operibus constitutos. quod hic Epaphrodito accidisse uidemus: qui cùm esset ab Ecclesia legatus ad Apostolum in uinculis detentum missus, illiusq; necessitatibus subministraret, corripitur morbo tam graui, ut ad ipsas portas mortis usq; peruenisse uideretur. Cur hoc sit à Domino factum, non est ut scrutemur. Physicus diceret: Non erat assuetus mari, ideoq; inter nauigãdum contraxit corporis sui debilitatem. Nos scimus, omnia sanctorum singulari consilio Dei dispensari. Circumstantiæ morbi huius, uidentur plurimum attulisse ad illius grauitatem: quòd uidelicet legatus erat Ecclesiæ, quòd procul à suis erat remotus, quòd Apostolo subministrare amplius non poterat: ut priuata taceam, de quibus nihil est expressum. Verùm id erat omnium optimum, quod in tam pio & uerè Christiano opere, incidit in hunc morbum. Verè beati sunt, qui hoc mortis genere auferuntur ex hoc seculo.

Sed Deus misertus est illius, inquit: *at non illius tantùm, sed & mei, ne dolorem haberem super dolorem.*] Significat, quod attinebat naturæ uires, actum fuisse de uita illius: ideoq; quod sanitati restitutus erat, singulari fuisse ope ac uirtute Dei factum. Pro eo itaque quod dicendum erat simpliciter, Verùm liberatus est ab eo morbo, & iam bene ualet: dicit, Sed Deus misertus est illius, hoc est, Misericorditer illum erexit. Misericordiam Dei, pro opere misericordiæ ponit. Neq; id præter rationem facit. Sic enim illa comparata est, ut nunquam sit ociosa & inefficax. Quoties miseretur nostri Deus, miseretur nostri efficaciter: ut rectè opus misericordiæ illius, misericordia uocetur. Obnoxius erat debito mortis, perinde atq; omnes in uniuersum mortales. Cùm ergo è uicino iam esset, et debitum hoc solueret, nulli rei imputari potuit, quòd liberatus est, quàm misericordiæ Dei. Non est autem sic illius misertus Deus, ut ab hoc mortis debito in posterum prorsus esset liberatus: sed dubio procul, tandem & ipse mortuus est in Domino. Est ergo misericordiæ Dei dandum, quòd qui grauiter ægrotant, sanitati ad tempus restituuntur: id quod & infirmi, etiam sancti, obnixè à misericordia Dei petunt. Nota est historia regis Ezechiæ, libro secundo Regum, capite uigesimo.

Quod attinet morbum Epaphroditi, quæri potest, Quomodo per misericordiam Dei ab illo, ne moreretur, liberatus sit: cùm eiusmodi mors non sit misera & fugienda, sed præclara & optanda: misericordia uerò locum non habeat, ubi nulla est miseria. Quis enim miserebitur eius, cui summa rerum omnium feliciter cadit, cum talibus potius sit congratulandum?

Respondeo: Primùm mors ipsa, quatenus est peccati stipendium, & horribilis naturæ, in seipsa considerata, capax est misericordiæ, tam coram Deo quàm coram hominibus. Deinde circumstantiæ quædam erant, quæ mortem Epaphroditi reddebant miserabilem, & animum illius contristabant: desolatio uidelicet & perturbatio Ecclesiæ, à qua erat missus: & desiderium illius, quo noctes ac dies afficiebatur: & uincula Apostoli, quibus subministrare quæ necessaria erant, debebat. Hæc omnino talia erant, quæ morbum illius dignum misericordia Dei redderent.

At non illius tantùm, inquit, *sed & mei, ne dolorem haberem super dolorem.*] Dixit, Deum misertum esse Epaphroditi: iam, sui quoque misertum illum esse, subiungit. Quòd Epaphroditi misertus fuerit, in eo patuit: quòd cùm morti uicinus esset, restituit eum sanitati. Si & Apostoli misertus est, quare non perinde illum è uinculis: atque hunc è portis mortis, liberauit?

Respondeo: Non erat ille anxius animi propter sua uincula, quæ uidebat ad profectum Euangelij facere: sed contristabatur propter calamitatem Ecclesiæ futuram, si Epaphroditus moreretur. Hactenus igitur misertus illius est Deus, erigendo ægrotum.

At non illius tantùm, inquit, *sed & mei.*] Vide hic duplex genus misericordiæ Dei. Miseretur eorum qui in discrimine sunt constituti, sicuti misertus est Epaphroditi. Deinde miseretur eorum quoque, qui propter necessariorum suorum pericula singulari mœsticia conficiuntur. Sic misertus est Apostoli hoc loco. Frequenter hoc accidit, ut parcat uel nobis propter alios, uel alijs propter nos.

Quod

Quod hic Apostolus facit, prædicans Ecclesiæ Philippensium misericordiam Dei, qua & sui sit & Epaphroditi misertus: perpetuò debebat in Ecclesiasticis conuentibus fieri, ut in quibus misericordiam Dei pro ægrotis & afflictis imploramus, in ijsdem etiam prædicemus illam, ubi uel nostri est uel nostrorũ misertus. Non sonet tantũ illud, Miserere Deus, in nostris Ecclesijs: sed sonet etiam laus & gratiarum actio pro accepta illius misericordia, ut dicamus: Aegrotus eram, & uicinus morti, & misertus est mei Deus. uel, Filius meus, uxor mea, seruus meus ægrotauit uehemẽter, & misertus est illius Deus, glorificate nobiscum illius misericordiam. Verùm quod Christo accidit, cum decem leprosos curasset, id hodie quoque fieri uidemus. clamauerant omnes, Iesu præceptor miserere nostri: uerùm cum essent curati ac mundati, non redierunt qui glorificarent Deum, nisi unus tantum. quam ingratitudinẽ sic improbabat Christus, ut diceret: Non ne decem mundati sunt? & nouem ubi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Nemo itaque miretur unde sit, quòd etiam in Ecclesijs pro afflictis orantes parum impetramus. Luc. 17.

Ne dolorem super dolorem haberem, inquit.] Ergo dolorem habiturus erat, si mortuus fuisset Epaphroditus? utique habiturus erat. Quid igitur est, inquis, quòd 1. Thess. 4. uetat, ne contristemur super ijs qui obdormierunt? Respondeo. Non uetat simpliciter, ne contristemur: sed, ne contristemur sicut gentes, quibus nec fides nec spes est futuræ resurrectionis. Christianus sine fidei suæ dispendio recte collachrymatur cum ijs qui mortuos suos desiderant: id quod & Christus ipse Iohan. 11. ad sepulchrum Lazari, cum Mariam & Iudæos plorantes cerneret, fecisse legitur. Et hæc συμπάθεια Christianorum multo est Deo acceptior, quàm ἀπάθεια Stoicorum.

Ne dolorem, inquit, haberem super dolorem. Super quem dolorem? An dolore afficiebatur super uinculis suis? Non est necessarium ut hoc dicamus. Abundè aliàs multa erant, quibus contristabatur. è quibus & illud erat, quòd uidebat omnes suos discipulos quærere quæ sua ipsorum erant, non quæ Iesu Christi. qua de re paulo suprà non sine dolore conquestus est. Ei dolori additus fuisset nouus dolor, si Epaphroditus morte fuisset abreptus. Potest & sic intelligi: Ne non solũ super illius morte, sed & super uestra calamitate dolore afficerer.

Illud interim obseruandum est, quàm sit in conspectu Dei quoque miserabile, si dolentibus noui dolores addantur. Sic est enim fidelis Deus, ut non sinat nos tentari supra quàm ferre possimus, sed pro sua misericordia cumulum doloris nostri minuat. Quare summopere cauebit pius homo, ne quid ad cumulũ tristiciæ, qua miserè afflictantur, scienter addat: sed potius in eo sit totus, ut quantum poterit, de illo deterat.

De eo quoque quærunt, quare non miraculo aliquo curauerit Epaphroditum Apostolus, cum haberet donum curationum, ne morte illius singulari dolore afficeretur. Verùm ad quę stionem hanc responderunt alij, non fuisse signorum ac miraculorum operationes datas à Deo propter fideles: sed propter incredulos, quo coram illis uerbum Euangelij diuina uirtute confirmaretur. ideoque non fuisse rationem ac locum miraculo, in ægrotatione Epaphroditi. Mihi autem, licet hanc rationem non improbem, uerosimile uidetur, restitutionem Epaphroditi factam esse ad preces Apostoli, quibus pro erigendo illo misericordiam Dei implorarit. Et hanc sententiam non infirmat, quòd Deum dicit illius ac sui esse misertum. Quòd enim precum suarum mentionem non facit, sed misericordiæ Dei: modestiæ ipsius est deputandum, qua multa à se facta dissimulat, quo gloriam Dei illustret.

Studiosius itaq; misi illum, inquit, *ut cum uideritis illum, denuò gaudeatis, & ego magis uacem dolore.*] Sic rationem facti sui concludit. Itaq;, inquit, quoniam pro misericordia sua erexit illum Deus, non distuli, sed properè misi eum ad uos, quo à concepta uestra mœsticia uiso eo liberati gaudeatis, mihiq; minus causæ sit illius & uestro nomine dolendi. Cum non simpliciter dicit, Itaque misi illum: sed, Studiosius itaque misi illum: reddit rationẽ, quare tam properanter illum mox atq; reualuisset miserit. Sic solẽt, qui ex animo gratificari cupiunt amicis. Non nectunt moras: sed quoad eius fieri potest, properanter faciunt, quod in gratiam illorum facere constituunt.

Vt cum uideritis illum, inquit, *denuò gaudeatis.*] Græcè est πάλιν χαρῆτε, id est iterum gaudeatis: intellige, post luctum quem habuistis. Poterat illis sufficere testimonium Apostolicum de restituta Epaphroditi ualetudine. uerùm quoniam non solum certiores illos fieri, sed & gaudere illius nomine uoluit: studiosè illum ad eos misit, ut coràm constitutum cernentes exhilararentur, ac præsentia illius recrearentur: quemadmodum fieri solet, ubi amicos, quos inter exteros lethaliter decumbere audiuimus, domum reuersos coràm cernere & amplecti datur.

Et ego magis uacem dolore, inquit.] Non dicit, Et ego sim sine dolore: sed κἀγὼ ἀλυπότερος ὦ, id est & ego minus doloris habeam. Cum ægrotaret Epaphroditus, ac morti uicinus esset, mœstus erat Apostolus cùm illius tum Philippensium nomine. Cum esset sanitati per misericordiam Dei restitutus, ea quidem doloris pars, qua propter illum contristatus fuerat, cessabat: uerùm supererat adhuc altera, quæ Philippenses concernabat, quæ & ipsa cessatura

erat, ubi illi legatum ſuum cum gaudio ſaluum & incolumem recepiſſent. Huc proſpiciens dicit, Et ego minus doloris habeam. Non erat ne tum quidem prorſus ab omni dolore liber futurus (nam adhuc nõ pauca erant quibus contriſtabatur) uerùm iudicabat aliquanto ſe leuius ac tolerabilius habiturum, ſi Eccleſia illa recepto Epaphrodito refocillaretur.

Admonemur hoc loco, quàm debeamus eſſe contenti, ſi ſaltem pars aliqua de rebus triſtibus deceſſerit, quibus in hac uita contriſtamur. Nequit enim fieri ut ab omnibus in uniuerſum liberemur, donec in hac carne, & in tam corrupto & impio ſeculo uixerimus. Satis eſt, ſi moles illarum non ſic excreſcat, ut pondere illius obruti pereamus: ſed per gratiam Dei ſubinde aliquid illi deteratur, quo parumper recreemur, ac nonnihil uirium recipiamus, quibus ad ulteriora, ſi qua inciderint, patienter ferenda inſtructiores ac firmiores reddamur. Quare inconſulta eſt illorum impatientia, qui ad quemuis triſtem euentum animis concidunt, & perinde murmurant, ac ſi debeatur nobis uita ſic pacata & tranquilla, ut nulla prorſus in re perturbemur, ſed ad uotum ſuccedant omnia. Eiuſmodi animus alieniſsimus eſſe debet à pijs hominibus, qui ſciunt, nihil ſibi poſſe accidere perniciosius in hac uita, quàm ſi nullis aduerſis in fide Dei ac patientia exerceantur.

Excipite igitur illum in Domino, inquit, *cum omni gaudio.*] Et uulgata uerſio habet, Excipite: quẽadmodum & Ambroſius legit. Scio aliquando Excipere Latinis idem eſſe, quod ad ſe accipere: uerùm id propriè ſonat, ubi aliquem ex calamitate quapiam ipſi liberamus, & ad nos accipimus. Quare malim hic Græcam uocem προσλάβετε uerti Accipite, quàm excipite. Neque enim Epaphroditum è diſcrimine erant liberaturi, ſed iam antea liberatum & ad ſe miſſum cum gaudio accepturi: ad quod & hortatur eos, dicens, Igitur ubi ad uos redierit, cum omni illum gaudio accipite & amplectimini.

Accipite igitur illum, inquit, *in Domino.*] In Domino aliquẽ accipere, eſt eũ accipere propter Dominũ, propterea quòd Domini eſt. Eſt enim Ebraiſmus, quo Ebræi illud ביהוה, id eſt in Domino, uſurpant pro בעבור יהוה, id eſt ꝓpter Dominũ. Chryſoſtomus exponit, πνευματικῶς καὶ ἀξίως τῶν ἁγίων. Sanè ſic ſunt accipiendi ex animo, quẽadmodũ decet accipere ſanctos, qui Domini ſunt: uerùm ipſa loquutio ſic eſt cõparata, quemadmodũ oſtendimus. Magna planè cõmendatio eſt, ſi quis hoc nõmine Chriſtianis cõmendari poteſt, quòd ſit Domini, & propter Dominum accipiendus. Poterat dicere, Accipite igitur illum tanquã ueſtrum legatũ, cum gaudio: uerùm maluit hortari eos, ut acciperent eũ cum gaudio ꝓpter Dominũ, cuius erat miniſter. Multũ refert, quo animo accipiamus fratres, an cum gaudio, uel dedignanter: an quia Domini ſunt, uel quia ad nos pertinẽt. Poſſunt iſta cõiungi, ſi eos qui Domini ſunt, pro noſtris habuerimus: ac ſic noſtros acceperimus, ut Dominũ in ipſis accipiamus. Monachi accipiunt ſui quiq; ordinis homines tanquã ſuos: uerùm nõ in Domino, ſed uel in Benedicto, uel in Bernhardo, uel in Franciſco, uel in Dominico. Veri Chriſtiani ſic accipiũt fratres cum gaudio, ut in illis Dominum ipſum accipiant, propter quem eos complectuntur.

Illud, Cum omni gaudio, nihil eſt aliud quàm, cum pleno, ſyncero & integro omnium ipſorum gaudio, ne ſint inter ipſos qui reditum ipſius ſuſq; deq; faciant, id quod plenitudinem & integritatem gaudij infringeret. Et par erat, ut quemadmodum ipſe Epaphroditus omnes eos deſiderabat in Domino, atq; anxius animi erat propter ipſos omnes, ita & uiciſſim pleno omnium gaudio ad ipſos reuerſus acciperetur. Si hic ſenſus placet, omne gaudiũ idem eſt quod totum gaudium. Sunt tamen qui idem eſſe putant, quod effuſum gaudium. Iacobus mox initio Epiſtolæ ſuæ dicit: Omne gaudiũ exiſtimate, fratres mei, cum in tẽtationes uarias incideritis. ubi omnino omne gaudiũ, rem uocat, in qua nihil ſit unde contriſtari, ſed omnia ſic ſint cõparata, ut de illis gaudere potius debeamus. Sic omne gaudium eſt, non dimidiatum, non mutilum, ſed plenum & integrum.

Et qui huiuſmodi ſunt, eos in precio habete, inquit.] Non dicit ſimpliciter, Et in precio habete: ſed, Et qui huiuſmodi ſunt, in precio habete. Nõ reſpicit ad perſonã Epaphroditi, ſed ad Eccleſiæ utilitatem: neq; ad præſentem tantũ cauſam, ſed ad conſimiles futuras. Intereſt Eccleſiæ, fideles Chriſti miniſtros habere in precio, quicunq; ſint illi, & quandocũq; dentur à Dño. Et ut eius rei exemplũ habeant in poſterum, qualitatem Epaphroditi conſiderandam ipſis proponit, dicens: Et qui huiuſmodi ſunt, id eſt, qualis hic eſt, eos in precio habete.

Habet & Romanus Simon ſuos Epaphroditos, qui quicquid uocentur, reipſa ſunt Epaphroditi. i. Veneri deuoti, homines impuri, ac laſciui. Quare nihil poteſt Eccleſijs Chriſti peſtilentius accidere, q̃ quòd qui eiuſmodi ſunt, tot iã ſeculis in precio habentur, & ad gubernationem rerũ Eccleſiaſticarũ admittuntur. Eiuſmodi Epaphroditũ Apoſtolus nulli unq̃ cõmendaſſet Eccleſiæ Philippenſis Epaphroditus, quẽ hic cõmendat, hoc nominis habebat ex gentiliſmo: reipſa uerò erat nõ Veneri, ſed Chriſto deuotus: nõ Epaphroditus, ſed ἀνάφροδιτος & Anaphroditus à quo prorſus diuerſi ſunt Romani Epaphroditi, qui Curios ſimulant, & Bacchanalia uiuunt. Eccleſiam prætexunt, & Veneri militant.

Eos in precio habete, inquit.] Græcè eſt: ἐντίμους ἔχετε: quod reddidit uulgatus interpres, Cum honore habetote. Græca uox τιμὴ & honorem & precium ſonat. unde & ἔντιμος is uocatur, qui

& in

& in precio, & in honore habetur. Est hæc admonitio Apostoli summopere omnibus Ecclesijs necessaria, qua admonemur, ut fideles Christi ministros, qualis Epaphroditus iste fuit, in honore habeamus. Huius aũt sunt admodũ prægnantes rationes. Prima est, quòd id Deo est acceptum. Sunt enim singularia illius organa, in quibus gratia illius uel honoratur uel contemnitur. Deinde in seipso omniũ est æquissimũ, ut qualis quisq; est, taliter etiã habeatur: q̃ perfidus & inutilis est, in contẽptu: qui fidelis & utilis, in honore. Tertiò prodest etiã hoc Ecclesijs plurimùm, ut probatos ministros honore afficiat, & reuerenter obseruet: reprobos uerò contẽnat, imò nõ ferat. faciet enim hoc ad ædificationẽ, contrariũ uerò ad destructionem. Nemo satis perpenderit, quãta hinc sit Ecclesiarũ desolatio, quod sal sapidus reijcitur, & insipidus in precio habetur, cum diuersum fieri debeat. Contendunt Romani fuci pro honorib. ac dignitatibus, & obtinuerũt à maiorib. nostris ut habeantur in precio omniũ preciosissimè, sic ut nihil dent gratis, sed omnia uendant pro precio, & sint honorabiles prelati. Verùm iam iusto Dei iudicio fieri uidemus, ut tanq̃ sal infatuatus proijciantur passim, & cõculcentur ab hominibus. Et hac in re manifesto exẽplo præluditur omnib. Euangelij ministris, ut summopere caueant, ne uestigia illorũ sequantur. Si prodesse uolunt Ecclesijs, quib. præficiuntur, fugiant meritũ contẽptũ. Id facient, si quales haberi cupiunt, tales sese reipsa præstent. Etiãsi rectè docentes & inculpatè uiuentes, in populo corrupto & flagitioso non honorãtur, sed contẽnuntur, nõ est ut ꝓpterea à sancto proposito & legitimo officio deficiãt: sed cogitandũ ipsis est, accidere hoc neq; nouũ, neq; rarũ: sed antiquũ, & cũ Christo, Prophetis & Apostolis cõmune. Deinde certũ est, fieri nõ posse ut cuius uita reproba est, in honore habeatur, etiãsi illi carnales homines abblandiantur, & tanq̃ similes cũ simili colludant.

Quoniam propter opus Christi eò accessit, inquit, *ut morti proximus fuerit.*] Exponit qualis nã sit hic Epaphroditus: & quare accipere illũ in Domino, ac tales in precio habere debeant, qui se in opere Domini gerant, sicut ille se gesit. Quomodo se gesit? Quoniã, inquit, propter opus Christi eò accessit, ut morti proximus fuerit. Accipite hunc, inquit, in Domino: uel, propter Dominum. Quare propter Dñm? Quia fidelis minister est Domini. Quomodo id comprobauit? Non pepercit uitæ suæ propter Dominum: sed eò accessit propter opus illius, ut morti ꝓximus fuerit. Quid potuit amplius facere, quo se fidelẽ Christi ministrũ esse cõprobaret?

Quoniã propter opus Christi, inquit.] Poterat dicere, Quoniã propter legationẽ, quam ipsi imposuistis: uerùm nõ sic causam exposuisset, ꝓpter quã in discrimẽ uitæ inciderat. Neq; enim ille tam ꝓpter impositã sibi legationem, q̃ ꝓpter opus Dñi, quod administrabat Apostolus, officiũ suũ faciendo morti fuerat factus uicinus. Quare cõsultò dicit: Quoniã propter opus Christi, in quo uidelicet ego laboro. Quod si quis per opus Christi intelligendũ esse putat, nõ apostolatũ Pauli, sed ministeriũ Epaphroditi, nõ repugno. Nam etiã illud rectè opus Christi uocari potest, quod is apostolo Christi in uinculis constituto, quæ necessaria erant submini strando præstitit. Vtrunq; opus Christi est, tam necesitati Euangelizantiũ subseruire, q̃ Euãgelium Christi prædicare. Quare ipsum opus Christi adulterat, quisquis doctrinã Euangelij adulterat: & in opere Christi perfidus est, quisquis quæ necessaria sunt euangelizantibus ad se rapit, uel in alios usus peruertit: id quod faciunt non soli Papistarũ primores, sed & nõ pauci pseudeuangelici, qua de re grauissimã olim iusti iudicis sententiã subire cogentur. Multũ aũt momenti habet, ad sollicitandũ ministrorum animos, ut in ministerio quisq; suo fideliter operentur: si cogitent se uersari in opere non suo, nõ magnatũ huius mundi, sed Christi Domini, cui de omnibus sunt reddituri rationem.

Eò accessit, inquit, *ut morti proximus fuerit.*] Nõ minus laudis cõsequutus est hac in re Epaphroditus, q̃ si mortuus fuisset ꝓpter opus Christi. Etenim quantũ in ipso erat, paratus ad moriẽdũ pro Christo fuit. ꝓpter cuius opus eò accesit, ut morti esset proximus, unde se amplius ipse eximere nõ poterat. Pro martyribus Christi habentur, qui propter ipsum ab impijs occiduntur: & meritò. nam testimonio suo ueritatẽ Christi, pro qua necantur, illustrant: ideoq; meritò martyres, ideſt testes illius uocantur. Quid aũt faciunt aliud etiã illi, qui cũ Epaphrodito propter opus Christi sic fideliter agunt, ut alijs atq; alijs periculis uitæ obnoxij reddantur, licet nõ occidantur? Et isti in conspectu Dei martyres Christi sunt, quos uulgò confessores appellant. Multi sunt modi, quib. propter opus Christi pij homines morti fiunt proximi: quorũ unus etiam est, morbus sedulitate ac fide ministrandi Domino cõtractus, sicut in hoc Epaphroditi exemplo uidemus. ne in carceribus tantum confessores ac martyres Christi queramus, cum in lectis quoq; decumbentes inueniantur.

Non habita ratione uitæ, inquit.] Exponit, qũo propter opꝰ Christi morti fuerit ꝓximus factus. Græcè est, παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ. παραβολεύεσθαι significat perperã consulere, quẽadmodũ παραλογίζεσθαι perperã ratiocinari sonat. Dicit, Epaphroditũ animę suæ perperam consuluisse, si uerba ꝓpriè reddas. Vulgatus interpres reddidit, Tradens animam suam: ad quem modũ legit & Ambrosius. Erasmus propius ad sensum accesit, cum uertit: Non habita ratione uitæ.

Potest hic quæri, quomodo is animæ suæ perperã consulat, qui ꝓpter opus Christi morti fit proximus, cum Christus seruator dicat: Qui uoluerit animam suam saluam facere,

perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. Matth. 16. Secundum hanc Chriſti ſententiam profectò haud perperam conſulebat animę ſuę Epaphroditus, dum eam propter opus Chriſti ad ipſas uſq; mortis fauces adduxit: quare non erat παραβολευσάμενος, ſed potius ὑποβολευσάμενος τῇ ψυχῇ.

Reſpondeo: Quemadmodum animas noſtras bifariam uel perdimus uel ſeruamus, ita illis etiam bifariam bene uel perperam conſulimus. Perdimus animas noſtras, dum uitâ noſtram morti corporis damus: ſeruamus uerò eas, dum mortem corporis fugimus. Rurſus perdimus eas in ſempiternum, dum amore præſentis uitæ à ueritate & confeſsione Chriſti deficimus: ſeruamus uerò eas, dum præſentem hanc uitam potius quàm fidem ac ueritatem Chriſti deſerimus. Sic illis etiam ad tempus bene conſulimus, dum cauemus ne in diſcrimẽ mortis incidamus: perperam uerò, dum eas in periculum mortis conijcimus. Hoc ſenſu Apoſtolus Epaphroditum perperam animæ ſuæ propter opus Chriſti conſuluiſſe dicit. Rurſus perperam illis conſulimus, dum parcentes eis, Chriſtum & æternam uitam amittimus: bene uerò, dum temporariam hanc uitam perdimus, ne ſempiternam amittamus. Quare Epaphroditus animæ ſuæ & malè & bene conſuluit: malè priore, bene poſteriore ſenſu. atq; ita ſecundum dictum Chriſti, Quoniam perdidit animam ſuam: perperam illi propter opus Chriſti conſulens, inuenturus eſt eam in die iudicij cum ſempiterno gaudio.

Vt *ſuppleret id*, inquit, *quod in ueſtro erga me officio fuit diminutum.*] Græcè ſic, ἵνα ἀναπληρώσῃ τὸ ὑμῶν ὑστέρημα τῆς πρὸς μὲ λειτουργίας: id eſt, Vt impleret quod in officio erga me ueſtro deſiderabatur: uel, Vt impleret ueſtrum in officio erga me defectum. Senſus eſt: Vſq; adeò diligens, ſedulus ac fidelis fuit in miniſterio neceſsitatis meæ, ut quo ſarciret, quod in ueſtro erga me officio deſiderabatur, animæ ſuæ propter opus Chriſti perperam conſuleret, illamq; morti proximam redderet.

Apparet autem ex eo quòd defectus mentionem facit, quem Philippenſes in præſtando erga ſe officio admiſerint, ſerò miſſum eſſe ab ipſis, unde neceſsitatibus ipſius conſuleretur: cuius rei mentionem infrà capite ult. fuſius faciet. Quomodo uerò Epaphroditus, ut defectum hunc impleret, uitam ſuam in diſcrimen adduxerit, non eſt expreſſum. Alij reſpiciũt ad tyrannidem Imperatoris, qui Paulum adeò duro & incommodo carceri incluſerit, ut acceſſus ad illum eſſet cum periculo coniunctus: unde & Epaphroditus in diſcrimen uitæ inciderit, dum Apoſtolo fideliter ſeruire ſatageret. quam ſententiam Chryſoſtomus aſsignat.

Alij exponunt de irremiſſa & immodica ſedulitate, qua Epaphroditus cum Apoſtolo quę neceſſaria erant ſubminiſtraret, grauem ſibi morbum contraxerit: fieri potuit ut primas morbi cauſas in fluctibus marinis inter nauigandum conceperit, quæ poſtea ex miniſtrandi officio paulatim creuerint, & inualuerint, donec morti eſſet uicinus. Verùm ubi nihil ea de re certi expreſſum eſt, diuinare quidem, nihil uerò certi in medium adferre poſſumus. Sufficiat igitur ad commendationem præſentis exempli, quod imitemur, quòd neglecta uitæ ſuæ ratione mori maluit, quàm officium Apoſtoli neceſsitatibus debitum non ſedulò, fideliter, & ultra uires quoque exequi.

Et illud obſeruet diligens Lector. Factum Epaphroditi triplici reſpectu ornat & cõmendat Apoſtolus. primum, Chriſti: deinde, ſuo: tertiò, Philippenſis eccleſiæ. Reſpectu Chriſti uocat illud opus Chriſti, cum dicit: Quoniam propter opus Chriſti eò acceſsit, ut morti proximus fuerit. Suo ipſius reſpectu, uocat illud miniſterium neceſsitatis ſuæ, paulo ſuprà. Reſpectu Philippenſium dat illi, quòd ſit impletio officij erga ſe illorum. Hoc triplici reſpectu commendemus & hodie, quæ fidelibus Chriſti miniſtris propter Chriſtum ab Eccleſijs impenduntur. Et econtrariò totidem modis damnandos eos eſſe ſciamus, qui neceſſariam miniſtrorum Chriſti ſuſtentationem perfidè interuertunt, atq; ita opus Chriſti deſtruũt, miniſtros illius ſubuertunt, & Eccleſias perdunt.

CAPVT III.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Redit ad neceſſarias adhortationes, & reddit eos cautos ac ſollicitos ad uitandum pſeudapoſtolos, circumciſionis doctores: ſimulq; ad imitandum conuerſationis ac fidei ſuæ exemplum prouocat.

QVod ſupereſt, fratres, gaudete in Domino. Eadem ſcribere uobis me quidem haud piget, uobis autem tutum eſt.

Poſt ea quæ hactenus admonuit, reliquum eſſe iudicauit, ut animos Philippenſium aduerſus pſeudapoſtolos præmuniret: alioqui intelligebat & oleum ſe & operam perditurum, ſi ſeductionibus illorum aditum præberent. Hoc ſentiens dicit, Quod ſupereſt: uel, Cæterũ, fratres, gaudete in Domino, &c. Pleraq; neceſſaria hactenus expoſuit & admonuit: uerùm non contentus illis adhuc, de alijs quoq; monet, quę cõſeruandæ inter illos fidei ac ueritatis, adeoq;

ideoq; & salutis ipsorũ necessitas postulabat. Diligentiã hãc Apostoli imitari debẽt uerbi ministri, ut et ipsi nõ cõtẽti de quibusdã necessarijs religionis nostrę articulis instruxisse Ecclesias, nisi q̃ supersint adhuc uigilãter cogitẽt, & studiosè proponãt. Quare ꝑpetuò sucurrat illis Apostolicũ hoc, τὸ λοιπὸν: ut circũspiciant quid adhuc supersit, quod necessariò sit ꝓponendũ.

Gaudete in Dño, inquit.] Apparet quidem hoc separatã habere admonitionẽ, q̃ nec ad precedẽtia, nec ad sequẽtia pertineat: uerũ omninò ad sequẽtia referenda est, imò fundamentũ illorum cõtinet. Hortaturus eũ ad uigilãtiam, qua pseudapostolos caueãt, cũ primis postulat ut in Dño gaudeãt: hoc est, felices se esse iudicẽt, quòd Christũ Dñm nacti sunt Seruatorẽ, illiq; per fidẽ cõiuncti. Sic.n. sibi ꝓpter Christũ bene placentes, & in illo ex animo gaudẽtes, haud facile accõmodabunt falsis doctorib. aures: quia persuasi sunt, extra Christi doctrinã nihil esse nisi merã impostură & seductionẽ: in ea uerò quę Christi est, uitã ęternã. Perinde ac si mulierem maritatã hortaturus, ne animũ ad alienos uiros adijciat, ne ue suadelis illorũ aures ac cõmodet, cũ primis admoneas, ut in uiro suo gaudeat, sibiq; ipsi in illo gratuletur, quòd talẽ sit sortita maritũ, eo quòd fieri nequit ut sic animata aliũ quẽpiã appetat, aut suũ in quo gaudet fastidiat: cõsimili planè modo cõparatus Christiani hominis animus, donec in Dño Iesu Christo gaudet, illius tantũ uocẽ audit, alienorũ uerò fugit, atq; ita in fide Dñi sui syncero cor de perseuerãs ꝓrsus est à spiritu defectionis alienus. Hortatur itaq; Philippẽses, ut gaudeant in Domino, cũ animos eorũ cõtra pseudapostolorũ insidias ꝓmunire uellet, haud ignorãs in fastidio principiũ esse defectionis: quemadmodum in cõiugibus ex fastidio comparis adulteria gignũtur. Non potest Christianus in Christo Domino suo gaudens deficere ad Mosen, Euangelio illius coiũgere legẽ, post baptismũ recipere circũcisionẽ, & spreta Christi iusticia animũ ad eam adijcere q̃ sit ex lege. Omne genus defectionis facile uitat, qui sq̃s syncero gaudio à Christo Dño pendet, nullũq; illius fastidiũ in pectus suũ recipit. Vnde nata est Maometanorũ secta, nisi ex eo quòd Christianũ hoc gaudiũ mutatũ fuit in fastidiũ Christianæ fidei? Si gaudiũ hoc Christo in omniũ Christianorũ cordibus mansisset, non fuissent tã multi in inferiore Germania inuenti, qui à Christo, cui despõsati fuerãt, ad impijssimũ ac perfidissimum Antichristũ, quem tertium Dauidem uocant, deficerent. Video gaudium hoc postremis istis tẽporibus passim mutari in fastidiũ: unde facile est diuinare, si Maometana perfidia Europã nostrã tentare, & ad defectionem sollicitare cœperit, quanta inter nos futura sit apostasia. ut impleatur illud Christi: Vbi uenerit filius hominis, putas quòd inuenturus sit fidem in terra? Lucæ 18. Cuius rei specimen in secta illa Dauidica uidere licet.

Quòd si quis certò experire cupit, gaudeat ne Christo Domino, uel secus: animaduertat, quomodo sit erga Euangeliũ illius affectus, in quo nobis gratia redemptionis ac salutis per sanguinẽ illius parta annunciatur. Si super illo nõ gaudet, certissimũ indicium est, quòd nec in Christo gaudeat. Nam uerum gaudium in Christo, est gaudiũ in redemptore ac seruatore. Vbi illud obtinet, fieri nõ potest quin & de uerbo redẽptionis ac salutis nostræ gaudeamus: illiq; cupidissimè & oculos legendo, & aures audiendo, & cor meditando accommodemus. Ethinc fit, ut illius ministri sint nobis in precio: & quę ad sustentationẽ illorum requirũtur, subministremus illis ex animo. ubi uerò Euangelium fastiditur, ægrè auditur, rarissimè legitur, ministri illius exufflãtur, stipẽdia à maioribus nostris constituta mutilantur, & nonnunq̃ tota intercipiuntur, ita ut uix aridus panis ministerio relinquatur, locorũ Ecclesticorum structuræ unà cum mansionibus ministrorum ruinam minantur, & interim patrimoniũ crucifixi in usus partim priuatos, partim prophanos peruertitur: an non sole clarius proditur, ne micam quidem ibi esse de hoc gaudio, quod sit in Christo?

Deinde, animaduerte, quomodo ad mentionem nominis Christi afficiaris. Si palles, non gaudes. Qui reum se mortis esse nouit, non gaudet ad mentionem iudicis. Si uerò quoties nomen Christi audis, in corde tuo dicis, Sit nomen seruatoris mei benedictum in secula: in eiusmodi animo locum habet gaudium de Christo. Vbi locum habet spes salutis partæ per Christum, & imputatio iusticiæ quæ est per fidem in illius sanguinem, ibi omnino coniunctum est gaudium hoc in Christo. Quomodo enim non gaudeat in Domino, qui se per illius sanguinem ac resurrectionem iustificatum esse coram Deo credit, & uitam æternam certo per illum sperat? Qui utraq; hac fide & spe destitutus est, gaudium hoc in corde suo sentire non poterit.

Eadem scribere uobis, inquit, *me quidem haud piget, uobis autem tutum.*] Græcè sic: ἐμοὶ μὲν οὐκ ὀκνηρόν, ὑμῖν δὲ τὸ ἀσφαλές. Vulgata uersio habet: Mihi quidem non pigrum, uobis uerò necessarium. ὀκνηρὸν quidem tardum ac pigrum sonat: ἀσφαλὲς uerò non sonat necessarium, sed à lapsu alienum. Meo iudicio rectè uerteris: Me quidem non grauat, uos autem tutos uel cautos reddit. Articulus τὸ, ante ἀσφαλὲς, abundat. Chrysostomus simpliciter legit, ὑμῖν δὲ ἀσφαλές.

Quoniam molestũ esse solet ac tædiosum, non modò audientibus uel legentibus, sed & loquentibus ac scribentibus, de re eadem iterum atq; iterũ cõmonefacere: mox initio presentis materiæ reddit rationẽ, cur id faciat, ne cũ tædio quæ admoniturus est legant. Sic dicit:

Eadem

Eadem ſcribere uobis me quidem haud piget, uobis autē tutum eſt. Q.d. Quòd de re eadem ſæpius admoneo, non debet uobis eſſe tædioſum: quandoquidē ad hoc à me fit, ut uos cautiores reddam. Cùm mihi non ſit moleſtū iterū uos atq; iterum hac de re, quo cautiores ſitis, commonefacere: uobis multo minus debet eſſe moleſtum, quæ moneo iterum atque iterum audire, ac memori mente retinere.

Quæ ſunt autem illa eadem, de quibus ſe ſcribere dicit? Non intelligit alia, quàm de quibus iam ſcribere cœpit: uidelicet ut in Domino gaudentes, pſeudapoſtolorū uoces fugiant. Quo modo autem uocet hæc eadem, non exprimit. Ipſis hoc Philippenſibus notum erat. Alij putant, ſcripſiſſe illum hac de re ad alias quoq; eccleſias: alij ſuſpicantur, quod ad ipſos Philippēſes iam antea ſcripſerit eadē. Adhuc ſunt quibus uidetur, hac illum de re, cùm præſens apud eos eſſet, ſedulò ac frequenter admonuiſſe: quorum mihi ſententia probabilior apparet. Non enim dicit, Eadem iterum uobis ſcribere: uel, eadem ad uos quoq; ſcribere: ſed ſimpliciter, Eadē ſcribere uobis. ut ſubaudias, de quibus uos iā antea præmonui. Verùm quomodocūq; accipas, locus hic plurimùm ſeruit fidelibus Chriſti miniſtris, qui pro ſollicitudine ſua nō ſemel tantùm, ſed frequenter, uel monent, uel docent, uel corripiunt, ubi periculum eſſe uidēt ne ſeducantur incautiores, ſi non ſedulò de re eadem dicant. Non eſt fidelis miniſtri, prurientibus auditorum ſuorum auribus ſeruire, & ſingulis concionibus noui aliquid adferre in medium: ſed diligēter obſeruare, quid illis immineat mali, quod uigilanter ſit præcauendū: deq; illo fideliter iterum atq; iterū præmonere, etiamſi non omnibus ſæpē iterata admonitio arrideat. Facit huc locus 2. Pet. 1. ubi ſic legimus: Quapropter haud negligam, uos ſemper commonere de his, tametſi ſciatis, & confirmati ſitis in præſenti ueritate. Non inſcito prouerbio dicitur, *δὶς τὴ τρὶς τὸ καλὸν*: &, *λὶρ & ἐδὺς τῶν καλῶν*: ita rectè dixeris, *δὶς τὴ τρὶς τὸ ἀσφαλὲς*.

Cauete canes, cauete malos operarios, cauete concisionem. Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu Deum colimus, & gloriamur in Christo Iesu, ut non confidimus in carne.

Græcè eſt *βλέπετε*, id eſt Videte: quod Eraſmus uertit, Cauete. Videre, nondum eſt cauere: facit tamen ad hoc, ut caueamus, quæ mala & cauenda eſſe uidemus. Sic Germanicè dicimus, *Lug und huet dich*. Hortatur eos, ut ſint circumſpecti, & obſeruēt impoſtores ac ſeductores, quò uitare illos poſſint, ne per illorum impoſturam à ſyncera Chriſti fide abducantur. Nec contētus ſemel dixiſſe, Videte: repetit tertiò, urgēs & inſtans: Videte (inquit) canes, uidete malos operarios, uidete concisionem. Summā circumſpectionis huius neceſsitatem, trina eiuſdem uerbi inculcatione exprimit, quo plus ponderis habeat admonitio.

Videte canes, inquit.] Pſeudapoſtoli, quos perſtringit, non erant canes, ſed homines: cur ergo uocat eos canes? Natura erant homines, moribus ac ſtudijs canes. Primò erant uentris ſerui: ideoq; propter inſatiabilem uentris ingluuiem rectè aſsimulantur canibus. Conſimili modo de pſeudoprophetis loquitur Eſaias cap. 56. dum uocat eos canes, neſciētes ſaturitatem. Deinde, canes etiam erant propter maledicendi, quaſi latrandi ac mordendi libidinem. Hos reſpectu & Semei, cū Dauidi malediceret, canis uocabatur. 2. Sam. 16. Tertiò canes ob id quoque erant, quod cùm Chriſtiani eſſent facti, ad Iudaiſmū, perinde atq; canes ad uomitum, reuertebantur. Sic Prouerb. 26. Sicut canis, inquit, reuertitur ad uomitū ſuū. Propter hęc canina uitia, rectè uocati ſunt canes. Erant aūt illis ſic dediti, ut facile eſſet Philippēſibus, qualesnam eſſent intelligere, nō homines uidelicet, nedū Chriſti miniſtri, ſed canes: modò mores illorum inſpicerent. Quare magna cum emphaſi dicit: Videte canes, uidete malos operarios: uidete conciſionē. Q.d. Non eſt opus operoſa ſcrutatione, oculos ſaltē aperite, & quæ manifeſta ſunt uidete. Vbiq; apponit articulū, ut connotationē agnoſcas, ac legas: Videte canes iſtos, uidete malos hoſce operarios, uidete conciſionem hanc. Neq;. n. ſimpliciter dicit, *βλέπετε κύνας, βλέπετε κακὸς ἐργάτας, βλέπετε κατατομὴν*: ſed, *βλέπετε τὸς κύνας, βλέπετε τὸς κακὸς ἐργάτας, βλέπετε τὴν κατατομὴν*. Qui Græcè ſciūt, & ſpiritū Pauli obſeruāt, emphaſim hāc facilè agnoſcūt. Si qs hodie ſcribat Romanis ad hunc modū, Videte dominatū hūc, uidete lupos iſtos ac uulpes, uidete cynę dos iſtos, uidete grandes haſce harpyias: quis illorū non mox intelligat, de quib. iſta dicātur?

Videtur aūt hic Apoſtolus cōſuetę ſuę modeſtię oblitus, quòd aduerſarios ſuos uocat canes: cùm poſſet ſimpliciter uitia illorum, quibus ſimiles uidebantur canibus, reprehendere: uerùm quo ſpiritu Chriſtus Herodem uocauit uulpem, & Baptiſta Phariſęos ac Sadducęos genimina uiperarū: eodem & Paulus pſeudapoſtolos Euangelicę doctrinę corruptores uocauit canes. Agnoſcamus zelum Apoſtolicū. Vnde admoneamur, quo animo conueniat eſſe miniſtrum Chriſti, erga Euangelij Dei aduerſarios ac ſeductores, & quàm linguam illius nō dedeceant uerba condigno zelo conuenientia.

Videte malos operarios, inquit.] Paulò clarius perſtringit pſeudapoſtolos, dū uocat eos malos operarios. Nō dicit, Videte malè credētes: ſed, Videte malè operantes. Pſeudapoſtoli nō modò pro credētibus in Chriſtū haberi uolebāt, ſed & pro Apoſtolis & operarijs in uinea Dñi, cùm eſſent mali operarij. Qui malè credit ſibijpſi, non alijs nocet: qui uerò malè operatur in

opere

opere Domini, quod ſaluti mortalium deſtinatum eſt, is non ſibi tantum, ſed & alijs, præſertim imperitioribus, plurimum nocet. Deinde, malè credens nō ita manifeſtus eſt, atq; is qui malè operatur. Quare adhuc facilius iudicare poterant Philippenſes, de quibus canibus uidendis loqueretur.

Eſt autem triplex malorum operariorum genus. Primum eorum eſt, qui pigri ſunt ac deſides ad operandum, qui rectè μισέργοι: quemadmodum qui ſtudioſe ac diligenter operantur, φιλέργοι uocantur. Tales ſunt inter miniſtros Chriſti plurimi, amantes ocij, & oſores laborum. Secundū genus eſt eorum, qui bona quidem operantur, ſed uel imprudēter, uel nō ſatis fideliter, uel inutiliter. Tertium eſt, eorū qui malo animo, doloſè & iniquè, & quæ mala ſunt operantur. Hi Lucæ 13. ἐργάται ἀδικίας, & 2. Corint. 11. ἐργάται δόλιοι: & hoc loco κακοὶ ἐργάται uocantur.

Tria hæc malorum operariorum genera uehementer ſunt noxia in eccleſijs Chriſti. Nam licet qui de primo ac ſecundo genere ſunt, haud perinde atque illi qui malo animo, doloſè et iniquè operantur, pernicioſi exiſtant: hactenus tamen admodum ſunt noxij, quod cùm inutiliter operentur in opere Domini, locum obtinent operariorum: & impediūt, ne quod ipſis incumbit officium, à melioribus perficiatur. Tertij generis mali operarij, ipſiſsimi ſunt Satanæ miniſtri: hoc nocentiores, quo cùm ſint ἐργάται ἀδικίας, & ut Ebræi loquuntur פרעלי ארך incredibili hypocriſi agunt ἐργάτας δολίους, transfigurantes ſe in angelos lucis: ſicuti uidere eſt 2. Cor. 11. Ingredere hic lector uniuerſum Papatum, & inſpice cum primis ipſam Romanam ſedem, Pontificem & Carnales, omnes Epiſcopatus, collegia & monaſteria: & uide, an non ubiq; obtineant ἀκαιροὶ ἐργάται. Vtinam oculos tandē aperiant principes Chriſtiani, & nō modò fucos, ignauum pecus, à præſepibus Eccleſiarum abarceant: ſed & malos quoſuis operarios uideant, & ab officijs ſaltem quæ occupant, deponant, quo ueris & legitimis miniſtris ædificandarum Eccleſiarum prouincia committi poſsit.

Videte concisionem, inquit.) Dixit eos eſſe malos operarios. Id iam explicatius exprimit. Prędicabant circumciſionem, quo Chriſtianos ad Iudaiſmum perraherent. atq; ita unitatē corporis Chriſti ſcindebāt: Hoc malum illorum opus perſtringens dicit: Videte κατατομήν. Q. d. Opus illorum eſt non περιτομὴ, ſed κατατομὴ. i. non circumciſio, quam prætexunt: ſed conciſio, quam malo ſtudio operātur. Eſt hæc uocum alluſio omnium antiſsimè poſita. Aliud eſt πᾶσα νέμειν, & aliud περιτέμνειν: ſicut Germanis aliud eſt *zerſchneiden*, & aliud *beſchneiden*. quemadmodum aliud eſt βαπτίζειν, & aliud καταβαπτίζειν: unde anabaptiſtas uocamus catabaptiſtas. eſt enim καταβαπτίζειν mergendo ſuffocare. Sic aduerſum illos rectè dixeris: Videte canes, uidete malos operarios, uidete ſubmerſionem. Conſimili alluſione uſus eſt & Eſaias cap. 56, ubi pſeudoprophetas, qui pro חרזים. i. uidentibus, haberi uolebant: uocant חרזים, id eſt dormitantes. Sic qui habebantur pro choſim, erant hoſim. Hac alluſione rectè utimur hodie aduerſus epiſcopos, dum eos uocamus apoſcopos, & epiſcotos: & Germanicè *biß dſchaf*, pro *biſchof*, & pro *geiſtlichen*, *geiſtloßen*. Locus eſt eiuſmodi alluſionibus, quando res ipſa clamat, diuerſum agi ab operarijs in Eccleſia Chriſti, ab eo quod officiorum nomina poſcunt. Quid enim ęquius eſſe poterit, quàm ut id uocetur quiſq; quod reuera eſt, magis quàm quod non eſt? Vocentur canes canes, lupi lupi, etiamſi in oculis hominum ueſtimentis ouium tegantur. Hac æquitate iuſtificantur alluſiones prophetarum & Apoſtolorum, eadem iuſtificantur & noſtræ.

Videte concisionem, inquit.] Si pſeudoapoſtolos rectè conciſione uocat, propterea quòd unitatem corporis Chriſti ſcindebant: quid aliud uocandus erat ipſe, qui & Iudæorum & gentiū unitatem prędicatione ſua ſcindebat? Imò quid aliud ipſe Chriſtus uocandus eſt, qui diſertè dixit, Ad hoc ſe ueniſſe in mundum, ut gladium mitteret, quo ſeparentur filij à parentibus, &c. Et quid nos aliud hodie agimus, quàm ut unitatem, quæ fuit in Eccleſijs, ſcindamus?

Reſpōdeo. Aliud eſt quæ rectè, & aliud quæ malè cohærent, ſcindere. Bona erat Chriſtianorum unitas, quā pſeudoapoſtoli ſcindebant: mala uerò eorum, qui in erroribus, ſuperſtitionibus ac falſis cultibus cohærēt, quam & Chriſtus & miniſtri illius gladio uerbi Dei ſcindunt. Quare non iſti, ſed illi rectè conciſores uocantur. Sed hac de re in Locis noſtris, ubi de unitate Eccleſiæ diximus.

Nos enim ſumus circumciſio, inquit.] Reddit rationē, quare circumciſionem, quam pſeudoapoſtoli in Eccleſias Chriſti introducebant, conciſionem uocet. Circumciſio locū habere non poteſt, niſi in ijs qui ſunt incircumciſi: Chriſtiani autem, qui baptizati ſunt in Chriſtū Ieſum, & ſpiritum illius acceperunt, non ſunt incircumciſi, ſed uera circumciſio. Non habebat igitur in illis locum circumciſio, quā pſeudoapoſtoli Eccleſijs obtrudebant. Rectè itaq; uocat eos non circumciſores, ſed conciſores. Conſimili argumento poſſumus etiam aduerſus Anabaptiſtas uti: Baptiſmus locum non habet in ijs qui ſemel ſunt in Chriſtum baptizati: Nos autem in illum baptizati ſumus: Quare qui ſemel baptizatos denuò baptizant, non ſunt ueri Baptiſtæ, ſed Catabaptiſtæ. Reſignant enim ac perdunt, quod in nomen eſt patris, filij & ſpiritus ſancti obſignatum, atq; ita uiolatores ſunt ſigilli Chriſti. Quomodo autem circumciſio ſimus, mox ſubiungit, dicens:

Qui ſpiritu Deum colimus, & gloriamur in Chriſto Ieſu, & non confidimus in carne.] Significat ſe loqui de uera circumciſione, quæ cordis eſt. qua de Rom. 2. ſic dicit: Non ea quæ in manifeſto eſt carnis circumciſio, circumciſio eſt: ſed circumciſio cordis, circumciſio eſt quæ ſpiritu conſtat, non litera: cuius laus non ex hominibus eſt, ſed ex Deo. Et aliquando fuſius Coloſſ. 2. ubi ad hunc modum ſcribit: Per quem circumciſi eſtis circumciſione quæ fit ſine manibus, dum exuiſtis corpus peccatorum carnis per circumciſionem Chriſti, conſepulti ſimul cum illo per baptiſmum: in quo ſimul etiam cum illo reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui excitauit illum ex mortuis, &c. Gloriabantur pſeudapoſtoli cum carnali Iſraele, ſe eſſe circumciſionem: eos uerò qui ex gentibus in Chriſtum credebant, niſi circumciderentur & ipſi in carne, uocabant canes immundos, & præputium. Retorquet in illos hanc ignominiam Apoſtolus Chriſti: affirmans, non eos qui carne tantum circumciſi ſunt, ueram eſſe circumciſionem, ſed eos potius quorum corda circumciſa & mundata ſunt ſpiritu Chriſti, & per fidem in illum iuſtificata: ideoq; uelle tales carnaliter circumcidere, eſſe opus non ueræ circũciſionis, ſed conciſionis. Quod itaq; dicit, Nos enim ſumus circumciſio, qui ſpiritu Deum colimus, & gloriamur in Chriſto Ieſu, & nõ confidimus in carne: idẽ eſt ac ſi dicat, Non enim illi, ſed nos uera circumciſio & ueri Iſraelitæ ſumus, qui non prærogatiua carnis inflati Deũ colimus per iuſticias carnis, ſed à fiducia carnis alieni, ſpiritu uerò circumciſi, & per fidẽ in Chriſtum iuſtificati, Deum in ſpiritu colimus. Sic arguit ex puritate cordis, & genere cultus Dei, eſſe Chriſtianos circumciſionem ueram, cultro ſpiritus Dei factam: carnales uerò & impuros Iudæos, eſſe immundum coram Deo præputium: neq; ueros Iſraelitas, ſed profanos Goijm, quantumuis ſe populum Dei eſſe ſanctum & hæreditarium iactant, & gentes præſe faſtidiunt.

Qui ſpiritu Deum colimus, inquit.] Q. d. Non ut Iudæi, qui carnalibus obſeruationibus, cum ſpiritu ſint incircumciſi & immundi, cultum Dei metiuntur: ſed ut uerè in cordibus noſtris circumciſi, Deum qui ſpiritus eſt, in ſpiritu & ueritate colimus. Quid ſit autem colere Deũ in ſpiritu, diximus alibi. Vide in Commentarijs noſtris ſuper Ioannem cap. 4. & Rom. 1.

Et gloriamur in Chriſto Ieſu, inquit, *& non confidimus in carne.*] Carnalis circumciſio gloriabatur & confidebat in carne, hoc eſt, in circumciſione carnis: uel, in carne Abrahæ, Iſaac & Iacob, de qua utraq; plurimum omnes carnales Iudæi præſumunt. Spiritualis uerò circumciſio nõ gloriatur in carne: ſed gloriatur in Chriſto Ieſu, filio Dei, unico mediatore, iuſtificatore ac ſeruatore, ſuper quo unicè gaudet, & à quo indiuulſe ſyncera fide pendet. Sic gloriari in Chriſto Ieſu, eſt idem quod gaudere in Chriſto Ieſu. de quo gaudio ſuprà diximus: imò diſerta laude gratiam redemptionis per ſanguinem illius partæ coram omnibus iactare ac deprædicare.

Et gloriamur in Chriſto Ieſu, inquit, *& non confidimus in carne.*] Dixerit hic quiſquam: Quomodo ſic gloriamur in Chriſto Ieſu, ut non confidamus in carne? An non confidimus in carne, dũ carnem illius confidimus eſſe nobis cibum uitæ æternæ, idq; iuxta ipſius ſententiam, qua dicit: Caro mea uerè eſt cibus, & ſanguis meus uerè eſt potus? Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, habet uitam æternam?

Reſpondeo: Chriſtianus homo, dum confidit in carne Chriſti, non confidit in illa ſimpliciter ut carne: ſed ut in carne filij Dei pro nobis in mortem tradita, ut per illius uictimam à peccatis & æterna morte liberaremur. Hæc fiducia & gloriatio non reſpicit ſimpliciter in carnem, ſed magis in mortem, quam filius Dei in carne ſua pro peccatis noſtris in cruce ſecundum uoluntatem patris ſui pertulit. Et hoc genus gloriandi & confidendi in carne Chriſti, proprium eſt Chriſtianorum. Quo ſenſu autem 2. Cor. 5. dixerit hic idem Apoſtolus, Etiamſi cognouimus Chriſtum ſecundum carnem, nunc tamen non amplius nouimus, in Commentarijs noſtris ſuper eum locum fuſe annotauimus.

Quanquam ego confidam etiam in carne. Si quiſquam alius uidetur fiduciam habere in carne, ego magis habeo, circumciſus octauo die, Iſrael ex genere tribus Beniamin, Ebræus ex Ebræis: iuxta legem phariſæus, iuxta ſtudiũ perſequens Eccleſiam: iuxta iuſticiam quæ eſt in lege, factus irreprehenſibilis.

Ne cogitaret quiſquam, Si haberes eas cauſas confidendi in carne, quas ipſi habent, in carne confideres & ipſe: per occupationem adfert in medium, quàm non ſolum eaſdẽ quas ipſi, ſed & ampliores cauſas gloriandi in carne habeat, ſi quidem eiuſmodi gloriationem alicuius eſſe momenti exiſtimet: & hac ratione uanitatem gloriationis ipſorum perſtringit, & coram Philippenſibus contemptibilem reddit. Sic poſtquam dixit, Gloriamur in Chriſto Ieſu, & non confidimus in carne: cum præuideret quid hic obijci in ſpeciem poſſet, mox ſubijcit de ſua perſona, dicens:

Quanquam ego confidam etiam in carne.] Græcè eſt: καίπερ ἐγὼ ἔχων πεποίθησιν καὶ ἐν σαρκί: id eſt, Quãquam ego fiduciam habens etiam in carne. Suſpicor legendum eſſe non ἔχων, i. habens: ſed, ἔχω, id eſt habeo. Studiò autem non dixit, Quanquam ego confidam: ſed, Quanquã ego fiduciam

duciam habeo. Fiduciam habere, posuit pro, causas confidēdi habere: uel, posse, si lubeat, confidere. Non mox gloriatur, qui gloriari posset, si uellet. Et Paulus, quemadmodum non confidit in carne, ita non dicit se quoq; confidere in carne: sed esse sibi causas confidendi in carne. Non dicit uerò simpliciter, habere se fiduciam in carne: sed, habere se fiduciam etiam in carne. Q.d. Non solum in Christo Iesu, ut Christianus: sed & in carne, ut Iudæus, si quid in carne gloriandum esset, gloriari possem. Nonnulli sic legunt: Quanquam & ego confidentiam habeam in carne. ad quem modum & uulgata habet editio, & Germanicus quoq; interpres reddidit: *Vuiewol ich auch habe, daß ich mich fleisches rhuemen moechte.* Verùm Græca lectio alium sensum adfert, eum uidelicet quem exposuimus: quem & Ambrosius attigit & legēdo, & exponendo. sic enim legit: Quanquam ego habeam fiduciam & in carne. & sic exponit: hoc est, spiritu Deo seruire, & gloriari in Domino Iesu Christo, qui legem spiritus dedit, ut carnis gloria exinaniretur. Apostolus tamen etiam hanc fiduciam habebat, ut si uellet, gloriaretur de carnis circumcisione: sed sciens uacuam esse hanc gloriam, repudiauit eam.

Si quisquam alius uidetur fiduciam habere in carne, inquit, *ego magis habeo.*] Græcè sic legitur, *εἴ τις δοκεῖ ἄλλος πεποιθέναι ἐν σαρκί, ἐγὼ μᾶλλον*: id est, Si quisquam uidetur alius confidere in carne, ego magis. Non malè reddidit *πεποιθέναι*, fiduciam habere: inconsultum tamen est, quòd uerbum Habeo de suo adiecit: nisi, quemadmodum suprà exposui, fiduciam habere idem sit, quod causas habere cōfidendi. Sensus hic est: Si quisquam alius, præter canes illos & malos operarios, non circumcisores, sed concisores, talis esse uidetur, qui habeat unde in carne glorietur, ego magis talis sum. Non dicit se magis confidere in carne, quàm quisquam alius. Quare quòd in Græco legitur, Si quisquam alius uidetur confidere in carne, ego magis: non sic est accipiendum, quasi dicat se magis quàm quenquam alium confidere in carne, uel uideri quòd confidat in carne.

Si quisquam alius, inquit.] Non confert se pseudapostolis tantùm, sed omnibus in uniuersum Iudæis: nec dubitat se quibusuis præstantioribus ex illis præferre in hac gloria carnis, de qua illi tantopere insolescebant. Vsque adeò uidelicet deijcit pseudapostolorum iactantiam, ut dedignetur sese cum illis tantùm conferre: quò non in illis tātùm, sed & in reliquis omnibus carnalibus Israelitis gloriam carnis prosternat.

Videtur fiduciam, inquit, *habere in carne.*] Chrysostomus annotauit, quòd non simpliciter dicit Fiduciam habet: sed, Videtur fiduciam habere in carne. Vel ob id (inquit) sic loquutus est, quòd tantam, quantam ipse habere poterat, fiduciam in carne non habebant: uel, quòd eiusmodi illorum fiducia non esset uera fiducia.

Ego magis, inquit] Singulari consilio Deus uirum hunc in Apostolum delegit, in quo nihil desideraretur, quod ad iusticiā & gloriam carnis requiri posset, qui firma confidentia Iudæis omnibus, carnis prærogatiuam sibi uindicantibus, obsisteret, ac diceret: Si quis alius uidetur habere fiduciam in carne, ego magis: & nihilominus suo exemplo monstraret, nihili faciendam esse omnem gloriam & iusticiam carnis: ne si hac Iudaica prærogatiua carnis destituere tur, ob id illam impugnare uideretur, quòd esset ab ea alienus. Simili consilio uoluit Deus monasticam superstitionē expugnari per talem uirum, qui & ipse impensè fuisset monachus, ac dicere posset: Si quisquam alius uidetur fiduciam habere in monasticæ uitæ sanctimonia, ego magis. Exemplū hoc non est fidelium omniū, imò ne Apostolorum quidem, sed prorsus singulare. Non est enim necessarium ad salutem: sed usus illius est, ut confundatur gloria carnis in illis ipsis, qui præ cæteris plurimam illius sunt prærogatiuam sortiti. quod in illis non ita fieri potest, in quibus locum fiducia carnis non habet: quales fuerunt publicanus, latro in cruce, mulier peccatrix, & consimiles alij, in quibus perspicuè gloria gratiæ Dei, per quam saluantur, relucet.

Circūcisus octauo die, inquit.] Græcè est, *περιτομὴ ὀκταήμερος*: id est, Circūcisio octauo die facta. *περιτμὴ* dicit, pro *περιτετμημένος*. Quoniā dixit se quoq; habere, unde secundum carnē, si uelit, gloriari possit, idq; magis quàm quisquā alius. iam subijcit ea quibus secūdum gloriā carnis nihilo erat inferior pseudapostolis: deinde & ea, quibus etiam & illis & reliquis carnalibus Israelitis erat superior. Orditur autem à circumcisione carnis, dicens: Circumcisus octauo die: eo quòd pseudapostoli sic illam urgebant, quasi sine ea saluari possit nemo. Sensus est: Gloriantur admodum de circumcisione carnis, illamq; supra fidem in Christum extollunt. Si alicuius momenti esset hæc fiducia, possem illa uti & ego, non minus quàm ipsi. Sum enim ego quoque circumcisus, idq; octauo die, secundum fœderis constitutionem. De circumcisione non est ut hic dicamus: diximus de illa alibi.

Illud quærendum est, quomodo & unde cognouerit, octauo se fuisse die circumcisum. Quòd circumcisus esset, idq; non adultus, facile scire potuit, partim ex ipsa circumcisione, quā acceperat: partim ex eo, quòd meminisse nequibat, quando nam circumcisus esset. potuisset autem, si adultus factus demū fuisset in morem proselytorum circumcisus. quòd uerò octauo die circumcisus fuerit, neque circumcisi præputij testimonio, neq; memorię beneficio scire potuit. Vnde ergo dicit, Circumcisus octauo die? Sciebat hanc esse legem apud

Iudæos, ut masculus octauo die circumcideretur: sciebatque illam catholica obseruatione diligentissimè custodiri, sic ut dubitare non posset, se quoque non esse aliter, quàm secundũ catholicam legis huius obseruantiam circumcisum. Quare indubitanter se quoque octauo esse die circũcisum dicere potuit. Consimili modo & Catabaptistis respondeamus, qui subinde quærunt, Vnde sciamus nos esse in nomen patris, & filij, & spiritus sancti baptizatos, cùm eius rei meminisse nequeamus? Scimus, & quotidie uidemus solennem hũc esse omniũ Ecclesiarum morem, ut infantes suos baptizent: idq; non aliter, quàm in nomen patris, & filij & spitus sancti. Hac itaq; certitudine persuasi, non minus confidenter, in nomen nos esse patris & filij & spiritus sancti baptizatos asserimus: quàm assertum est à Paulo, quòd octauo esset die circumcisus.

Israel ex genere, inquit.] Omnis fiducia pseudapostolorum & carnalium Israelitarum, tribus ueluti Iudaicæ prerogatiuæ membris constabat: erat enim sita in circumcisione carnis, in genere & lege. Hæc igitur Apostolus ex ordine commemorat, sibiq; illa sic uindicat, ut si gloriari de illis uellet, non minus: imò in quibusdam magis quàm pseudapostoli illorum nomine gloriari posset. Post circumcisionem igitur subiungit de genere, dicens: Israel ex genere tribus Beniamin, Ebræus ex Ebræis. Gloriam generis Iudæi singulari supercilio iactant, eo quòd in reliquis quidem qui ex gentibus proselyti fiunt: ut in circumcisione, lege, zelo legis, & iusticia legali, communicare cum ipsis possunt: in generis uerò nobilitate nõ possunt. Quare eam gentis suæ nobilitatem plurimi faciunt, ac singulari sibi prærogatiua uendicant. Et hanc itaque non deesse sibi significans, non dicit simpliciter, se quoq; esse Israelitam: sed addit, Ex genere, quò se discernat à proselytis: & quia moris erat apud Iudæos, ut suam quisq; tribũ, in qua natus esset profiteretur, adijcit ipse & suam, dicẽs, Tribus Beniamin. id quod & Rom. 11. facit, cũ dicit: Nam & ego Israelita sum, ex semine Abrahæ, de tribu Beniamin. Huc etiã pertinet quod dicit, Ebræus ex Ebræis. Non simpliciter Ebræus, sed Ebræus ex Ebræis: quo se non se non aduenticiũ, sed ex maioribus suis Ebræis, Ebræum esse ꝓfiteatur. Sic & 2. Cor. 11. dicit: Ebrei sunt? sum & ego: Israelitę sunt? sum et ego: semẽ Abrahę sunt? sum & ego.

Tribus Beniamin, inquit.] Id commendationis hic est, quòd non erat ex aliqua decem tribuũ oriundus, quæ in Assyriam abductæ ad terrã promissam, legẽ & cultus reuersę non sunt: sed ex una duarum, quę in Babyloniã quidem translatę fuerãt: uerùm inde reductę tẽplum, legẽ, & cultus receperant. Hæ erant Iudah & Beniamin.

In hac tribu, primus rex fuit Saul, cuius gratia Beniamitæ sibi bellè placebant: unde & nata est inter illos æmulatio domus Saulis, quam pleriq; per id testabantur, quòd ipsum nomen Sauli regis ipsorum liberis suis imponebãt. Et hinc factum arbitror, quòd & hic noster Apostolus ex ea tribu ꝓgnatus, Saul est à parentibus suis nominatus. Sic erat ea æmulatio inter Beniamitas inueterata, ut ad Christi usq; tẽpora duraret, quantumuis ipsa persona Saulis à Deo esset roprobata, cuius rei illi rationẽ tantam nõ habebant, quantã habere debebant. Pluris faciebant regiam dignitatẽ in Saule, pro tribus suæ gloria, quàm uoluntatem & gratiam Dei in persona Dauidis, in quo totus Israel sempiternam est gloriam consequutus. Exæmulatoribus tamen illis singulari consilio Dei natus est hic Saulus, qui multo felicius inter Apostolos connumeratur, quàm prior ille inter prophetas. quod prouerbio dicebatur, 1. Sam. 10.

Ebræus ex Ebræis, inquit.] Antiquius est, quòd posteri Abrahę uocati sunt Ebrei, quàm quòd Israelitæ uocari cœperunt. Nam illud ab ipso Abrahamo, hoc uerò à nepote illius Iacobo originẽ cępit. Quòd autem Abraham uocatus Ebræus, id est transfluuialis, manifestũ est ex eo, quod Gen. 14. sic legitur: Ecce unus qui euaserat, nunciauit Abram Ebræo, qui habitabat in conualle Mamre, &c. Apostolus igitur, ne quid quod generis antiquitatem concernat, in maioribus suis desiderari patiatur, dicit se Ebræum esse ex Ebræis.

Errant uerò hac in re Chrysostomus & Ambrosius, per ignorantiã Ebrææ linguę: quorum prior Gen. 14. sic annotat, Et antea etiam ab initio parentes ei hoc nomen indiderant, iam antea, significantes eum inde migraturũ. Vocatus est enim Abram, quia migraturus erat trans Euphratem. Posterior etiam hoc præsenti loco: Ebræi (inquit) propter Abrahã dicti sunt. Immutata est enim litera ꝓpter sonũ, ut non uocarentur Abræi, sed Ebræi. Vt apud ueteres cùm diceretur Medidie, & esset absurdum: immutata est litera, ut diceretur Meridie. Si enim origo ex Abram est, ex ipso trahi debet & nomen, non ex Heber, qui sexta generatione est super Abraham. Si enim in Abram reformori cœpit genus hominum, & ipse est pater fidei, ex ipso & nomen est & lingua Ebræa, &c. Hæc isti duo celebres patres. Quis autem uel modicè Ebraicæ linguæ peritus, non uidet, quàm pueriliter hac de re loquantur. Existimarunt Abrã idem esse quod Heber, ignorantes Abram scribi per aleph literã, א, ut אברם: Heber uerò per literam ayn, ע, ut עבר: deinde אברם non significare transfluuialem, sed magnum patrẽ. עברי uerò sonare transfluuialem. Vnde sunt עבריים, id est Ebrei, & Abram uocatũ esse non Heber, sed עברי. De nomine Abrã poterãt uel ex eo admoneri, quod Gen. 17. legitur ad hunc modũ: Nec ultrà uocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarũ gentium constitui te. Sonat enim אב patrem, unde est Abba, רם, id est ram uerò excelsum, uel magnum:

magnum: & חם, id est ham, multitudinem, pro חמון. Verùm nõ accidit istis tantùm patribus, ut in plerisq; per ignorantiam Ebræę linguæ hallucinarentur: sed & nõnullis alijs, inter quos est & Augustinus.

Iuxta legem pharisæus, inquit.] Iam tertio loco subiungit de lege, de qua Iudæi plurimùm gloriabantur, & inter quos magnũ erat esse doctorẽ legis: unde & pseudapostoli hunc sibi titulũ uendicabant, quòd essent doctores legis, sicuti uidere est 1. Timoth. 1. Vt igitur & hanc illorũ gloriationẽ sibi nõ deesse (siquidẽ illa uelit ut) isignificet, dicit se iuxta legẽ esse pharisæũ, hoc est, non uulgarem & qualemcunq; legis doctorem: sed ex eorum secta qui inter Iudæos omnium habebantur clarissimi, iustissimi, ac religiosissimi legis interpretes, summũq; illius studium ac zelum simulabant, & ab alijs quoq; exigebant, eamq; ob causam מתורגמים, id est, interpretes, legis uidelicet, uocabãtur. Sonat enim תרש, interpretari & exponere. Erat id muneris sacerdotum, sicuti uidere est Malach. 2. ubi Deus cum sacerdotibus hac de re expostulat: Verùm cùm ordo sacerdotum ea quæ munus hoc concernebant, negligentius exequeretur: surrexerunt alij, qui & scientiam, & zelum, & obseruantiam legis perfectam ac singulãrẽ profiterẽtur: & horum existimatio maior haberi cœpit, quàm sacerdotum ac Leuitarum. Quare cùm Ioannes authoritatẽ eorum qui à Iudæis ad Baptistam missi fuerant, exprimere uellet: Ioannis 1. non contentus dixisse, quòd fuerint sacerdotes ac Leuitæ, post narrationem legationis ipsorum adiecit, quòd fuerint ex Pharisæis. Ex horum itaq; se numero fuisse dicit Apostolus: significans sibi plus esse occasionis gloriandi de scientia legis, quàm aduersarijs suis pseudapostolis, si eiusmodi gloriatio alicuius est Christiano homini facienda. Quomodo autem factus fuerit Pharisæus, cõmemorat ipse in Actis cap. 22. dicens: Ego sum uir Iudæus, natus Tharso Ciliciæ: nutritus autem in ista ciuitate ad pedes Gamalielis, eruditus iuxta ueritatẽ paternæ legis. Quòd uerò Gamaliel ille pharisæus fuerit, & eximius legis doctor, ex eo patet, quòd Lucas Act. 5. sic dicit: Surgens autem quidam in cõcilio pharisęus, nomine Gamaliel, legis doctor honorabilis uniuersæ plebi, &c.

Iuxta studium, inquit, *persequens Ecclesiam.*] Pharisæi tria hęc sibi uendicabant: Singularem legis scientiam ac doctrinam, deinde zelum eximium erga legem: tertiò perfectã legis iusticiã. Hæc quoq; consequutũ se esse significans, cùm dixisset, Secundum legem pharisæus: adiecit κατὰ ζῆλον, id est secundum zelum persequens Ecclesiam, secundum iusticiam quæ est in lege irreprehensibilis factus. Cùm dicit, secundum zelum persequens Ecclesiam: zelum suũ quo fuerat erga legem singulariter præditus, manifesto facto comprobatum fuisse significat. De illo & Act. 22. cõmemorat, dicens: Aemulator legis, sicut & uos omnes estis hodie, qui hanc uiam persequutus sum usq; ad mortem, alligans & tradens in custodias uiros ac mulieres, sicut princeps sacerdotum mihi testimonium reddit, & omnes maiores natu, à quibus & epistolas accipiens, &c. Et consimilia plura Actor. 26 legimus.

De eo quòd Ecclesiã Dei persequutus est, in Cõmentarijs nostris super Epistolam ad Galatas cap. 1. fusè annotauimus. hic obseruandum est, quòd id fecit ut pharisęus. Pharisæi, sicut in euangelicis historijs sæpenumero occurrit, omnium fuerunt infensissimi Christi & ueritatis Euangelicæ hostes: quod ex eo natum esse arbitror, quòd hoc pacto existimationẽ singularis zeli erga legem quam consequuti fuerant in populo, cõfirmare ac probatam reddere, simulq; sacerdotum ac seniorum ordini gratificari conarentur: ad eum planè modum, quo à monachis illis qui regno pontificio sunt addictiores, & præ cæteris plus quæstus ac gloriæ sub specie religionis consequuti, Euangelium Dei improbissimo odio nostra hac ætate impugnari uidemus, ut nihilo eos minus βαρυζήλους ἀμελήτας, & βαρυκάρδιον καὶ δύσμαχον ἰσμὴν, quàm Nonnus priscos illos pharisæos, rectè uocare queas. Hunc itaq; pharisaicum zelum Paulus inter pharisæos educatus sic imbiberat, ut quamuis ignoranter, acerbissimo tamen odio ueritatem Dei, & Ecclesiam illius persequeretur.

Iuxta iusticiam quæ est in lege, inquit, *factus irreprehensibilis.*] Hęc tertio loco simulabatur à pharisęis: Et enim sine illius studio, nec scientia legis singularem illis existimationẽ in populo peperisset, nec zelum aliquem sine grandi impudentia simulare potuissent. Vide autem quomodo loquatur. Non simpliciter dicit, Iuxta iusticiam: sed addit, Quę est in lege, id est in obseruãtia eorũ quę lex præcipit, factus irreprehensibilis. Græcè est, ἄμεμπτος: id est talis de quo nemo queri posset, quòd legẽ transgrederer. Eam ergo sibi legalis iusticię obseruantiam uindicat, quã pharisęi studiosissimè sequebantur: inq; illa eò se usq; profecisse commemorat, ut nemo mortalium quicquam in ipso reperire potuerit, quod damnaret.

Cogitet hic cordatus lector, quantum pondus habeat eiusmodi hominis zelus, aduersus ueritatẽ Euangelij Christi pugnantis: de quo nemo conqueri possit, quòd non sit uir iustus, religiosus, & perfectè timens Dei. Talis erat persequutor Paulus, cùm Ecclesiam Christi persequeretur. Verùm quid effecit? Nihil: nam omniũ est fortissima ueritas. Non est igitur ut timeamus eorum furias, qui non modò pessimè docent, sed & pessimè uiuunt, ita ut ne de Papistica quidem iusticia gloriari queant, quòd in illa sint ἄμεμπτοι. Sęuiant illi quantum uolunt, existimationem pristini nominis, quàm per uitę corruptionem plusquàm ethnicam amiserunt,

runt, per sæuitiem, quam in sanguinem fidelium Christi exercent, haud quaquã recuperabũt.

Deinde & illud obseruandum est, quòd pharisaismo suo tribuit zelum & studium iusticię. Inuenias scientiã sine zelo & studio iusticiæ: id quod nostro seculo in ijs usuuenit, qui de scientia ueritatis Euangelicæ gloriantur. quorum haud pauci sic uiuunt, ac si nihil unquam de uera resipiscentia uitæ prioris audierint. Zelus uerò & studium iusticiæ sic coniunguntur, ut etiam ubi deest scientia ueritatis, haud facilè inuenias zelũ sine studio iusticiæ, & uiceuersa studium iusticiæ sine zelo: cuius rei ueritas in maioribus nostris declarata est.

Sed quæ mihi erãt lucra, ea arbitratus sum propter Christũ damnũ esse. Quin etiam arbitror omnia damnum esse, propter excellentiam cognitionis Christi Iesu Domini mei, propter quem omnia pro damnis duxi, habeoq; pro reiectamentis, ut Christũ lucrifaciam: utq; reperiar in illo non habens meam iusticiam ex lege, sed eam quæ per fidem est Christi, quæ est ex Deo iusticia super fide: ut cognoscam illum, & potentiam resurrectionis illius, & communionem afflictionũ illius, dum conformis fio morti eius, si quo modo pertingam ad resurrectionem mortuorũ: non quòd apprehẽderim, aut iam perfectus sim, sed sector, si etiam apprehendã, quatenus & apprehensus sum à Christo Iesu. Fratres, ego meipsum nondũ arbitror assequutum esse. Vnum autem illud ago, ea quidem quæ à tergo sunt obliuiscẽs: ad ea uerò quæ à fronte sunt enitens, iuxta prefixũ signum insequor ad palmam supernæ uocationis Dei per Christum Iesum.

Exponit toto hoc contextu, quomodo & quare non glorietur de tantis prærogatiuis carnis, circumcisionis, legis, legalisq; zeli ac iusticiæ: cùm plus occasionis ad gloriãdum de illis habeat, modò uelit, quàm pseudapostoli.

Sed quæ mihi erant lucra, inquit, *ea arbitratus sum propter Christum damnum esse.*] Pro eo quòd simpliciter dicendũ fuisse uidetur, Verùm non glorior de istis: pluribus inculcat, se non modò non gloriari de illis, sed & pro damno ea ducere ꝓpter Christum. Verùm uideamus ex ordine singula. Sed quæ mihi erant lucra (inquit.) Particula hæc aliter atq; aliter accipi potest. Primò sic: Sed quæ mihi erãt lucra, intellige, sicuti putabam, priusquam Christum cognoscerẽ, cùm adhuc æmulator essem legis, ac iudicarem me in causa salutis meæ multũ in pharisaismo meo ꝓfecisse. Tum sanè non sentiebat, quàm esset egens gratia & uera scientia Dei, quáq; procul abesset à uera iusticia, cùm se nescio quę bona lucratũ esse iudicaret. Sic animatus, uim peccati in carne latentis nõ obseruabat: nec dicebat, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? sed potius cum pharisæo: Gratias ago tibi Deus, quòd nõ sum sicuti cæteri homines, peccatores, &c. Sum pharisęus, legis tuæ singularis æmulator, & in iusticia illius irreprehensibilis. Deinde sic: Sed quę mihi tum, priusq; ad Christi cognitionem uenissem, lucra erant, id est, plurimũ utilitatis conferebant, ꝓpter pędagogiã legis, in qua instituebar, & in timore Dei ac studio iusticiæ exercebar. Vtrouis sensu exponamus, parum refert, modò agnoscamus, pædagogiã legis non fuisse rem modici momenti, quemadmodum nec reliquas prærogatiuas Israeli diuinitùs concessas, sicuti uidere est Deut. 4. Psal. 147. Rom. 3.

Ea arbitratus sum, inquit, *propter Christum damnũ esse.*] Intellige, ubi Christum cognoscere cœpi, tum demũ sic mihi omnis illorũ æstimatio cõcidit, ut ea ꝓ damno haberẽ. Lucrum & damnũ inter se opponuntur. Quare nõ simpliciter dicit, Ea arbitratus sum non esse tãti momẽti, quãti putauerã: sed, Ea arbitratus sum damnum: hoc est, ꝓrsus diuersum esse ab eo quod ante cognitũ Christũ esse ea putauerã. Hoc dicẽs, satis diserte cęcitatẽ pseudapostolorũ in sua ipsius persona ꝓstringit, qua post receptũ Christum legis adhuc & circũcisionis fiduciã non solùm ipsi retinebant, sed & Christianis proponebant. Quæ namq; maior poterit esse cęcitas, quàm ea quæ pro damno maioris boni respectu haberi debebant: tum quoque habere pro lucro, quãdo maioris boni copia credentibus & amplecti uolentibus offertur? Si Christum cognouissent, utiq; & ipsi pro damno habuissent ea quæ antea amplissimum uisa fuerant esse lucrũ. Quare ubi legalis sciẽtiæ ac iusticiæ æmulationem adhuc & fiduciam docebant inter Christianos, satis prodebant, quàm essent adhuc scientiæ ac iusticiæ Christi ignorantes.

Ea arbitratus sum, inquit, *damnum esse.*] Ergo damnũ erat, quòd circumcisus esset: quodq; genere Israel, Ebræus ex Ebræis, tantùm studij legi Dei impẽderat, ut factus esset irreprehẽsibilis? Quare ergo dederat ista suo populo Deus? Et quare Christus eũ intuitus dilexit, qui prędicta legis à puero seruauerat? Marci 10. Respõdeo. Non dicit, Ea mihi damnũ erãt: sed, Ea arbitratus sum esse damnũ: neq; id tãtùm, sed addit, ꝓpter Christũ. Confert ea q̃ in Christo acquisierat, cũ ijs q̃ habebat ex lege: & ut excellẽtiam diuitiarũ Christi exprimat, dicit lucrũ legis illarum cõparatione ꝓ damno magis esse habẽdum quàm pro lucro: intellige, si propter illud Christũ recipere nolis, uel pluris illud quàm diuitias Christi facias. Illud, ꝓpter Christũ, nonnulli sic exponũt, ut Christũ lucrifacerẽ: quem aliàs lucrifacere nõ potui, nisi prius resignata iusticia & fiducia, quam ex lege acquisieram. Verùm lucra quæ ex lege habebat, non est prius

damnum

damnum esse arbitratus, quàm Christum cognouisset: sed adhuc in fiducia legis cõstitutum traxit ad se Christus. Hunc ubi cognouit, tantam in illo scientiæ ac iusticię, salutis ac uitæ ex cellẽtiam inuenit, ut propter illum legalia sua lucra pro damno magis, quàm pro aliquo emolumento habenda esse iudicaret. Quare quòd dicit, Propter Christũ: idem est quòd, Propter excellentem cognitionem Christi, quemadmodum & mox est particulam hanc expositurus. Chrysostomus sententiam hanc appositissimo simili declarat: Si quis (inquit) orto iam ac splendente sole, ad lychnum sedeat, utiq; damnum illi est, non lucrum. Splendebat iam toto orbe Christus, lux uera: at pseudapostoli malebant sedere ad lychnũ legis, quàm illo relicto, in luce Christi ambulare. Quid aũt peruersum magis esse poterat, quàm quòd Ecclesias Christi à luce illius ad obscuritatem legalis lychni abducere, & tam luculentum & incomparabile lucrum in damnum manifestum peruertere moliebantur?

Quinetiam arbitror omnia damnum esse, inquit, *propter excellẽtiam cognitionis Christi Iesu Domini mei: propter quẽ omnia pro damnis duxi, habeoq; pro reiectamentis, ut Christum lucrifaciam.*] Videbatur absurdum esse, quòd tam insignia lucra, quę non modò ut Israelita, sed & ut phariseus ex lege Dei fuerat cõsequutus, damnum se arbitratũ esse dixit: uerùm ut pro amplificanda gloria Christi contẽdat, addit quod adhuc amplius est, dicẽs: Non modò cùm Christianus essem factus, & ad cognitionem Christi perductus, ea lucra quæ ex lege habebam, arbitratus sum esse damnũ: sed insuper omnia quoq;, etiamnum damnũ esse arbitror, propter excellẽtiam cognitionis Christi Iesu Domini mei. Quantum pars minor est suo toto, tantum minora erant lucra legis cęteris omnibus, quorum ipsa pars erant. Et quantum illa minoris momenti erant quàm cætera omnia, tanto pluris erat omnia pro damno habere propter Christum, quàm quòd legalia sua lucra damnum se propter Christum arbitratum esse dixit. Sic habent ista amplificationem, quam innuũt ipsa uerba, cùm dicit: Quinetiam arbitror omnia damnũ esse. Q.d. Non modò lucra mea q̃ habebã ex Iudaismo, sed & cætera omnia, ad Christũ collata, pro damno habeo.

Quæ sunt autem illa omnia? Chrysostomus exponit τὰ παρόντα, id est præsentia, mundũ uidelicet hunc, & quæ in illo sunt omnia, ipsam etiam uitam. Nihil excipit, cùm dicit, Omnia, idq; secundò. Dicebat utiq; in corde suo cum propheta: Nec in cœlo nec in terra quicquam est, quod tecum concupiscam Domine.

Propter excellentiam cognitionis Christi Iesu Domini mei, inquit.] Ergo excellentia cognitionis Christi, in quo thesauri sunt sapientiæ ac scientiæ Dei, tanti erat huic Apostolo, ut nõ modò Iudaismum, sed & quicquid eximiũ est uspiam in cœlo & in terra, propter hanc nihili faceret, imò damni loco duceret. Cui ergo dabimus, quòd in Ecclesijs Christi alij terrenis opibus felicitatem suam metiuntur, alij honores huius mundi impensè appetunt: alij mundanam sapientiã plurimi faciunt, alij uoluptatibus immoriuntur: adhuc alij per omnem uitam suam seculari eruditioni ac philosophiæ studijs incumbũt, alij in scriptis patrum tam ueterũ quàm scholasticorum consenescunt, alij monasticæ uitę merita iactant: nisi quòd Christũ nondũ cognoscunt? cuius si uel modicam cognitionem nacti essent, utiq; hęc omnia nõ pro lucro, sed pro damno haberent. Nostra hac ętate inuenti sunt haud pauci, quorũ alij secularem eruditionẽ, alij honores huius mundi, alij monasticę uitę religionẽ ac sanctimoniam, quam antea magni fecerant, pro nihilo, imò detrimento habere cœperũt. Quare? Propter Euangelium Christi uidelicet, cuius collatione hęc omnia uisa sunt ipsis esse damnum magis quàm lucrum.

Propter excellẽtiam cognitionis Christi, inquit.] Erat institutus in lege Dei ad pedes Gamalielis. At in lege præclara erat sapientia, illuminans mentes hominũ: & de ipso quoq; Christo scripsit in lege Moses. Quomodo igitur propter cognitionẽ Christi potuit illa habere pro damno? An alia, eaq; diuersa habet in se Christus, ab ijs quę scripsit Moses? Est'ne in Christo alius Deus, alia fides, alia pietas?

Respõdeo: Loquitur de mysterio Christi, in quo quidem nec alius Deus est, nec alia fides, nec alia pietas: uerùm in illo tanta est excellentia sapiẽtiæ ac scientię Dei, ut quæ in lege sunt tradita, uix umbram quandam regni ac mysterij Dei contineant. Finge te per omnem uitam tuam lucem solis, qua fruimur in terris, non uidisse aliter quàm cœlo obnubilato subobscuram, sic ut solem ipsum nunquam uideris: tandem uerò sublatis è cœlo nubibus apparere solem claro die, tanto splendore radiantem, ut oculos in illum intendere nequeas. An non ibi præteritam lucem tenebras arbitraturus es, propter excellentiam splendoris, quem corpus solis ex se latè spargit? Atqui eiusdẽ solis luce usus fueras & antea: uerùm, sed obscura & obnubilata. Consimili planè modo accidit & Paulo. Sederat in luce legalis sapiẽtiæ, quæ & ipsa quidem uenerat à Christo, & umbras quasdam Christi habebat: uerùm subobscura fuerant illius omnia. Postea repurgato ueluti cœlo, cùm Christus ipse apparere cœpisset, tantam in illo comperit esse cœlestis sapiẽtiæ excellentiam, ut legem ad quam antea sederat, & præterea reliqua omnia pro damno haberet. Sic eiusdem sapientiæ Dei excellentia est in Christo, obscuritas uerò in lege. Et hoc ipsa uox Excellentię satis innuit. τὸ γὰρ ὑπερέχειν, τῶν ὁμογενῶν ὑπερέχει. In quibus autem sita sit excellentia cognitionis Christi, non est nostræ tenuitatis exprimere. Quædam tamen de illa Apostolus infrà uelut in transcursu attinget.

Deinde quæsierit quisquam, quare de excellentia mysteriorum Christi commemorans, prio re loco de cognitione illius mentionem faciat, eamq; tanti sibi esse dicat, ut propter illam om nia damni loco habeat: cùm tamen 1. Cor. 13. nihil se esse dicat, si omnia quidem mysteria te neat, omnemq; scientiam habeat, charitatem uerò non habeat.

Respondeo. Vtrobiq; seruit argumẽto, quod tractat. Illic corrigit eos, qui propter singula ria quędam charismata nimiũ in Ecclesia Christi neglecta charitate præsumebãt: hic uero pu gnat cum pseudapostolis, legis doctoribus, qui scientiam legis supra cognitionem Christi ex tollebant, deq; illa plurimum gloriabantur, quòd essent ductores cæcorũ, lumen in tenebris, eruditores insipiẽtium, doctores paruulorũ, formam habentes scientiæ, &c. Illic igitur opus erat, ut charitatem supra sciẽtiam: hic uerò, ut cognitionem Christi supra cognitionem legis extolleret. Qua in re & illud cõsiderandũ est: Licet charitas supra scientiam mysteriorũ Chri sti emineat, ordine tamen prior est cognitio Christi, sine qua cęca sunt omnia. Quare & Chri stus ipse Ioan. 17. dicit: Hęc est aũt uita æterna, ut cognoscant te solũ uerum Deum, & quẽ mi sisti Iesum Christum. Quemadmodum enim in eum credere non possumus, de quo non au diuimus: ita & eum diligere non possumus, quẽ non cognouimus: & consequenter fieri non potest, ut eos qui ad Christum pertinent, diligamus propter Christum, nisi prius Christum i psum cognoscamus & diligamus. Sic cognitio Christi charitatem ordine antecedit.

Domini mei, inquit.] Emphaticè hoc dicit, ut perstringat pseudapostolos, qui relicto glorifi candi Christum studio, reuocabant Ecclesias ad Mosen: quem tamen dominum suum uoca re non poterant. Ipse uerò, quoniã Christi erat Apostolus, non Mosis, diserte uocat illũ Dñm suum. Et quoniam de sua ipsius persona loquitur, non dicit, Domini nostri: sed, Domini mei, licet sit ille non ipsius tantùm, sed omnium fidelium Dominus. Et hoc ipsum quoq; ad cogni tionem Christi pertinet, cognoscere ac scire quòd sit Dominus. qua de re Capite præcedenti dictum est.

Propter quem omnia pro damnis duxi, inquit.] Græcè est: δι' ὃν τὰ πάντα ἐζημιώθην. Cùm uerbũ ἐζημιώθην passiuę formę sit, nescio an necessariũ sit ut actiuè accipiatur, cùm possit intelligi passiuè dictũ, de eo quod omniũ quę habuerat in hoc mũdo, iacturã fecerit propter Christũ. Quis enim dubitat, fuisse eum, cum Ecclesias Christi persequeretur, & in honore inter phariseos, & lucu lenta fortuna: posteaquam uerò Christum cõfiteri cœpit, propter illum omnibus esse spolia tum? Quare non displicet, quod nonnulli uerterunt, Propter quem omnium iacturam feci. Et Theophylactus sic exposuit. Si sic intellexerimus, sensus erit expeditus, & liber à tautologia. Alioqui quid aliud est, Omnia damnum arbitrari propter excellẽtiam cognitionis Chri sti, ab eo quod subiungit, si legas, Propter quem omnia pro damnis duxi? Notum est autem ζημιωθῆναι πάντα, idem esse quod bonis omnibus damnari: quod fieri solet illis, qui quod mor te plectendum sit, admiserunt.

Quoniam uerò hoc sensu non animus patientis, sed uis damnantis ac spoliantis exprimi, idq; parum cõueniens causæ quam agit, uidetur: ideo mox subijcit, Et habeo pro reiectamẽ tis. Q. d. Id quod me usq; adeò non grauat, ut perinde afficiar, ac si reiectamenta mihi sint ab lata. Græcè est autem: ἡγοῦμαι σκύβαλα εἶναι. σκύβαλον Suidas id esse dicit, quod canibus proijci tur, quasi sit κυσίβαλον. Huc respexit Erasmus puto. Vetus editio habet: Et arbitror ut stercora. Chrysostomus uerò, quem existimo in sua lingua haud facilè cuipiam cedere, de hac uoce sic dicit: τὸ γὰρ σκύβαλον ἀπὸ τῆς εἰτε ἐγί, ἢ τὸ ἰσχυρὸν τῆς εἰτε τὸ σκύβαλον ἐγί, τὸ ἀχυρὸν λέγω: ἀλλ' ὥσπερ πρὸ τότε χρήσι μον τὸ σκύβαλον ἵν', ὅτι μετὰ τῆς εἰτε αὐτὸ ἐκλέλειμμ ὲ μὴ τὸ σίτβαλον ἵν', ὅπ ἄρ ὁ εἰτες ἐγένετο. Hęc ille. Ergo σίτβαλα sunt paleæ, si in Græca lingua non errat Chrysostomus, quem & Theophylactus sequitur: uerùm parũ refert, Paleas ne legamus, uel reiectamẽta uel stercora. Satis .n. patet quid dicat, modò quod dicit, & à nobis satis intelligitur, prestemus & ipsi: ut sicubi facienda nobis sit bo norum nostrorum omnium iactura propter ueritatem Euangelij Christi, haud ea pluris æsti memus quàm paleas. Simus triticum, quod sine paleis in apothecam colligitur. Quid damni accedit tritico ex amissione palearum? Nihil planè. Cogitemus nos esse triticũ, & quo commodius in regnum Dei colligamur, liberari à paleis, dum terrenis impedimentis exuimur.

Vt Christum, inquit, *lucrifaciam*.] Bonorum omnium amissionem pro nihilo ducere, & omnia habere pro paleis, sine melioris boni respectu, haud quaquam est hominis sana mente prædi ti. Cùm ergo inculcat, quàm nihili faciat omnia, non modò legalia lucra, sed & reliqua bona omnia: simul inculcat facere se hoc non ex leuitate animi ac dementia quadã, sed propter Chri stum, ut hunc lucrifaciat. Quare? Quia illum pluris faciebat, quàm reliqua omnia. Sciebat enim in illo thesaurum esse sapientiæ ac scientiæ Dei, salutisq; ac uitæ æternæ.

Quid est autem quòd non dicit, Quia Christum lucrifeci: sed, Vt Christũ lucrifaciam? An non suprà cap. 1. dixit, Christũ sibi lucrum esse, siue uiuat, siue moriatur? Si iam tũ lucrifecerat Christũ, quõ hic se omnia habere pro paleis dixit, ut Christum lucrifaciat? Respõdeo. Non sic loquitur, quasi nondum lucrifecerit sibi Christum: sed significat, fieri non posse ut lucrum illius sit Christus, cui non omnia pro damno respectu Christi habentur. Lucrifacere est hoc loco idẽ, quod lucri loco reportare. Respicit autẽ ad eũ diẽ, in quo reportabit quisq; quod in hac

hac uita gesit. Qui in hac uita omnia propter Christum instar palearum æstimat, is demũ in die iudicij Christũ lucrifaciet, id est lucri sui loco reportabit. Qui talis est, huius portio Christus est in fide ac spe: & in fine tandem reipsa & perpetua possessione reportabit eum pro lucro, quod non auferetur ab eo in sempiternum.

Admonemur hoc loco, fieri nõ posse ut lucrũ nostrũ sit Christus, donec aliud quicq̃, extra ipsum, q̃cquid illud sit, lucri loco habuerimus. Aliud est simpliciter habere multa bona, siue corporalia, siue spiritualia: & aliud habere ea lucri loco, quod quæramus, ad quod intentione cordis respiciamus, in quo acquiescamus, & cuius nos nomine uel diuites, uel iustos uel sapientes, uel aliàs felices esse ruputemus. Dantur à Deo mortalib. omnis generis bona, nec requiritur à nobis ut ea reijciamus, si Christiani esse, Christũq; lucrifacere uoluerimus, aut nec sentiamus ea nec fateamur esse bona Dei dona, nec utamur illis pro nostra cõditione ac necessitate: sed hoc requiritur, ut omnibus illis unũ Christum prẽponamus, illũq; unicè pro lucro nostro habeamus, in quo cõquiescamus, nosq; felices esse iudicemus, scientes hũc nobis mansurũ, nosq; beaturũ, ubi omuia quę hic possidemus, defecerint. Vtamur igitur donis Dei, idq; cum gratiarũ actione: cor uerò non illis, sed Christo apponamus. Etenim cor apponere, est ꝓ lucro habere. Vbi thesaurus noster est, ibi est & cor nostrũ. Diuitiæ si affluant (inquit Scriptura) nolite cor apponere. quod nihil est aliud, quàm nolite illas ꝓ lucro ac thesauro uestro habere. Hoc enim faciẽtes, Christum haudquaquam pro lucro habere poterimus.

Deinde & illud obseruandũ est in exemplo Apostoli, eos qui Christum lucri sui loco habere satagunt, uti quidem omnis generis bonis in hac uita: uerùm sic, ut ea haud pluris faciant, sicubi ab impijs auferuntur, quàm paleas & quisquilias. Et sic animati satis declarant, habere se Christum pro stabili, incomparabili ac sempiterno suo lucro.

Et reperiar in illo, inquit, *non habens meam iusticiã ex lege, sed eam quæ per fidem est Christi, quæ est ex Deo iusticia super fide.*] Suprà dixit se iuxta iusticiam quæ est in lege, factũ fuisse irreprehensibilẽ, & tamen quæ consequutus fuerat lucra, arbitratũ fuisse damnum propter Christum: iam quoniam omnia se pro paleis habere dixit, quò Christũ lucrifaciat, subijcit ista, ne quis dicat: Et quomodo saluaberis in Christo, amissa iusticia, quam sueras in lege cõsequutus? Poteris ne sine iusticia propter id tantùm saluari, quòd Christianus es factus? An nõ requiritur à nobis ut iusti simus, & obseruantes legis, quam Deus populo suo seruandam tradidit? Sine hac iusticia quid ꝓderit tibi Christus? An ad hoc datus est Christus, ut contẽpta iusticia simus peccatores, saluabit ne Deus peccatores, eosq; tales qui propter Christũ iusticiam legis suę pro damno ducant? Hæc poterant Apostolo obijci, neq; dubito quin ea pseudapostoli frequenter & improbè Ecclesijs aduersus doctrinam gratię ac fidei inculcauerint. Sciebat id Apostolus, ideoq; diligenter ista in oppositum illis applicat. Volebant & illi pro Christi ministris haberi, & tamen non eam quæ in Christo est, sed quam in lege quærebant iusticiam sectabãtur, & Ecclesijs sectandam proponebant: quasi frustra reperiamur in Christo, non habentes propriam iusticiam, quę sit ex lege. Hanc itaq; illorum doctrinam refutans, diserte se nolle sic reperiri in Christo dicit, ut suam ipsius iusticiam habeat, sed eam quę per fidem est Christi. Sed uideamus singula. Est enim hic locus insignis, & ualidus aduersus doctrinam iusticiariorum.

Et reperiar, inquit, *in illo.*] Non dicit simpliciter, Et sim in illo: sed, Et inueniar in illo. Loquitur autem de iudicio Dei, quo in singulorum uitam fiet inquisitio, & de unoquoq; secũdum id in quo inuenietur iudicabitur. Hic omnino plurimum, imò totum refert, in quo & quales inueniamur. Nolebat Apostolus inueniri in Mose, sed in Christo, cui & relicto Mose adhæsit, illumque lucri sui loco habuit. At pseudapostoli susque deque facientes Christum, pendebant à Mose, quasi in illo consultius sit inueniri, quàm in Christo. Quis autem inuenietur in Christo? Qui ad mortem usque in fide ac spiritu Christi perseuerat. Multi fidem in Christum profitentur, qui tamen nec sunt uerè in Christo, nec in illo etiã inuenientur, quantumuis in hoc seculo præ alijs Christiani haberi uolunt. Nunquam igitur obliuiscamur eius diei, in quo inuenturus est nos extremus uitæ nostræ terminus, præsertim cùm nemo nostrùm horam aduentus illius præscire queat: sed id curemus omnes, ut quales inueniri cupimus, tales reuera simus. Franciscanus, quoniã in suo Francisco inneniri satagit, ordinis sui cucullum ne noctem quidem seponit: ne si in illo non inueniatur, extra Franciscum suum inueniatur, atq; ita pereat. Hoc loco sit nobis studiũ retinẽdi Christi, ut siue uigilemus siue dormiamus, fide in illo maneamus, quo tandem & inueniamur in illo, ac saluemur.

Non habens meam iusticiam ex lege, inquit.] Quomodo inueniri potuit in Christo non habens suam iusticiam, quam ex lege fuerat consequutus? Primò sic, ut quoniam legalem obseruantiam Christianus factus neglexit, simul & iusticiam eam quam inde consequutus fuerat, amiserit. Deinde sic, ut omnem proprię iusticiæ fiduciam reiecerit.

Quare aũt sic inueniri uoluit in Christo, ut nõ haberet suam ipsius iusticiã? An nullus est apud Deũ iusticię respectus? Est utiq;. Scriptũ nãq; est: Iustus est Dñs, & iusticias deligit. Sanè melius est inueniri iustũ, quàm inueniri peccatorẽ. Et tñ nolebat Apostolus inueniri in Christo, suam habens iusticiã, ꝓpterea quòd sciret illam nec esse nec fieri posse talẽ, quæ iudicio

Dei ſatisfaceret, ſciebat ſe per illam in conſpectu Dei iuſtificari ſaluariq́ue non poſſe. Hoc ſciens, nolebat illam habẽs inueniri. Si dicas te nolle inueniri in conflictu tuam habens fortitudinem, ſatis innuis, non ſpernere te fortitudinem ac dexteritatem pugnandi in ſe: ſed de tua diffidere, quòd ſcias illam non eſſe talem, qua uim hoſtis ſufficienter ſuſtinere poſsis. Conſimili modo & Apoſtolus nõ ſimpliciter reijcit iuſticiam, ſed ſuam talem non eſſe ſignificat, qua in conſpectu Dei iuſtificari poſsit. cùm non dicit, Et inueniar in illo non habens iuſticiam: ſed, Non habens meam iuſticiam.

Audite igitur fratres: ſi Apoſtolus Chriſti de iuſticia ſua ſic ſenſit, ut nollet illã habẽs in iudicio Dei inueniri, quamuis ſecundum illã factus eſſet irreprehẽſibilis: quis noſtrûm de bonorum ſuorum operum iuſticia ſic præſumet, ut cùm hac ſe in iudicio Dei inueniri cupiat? Omnes noſtræ iuſticiæ ſunt tanquam pannus mulieris mẽſtruatę. Eſa. 64. Vnde ille non immeritò exclamauit: Vę uniuerſę noſtrę iuſticię, ſi remota miſericordia iudicetur. Quę ergo in ſunia eſt, hominẽ in peccatis conceptum & natum, & qui peccatum bibat ut aquã, ſic inniti ſuæ tam pollutę iuſticiæ, ut illius nomine neſcio quid ſibi præmij in iudicio Dei polliceatur?

Non habens, inquit, *meam iuſticiam, quæ eſt ex lege.*] Reſpicit ad id quod ſuprà dixit, ſecundũ iuſticiam, uidelicet q̃ eſt in lege, factũ ſe eſſe irreprehẽſibilem: uerùm id lucri ,p damno ſe habere propter Chriſtũ. Hic addit, nolle ſe in Chriſto inueniri, habens ſuã iuſticiã, quæ ſit ex lege. At pſeudapoſtoli eã ipſam tãti faciebãt, ut ſine illa fidẽ in Chriſtũ nemini ſufficere ad ſalutẽ contenderent. Eſt aũt iuſticia ex lege, quando quæ lex pręcipit, factis implentur. unde & Rom. 2. dicit: Non auditores tãtùm, ſed factores legis iuſtificãtur. Et loquitur de lege quatenus eſt in litera. Illa nõ dat ſpiritũ, quo corda iuſtificẽtur: ideoq; & à carne impleri nõ poteſt, cùm ſit ſpiritualis, & iuſticiã ſpiritus requirat, quã pręſtare non poteſt. qua de re uide Rom. 7. ubi dicit: Lex ſpiritualis eſt, ego aũt carnalis ſum, uenũdatus ſub peccatũ. Quare nõ immeritò nõ uult inueniri in Chriſto iuſticiam ſuã habens, quę ſit ex lege, cùm illa corã Deo neminem iuſtificare queat. id quod & Gal. 2. diſertè cõmemorat, dicẽs: Non iuſtificatur homo ex operib. legis. &: Si ex lege iuſticia eſt, ergo Chriſtus fruſtrà mortuus eſt. & cap. 3. In lege nemo iuſtificatur coram Deo. Corde nanque nondum purificato ac iuſtificato, fieri non poteſt ut Deus uerè agnoſcatur, uerè diligatur, uerè ac ritè colatur, & labes peccati quæ eſt in carne expurgetur.

Cogitet ergo pius lector, ſi lex Dei iuſta, ſancta & ſpiritualis, neminẽ coram Deo iuſtificare poteſt, quantumuis iuſticiam ex ea animalis homo ſatagẽdo & operãdo quærat: quam inanis ſit omnium eorũ conatus & labor, qui ex traditionibus & mandatis hominũ iuſticiam & merita quęrunt, unde Deo placeant, ac ſaluẽtur? Lex Dei quatenus eſt in tabulis lapideis, nõ confert ſpiritũ, quo corda mundẽtur: quomodo poterunt illum conferre traditiones & mandata hominum? Quare reuera fruſtrà connituntur, qui ex mãdatis ac doctrinis hominũ Deo ſe approbare conãtur, teſte Chriſto ipſo Mat. 15. In lege Dei nihil eſt erroneũ, ſed uera ac iuſta omnia: in mandatis hominũ multa ſunt erronea, ac Deo ingrata. In lege Dei eſt irrefragabilis authoritas: in mãdatis hominum frequenter occurrit illiciti magiſterij temeritas. In lege Dei cœleſtis eſt ſapientia: in mandatis hominum magna ex parte humana eſt ſtulticia. In lege Dei, uoluntas Dei eſt: in mandatis humanis, uoluntas hominis. Cùm ergo lex Dei diſcipulos & operarios ſuos iuſtificare coram Deo nequeat, quando & quomodo iuſtificabuntur coram Deo diſcipuli mandatorum hominum?

Sed eam, inquit, *quæ per fidem eſt Chriſti.*] Sine omni iuſticia in iudicio Dei inueniri, non eſt tale quid quod ad ſalutem faciat: quando ad ſalutem non facit, ſi inueniamur habentes iuſticiã imperfectam & inſufficientem. Quare Apoſtolus cùm dixiſſet, Et inueniar in illo non habẽs meam iuſticiam ex lege: ſubiecit, Sed eam quæ per fidem eſt Chriſti. Quemadmodum itaq; non uult inueniri ſuam ipſius habens ex lege iuſticiam, ita inueniri contendit iuſticiam habens ex fide Chriſti: quia per hanc, non autem per illam ſaluari ſe in iudicio Dei, imò nõ uenturum in iudicium, ſed per mortem in uitam tranſiturum ſciebat.

Ergo iuſticia eſt per fidem Chriſti: fides autem Chriſti, nõ eſt qua Chriſtus credat, ſed qua credimus in Chriſtum: quemadmodum ſcientiam Chriſti non eam uocamus, qua Chriſtus omnia cognoſcit, ſed qua nos illum cognoſcimus: & timor ac cultus Dei nobis eſt, non quo Deus timeat & colat quenquam, ſed quo ab omnibus timẽdus eſt, & colendus. Hęc fides eſt, qua credimus Chriſtum unicum eſſe noſtrum redemptorem, cuius ſanguine à peccato & morte in uitam aſſerti ſimus, & hac fiducia toti ab illo pendemus.

Hac fide iuſtificamur in cõſpectu Dei, hoc eſt à peccatis abſoluimur gratis, per gratiã Dei, ac pro iuſtis habemur. Sic Rom. 3. Iuſtificamur (inquit) gratis per illius gratiam, per redemptionẽ quę eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus reconciliatorem per fidem in ſanguine ipſius. Sed hac de re in Locis noſtris copioſius diximus, loco de Iuſtificatione.

Quęſierit hic quiſquam, quid'nam inſit huic fidei, cuius gratia reddamur iuſti: & ob quod eiuſmodi iuſticia præſtantior coram Deo ſit, quàm iuſticia factorum & bonorum operum, qualis erat ea quæ erat ex lege. Caro præſtantiorem iudicat eſſe eam iuſticiã, quæ conſtat ex operibus, tribuitq; illi merita uitæ æternæ: deq; illa plurimum pręſu

mit,

mit, & huius nomine iusticiarios in precio habet ac suspicit: imò & mortuos ueneratur, inuocat, & colit. Vnde aliàs est, quòd Papistæ diuos colunt & inuocant, quàm ex eo quòd iu dicant eos multum posse coram Deo, propter ipsorum iusticiam, quàm ex bonis sint operib. dum uiuerent, consequuti? De Deo nanq; haud aliter sentiũt, quàm humano more: & existi mant sanctos non per gratiam & remissionem peccatorum, sed per bonorum operũ merita, cœlestem esse uitam ac gloriam adeptos. Hæc opinio alie na est à doctrina Euangelica. Quare uidẽdum est, quid insit fidei Christi, propter quod multo sit prẽstantior illius iusticia, quàm iusticia bonorum operum.

Primò, fides Christi apprehendit gratiam Dei credentibus in Christum, secundum ἐυδοκίαν Dei promissam ac propositam, per quam iustificamur. Per hanc lucrifacimus Christum, quẽ pater uult nostram esse iusticiam, illiq; inserimur & incorporamur.

Deinde iusticia quam per fidẽ Christi apprehendimus, non est insufficiẽs ad salutẽ: sed ple na, ac talis, quæ reddat nos ab omni damnatione liberos, & ab omni peccato puros, ac tales qui coram Deo pro iustis habeamur.

Tertiò, per hanc glorificatur gratia Dei, & gloria carnis confunditur. Caro iudicat hone stius ac glorioſius esse per propriam iusticiam, quæ sit ex bonis operibus, quàm per gratiam Dei, & fidẽ in Christũ iustificari ac saluari. Ipsius iudicio honestior fuit causa pharisæi quàm publicani. Nisi itaq; grauissimo peccati & iræ Dei sensu perculsa fuerit, turpe sibi fore putat, si eo modo quo peccatores per gratiam liberãtur, in iudicio Dei iustificari ac saluari debeat. Quanto igitur præstantius est saluari eo modo quo Deus per misericordiam suam cõstituit, quàm diuerso salutẽ quærere, & ea iusticia potiri quæ liberos ab omni peccato reddit, quàm ea quæ coram Deo non iustificat: & glorificari gratiã Dei, quàm superciliũ carnis: tãto utiq; præstantior est iusticia quæ est p̃ fidẽ Christi, q̃ ea quæ est ex lege ac studio operũ. Sed hæc su perbia iusticiariæ carnis non probat: sicuti in pseudochristianis, Iudæis ac Turcis uidemus.

Quæ est ex Deo iusticia, inquit, *super fide*.] Quoniã iusticiam, quam ex lege cõsequutuus fuerat, suam uocauit, illamq́ue ut suam, adeoque inutilem, repudiauit, quòd inueniretur non in ea, sed in meliore, quæ sit per fidem Christi: poterat obijci, quòd hac ratione etiam ea quam per fidem Christi esse dixit, nostra sit iusticia: quandoquidem ipsa fides opus est, non eius in quem creditur, sed eorum qui credunt: ideoque & ipsa inutilis sit ac repudianda, perinde atq; operum iusticia. Huic cogitationi occurrit, dicens, Quæ est ex Deo iusticia sup fide: quibus uerbis sic distinguit inter iusticiã legis & operũ, & eam quæ est per fidẽ Christi, ut illam ex homine, hoc est ex uiribus ac studio hominis: hanc uerò ex ipso Deo, id est donũ Dei esse dicat. Chrysostomus sic exponit: τετίφι, παρὰ θεῦ δόλοται, θεῦ ἐστιν αὐτὴ ἡ δικαιοσύνη. λοιπὸν ἐστὶν αὐτὴ ἰδιάζουσα. τὰ δὲ τῶν ἔργων πολλῷ τῷ μέτρῳ ὑπερβάλλει τὴν ὑπόθεσιν τῶν διατεθειμένων τῶν διὰ τὸν ἡμετέραν σωτηρίαν γινομένων. id est: Hoc est, à Deo data est, Dei est hæc iusticia, tota merum donum est. Dona uerò Dei multum excellunt uilitatem bonorum operum, quæ nostro studio fiunt. Hæc ille.

Vt autem non aliam quampiam ex Deo iusticiam esse, quàm hanc ipsam quæ per fidẽ est Christi, inculcet, notanter adiecit, Super fide: significans donum huius iusticię deputatũ esse à Deo non operantibus, sed credentibus, propter illorũ fidem. qua de re Rom. 3. fusè ad hunc modum dicit. Nunc autem sine lege iusticia Dei manifestata est, testimonium habens à lege & prophetis: iusticia inquã Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt in eum. Non enim est dictinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, ut iustificen tur gratis per ipsius gratiam, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem posuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius, ad ostendendum iusticiam suam in hoc tẽpore, ut sit ipse iustus, & iustificãs eum qui ex fide est Iesu Christi. Non uideo quid in hisce Apostoli uerbis ad plenam possit iusticię huius declarationem desiderari. Videmus illum studio inculcare, quòd iusticia fidei sit Dei iusticia, sit ex Deo, sit opus Dei, sit gratuita, ex ipsius gratia, sit deputata fidei in Christum, sit gloria Dei, sit ostensio ac declaratio: quòd ipse solus sit iustus, omnes uerò mortales peccatores: & quòd ipse solus iustificet credẽtes in Christũ, eosq; omnes siue sint ex Iudæis, siue ex gentibus: & quòd fides hęc sit fides in sanguinem Christi, quem uoluit nobis Deus esse propitiatorium, per quod reconciliemur ac saluemur.

Cauendum autem diligenter est, ne doctrina hęc gratię ac glorię Dei per adulterinam superbæ carnis expositionem uitietur. Fides (inquit) est opus credentis. Huic destinata est à Deo iusticia. Ergo etiam sic cõstat iustificari hominem ex suoipsius opere, uel certè propter ipsius opus, quod Deus tanquam meritorium ac dignum iustificatione respicit. Nos respondemus, hoc paralogismo destrui gloriam gratiæ Dei, ac precium sanguinis Christi, quo redempti sumus, & asseri gloriam carnis superbæ & impiæ. fides non sic est opus credentis hominis, ut sit ex ipsius uoluntate ac uiribus: sed est donũ & opus Dei, quod per gratiã suam operatur in cordibus nostris, dum adhuc peccatores sumus, & impij: nostrũ uerò opus hacte nus uocari potest, quatenus corde nostro credimus: quemadmodũ & gaudiũ in Dño hactenus nostrum est, quatenus corde nostro gaudemus, licet totum sit donum & opus Dei, quod ipse per Spiritum suum in cordibus nostris operatur. Distinguendum igitur est opus fidei à

nostris

noſtris operibus,quæ merè noſtra ex corde,uoluntate ac ſtudio noſtro proueniunt,& hacte nus meritoria uel demeritoria exiſtere poſſunt. Quòd fidei huic deputat Deus iuſticiam, nõ habet in eo illius reſpectum,tanquam noſtræ alicuius uirtutis, dignitatis ac meriti: ſed tanquam ſuæ gratiæ, qua cor noſtrum aperit,donatq́ue animum, quo noſtram ipſorum perditionem agnoſcamus, & oblatam in ſanguine Chriſti iuſtificationem credendo ſermoni gratiæ accipiamus,& cum gratiarum actione omnium auidiſsimè amplectamur. Sic itaque conſtituens,ſaluos facere credentes,non habuit alicuius noſtri meriti, ſed gloriæ ſuæ ac noſtrę ſalutis rationẽ,quo iuſtificemur gratis ꝑ ipſius gratiã,illamq; in ſempiternum deprędicemus & extollamus. Credere itaq; in ſanguinẽ Chriſti,nõ eſt operari noſtrũ opus:ſed eſt opus redẽptionis noſtrę,uitã ac ſalutẽ ęternam credentib. deſtinatã auido corde amplecti,& à Redẽptore ſyncera cum fiucia pẽdere. Et hęc fides nihil habet in ſe,unde noſtra dignitas uel meritum commendari poſsit, cùm tota ſit opus gratiæ Dei: habet uerò pluriműm unde gloria gratiæ Dei commendetur,& carnis noſtrę corruptio ac perditio patefiat, illiusq; ſuperbia cõfundatur. Dum enim credo,me in peccatis eſſe natum,natura corruptum, filiumq; iræ Dei, ac dignũ morte æterna:per ſanguinẽ uerò unigeniti Dei in cruce redemptum,ac gratuito dono Dei à peccatis liberatũ & iuſtificatũ:quem locũ obſecro hæc mea fides merito ac dignitati operis mei relinquit? Quare doctores meritorum ac propriæ iuſticiæ omnium ſunt ab hac Apoſtolica doctrina alieniſsimi,& ipſiſsimi gratiæ Dei hoſtes:ad hoc ab antiquo ſerpente in Eccleſias miſsi,ut uenenum mortis primæ noſtrę parenti inditũ, in carne noſtra prouehant: & medicinam uitæ,ne credentes ſaluemur,auertant.

Vt cognoſcam, inquit, *illum, & potentiam reſurrectionis illius.*] Chryſoſtomus præcedentem particulam τοῦ πίστει, ad hanc præſentem connectit. Sic enim exponit: τί δὲ ἐστιν ἐπὶ τῇ πίστει τὸ γνῶναι αὐτὸν; ἆρα διὰ πίστεως ἡ γνῶσις, καὶ πίστεως ἄνευ γνῶναι αὐτὸν ἐνὴν ἐστι. Sic legendum eſſet, ac diſtinguendum: Et inueniar in illo non habens meam iuſticiam ex lege,ſed eam quę eſt per fidem Chriſti,quę eſt ex Deo iuſticia,ut in fide cognoſcam illum,&c. Hanc diſtinctionem & Theophylactus ſequutus eſt. Mihi tamen illa nõ probatur. Poſtquam dixit,omnia ſe habere pro paleis,ut Chriſtum lucrifaciat: cœpit exponere,quid lucri conſequatur in Chriſto. Sic meminit iuſticiæ, quæ eſt per fidem Chriſti: illi iam ſubijcit certam & indubitatam cognitionem illius, quam & ſuprà attigerat, dicens: Arbitror omnia damnum eſſe propter excellentiam cognitionis Chriſti Ieſu Domini mei.

Vt cognoſcam illum, inquit.] An nondum cognoſcebat Chriſtum,cùm hęc ſcriberet, & utiq; in eũ crederet,illumq; inter gentes tot annos prędicauerat? Reſpondeo: Duplex eſt cognoſcendi Chriſtum modus. Primus eſt annexus fidei: alter conſtat per uiuum experientię ſenſum. fides adfert ſecum eam cognitionẽ,qua qui in Chriſtum credit, cognoſcit illum eſſe uerum Dei filium,pro peccatis noſtris miſſum in hunc mundum,crucifixum,mortuum,ſepultum,à mortuis reſuſcitatum,& in cœlos ſublatum. Vtraq; hęc & fides & cognitio hiſtorica eſt. Alter modus cognitionis Chriſti eſt,quo uirtutem illius in nobis ipſis ſentimus, & experimur: qui ſenſus eſt per operantem in cordibus noſtris ipſius ſpiritum. Sic ægrotus duplici modo cognoſcit medicũ ſuum. Primò,cognoſcit quis ſit,quomodo uocetur,& quod ſit medicus,& quæ alia ſunt eiuſmodi: altero,quæ ſit illi medicandi peritia & uirtus, quam in ſe ipſo experitur ac ſentit. Priore modo Chriſtum Apoſtolus dudum,cùm hæc ſcriberet,cognouerat: de poſteriore uerò hic loquitur,cuius magnam quidem partem,uerùm nondum totã illius perfectionem adeptus erat: ſicut in ſequẽtibus uidebimus. De cognitione Chriſti,uide in Commẽtarijs noſtris ſuper Ioannem cap. 6. ibi: Et nos credidimus & cognouimus, quòd tu ſis Chriſtus filius Dei uiuentis.

Et potentiam reſurrectionis illius, inquit, *& communionem afflictionum illius.*] Ex hiſce uerbis ſatis patet, de quo cognitionis Chriſti modo loquatur: de eo uidelicet,quo in ſe ipſo magis atque magis uirtutem mortis ac reſurrectionis illius experiatur & cognoſcat. Aliàs iam antea per potentiam Dei reſurrexiſſe illum ſciebat. Potentię huius duplex reſpectus eſt. Vnus in perſona Chriſti,declaratus in illius reſurrectione,cuius meminit Eph. 1. dicens: ſecundum efficaciam roboris fortitudinis eius,quam operatus eſt in Chriſto,excitans eum à mortuis, &c. alter in nobis,qui in Chriſtum credimus,de quo eodem loco ſic dicit: Vt cognoſcatis uos, quæ ſit ſpes uocationis ipſius,& quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſanctis, & quam excellens magnitudo potentiæ eius erga nos qui credimus. Et cap. 2. Cùm eſſemus immortui delictis, uiuificauit nos unà cum Chriſto,& ſimul excitauit,& collocauit in cœleſtibus cum Chriſto Ieſu. Per reſurrectionis Chriſti uirtutem excitamur à morte peccatorum,& in nouã uitam uiuificamur,ut non quęramus amplius quę ſunt ſuper terrã,ſed quę in cœleſtibus,ubi Chriſtus eſt,ſitq; cõuerſatio noſtra in cœlis. Virtutẽ hãc reſurrectionis Chriſti experimur & cognoſcimus in nobis ipſis,dũ quod in baptiſmate ſacramẽtaliter geſtũ eſt, reipſa in nobis quotidie magis atq; magis ꝑficitur,ad quod nos hortatur Rom. 6. dicẽs: An ignoratis, quòd quicũq; baptizati ſumus in Chriſtũ Ieſum,in mortẽ ipſius baptizati ſumus? Cõſepulti ſumus igitur

igitur cum illo per baptiſmũ in mortem, ut quemadmodum excitatus eſt Chriſtus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Si nanq; cõplantati fuerimus ſimilitudine mortis ipſius, etiá reſurrectionis erimus, &c. Et huc pertinet quod ſubiungit, dicẽs:

Et communionem τῶν παθημάτων, id eſt paſsionẽ illius. Loquitur de paſsionibus crucis ac mortis Chriſti. Harum communio duplex eſt. Vna, qua de fructibus illo rũ participamus, dum morte ac ſanguine Chriſti per fidem iuſtificamur ac ſaluamur. Cõmunionis huius ſacramentũ eſt in cœna Dominica. Altera, qua & ipſi ſimilitudini paſsionũ ac mortis Chriſti cõformamur. De poſteriore loquitur hoc loco, unde & ſubdit: Dũ cõformis fio morti eius. Cõmunicatio hęc poſteriori & ipſa gemina eſt. Prior pertinet ad mortificationem ueteris in nobis Adæ, cuius ſacramẽtum eſt in baptiſmate: poſterior externarum eſt afflictionum, quibus ſancti propter Chriſtum exercentur, & quotidie mortificantur: ſed huius ante me mentionẽ fecerunt alij. Prior omnium eſt Chriſtianorum, & neceſſaria ad ſalutem: poſterior uerò eorũ eſt, quos Deus tanquam exemplaria alijs proponere, inq; illis ſingularem gratiæ ſuæ uirtutem declarare conſtituit.

Ordine priores ſunt paſsiones, poſterior uerò reſurrectio. At Apoſtolus primò hic reſurrectionis meminit: quoniam autem communicatio reſurrectionis in Chriſto, ſine communicatione paſsionum ac mortis illius fieri non poteſt, ideo de illa confeſtim ſubijcit, dicens: Et communionem paſsionum illius.

Obſerua uerò diligenter, quanti fecerit eas afflictiones & paſsiones, quas in apoſtolatu ſuo pro nomine Chriſti ſuſtinuit: tanti uidelicet, ut reputaret eas præſtantiores omnibus bonis, quæ in hoc fuerat ſeculo, etiam in Iudaiſmo cõſequutus. Dicit enim, ſe omnia pro paleis habere, quo Chriſtum lucrifaciat, inq; illo inueniatur, non modò iuſticiam, quæ per fidẽ eſt, habens: ſed & ut cognoſcat illum, & uirtutem reſurrectionis illius, & communionẽ afflictionum eius, &c. Sic ornat eas, & illuſtrat, dum uocat eas communionem paſsionum Chriſti. Paſſus eſt Chriſtus in ſuo corpore dolores crucis ac mortis, quibus nos à peccato, morte & æterna damnatione ſemel redemit. In membris ſuis patitur etiamnũ omnis generis afflictiones ac paſsiones, dum illa propter nomen ac fidem ipſius in hoc mundo afflictantur. Et hæ paſsiones rectè κοινωνία τῶν παθημάτων ipſius uocantur. Quod autem tam atrox & acerbum paſsionis genus inferri poteſt propter Chriſtum, quod non hoc nomine ſit fideli homini exoptatiſsimũ, quod nouit illud ſibi cum ſeruatore ſuo Chriſto eſſe commune? Non ſunt condignæ paſsiones ad hanc incomparabilem dignitatem, qua datur ut cõſortes fiamus unigeniti Dei, in cruce & afflictionibus, nedum ad futuram gloriam. In ſeculo quis non ſibijpſi gratulatur eiuſmodi ſortem, ſi contingat ſibi cum unigenito regis communibus afflictionibus ad tempus exerceri?

Dum conformis fio morti eius, inquit.] Afflictiones quas propter Chriſtum perferebat, & in quibus paſsionibus Chriſti cõmunicabat, in hoc cõformes erant paſsionib. Chriſti: quòd ut illi propter Euangelium regni, quod in Iudæa prædicabat, occiſus eſt, ita & ipſe propter eãdem cauſam indefinenter ad mortem ab impijs petebatur. qua de re & alibi meminit. Vt Rom. 18. Propter te (inquit) occidimur tota die, reputati ſumus tanq̃ oues mactationis. Et 2. Cor. 4. Semper mortificationem Domini Ieſu in corpore circumferentes, ut & uita Ieſu in corpore noſtro manifeſtetur. Semper enim nos qui uiuimus, in mortẽ tradimur propter Ieſum, ut & uita Ieſu in mortali carne noſtra manifeſtur. Et cap. 6. Tanquam moriẽtes, & ecce uiuimus. Et 11. In mortibus (inquit) frequenter. Haud mox quælibet afflictiones, mortis ſunt paſsiones: quemadmodum autem mors ultima linea rerum eſt, ita & paſsiones illius nõ immeritò pro extremis habẽtur inter eas quę in hac uita accidere poſſunt. Quo itaq; ne ab illis quidẽ, ipſaq; morte Chriſtianus animus abhorreat, non contentus communicatione afflictionum: etiam eã quæ mortis eſt, in Chriſto proponit Ipſum caput noſtrum, paſsiones ac mortẽ pro nobis ſubire ac perpeti dignatus eſt: non ideo tantùm, ut nos à peccatis & æterna morte liberaret: ſed ob id quoq;, ut afflictiones, crucẽ ac mortem, membris ſuis à ſe pendentibus ſanctificaret, illaq; ſibi cõformia redderet. Nec eſt, ut caro noſtra ab hac Chriſtianiſmi ſorte & cõditione abhorreat, quaſi extra illũ inueniri queat pax, trãquillitas & ab afflictionib. & morte certa ſecuritas. Vniuerſum genus humanũ ut peccato, ita & omnis generis ęrumnis, paſsionibus, tribulationibus, ac certiſsimæ morti obnoxium eſt. Quare non tam eſt hoc nomine fugiendus Chriſtianiſmus, quòd profeſſores illius multis afflictionibus in hoc ſeculo exercentur, & occiduntur: quàm propterea amplexãdus, quòd dum iſta patimur, communicamus non cum impio mundo, ſed cum Chriſto Ieſu unigenito Dei, qui non ſeipſum tantùm ex omnibus afflictionibus & clauſtris mortis in æternam uitam & gloriam cœleſtem aſſeruit, ſed & nos ſibi in ea quoque felicitate conſortes ac conformes reddet. Hac de te ſubijcit, dicens:

Si quomodo perringam ad reſurrectionem mortuorum, &c.] Sciebat futurum, ut qui moriuntur cum Chriſto, cum illo quoque reſurgant & uiuant. Hac ſpe fretus cum gaudio afflictionum

ac mortis

ac mortis Christi communicationem amplectebatur. Sine hac fide & spe fieri non potest, ut afflictiones ac mortem pro Christo subeamus. Ad quid nos (inquit) periclitamur omnibus horis? & ego quotidie morior? si mortui non resurgunt? 1. Corinth. 15.

Non loquitur autem simpliciter de resurrectione mortuorum, quatenus resurrecturi sunt mortui omnes. Ad quid enim illius gratia passiones ac mortem pro Christo subire uoluisset, cùm alioqui esset breui secundum communem naturæ legem moriturus, & perinde resurrecturus à mortuis atq; alij quibus nihil est commune cum Christo? sed quæ dicit, accipienda sunt de resurrectione, qua ueri fideles in uitam & gloriam æternam sunt resurrecturi, & obuiam Christo in aere rapti, cum illo in sempiternum mansuri, ac glorificato illius corpori similes futuri.

εἴ πως Quòd uerò non simpliciter dicit, Vt pertingam: sed, εἴ πως, id est, si quo pacto pertingam ad resurrectionem mortuorum: modestiæ est, qua non plenam sibi ac perfectam, uel certè non tantam quantam habiturus est, resurrectionis ac cœlestis felicitatis gloriam pollicetur: sed contentus est, si aliquam saltem illius partem sit consequuturus, & aliqua tantum ratione ad illam peruenturus.

Vel significat, esse illâ sibi tanti momẽti, ut paratus sit ad eam quouis modo conniti ac pertingere. Multi participes illius erunt, qui in fide Christi tranquillam uitam egerunt, & incruẽta morte ex hac uita migrarũt. adhuc multi afflictati quidem sunt propter Christum: uerùm non occisi ab impijs, sed cum pace in Domino obdormierunt. Præterea multi & passionibus & morte conformes Christo facti sunt. Omnes illi, alij alio pacto, ad gloriam resurrectionis pertingent. Huc respiciens, dicit se contendere, ut aliquo saltem pacto ad futuræ resurrectionis gloriam pertingat. Sic animati sunt, quorum pectora ad alicuius rei consequutionem inardescunt. Illi sic inhiant, ut non una tantum ratione, sed quacunq; fieri poterit, ad eam pertingere satagant.

Non quòd iam apprehenderim, inquit, *aut iam perfectus sim: sed sector, si etiam apprehendam, quatenus & apprehensus sum à Christo Iesu.*] Pseudapostoli putabant se, idq; etiam uideri uolebant, abũdè sufficientem ac plenam tenere Christi cognitionem: atq; sic animati, omnem suum conatum legis scientiæ & obseruantię impendebant, & huc quoscũq; poterãt Christianos à studio Christi reuocabant: quasi quod cognitionem ac fidem Christi attinet, satis sit credere, quòd Iesus sit Christus, à prophetis promissus: omnis uero præterea uitæ nostræ conuersatio scientię & obseruantiæ legis addici debeat. Hoc autem doctrinæ genere studium cognoscendi Christũ in Ecclesijs extinguebant, cùm id cõueniat esse unicum & perpetuũ, ut in quo abscõditi sunt incomparabiles sapientiæ ac scientiæ Dei thesauri. Pestilentem hanc doctrinam auertere cupiens, non modò quo ipse studio uersetur in acquirenda Christi cognitione exponit: sed & diserte fatetur, nõdum se ad perfectionem illius peruenisse: sed sectari illam irremisso cursu, si quando eam apprehendere possit. Hæc dicens, non tam suam imperfectionem exprimit, quàm excellentiam cognitionis Christi extollit: & clanculum pseudapostolos perstringit, quàm illi alieni ac procul absint à uera Christi cognitione.

Non quòd iam apprehenderim, aut iam perfectus sim.] Qui de scientia Dei ac uera iusticia cæteris præclarius loquuntur, in ijs, de quibus disserunt, putantur esse perfecti: ideoq; pauciores inueniunt, qui exemplum ipsorum sequantur, eo quòd ad perfectionẽ illorum se posse pertingere pleriq; hoc magis desperant, quo magis illam admirantur. Hoc cauere uolens, reijcit à se perfectionis opinionem: quæ concipi ex eo poterat, quòd tanquam Apostolus Christi, de cognitione Christi excellenter loquebatur, & propter illius excellentiam omnia se pro paleis reputare dixit. Sic coniungit se imperfectis, quo illos in studio Christi retineat, sibiq; coniungat ac prouehat: perinde ac si quis cum infirmioribus ambulans, non ita præcurrat, ut eos longius post se relinquat: sed se illis accommodet, ne abiecta consequutionis spe in itinere deficiat. Non dicit, Non quòd ad perfectionem pertingere possim (sic enim dicendo, omne studium pergendi ac crescendi amputasset) sed, Non quòd iam apprehenderim (inquit) aut iam perfectus sim, sed sector si etiam apprehendam. Hoc dicens, inuitat eos suo exemplo animumq; addit, ut perinde atq; ipse in studio Christi cõstanter pergere ac crescere satagant. Hoc consilio eximit illis imperfectionis pudorem, ac desperationem consequendæ perfectionis.

Dixerit quisquã: Si nondum erat in cognitione Christi perfectus, quomodo ergo prędicabat, & alios docebat? Respondeo: Hac de re reddat rationem Christus ipse, qui illum in Apostolum suum elegit, & ad prædicandum gentibus misit, organumq; electum uocauit. Deinde, si perfecta Christi scientia ab illis est requirẽda, qui Euangelium illius prædicant: ad quid emissi fuerunt à Christo Apostoli bini ac bini ante faciem ipsius, ut regnum Dei prędicarẽt, cùm uix dum umbram illius perspectam haberent? Et quomodo Apollos multum conferre potuit fratribus, cùm nondum esset in uia Domini sufficienter instructus? Actorum 18. Adhæc: Quis dabitur ex omnibus mortalibus in scientia Christi perfectus? Aut igitur soli erit Christo prædicandum ac docendum, aut necessarium erit ut omnis scientiæ Dei doctrina

auferatur

auferatur è mũdo. Ne angeli quidem aliquem ex ordine suo dare poterunt, qui perfectus sit in cognitione Christi. Satis igitur est, si quisque minister secundum mensuram acceptæ scientiæ ac fidei, fideliter quæ cognouit prædicet ac doceat, atq; ita talenta sibi concredita in usus Domini utiliter collocet.

Est autem diligenter hic locus tam ministris quàm auditoribus obseruandus. Ministris, ne per arrogantiam tales uideri uelint, qui perfecti sint in cognitione Christi ac rerum diuinarum: uel turpe sibi esse ducant, si non omnia scire deprehendantur. Sequãtur potius Apostoli candorem, quem nõ pudet disertè fateri, nondum se esse perfectam eorum scientiã consequutum, de quibus prædicat ac docet: deinde & perpetuò ad ulteriora contendant. Omnino qui se iudicant esse perfectos, nullo amplius studio cõnituntur ut crescãt. Auditoribus hic obseruãdum est, ut ubi cognouerint doctorum suorum imperfectionem, haudquaquam eos hoc nomine fastidiant: sed satis esse cogitent, si ad ea docenda, quæ ipsis sunt cognitu necessaria, pro mensura diuinitùs concessa sufficienter sint instructi.

Non quòd iam apprehenderim, inquit, *aut iam perfectus sim.*] Non simpliciter dicit, Non quòd apprehenderim, aut perfectus sim: sed, Non quòd iam apprehẽderim, aut iam perfectus sim. Ad tẽpore conuersionis suæ admodũ diu fuerat in cognitione Christi uersatus: & tamẽ hic perinde loquitur, ac si paulo antè uersari in illa cœperit: quod ex uocula ἤδη, id est iam, patet. Nõ sentiebat se diu in illa fuisse exercitatum, quia nullũ illius experiebatur fastidiũ. Inuenias qui ubi modicum temporis rebus sacris cognoscendis impenderunt, sacrasq; Scripturas obiter inspexerunt, sic se profeciſse existiment, ac si per omnem uitam in illis sint exercitati.

Sed sector, inquit, *si etiam apprehendam, quatenus apprehẽsus sum à Christo Iesu.*] Non solùm se quoq; nondum apprehẽdisse dicens, similem se reliquis fidelibus facit: sed & studium suum exponit, quò nos idem quoq; cum ipso faciamus. Sic dicit se sectari, ut apprehendat. In Græco nõ est simpliciter ἀκολουθῶ, id est sequor: sed διώκω, id est persequor, sector: cui etiam conuenit uerbum καταλαμβάνω, id est apprehendo. Loquitur ad similitudinem eorum qui persequuntur ali quid. Illorum unicum est uotum ac propositum, ut apprehendãt quod persequuntur. Quàm autem uehemens sit illorum impetus in persequutione, & auiditas ad apprehendendũ quod persequũtur, scimus omnes. De hac re diximus 1. Cor. 14. mox initio capitis. Chrysostomus hoc loco: ὁ διώκων, inquit, ἵνα μηδ' ὅσα τόνε διώκει, ἐλπίζα ἀρᾷ, πάντας μετὰ πολλῆς τῆς ῥώμης τοὺς διακόπτοντας ἀπο δῶται, καὶ διάνοιαν, καὶ ὄμμα, καὶ ἰσχύν, καὶ ψυχὴν, καὶ σῶμα συτρίψει, πρὸς ἕτερον μὲν ἐδὲν ἀρᾷ, πρὸς δὲ βραβεῖον μόνον. Hac itaq; persequendi & apprehendendi metaphora, satis significat, quàm intenso & irremisso studio, quamq; auidè perfectionem cognitionis Christi appetat. Sectamur omnes, sed diuersis uotis, alius honores, alius opes, alius uoluptates carnis, alius ignauum ocium, alius eos quos odit: qui cum Paulo scientiam Christi, iusticiam, pietatem, ac dilectionem fraternã sectentur, nescio an uspiam inueniantur. Et Romani apostoli ueritatem Christi persequuntur, uerùm non ut perfectionem illius apprehendant cum Paulo, sed ut prorsus extinguant ac perdant.

Si etiam apprehendam, inquit.] Qui sectatur, hoc proposito & uoto sectatur, ut quod sectatur apprehendat, quemadmodum & suprà diximus. Vbi deest hoc uotum, ibi non est uera persequutio. Rectè namq; ex studio de affectu, & ex affectu de studio iudicatur.

Quòd autem non dicit, Vt apprehendam: sed, Si apprehendam: non est dubitationi dandum, sed simpliciter uulgari modo loquendi, quo & nos Germani utimur, cùm dicimus, *ich will fleiß anwenden, ob ichs ergreiffen mœge*: quo sermone non dubitationem, sed spem apprehensionis exprimimus, sine qua nemo perseuerat in opere.

Deinde quòd non simpliciter dicit, Si apprehendam: sed, Si etiam apprehendam: uideri quidem potest ad præcedens esse referẽdum, ut dicat, se in hoc esse intentũ, ut quemadmodũ cognitionis Christi perfectionem sectatur, ita illam etiam apprehendat: uerùm sequentia uocula Etiam, ad se trahunt, ut sit sensus: Sed sector, si, quemadmodum apprehendit me Christus, ita illum etiam ego apprehendam. Vulgata editio habet: Si quo modo apprehendam. In Ambrosio inconstanter legitur, Si comprehendam: & mox, Vt comprehendam. Chrysostomus nobiscum legit, ἀ καὶ καταλάβω: id est, Si etiam apprehendam.

Quatenus & apprehensus sum à Christo Iesu, inquit.] Græcè est, ἐφ' ᾧ καὶ κατελήφθην. Vulgata habet: In quo & comprehensus sum. ad quem modum & Ambrosius legit: Sunt quibus legendum uidetur, Quemadmodum & apprehensus sum. fatentur tamen illi parum referre, legamus ne Quatenus, uel, Quemadmodum. Quòd autem in Græco legitur, ἐφ' ᾧ: propriè significat, Propter quod, ad quod: ut est illud in Polybio, καὶ συνέβητε μετέχειν τῶν κοινῶν συμμαχίαι, ἐφ' ᾧ λαμβάνειν καὶ τάλαντα κατ' ἐνιαυτόν. Et per interrogationẽ, Ad quid? sicuti uidere est Matthæi 26. in uerbis Christi ad Iudam proditorem, ubi sic legitur: ἑταῖρε ἐφ' ᾧ πάρει. id est, Amice ad quid ades? ἕταῖρε ἐφ' ᾧ πάρει γίνεται; Hoc sensu legenda esset hæc particula ad hunc modum: Si etiam apprehendam, ad quod, uel propter quod, & apprehensus sum à Christo Iesu: ut significet, se tendere ad eum scopum & finem, ad quem sit & à Christo Iesu uocatus & apprehensus. Et huic sententiæ fauere uidentur, quæ paulo infrà subijcit, dicens: Ad ea uerò quæ à fronte sunt enitens, iuxta

ſcopū ſector ad palmā uocationis Dei p Chriſtū Ieſum. Chryſoſtomus tñ accipit ἐφ' ᾧ, p quo niā, & ꝓpterea quòd. Sic. n. exponit: ἅπαξ μανὺς ἐστι ὀφαλῆς τὸ πρᾶγμα ἐστὶ, φησὶν, ἐφ' ᾧ καὶ λατιλήφθην ὑπὸ ιησῦ χριστοῦ. id eſt, Deinde ut oſtēdat, q debiti ſit res iſta, dicit ἐφ' ᾧ, & apprehēſus ſum à Chriſto Ieſu. Et Theophylactus hūc ſequutus ſic exponit: Adhuc (inquit) in agone ſum, & decerto: adhuc (inq̄) inſector, ſi liceat forſitā mihi & brauiū & finē comprehēdere. Moxq; arguens ex debito ſe id agere, infert huiuſmodi: Quoniā & à Chriſto cōprehēnſus ſum. hoc eſt, ipſū me, q olim ex numero ꝓditorū erā, & eorū qb. erat ſalutis ſpes oīs ſublata, inſectatus eſt Chriſtus, cōprehēditq; ſe fugiētē, & retraxit. Obſtringor itaq; & ipſe tādiu hūc pſequi, quoad cōprehēſum detineā. hęc ille. Quod aūt in textu illius legis, In quo & cōprehēſus ſum à Chriſto Ieſu: interp̄ti eſt adſcribēdū, q Greę. textū nō liberè reddidit, ſed ubiq; uulgatā Lat. editionē poſuit.

Poteſt igitur particula hæc quadrifariā legi. Primò ſic: In quo & apprehēſus ſum. q lectio, meo iudicio, cæteris eſt incōuenientior. Secūdò, ad hunc modū: Quatenus uel quemadmodum & apprehēſus ſum. Hæc lectio cōuenit ei quod 1. Cor. 13. legitur: Nunc cognoſco ex parte, tunc uerò cognoſcam, quemadmodum & cognitus ſum. Vtrobiq; ſiquidē de impfectione cognitionis q̄ eſt in hac uita, & de ꝑfectione quam in futuro ſeculo acquiremus, cōmemoratur. Quare ſi legamus, Quatenus, uel quemadmodū apprehenſus ſum, nihil erit incōmodi. Tertiò ſic: Ad quod, cuius gratia, ꝓpter quod, & apprehēſus ſum à Chriſto Ieſu. ut ſit ſenſus: Sed ſector, ſi etiā apprehēdā cognitionis Chriſti pfectionē, ꝓpter quā cōſequēdā apprehēdit me Chriſtus Ieſus, inq; illa hactenus, puehit ac format, donec tandē illā pfectè apprehēdam.

Admonemur hoc ſenſu, ut perpetuo memores ſimus uoluntatis Dei, qua nos ex hoc ſeculo per gratiam ſuam ad ſe traxit, quo nos illi indeſinenter accommodemus, donec tādem ad propoſitum finem pertingamus. Quartò, hoc pacto: Sed ſector, ſi etiam apprehendam, propterea quòd & apprehēſus ſum à Chriſto Ieſu. quæ lectio Chryſoſtomi eſt, & ab illo ac Theophylacto exponitur. Ex hiſce lectionibus eligat ſibi lector, quam teneat.

De eo quoq; q̄ri poteſt, de qua'nā apprehēſione, qua fuerit à Chriſto Ieſu apprehenſus, loquatur Apoſtolus. Nuſq̄, quod ſciā, apprehēſum ſe à Chriſto dicit, niſi hoc loco tātùm. Vſurpauit hāc loquutionē p occaſionē præcedentiū, quib. ſe nondū apprehēdiſſe, ſed adhuc ſectari ut apprehēdat, dixit: quò in metaphora ſectādi & apprehēdendi pſiſteret. Exiſtimo aūt de duplici hic apprehēſione, quā apprehēſus fuerit à Chriſto Apoſtolus, poſſe cogitari: ut prior ſit, qua cū pſequeretur Chriſtū, ab illo priuſq̄ Damaſcū ingrederetur, cōprehēſus fuit: cuius rei hiſtoria in Act. cap. 9. legitur. Habebat oues ſuas Chriſtus in ea ciuitate, Has Saulus perſequutor inſtar lupi perſequebatur, ac diſcerpere cōtendebat. Hunc igitur Chriſtus tāquam bonus paſtor, & fidelis ouiū ſuarū cuſtos, priuſquā ad ouile ꝓtingeret, de cœlo miſſa in eū manu cōprehēdit, proſtrauit, ac poteſtati ſuę ſubiecit: idq; in eū finē, ut redderet eū ex pſequutore Apoſtolū & doctorē gentiū, & cùm primis cognitione ſui inſtructū, quo nomē ſuū manifeſtaret corā gētibus ac regib. ꝓq; illo multa pateretur. Apprehēſionis huius memor, accōmodabat ſe illi, indefeſſo ſtudio, quo uiciſsim pſequeretur in bono, & apprehēderet Chriſtū, ad cognoſcēdū illū, à quo fuerat antea apprehēſus, & ad cognitionē illius uocatus & illuminatus.

Poſterior apprehēſionis modus, quo Chriſtus Apoſtolū Paulū apprehēdit, factus eſt p ſpiritū, q totū illū rapuit, poſſedit, gubernauit, & quò uoluit duxit. Erat aūt is ſpiritus Chriſti, p quē in illo uixit, locutus eſt, & cętera oīa operatus. Secudū hāc apprehēſionē q̄d quęſo faceret aliud, q̄ ut uiciſsim ſectaretur eū, & apprehēdere ſatageret, à quo erat apprehēſ⁹, & quē in ſe uiuētē & operātē habebat? Sic eſt amoris ingeniū, ut q ardore amoris ab aliquo eſt apprehēſus, illū uiciſsim apprehēdere, illoq; frui cōtendat. Nō eſt ut inter haſce duas apprehēſiōes opoſius diſtinguam⁹, quādoq; dē utrę q; admodū cauſę Apoſtoli, qua de hic loq̄tur, cōueniūt.

Fratres, inquit, ego meipſum nōdū arbitror aſſequutū eſſe.] Repetitio eſt p̄cedentiū, qua magis adhuc inculcat ea, aperitq; clarius, quorſum ſe nōdū apprehēdiſſe ac pfectū eſſe dixerit. Apparet fuiſſe quoſdā, q de pfectione cognitionis Chriſti gloriarētur. Horū iactantiā ut reſtringeret, cōpellat oēs quidē in genere, idq; more ſuo amāter, dicēs: Fratres, ego meipſum nōdū arbitror apprehēdiſſe. q. d. Ego ueſter Apoſtolus, p quē eſtis ad Chriſti cognitionē ac fidē pducti, nōdū eò pueni, ut arbitrari debeā, q perfectionē cognitionis Chriſti apprehēderim: quare ſi q inter uos pfectos ſe eſſe arbitrātur, uiderint ne ſeipſi faliant. Hoc innuēs, nō ſimpliciter dicit, Ego nondū apprehēdi: ſed, Fratres, ego memetipſum nondum arbitror apprehendiſſe.

Obſerua. Nō dicit, Nō arbitror me apprehēſurū: ſed, Nōdū arbitror me apprehēdiſſe. Nō enim in eo eſt, ut ſpē apprehēdēdi fideliū animis eximat, quā magis ſuo exēplo acuere ſatagit: ſed ut temeritatē, arrogātiā ac pſumptionē quorūdā reſtringat. Poterat dicere, Pręſumptuoſi ſunt, q ſe iam apprehēdiſſe arbitrātur: uerùm quo modeſtius agat, ac plus moueat, pſiſtit in ſuo exēplo, dicēs: Fratres, ego meipſum nondū arbitror apprehēdiſſe. Si præceptor diſcipuli arrogantiā repreſſurus, nō ſimpliciter dicat, Nondū aſſequutus es ea, de quorū ſciētia gloriaris: ſed, Fili, ego meipſum nōdū arbitror aſſequutū eſſe omnia: nō ſolū ſignificat, falſam eſſe illius pręſumptionē, ſed reuocat etiā illū ad exēpli ſui modeſtiā. Tale eſt q, hic Apoſtolus facit.

Quid autē & quantū in cognitione Chriſti apprehēderit Apoſtolus, nō exprimit: ſed in eo tātùm uerſatur, ut iactantiā pſeudapoſtolorū & aliorū reſtringat, q de pfectione gloriabātur. quam aſſequuti non fuerant: ideoq; ſimpliciter negat, ſe de excellentia cognitionis Chriſti

propterea loqui, quòd perfectionem illius apprehenderit, uel apprehendisse se arbitretur. Etiamsi quisquam per impossibile, perfectionem hanc consequutus fuerit, in hac uita cõstitutus: arbitrari ac gloriari tamen non debet, quòd illam apprehenderit: sed sic de se sentire modestè, ut existimet ignorare se adhuc multa, & gradum nõ figere, sed indesinenter ad ulteriora luctari. Quanto minus conuenit hæc persuasio & iactantia illis, qui adhuc admodum sunt imperfecti?

Vnum autem illud ago, inquit, *ea quidem quæ à tergo sunt obliuiscens, ad ea uerò quæ à frõte sunt enitens, iuxta præfixum signum insequor ad palmam supernæ uocationis Dei per Christum Iesum.*] In Græco est simpliciter, ἓν δέ: id est, Vnum autem. Sic & uetus interpres reddidit, & Ambrosius quoq; legit. Erasmus de suo addidit, Illud ago, quo sensum impleret. Chrysostomus addit, σκοπῶ, id est specto. Posset quod desideratur impleri, repetitone uerbi λογίζομαι, quod præcedit: ut legamus, ἓν δὲ λογίζομαι: id est, Vnum uerò arbitror, intellige quod mihi sit faciendum. Illi arbitrantur se peruenisse ad perfectionem, ego non arbitror assequutum me illum esse: sed unum hoc arbitror, obliuiscendum mihi esse quæ sunt à tergo, & enitendum ad ea quæ sunt adhuc à fronte, &c. uerùm nihil hic est obscuri.

Vnum autem illud ago.] Non est ociosum quòd non simpliciter dicit, Illud uerò ago: sed, Vnũ uerò illud ago. Significat, donec in hac uita sumus, unicè curandum nobis esse, ut ad propositam perfectionis metam connitamur. Nos uerò circa alia non necessaria occupati, unicum illud quod curandum est omnibus, non curamus. Tale quid est quod Seruator ad Martham dixit: Martha, Martha, sollicita es, & tumultuaris circa multa. Atqui unum est necessarium. Maria bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Lucę 10.

Ea quidem quæ à tergo sunt obliuiscens, inquit.] Illud unum, quod se unicè agere dixit, pulcherrimo simili à cursoribus in stadio currentibus sumpto declarat. Conuenienter autem neq; eorum qui iam primum cursum suum inchoant, neq; eorum qui ad metam peruenerunt: sed eorum qui uelut in medio adhuc cursu constituti aliquousque promouerunt, ad metam uerò nondũ pertigerũt, exemplum proponit. Illi unũ hoc agunt, ut quàm contentiosè poterũt, ad propositam metam cursu prorsus inoffenso contendant, & palmam apprehendant. Et ut uoti sui compotes euadere queant, non numerant gradus aut spacium, quod confecerunt: sed recta & animi & oculorum & corporis intentione ad anteriora conficienda prosiliunt, donec ad metam perueniant. Eiusmodi uoto ac studio cursum apostolatus sui comparans, dicit: Ea quidem quæ à tergo sunt obliuiscens, ad ea uerò quæ à fronte sunt enitens, iuxta præfixum signum insequor, &c. In hoc simili duo sunt ad rem ipsam de qua loquitur, ita & necessaria & accommoda, ut nemo sit qui in contrarium aliquid obijcere possit. Vnum est, non retrospicere: alterum, contentiosè ad interiora conniti. De priori sic dicit: Ea quidem quæ à tergo sunt, obliuiscens. Quæ sint illa, quæ hic uocat à tergo, aliter atque aliter sentitur. Alij intelligunt de legalibus lucris, quæ propter Christum reliquerat, imò pro damno duxerat. Sanè ad illa respiciebant pseudapostoli, dum post fidem in Christum retrò ad obseruantiam ac iusticiam legis auertebantur, & Christianos ad Mosen post Christum reducebant. Respiciũt etiam post tergum, qui postquam Christum sequi cœperunt, ad seculum relabuntur, perinde atque si quis manu ad aratrum posita, retrocedat: similis Israelitis, qui ad ollas Ægypti unde abducti fuerant, respiciebant: & uxori Loth, quæ faciem ad Sodomam obuertebat. Alij, quorũ mihi sentẽtia magis probatur, intelligunt nõ de legalib. lucris, sed de ijs progressibus, quos in cognitione ac studio Christi ab initio conuersionis suæ ad id usque tẽporis fecerat. Ad illos haudquaquam respiciebat, nulla illorum fiducia afficiebatur, non reputabat, quousque promouisset, sed totus ad anteriora quæ adhuc restabant, ferebatur.

Obserua uerò, quòd non simpliciter dicit, Relinquens: sed, Obliuiscens. Amplius quiddã est obliuisci, quàm simpliciter relinquere. Multa relinquimus, uel sponte nostra uel coacti, quorum tamen recordationem nõ relinquimus: quorum autem obliuiscimur etiam, illa nec actu amplius nec mente tenemus, multo minus aliqua in illis fiducia conquiescimus. Huiusmodi emphasi dictum est illud Deut. 32. Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Et Esa. 49. Dixit Sion: Dereliquit me Dñs, & Dñs oblitus est mei. ubi uocula Et, apud Ebræos uau, pro etiam posita est: ut rectè legi queat, Imò oblitus es Domini creatoris tui: Et, Imò Dominus oblitus est mei. In hac nostra uita à tergo nobis sunt, non solùm bona, sed & mala quæ fecimus. Eorum quidem quæ rectè à nobis sunt facta, obliuisci debemus: malorum uerò non ita. Hic idem Apostolus qui se obliuisci eorum dicit, quæ erant ipsi à tergo: peccati sui, quo Ecclesiam Christi persequutus fuerat, haudquaquam obliuisci potuit. Et propheta Dauid in Psalmo 51. peccatum suum coram se semper esse dicit. Et est magna ratio, qua peccatorum nostrorum memoriam retinere: rectè factorum uerò obliuisci debeamus. Per memoriam quippe peccatorum nostrorum acuitur in nobis sensus gratiæ Dei per Christum, & in humilitate mentis nostræ continemur: per recordationem uerò bonorum nostrorum operum sollicitamur ad affectum inanis gloriæ, ut placeamus nobisipsis,

faſtidiamus fratres, obliuiſcamur gratiæ acceptæ, polliceamurq; nobis neſcio quæ præmia coram Deo: & uirtutũ noſtrarum fiducia occæcati, ſecuri ad iudiciũ Dei appropinquemus.

Dixerit hic quiſquam, ſi τῶν κατεῤῥωμάτων ſuorum quæ à tergo habebat, obliuiſcebatur: quo modo memor illorum, prima Corinthiorum capite decimoquinto dicit: Et gratia eius quæ profecta eſt in me, non fuit inanis, ſed copioſius quàm illi omnes laboraui? Et Romanorum decimoquinto: Habeo (inquit) quod glorier per Chriſtum Ieſum, in his quæ ad Deum pertinent. Non enim auſim loqui quicquam eorum quæ non efficit Chriſtus per me, in obedientiam gentium, uerbo & facto per potentiam ſignorum ac prodigiorum, per potentiam ſpiritus Dei, ut ab Hieruſalem & in circumiacentibus regionibus uſq; ad Illyricum impleuerim Euangelium Chriſti. Et in ſecunda Corinthiorum capite undecimo: uſqueadeò non eſt oblitus, quàm multas propter Chriſtum afflictiones pertulerit, ut & ſingulas illarum ſpecies ſatis prolixo catalogo recenſeat. Quomodo igitur uerum eſt, quòd hic ſe obliuiſci eorum dicit, quæ erant ipſi à tergo?

Reſpondeo: Hoc præſenti loco opponit ſe pſeudapoſtolis, & reſtringit illorum arrogantiam, fiduciam & ſecuritatem, qui ſe perfectionem apprehendiſſe gloriabantur. Quare cùm ſe eorum quæ à tergo erant, obliuiſci dicit: non dicit hoc aliter, quàm quòd non ut illi de benefactis ſuis & acquiſita Chriſti cognitione præſumat, atq; ita perfectionẽ ſibi adſcribat. Sic enim de ſe ſentiẽdo, & ad ea quæ retrò erant reſpiciendo, idem feciſſet quod illi, & ad iuſtam ſeſe perfectionem haudquaquam extendiſſet. Hactenus itaque eorum ſe obliuiſci dicit, quæ erant à tergo, quatenus ad anteriora ſeſe extendebat. In alijs uerò locis, quorũ facta eſt mentio, commemorat quantum perfecerit in Chriſto, quantumq; propter illum pertulerit: non ut in eo acquieſcat, ſibijpſi placeat, propriamque iuſticiam ſtatuat: ſed ut gratiam Dei deprę dicet, & Apoſtolatum ſuum contra aduerſarios illius defendat: & id faciendo, non impediebat cœptum curſum, ſed magis intendebat.

Ad ea uerò quæ à fronte ſunt enitens, inquit.] Eſt hæc altera pars in hoc curſorum ſimili, idque principalis, cui prior ſubſeruit, & ſine qua omnis currendi conatus fruſtraneus eſt, & irritus. Ea eſt, indefeſſa & infracta contentione eluctari ad præfixam metam. Eſt autem in hoc ſimili diligenter obſeruandum, quod in toto intermedio ſpacio ab ipſis carceribus, unde principium eſt curſus, ad metam uſque, nihil eſt in quo ſtandum ſit ac quieſcendum curſori: ſed quicquid in illo eſt, relinquendum eſt à tergo, & ſola propoſita meta ante faciem ſic eſt collocata, ut intentiſsimè proſpiciatur, & ad illam unicè contendatur. Sic in ſpirituali noſtro curſu perrumpendum quidem eſt per omnia intermedia fidei, dilectionis ac patientiæ ſtudia, ut in nullo ſubſiſtamus: ſed perpetuò ad metam à Deo pręfixam, in qua noſtra erit perfectio, connitamur.

Enitens, inquit.] Græcè eſt, ἐπεκτεινόμενος. Vox hęc pulcherrimam metaphoram habet, ſumptam ab extenſione curſorum, qua & brachia & caput, uelut iamiam apprehenſuri propoſitam metam ante ſe extendunt. Sonat ἐκτεινόμενος extenſum. & τοῖς ἔμπροσθεν ἐκτεινόμενος, ad ea quæ à fronte ſunt & anteriora extenſum: id eſt, καὶ τοῖς ἔμπροσθεν ἐκτεινόμενος. ἐγὼ, inquit Chryſoſtomus, ἐκτεινόμενος, ἔτσι λέγω, ὁ τὰς πόδας, καίτοι τρέχοντας τῷ λοιπῷ σώματι προλαβεῖν σπεύδασαν, ἐκτεταμένην ἔχω τὴν ὄψιν εἰς τὸ ἔμπροσθεν, καὶ τὰς χεῖρας ἐκτείνω, ἵνα καὶ τὸ βραβεῖον πλέονται ἐργάσωμαι. τότε δὲ ἀπὸ πολλῆς προθυμίας γίνεται, ἀπὸ πολλῆς θερμότητος. Quantum autem diſcriminis ſit inter ſic ſeſe ad palmam extendentem, & eum qui facie obuerſa reſpicit ea quæ ſunt à tergo, nemo eſt qui ignoret. Nemo pollicetur ei palmam, quem retroſpicere, & facie ab illa eſſe auerſa cernit: ſed illis potius, qui & pedibus & manibus & oculis cupidiſsimè ad conſequẽdum eam aduolant. Conſimili modo quomodo credemus eos ad cœleſtem palmam peruenturos, quos uidemus ab illa prorſus eſſe auerſos, & terrena pluris facere quàm cœleſtia?

Iuxta præfixum ſignum inſequor, inquit, *ad palmam ſupernæ uocationis Dei per Chriſtum Ieſum.*] Clarius exponit, quomodo ſeſe ad anteriora extendat. Iuxta præfixum ſignum (inquit) inſequor. Græcè eſt, κατὰ σκοπὸν διώκω: id eſt, Iuxta ſcopum inſequor. Vulgata editio habet, Ad deſtinatum perſequor. Scopus autem deducta uox eſt à uerbo σκοπέω, id eſt ſpecto, & accuratè conſidero. Hinc ſumitur pro ſigno, ad quod uel ſagittarij iacula ſua, uel curſores curſum ſuum dirigunt. Illud intentè ſpectant, ſic ut nuſquam aliò nec ad dexteram nec ad ſiniſtram, nec ſuprà nec infrà aciem oculorum ſuorum auertant.

Iuxta ſcopum, inquit, *inſequor.*] In ſcopo, ad quẽ curritur in ſtadio, duo ſunt: meta uidelicet, & ſignũ. Meta eſt ſcopus & terminus, ad quẽ uſq; intendẽdus eſt curſus. Irritus enim eſt curſus, ſi priuſquã ad metã pertingat, abrumpatur ac deficiat. Deinde & ſignum eſt ſcopus, ad quod dirigendus eſt curſus, ne euagetur uel ad dexteram uel ad ſiniſtram. Eſt itaq; geminus uſus ſcopi. Conſimiliter & Apoſtolo præfixus erat ſcopus, in quo & terminus erat Apoſtolicii ipſius curſus: & ſignũ, ad quod illum dirigeret. Terminus erat, uitę ipſius finis. Ante hunc nõ licebat à curſu deficere. Qui perſeuerauerit uſque in finem (inquit Seruator) ſaluus erit. Signum erat Chriſtus ipſe, ad quem unum & aciem mentis, & fidem, & Apoſtolatum ſuum, & omnia

& omnia indesinenter dirigebat, quo ad perfectionem cognitionis & cõmunionis illius pertingeret. Idem scopus præfixus est, nõ solum Apostolis & ministris, sed & communiter fidelibus omnibus: ad quem omnes fidei ac pietatis cursum ad terminum usque uitę nostræ, tanquam ueri Christiani, dirigamus.

Ad palmam, inquit, *supernæ uocationis per Christum Iesum.*] Græcè est, ἐπὶ τὸ βραβεῖον: qua uoce hic & prima Corinthiorum cap. nono utitur. Significat autem βραβεῖον στέφανον νικητήριον: id est coronã uictorialẽ, quæ dari solet ijs qui in stadio uel currendo uel pugnando uincunt. Huic cõparat Apostolus felicitatẽ regni Dei & æternæ uitæ, ad quam cœlesti sumus uocatione à Deo in Christo uocati: quam etiam consequemur, si fidem synceram & illibatam ad finem usque seruauerimus. Sic 2. ad Timoth. ultimo dicit: Bonum certamen certaui, cursum cõsummaui, fidem seruaui: quod reliquum est, reposita est mihi corona iusticiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex, &c.

Palma autem hæc non datur nobis mox post absolutum cursum, sed constitutus est dies iudicij, in fine mundi, in quo illam à iudice Christo accipiemus, ubi dicturus est: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod paratũ uobis est à cõstitutione mundi. Matth. 25. Vnde & loco suprà citato, non simpliciter dicit, Iam accipiam coronam: sed, Reposita est mihi corona iusticiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non mihi autem tantùm, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius.

Ad palmam, inquit, *supernæ uocationis Dei.*] Quoniam cursus sui meminit, in quo oblitus eorum quæ erant à tergo, ad anteriora sese extenderit: ne palmam hanc, ad quam contendebat, merito suo tribueret, non dicit, Ad palmam mihi debitam: sed, Ad palmam supernæ uocationis Dei in Christo Iesu. quibus uerbis incomparabilem regni Dei felicitatem, quam expectabat, & ad quam uitæ suæ cursum tendebat, uocationi Dei in Christo tribuit. Palma hæc non est meritorum, sed gratiæ uocantis nos Dei. Non est currentis aut uolentis, inquit Rom. 9. sed miserentis nos Dei. Et tamen currendum nobis est, ut eam apprehendamus, quando quidem ad gratiam hanc uocamur. Quòd si rex quispiam dimidium regni sui proponat loco palmæ ijs qui currendo primi ad scopum pertigerint, obsecro, conueniet' ne consequutionem illius tribuere merito currentium, & non magis bẽneuolentiæ ac liberalitati regis? Quanto magis hanc palmam uocationis Dei gratiæ illius, & misericordiæ tribuere debemus?

Non est autem ociosum, quòd non simpliciter dicit, Ad palmã uocationis Dei: sed, Ad palmam supernæ uocationis Dei. Vocat eam supernã, eo quòd ad cœlestia ac sempiterna bona, ad regnum cœleste uocati sumus. Sic qualitatem palmę huius exprimit, significans eam esse non terrenam, sed cœlestem: non perituram, sed sempiternam. Quid itaque alienius à ueris poterit esse Christianis, quàm sectari terrena, cùm uocati simus ad cœlestia: currere ad ima, cùm uocemur ad superna?

Addit, *Per Christum Iesum.*] Græcè est, ἐν χριστῷ ἰησοῦ: id est, in Christo Iesu. Poterat hæc lectio retineri, quemadmodum illam & uetus interpres retinuit. Verum est, cœlesti uocatione per Christum uocati sumus, interim tamen per Apostolos illius quoque uocati sumus: sic tamen, ut dici non possit, quòd uocati simus uel in Paulo, uel in Petro, uel in alio quopiam Apostolo: de Christo uerò rectè ac specialiter dicatur ab Apostolo, quòd in illo uocati simus. Sic enim uocauit nos Deus, ut credamus in ipsius unigenitum, & in illum credentes saluemur. Nec est aliud nomen datum sub cœlo, in quo oporteat nos saluari, quàm Christi Iesu, quem pater nobis unicum omnium saluatorem dedit. Singulari itaque studio particulam hanc adiecit, idq; maximè propter pseudapostolos, qui Christianos ad Mosen perinde uocabant, ac si in illo destinata sit cœlestis uocationis palma, quam Deus omnibus & populis & gentibus in uno filio suo Christo Iesu proposuit.

Quotquot itaq; perfecti sumus, hoc sentiamus: & si quid aliter sentitis, hoc quoq; uobis Deus reuelabit. Attamen ad id quod assequuti sumus, eâdem procedamus regula, ut simus concordes.

Deinceps iam paulò clarius exprimit, quorsum de se ipso commemorauerit tam multis, quo studio in cognitione Christi uersetur, & quomodo ad perfectionem contendat. Ad hoc uidelicet, ut uiuum haberent exemplar ob oculos, idque non in quolibet, sed in se ipsorum Apostolo.

Quotquot itaque perfecti sumus, inquit, *hoc sentiamus.*] Qui' nam erant illi perfecti? Et quomodo se quoque cum illis connumerat, cùm suprà perfectum se esse negauerit, dicens: Non quòd apprehenderim, aut iam perfectus sim? Dubio procul nemo erat inter Philippenses reuera perfectus, neque in cognitione Christi, neque in recta conuersatione uitæ. Vocat igitur quosdam ex illis perfectos: non quòd tales essent, sed quòd perfectiores cæteris pro

perfectis haberentur. Et istis sese propterea connumerat, quo admonitionem illis acceptiorem reddat. Alij disputant de statu perfectionis, ac deputant eum monachis: & ipsi monachi, præsertim Franciscani plurimùm de illo gloriantur. qua de re olim, cùm adhuc in Lotharingia, mea patria degerem, magna mihi cum Franciscano quodam cõcertatio fuit, qui sese palàm magna cum impudentia perfectum esse iactabat: & interim totus excandescebat, & sic præ impotentia commoti animi uociferabatur, ut perfectus in furore & insania uideri posset. Aliud est esse perfectum, & aliud esse in statu perfectionis. In statu perfectionis sumus omnes qui Christiani sumus, perfectus uerò nemo est. Est enim in statu perfectionis esse, nihil aliud quàm esse in uocatione ad perfectionem, ac studio quotidie ad perfectiora contendendi. Quæ duo non sunt quorundam tantùm, sed omnium Christianorum, nec faciunt externum aliquem, & separatum ordinem in Ecclesia. Sed de hac re diximus alibi.

Hoc sentiamus, inquit.] Id est: Sic sentiamus de nobis ipsis. Quomodo? Quòd nõdum simus perfecti, & quòd quæ à tergo nobis sunt, obliuisci: ad ea uerò quæ à fronte sunt conniti, & ad scopum supernæ uocationis Dei in Christo contendere debeamus.

Dixerit quisquam: Atqui sic omnibus est Christianis sentiendum. Ad quid igitur requirit hoc à perfectis? Respondeo: Non est hoc præter rationem factum. Imperfectis, qui neque ab alijs, neque à se ipsis pro perfectis habentur, non est necessarium ut admoneantur: cauendũ ipsis esse, ne putent se esse perfectos. Nam nulla illis est causa, propter quam se perfectionem consequutos esse præsumant, cum teste ipsorum conscientia, abundè sciant, quàm sint adhuc infirmi & imperfecti, & quam in multis deficiant: secus uerò comparati sunt, quibus periculum est, ne dicant in cordibus suis cũ pharisæo, Non sumus sicut cæteri homines, eo quòd se perfectis connumerari uident. Quare consultò non dixit Apostolus, Quotquot igitur imperfecti estis, hoc sentite: sed, Quotquot igitur perfecti sumus, hoc sentiamus. Opinio namque perfectionis ὑψηλοφρόνησιν, Deo detestabilem, gignit: à qua sibi cauere debent, quotquot cæteris perfectiores habentur. Igitur corrigens illorum φρόνησιν, dicit: Quotquot igitur nemine excepto, perfecti sumus, τοῦτο φρονῶμεν. Plurimùm namq; refert, quid & quomodo de nobis ipsi sentiamus.

Et si quid aliter sentitis, inquit, *hoc quoque uobis Deus reuelabit.*] Sciebat se haud omnibus persuasurum, ut quemadmodum sentiebat ipse, ita sentirent secum & reliqui omnes: sed fore aliquos diuersum sentientes, præsertim qui uel ex Iudæis credebant in Christum, uel pseudapostolorum doctrinæ, de iusticia legis, adhærere cœperant. Itaq; ne per illos, tanquam aliter sentiõtes, unitas & concordia Ecclesiæ in partes ac studia scinderetur, postquam dixit, Quotquot igitur perfecti sumus, hoc sentiamus: mox subijcit, Et si quid aliter sentitis, hoc quoq; uobis Deus reuelabit. Attamen ad id, quod assequuti sumus, eâdem procedamus regula, &c. Est autem sensus iste: Admoneo quidem uos, idque meo exemplo, quomodo sentire debeamus, quotquot perfectioni in Christo studemus: uerùm si quid sentitis, quod diuersum sit ab hac mea sententia, hoc quoque uobis reuelabit Deus, qui non patietur uos diu in errore teneri.

Particulam hanc Ambrosius, & qui illum sequuntur, aliter accipiunt, hoc uidelicet pacto: Et si quid aliter sentietis, hoc quoq; Deus reuelauit. Hoc dicit, ut si quid amplius ad culturã melioratæ conuersationis excogitauerint, Dei existiment donum esse, ne per hoc inflarentur. Hanc ego nec lectionem nec expositionem recipere possum. Primò namq;, quod in textu est, ἄτι ἑτέρως, id est, Si quid aliter: nõ est idẽ quod, Si quid amplius: sed omnino idem quod, Si quid secus, si quid diuersum ab eoquod me sentire dixi. Quod amplius est in re aliqua, nõ tollit id quod est illo minus: quod uerò aliter sentitur, diuersum est, & tollit eam sententiam, à qua est diuersum. Minus & amplius in eâdem re locum habent: quæ uerò diuersa sunt, nõ item. Sententia eorum qui legali iusticiæ studebant, non erat amplior, sed diuersa à sententia Apostoli. Deinde nõ est in Græco φρονάντι, id est sentietis: sed in præsenti φρονᾶτε, id est sentitis. Quare non est probandum, quod in futuro legunt, Sentietis. Tertiò, nec expositio Ambrosij probanda est, qua sentire exponit, per excogitare. Quartò non est in præterito, Reuelauit: sed in futuro ἀποκαλύψει, id est, Reuelabit.

Est autem magnopere cauendum, ne per adulterinum hunc uerborum Apostoli sensum locus permittatur illis, qui omnis generis adinuentiones & excogitationes, quibus puritas Christianæ doctrinæ ac fidei corrupta est in Papatu, reuelationi spiritussancti patribus post Apostolorum tempora factæ, tribuunt: & hoc nomine, quamuis sint ἄγραφα, in eandem tamen authoritatem cum sacris Scripturis collocant: qualia sunt omnia, quæ sacris Scripturis probari non possunt, immò illis aduersantur etiam: utpote, primatus Romani pontificis, sacerdotium pontificium, sacrificium Missæ pro peccatis uiuorum & mortuorum, transubstantiatio panis & uini in cœna Dominica, communicatio sub una tantum specie, inuocatio

tatio & interceſsio diuorum, cultus ſimulacrorum, purgatorium poſt mortem, indulgentię pontificiæ, & quæ alia nimis ſunt eiuſmodi multa : quæ nomnia hoc nomine defendunt, quòd ſint patribus à Deo reuelata. Eiuſmodi argumento uſus eſt Roffenſis epiſcopus Angliæ, in defenſione regiæ aſſertionis contra captiuitatem Babylonicam Martini Lutheri, piæ memoriæ, in ternionibus N & O. ubi ſic ſcripſit: Sed prius illud aggrediamur & doceamus, quòd citra patrum interpretationem & uſum ab ijſdem nobis traditum, nemo probabit ex ipſis nudis Euangelij uerbis, ſacerdotem quempiam his temporibus ueram Chriſti carnem ac ſanguinem conſecrare : non quòd hæc res tam ambigua ſit, ſed quòd eius certitudo non tam habeatur ex uerbis Euangelij, quàm ex patrum interpretatione, ſimul & uſu tanti temporis, quem illi poſteris reliquerunt. Item: Sic enim ipſis docente Spiritu ſancto uiſum fuit, hanc Euangelij partem nobis interpretari, ut iam quiſquis aut alium ſenſum aut uſum uelit introducere, is omnino repugnabit Spiritui ſancto, cuius inſtinctu priores patres hunc ritum & ceremoniam in Euchariſtiæ conſecratione tradiderunt. Eccius quoque & Cochlæus, אנשי חשם in defendendo Papatu, quæ Scripturis probare nequiuerunt, hoc ſunt nugamento confirmare conati. qua de re in Anticochlæo noſtro pleraque diximus. Quare non eſt præter rationem, quòd diſertè hanc Ambroſij lectionem & expoſitionem reprobandum eſſe ſentio : cùm quòd aliena eſt à uerbis & ſenſu Apoſtoli, tum quòd peſtilentiſsimæ ſeductioni patrocinari uidetur. Sed redeamus ad Apoſtolum.

Hoc quoque uobis Deus reuelabit, inquit.] Non ſimpliciter dicit, Hoc uobis Deus reuelabit: ſed, καὶ τοῦτο, id eſt, Etiam hoc Deus uobis reuelabit. Quaſi dicat: Qui uobis Chriſtum filium ſuum reuelare cœpit, ac tam multa quæ ignorabatis iam reuelauit, is etiam hoc uobis reuelabit. Admonemur hac Apoſtolica promiſsione, quanta ſit erga Chriſtianos diuina dignatio, in perficiendo eo quod ad ſalutem ipſorum cœpit. χριστιανίζει quoque hinc argutantur, dicentes: Non poteſt Deus ferre ut Eccleſia ipſius tamdiu, & in tam multis erret, dicente Apoſtolo : Et ſi quid aliter ſentitis, hoc quoque Deus uobis reuelabit. Verum eſt omnino, quod hic Apoſtolus Philippenſibus de Deo promittit : qui non eſt Philippenſibus duntaxat, ſed & cæterorum omnium Chriſtianorum Deus. Non ſinit Eccleſias ſuas per totum orbem diſperſas errare : hoc eſt, non deſtituit eas neceſſaria ac ſufficienti reuelatione : ſed mittit ad eas ſicubi per ignorantiam errant, miniſtros ſuos, Prophetas, Apoſtolos, Euangeliſtas, paſtores & doctores, per quos ab errore ad cognitionem ueritatis reuocentur, quorum doctrina ipſiſsima eſt reuelatio Dei. Sed hic refert, quomodo paterna hæc dignatio & clementia ab Eccleſijs accipiatur, & qualiter erremus, an uoluntario ac præfracto nullius reuelationis capaci, uel ſimplici & inuoluntario errore, qui per reuelationem ueritatis corrigi & emendari poteſt. Ipſum reuelandi uerbum ignorantiam præſupponit, qua ab eo quod uerum ac rectum eſt erretur. Eſt enim illa capax miſericordiæ, cuius capaces eſſe non poſſunt, qui non inuoluntaria ignorantia : ſed peruicaci obſtinatione indurati non modò errant, ſed & rectè ſentientes contemptim faſtidiunt ac damnant, & manifeſtè ueritati repugnant. Quis nam adeò perfrictæ frontis eſt, ut affirmare auſit, paterna cura ac dignatione Dei tamdiu deſtitutas eſſe Eccleſias, quas uidemus manifeſtis & inueteratis erroribus prorſus eſſe immerſas? An culpam horum errorum in Deum reijciemus? Abſit. Sit potius omnis homo mendax, Deus autem uerax & fidelis. Vnde quæſo eſt, quòd in nouiſsimis hiſce temporibus tam luculenta reuelatione ueritas Chriſtianæ fidei manifeſtatur, quàm ex eo quod pro ſua bonitate ac dignatione Deus errantes ad uiam ueritatis reuocare conſtituit? Vnde uerò eſt, quòd tam manifeſtæ reuelationi paſsim contradicitur, quàm ex eo, quòd mundus ſpiritum ueritatis accipere non poteſt : & occæcatio mentium in plurimis, præſertim potioribus, obſtinatior eſt facta, quàm quæ reuelationem admittat? Exiſtimo inſignem eſſe impietatem, quòd aduerſarij Euangelicæ ueritatis tam craſſos, tam manifeſtos, tamque multos ac deteſtabiles errores & abuſus in Eccleſijs obtinentes ſic defendere conantur, ut dicant : Vel non errare Eccleſias papiſticas, uel Deum ſua illas reuelatione deſtituiſſe, ut fucum faciant imperitioribus, quo ſtatuant: quoniam tribuendum Deo non eſt, quòd non diligat Eccleſias ſuas, ſed errare eas ac perire ſinat, fieri non poſſe ut illæ tamdiu errent : atque ita cogamur uel approbare quæ manifeſtè ſunt falſa, uel culpam omnium errorum & abuſuum Deo ſumma cum impietate adſcribere.

Hoc quoq; uobis Deus reuelabit, inquit.] Vocula τοῦτο, id eſt, Hoc, ſic poſita eſt, ut bifariâ accipi poſſit. Aut enim referri poteſt ad id quod aliter ac diuerſum ab Apoſtolo ſentiebât, qui legali iuſticiæ dediti erant. ut ſit ſenſus, Etiâ hoc quod aliter ſentitis, quale ſit reuelabit uobis Deus. Exiſtimatis iã uos rectè ſentire, dũ aliter quàm ueritas poſcit ſentitis: uerùm Deus etiá hunc

ueſtrum uobis reuelabit errorem. Aut exponi poteſt de eo quod Apoſtolus ſentiebat, & ipſi quoque cum illo ſentire debebant. Quaſi dicat: Hoc quoque quod ſentire debemus, uos uerò iam non ſentitis, ſed quaſi falſum ſit reijcitis: quàm ſit uerum, reuelabit uobis Deus. Verſus uerus eſt, ac tendit in idem. Per reuelationem enim & error & ueritas manifeſtatur: ut intelligamus & falſum, in quo & uerũ, à quo aberrauimus: ſciamusq; quid tenere, & quid relinquere debeamus.

Germanicus interpres alium ſenſum expreſsit, dum ſic uertit: *Vnd ſolt ihr ſonſt etwas halten, das laſt euch Gott offenbaren.* Verùm aliud eſt, quod Apoſtolus dicit, Et ſi quid aliter ſentitis, hoc quoq; uobis Deus reuelabit: quàm ſi dicas, Et ſi quid præterea ſentiẽdum uobis eſt, ſinite ut Deus id uobis reuelet. Curandum eſt interpreti, ut ſine neceſsitate haudquaquam à uerbis, quę uertenda ſunt diſcedat.

Attamen ad id quod aſſequuti ſumus, inquit, *eâdem procedamus regula, ut ſimus concordes.*] Græcè eſt: πλὴν εἰς ὃ ἐφθάσαμεν, τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν: id eſt, Veruntamen ad quod peruenimus, eâdem procedere regula, idem ſentire. Mihi ſic uertendum uidetur: Modò ad quod peruenimus, in eo eâdem procedamus regula, idem ſentiamus. Sic cohærebunt iſta præcedentibus: Et ſi aliter ſentitis, hoc quoque Deus uobis reuelabit: modò in eo quod conſequuti ſumus, eâdem incidamus regula, idem ſentiamus, ut ſint iſta uice cõditionis adiecta. Q. d. Et ſi quid aliter ſentitis, hoc quoq; reuelabit uobis Deus, non ſinens uos longius aberrare: modò caueamus partes, ſtudia & ſchiſmata, & in ijs ad quæ peruenimus, eâdem interim regula incedamus, & idem ſentiamus. Aliàs non eſt ſperandum, quòd reuelatione ſua ulteriora nobis manifeſtet, & errores noſtros reuelet.

Illa, τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, &, τὸ αὐτὸ φρονεῖν, Ebraiſmum habent, quo infinitiui poſiti ſunt pro imperatiuis. Solent enim Ebræi in nonnullis uerborum ordinibus eadem forma exprimere & imperatiuum & infinitiuum: id quod Paulus hoc quoque loco ſibi tanquam Ebræis, quamuis Græcè ſcribens, permiſit.

Eſt hic locus diligenter obſeruandus. Et utinã quod hic Paulus monet, tanquam ſummopere neceſſariam & planè Apoſtolicam admonitionem noſtris hiſce temporibus diligenter attendamus & ſequamur omnes. Multa adhuc à multis ignorantur, multa aliter quàm ueritas habet, ſentiuntur. Hic qui de perfectione ſciẽtiæ Dei gloriantur, aduerſum eos qui aliter ſentiunt quàm ipſi, idque etiamſi in uno tantùm Scripturæ loco fiat, cœlum ac terram uociferationibus ſuis implent, conuicijs eos proſcindunt, hæreſeos damnant, & omnem illis fidelium communionem abſcindunt, atque ita ſchiſmata in Eccleſijs ſuſcitant. Quod malum auerti poterat, ſi cogitarent: Etſi quid fratres iſti aliter ſentiunt quàm nos, non eſt tamen abbreuiata manus Domini, qua illis quoque, quæ iam non intelligunt, reuelet. Curabimus interea, ut ſecundum Apoſtolicam admonitionem in ijs ad quæ nobiſcum peruenerunt, ſeruata pace ac Chriſtiana φιλαδελφίᾳ, eâdem regula concorditer cum illis procedamus, & idem ſentiamus. Sic animatis non deeſſet ſpiritus reuelationis, qui diſsidijs, odijs, ac mutuis inſectationibus non attrahitur, ſed fugatur.

Modò ad quod peruenimus, inquit.] Vbi diſſenſiones in Eccleſia exortæ ſunt, curandum eſt utrique parti, ut magis attendant ea quæ communiter ac pariformiter intelligunt, quàm ea de quibus aliter atque aliter ſentiunt. In ijs ad quæ communiter peruenerunt, agnoſcenda eſt etiam communiter gratia Dei, per quam ad eum uſq; gradum peruenerunt, in quo conſentire deprehenduntur. Peccant igitur hic plurimùm, qui contempta multarum ad ſalutem neceſſariarum rerum conſenſione, propter unius & alterius articuli diſſenſionem fraternam charitatem rumpunt.

Eâdem procedamus regula, inquit, *ut ſimus concordes.*] Non poteſt fieri ut in omnibus eâdem regula, eodemque ſenſu concorditer procedamus: id quod plurimùm ad Chriſtiani nominis gloriam ac decorum faceret: fiat hoc in illis ſaltem, ad quorum pariformem ſenſum per gratiam Dei concorditer peruenimus. Non requirit, ut coacta fiat conſenſio in articulis illis, de quibus alij aliter ſentiunt: ſed relinquit unicuique ſenſus ſui libertatem: modò in alijs de quibus nulla eſt diſſenſio, eâdem regula eodemq; ſenſu procedamus: & interim ueritatis reuelationem à Deo communiter petamus, & patienter expectemus.

Sunt hic duæ emphaticæ uoces, κανὼν & στοιχεῖν: uerùm de illis diximus in Commentarijs noſtris ſuper Epiſtolam ad Galatas, cap. 5.

Vt ſimus concordes, inquit.] Græcè eſt, τὸ αὐτὸ φρονεῖν, id eſt idem ſentire. Quid ſit idem ſentire, diximus ſuprà cap. 2. paulo poſt initium capitis, ubi dicit: Vt ſimiliter affecti ſitis, eandem charitatem habẽtes: unanimes, idẽ ſentientes, &c. Quid autẽ neceſſe erat admonere, ut ad quod peruenerant, eâdem in eo regula, eademque ſententia procederent? Duo ſunt diſſenſionum genera, quibus unitas fidelium diſcindi ſolet, quæ utraq; Apoſtolus ſummopere ab Eccleſijs auertere ſatagebat. Vnum eſt, quando conſenſio nondum in omnibus ad fidem & religionem Chriſti pertinentibus obtinet inter fideles, ſed adhuc in quibuſdam aliter atque aliter ſentitur.

ſentitur. Hic periculum eſt, ne propter eiuſmodi diſſenſionem neglecta charitate ac pace, introducantur in Eccleſias ſchiſmata. De hoc diſſenſionis genere dictum eſt hactenus. Pertinet ad illud quod dixit: Et ſi quid aliter ſenſiſſet, hoc uobis Deus reuelabit. Alterum eſt, quando etiam in illis ad quæ fideles Chriſti communiter peruenerunt, occaſiones diſſentiendi ab inquietis ac maleferiatis hominibus quæruntur, & ea in quæſtionem rapiuntur, in quibus recta & communis omnium eſt conſenſio. faciunt hoc, qui de eo quod planum eſt ac communiter receptum, ſcrupuloſis diſputationibus ambiguas & obſcuras opiniones introducunt: quibus efficiunt, ut in eo non amplius eâdem regula & ſententia procedatur. Hoc genus diſſenſionis reprobat in preſenti, dum monet, ut in eo ad quod peruenimus, eâdem regula idem ſentientes procedamus. Exempli gratia. Omnes Eccleſiæ Chriſti ad fidem reſurrectionis mortuorum concorditer peruenerant: inſtinctu uerò ſatanæ fiebat, ut nonnulli exurgerent, qui illam negarent, ne in ea communiter omnes eâdem regula & conſenſione procederent: qua de re uide 1. Cor. 15. & 2. Timoth. 5. Et noſtra hac ætate quotquot Euangelio Chriſti nomen dederunt, ad doctrinam fidei ac iuſtificationis, quæ eſt per ſolam in Chriſtum fidem, communiter peruenerunt, inque illa eâdem regula & ſententia procedere cœperunt. Hic inuenti ſunt fratres, qui ut conſenſionem hanc turbarent, eam doctrinam in quęſtionem uocarunt, ſecundum quam omnibus iam eſt procedendum, non amplius diſputandum. Credi non poteſt, quantum detrimenti in cauſa pietatis ac ueræ unitatis adferant huiuſmodi diſputationes, quibus conuellũtur ea quæ & uera ſunt, & ab omnibus fidelibus recepta: in quibus etiam eâdem regula & ſententia procedere cœperũt. Quare magna ratione non à priore tantùm, ſed & ab hoc poſteriori diſſenſionis genere dehortatur nos Apoſtolus.

Pariter eſtote imitatores mei fratres: & conſiderate eos qui ſic ambulant, quemadmodum habetis nos pro exemplari.

Græcè eſt, συμμιμηταί μου γίνεσθε: id eſt, Coimitatores mei eſtote. Poteſt hoc dupliciter intelligi. Primò ſic, ut referamus præpoſitionem σύν, id eſt cum, ad ipſos Philippenſes: quos hortetur, ut ſimul ſ coniunctis ſtudijs ſe imitentur. hunc ſenſum referre uidetur Eraſmi uerſio. Deinde ſic, ut referamus eam ad reliquas Eccleſias, quæ Apoſtolum imitabantur: quo admoneri Philippenſes intelligamus, ut unà cum illis Apoſtolum ſuum imitentur. Chryſoſtomus tamen ſimpliciter legit, μιμηταί μου, id eſt, Imitatores mei.

Iam expreſsè hortatur Philippenſes, ut ſe imitentur, ad quod hactenus collimauit. Erat autem adhortatio hæc, potiſsimùm imperitioribus, ſummoperè neceſſaria. Nam illis maximè opus eſt, ut ante oculos habeant quos imitẽtur. Alius inſtruitur mera reuelatione, quod accidit Paulo. Alius inſtruitur auditu doctrinę ueritatis, in qua quid uerum, quid faciendum uitandum ue ſit, audiendo & credendo diſcat. Alius præterea opus habet, ut exemplis quoque ob oculos poſitis, uideat & intelligat quid ſequatur & imitetur: id quod præcipuè eorũ eſt, qui iudicio non ualent per omnia. Hiſce nihil poteſt accidere periculoſius, quàm ſi incidant in ſeductores, ſpeciem pietatis, & neſcio quas ſingulares reuelationes prætexentes. Habet enim populus religioni ſtudioſus hoc in ſe communiter, ut non ſit contentus doctrina uerbi: ſed moueatur exemplis, eorum potiſsimùm quos ueluti præſtantiores admiratur. Cùm hoc ſciret Apoſtolus, pro Apoſtolica cura ſollicitus, ne Philippenſes admiratione pſeudapoſtolorum moti, imitari eos inciperent, reſtringit eos ad ſe, dicens: Imitatores MEI eſtote fratres. Quid autem requiratur ad ueram ac rectam imitationem, diximus in Commentarijs noſtris ſuper Epiſtolam ad Epheſios capite quinto, mox initio capitis. Deinde quorum poſsit eſſe hæc uox, Imitatores mei eſtote: diximus prima Corinthiorum decimo, in calce capitis.

Et conſiderate eos, inquit, *qui ſic ambulant, quemadmodum habetis nos pro exemplari.*] Non poterat fieri ut in omnibus imitarentur Apoſtolum, cùm abſens eſſet, & in carcere conſtitutus. Deinde plus attrahunt ac mouent, quorum conuerſatio, tanquam præſentium, ob oculos coràm uerſatur. Vtrunque hoc ſciebat Apoſtolus. ideoque cùm dixiſſet, Imitatores mei eſtote fratres: mox ſubiecit, Et conſiderate eos qui ſic ambulant, quemadmodum habetis nos pro exemplari. Quaſi dicat: Non prohibeo quo minus & alios imitemini. Illud tamen moneo, ut magis conſideretis eos qui meis ueſtigijs ingrediuntur, quàm qui ab illis diſcedunt. Si quos uideritis ambulare in uia Domini, quemadmodum habetis nos pro exemplari, illos imitemini.

Græcè eſt, σκοπεῖτε: id eſt, Accuratè ac diligenter uidete, inſpicite & conſiderate, quemadmodum ſolent qui ad ſcopum iaculantur. Ab hoc enim uerbo eſt ſcopus, ſignum præfixum iaculatoribus ac curſoribus, ad quod illi intentiſsimè proſpiciunt. Monentur fideles, ut nõ temerè quoſuis imitandos ſibi proponant: ſed diligenter ad archetypũ conferant eos, quos in admiratione & precio eſſe uidẽt. Si ſunt Apoſtoli, cõferantur cũ Chriſto. Apoſtolus enim diuerſa à Chriſto uia ingrediens nõ eſt imitãdus, ſed fugiẽdus. Vnde & Apoſtolus hic,

cùm

cùm 1. Corinhiorum 10. in calce dixiſſet, Imitatores mei eſtote: ſubiecit, Sicuti & ego Chriſti. Non dicit, Quia ſum ueſter Apoſtolus, quia in cognitione Chriſti excello, quia in uia Dei ingredior, &c. ſed, Sicut & ego Chriſti ſum imitator. Pſeudapoſtoli prætexebant Iacobum, Ioannem, Petrum, Eccleſiam Hieroſolymitanã, & legem à Deo datam: & horum nomine haberi uolebant pro typo, quem Eccleſię Chriſti imitarentur: Paulus uerò Chriſtum proponit, nec petit ut ſe quiſquam imitetur, niſi quatenus Chriſtum ipſe imitetur. Romana ſedes prætexit Petrum, quem nunquam uidit, nunquam eſt imitata, nec hodie imitari conatur: & huius nomine urget, ut ſe omnes Chriſti imitentur Eccleſiæ, cùm ipſa nec Chriſtum nec Petrũ imitetur. Vtinam qui Chriſtum hodie ſecundum Euangelij doctrinam prædicant, quod ore docent, conuerſatione uitæ ſic exprimant, ut cum Apoſtolo dicere queant: Imitatores noſtri eſtote, quia nos Chriſti.

Quemadmodum habetis nos, inquit, *pro exemplari.*] Græcè eſt, quemadmodum habetis τύπον ἡμᾶς: id eſt, formam & figuram nos. Poterat ſimpliciter dicere, Quemadmodum nos, uidelicet ambulamus: uerùm quo omnem illis excuſationem adimat, dicit: Secundum quod habetis nos formam. Quibus uerbis dicit, eos habere formam, ſe nempe, ad quam conferant omnes eos qui in Eccleſijs ſic ſuſpiciuntur, ut imitandi uideantur. Q.d. Scitis quid credam, quid prædicem, quomodo uiuam. Non ſunt hæc uobis incognita. Habetis in me formã Chriſtianæ doctrinæ, fidei ac uitæ. Ab hac nemo uos abducat. Ad hanc reſpicite, & inde diſcite quos imitari, quos fugere debeatis.

Sit hoc non Philippẽſibus tantùm, ſed & nobis omnibus dictum. Habemus & nos in Paulo formam, non corporis illius, cuius imaginem Papiſtæ in templis oſtentant, & Moſcouitæ circumferunt: ſed Chriſtianæ doctrinæ, fidei, pietatis ac uitæ. Ad hanc ſi reſpexiſſent maiores noſtri, minus errorum ac ſeductionum inualuiſſet in Eccleſijs. Verùm ubi cœperunt aures auertere à ueritate ad fabulas, & Apoſtolicæ doctrinæ formam à tergo relinquere, incide runt in impoſtores ac ſeductores: & ut ab illis ducti ſunt, ita & ambularunt in ijs quæ religionem concernunt, donec tandem & uitia illorum ſcortando, ebriando, deliciando, uſurãdo, & quæ alia ſunt conſimilia faciendo, primùm paulatim, tandem pleno impetu & nimis catholicè imitari cœperunt. Sic quod Petrus apoſtolus in priore Epiſtola capite 5. requirit ab Eccleſiarũ paſtoribus, ut paſcant gregem Domini nõ coactè, ſed ſponte: non ad turpem quęſtum, ſed promptè: non dominando, ſed forma gregis exiſtendo: uſqueadeò in Romana eſt Eccleſia peruerſum, ut quod ille prohibuit ne facerent, in omnibus Eccleſijs, ut impunè, ita & ſine omni pudore ac timore quaſi inita conſpiratione dominando, negociando, cogendo faciant: quod uerò ut facerent hortatus eſt, in diuerſum peruertunt, exiſtentes quidem forma in grege Domini: uerùm non ad rectam Chriſtianæ uitæ conuerſationem, ſed ad omnis generis corruptelas: ut quemadmodum docendo ſeducunt ad impietatem & falſos cultus, omniſque generis errores, ita & corrupta ac flagitioſa uitę conuerſatione forma ſint omnium uitiorum ac ſcelerum. Quid hic potuit aliud euenire, quoniã dociles imitandis turpib. ac prauis ſumus omnes, maximè cùm uitia ſubeunt animos magnis authoribus commendata, quàm ut grex Domini imitetur eos, quos paſtorum ſuorum cogitur habere loco? Et dum hæc fiunt, ſingulari impudentia de apoſtolo Petro gloriantur, illiusq; uolunt habere ſucceſſores, cum forma ſint facti non Chriſti, ſed Antichriſti: non Apoſtolica, ſed Apoſtatica.

Nam complures ambulant, de quibus ſæpe dixi uobis: nunc autem & flens dico, inimici crucis Chriſti, quorum finis perditio eſt, quorum Deus uenter & gloria in dedecore ipſorum, qui terreſtria curant.

Reddit rationem, quare conſiderare debeant eos qui ambulant in opere ac uia Domini, quemadmodum habeant ſe pro exemplari: propterea uidelicet, quòd paſſim multi à recto tramite deflectentes longè diuerſo itinere incedant, per quos ſeduci queant, niſi illos fugiant.

Nam multi ambulant, inquit.] Videtur aliquid deſiderari, quo ſenſus perficiatur: utpote, Nam multi aliter ambulant, nõ ut ego, uel tale quid. Verùm nihil omnino deſiderabitur, ſi quod in Græco eſt, πολλοὶ γὰρ περιπατοῦσιν: legamus ad hunc modum, Nam multi obambulant: uel, Circueunt. Verbum enim περιπατῶ, non ſolùm ambulare ſimpliciter, ſed & ſępenumero circuire & ambulare ſignificat. Sic Ioannis ſeptimo, ubi initio capitis legitur, καὶ περιεπάτει ὁ Ἰησοῦς ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ: uertit Eraſmus, Et obambulabat Ieſus in Galilæa. Et Germanus interpres: *Darnach zohe Ieſus vmb in Galilæa.* Et prima Petri capite quinto, ubi legitur, Et aduerſarius ueſter diabolus uelut leo rugiens περιπατῶ. uulgata editio habet, Circuit: & Eraſmi, Obambulat: & Germanica, *Gehet umbher.* Si ad hunc modum uerbum περιπατοῦσιν reddas, Circueunt, uel, Obambulant, nihil erit quod deſiderari poſsit. Verùm ſic non eſt metaphorico ſenſu accipiendum, quo dictum eſt in præcedenti, Conſiderate τοὺς οὕτως περιπατοῦντας: ſed ſimplici ac proprio. Nam ſeductores

ctores illi, de quibus hic loquitur, non ſolùm metaphoricè diuerſa ab Apoſtolo uia ingrediebantur: ſed & paſsim per Eccleſias ac domos fidelium circuibant, ob quam cauſam ſummoperè neceſſarium erat fidelibus, ut ad formam Apoſtoli ſui in illis reſpicerent, qui perinde atque ipſe ambulabant: ne quo pacto per obambulantes impoſtores ſeducerentur. Videor forſan uerboſius iſta inculcare: uerùm cogit me ſtudium elucidandæ lectionis, quo ſeruiam imperitioribus.

Nam multi circumeunt, inquit.] Non ſimpliciter dicit, Nam oberrant nonnulli: ſed, Nam multi circumeunt. quod perinde eſt, ac ſi paſtor oues in cuſtodia ſua retinere cupiens, ne extrauagentur, multos dicat oberrare lupos. A multis malis paſsim oberrantibus plus eſt periculi, quàm à paucis. Vbi multi ſeductores circũeunt, ibi difficilius cauetur ne incidas in aliquem ex illis, ac ſeducaris, quàm ubi rarò talis quiſquam apparet.

Interim obſerua, quàm ſit hoc ſeculum fœcundum malis: unde facile eſt ſatanæ, ut mox initio emergentis ueritatis non paucos aliquos, ſed multos habeat ad manum miniſtros, quos emittat ad remorandum Euangelij Dei curſum. Sic prima Corinthiorum, capite decimoſexto, cùm oſtium ſibi magnum apertum eſſe dixiſſet: mox ſubiecit, Et aduerſarij multi. Et ſecunda Corinthiorum, capite ſecundo, multos eſſe ſermonis Dei cauponatores dicit. Et Ioannes: Antichriſti (inquit) multi ſunt. Et multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. Nemo igitur miretur, unde ſit quòd Euangelij doctrina tam multos habet aduerſarios. Diabolus circuit orbem, & habet in comitatu ſuo omnis generis malorum, reproborum, uerſutorum, impiorumq; hominum ac ſpirituum copioſiſsimam multitudinem, unde quàm uult multos emittat, & regno Dei obijciat. Interea tamen non eſt ut animis concidamus. Scimus enim, plures eſſe nobiſcum quàm cum illis: & fortiorem eſſe qui in nobis eſt, quàm qui eſt in illis. 1. Ioan. 2. 4.

De quibus ſæpè dixi uobis, inquit.] Exiſtimo hinc liquere, quomodo intelligendum ſit quod ſuprà initio capitis huius dixit: Eadem ſcribere uobis, me quidem haud piget, uobis autem tutum eſt: Cauete canes, &c. Quòd hic dicit, De quibus ſæpè dixi uobis: ſatis indicat, de ijs ſe, quæ iam ad eos ſcribit, ſæpè illos, cùm eſſet apud eos, præmonuiſſe. Quare quæ hic monet, non ſunt de alijs, ſed omnino ijſdem intelligenda, quorum ſuprà mentionem facere cœpit: de pſeudapoſtolis uidelicet, non Chriſti & Euangelij, ſed Moſis & circumciſionis doctoribus.

Obſeruandum autem hic eſt, prudentis ac ſolliciti Apoſtoli exemplum, in eo quòd mox initio cùm Euangelium Philippenſibus prædicare cœpiſſet, de falſis doctoribus ſedulò cauendis præmonuit. Sciebat illorum improbitatem, qua perinde atque inimicus homo, agro iam ſeminato inſidiatur, & zizania ſua mox poſt agricolæ diſceſſum iacto recens ſemini ſuperſeminat: ita ipſi in Eccleſias recens Euangelico ſemine ſatas, mox poſt Apoſtoli diſceſſum, adulterinum ſuum dogma de circumciſione & obſeruantia legis introducebant. Quare pro ſollicitudine ſua ſtatim ipſo euangelizandi initio de ueturis impoſtoribus cogitabat, & quoſuis præmonebat.

Nec ocioſum eſt, quòd non ſimpliciter dicit, De quibus dixi uobis: ſed, De quibus ſæpè dixi uobis. Significat grauitatẽ periculi, quod timebat, & auertere cupiebat. Sic namq; ſolemus haud ſemel tantùm, ſed etiam atq; etiam & creberrimè de illis præmonere malis, quæ non modò nocentiſsima eſſe, ſed & certò uentura ſcimus.

Et illud obſeruandum eſt, quòd non ſimpliciter dicit, De quibus ſæpè dixi: ſed, De quibus ſæpè dixi uobis. Quæ dicebat, non odij alicuius affectu temerè proferebat: ſed ipſis Philippenſibus adhuc in Chriſto neophytis dicebat, quia ipſorum ſalutem concernebat, ut in fide quam de Chriſto & in Chriſtum per Euangelij prædicationem acceperant, conſtãter perſiſterent, nec inde ſe ulla pſeudapoſtolorum impoſtura abduci ſinerent. Quare notanter hic dicit, De quibus ſæpè dixi uobis.

Nunc autem, inquit, *& flens dico*.] Poterat dicere, Et nunc iterum dico: Verùm maluit pectoris ſui dolorem exprimere, quo tum, cùm iſta ſcriberet, ad illachrymãdum cogebatur. Parum Stoicè non modò flebat, ſed & flere ſe ſcribebat Chriſti philoſophus: uſq; adeò alienus erat à Stoica ἀπαθείᾳ, quantumuis multum ipſi commercij cum Seneca Stoiciſsimo interceſſiſſe nonnulli exiſtimarunt.

Ex eo autem quòd hæc ſe flendo ſcripſiſſe dicit, meo iudicio, haud obſcurè ſignificat, dolere ſibi uehementer, quòd poſt tam ſedulas, tamque ſollicitas ac crebras præmonitiones nonnulli ex ipſis aures impoſtoribus præbere cœperant. Hinc, puto, cùm in hanc cauſam ſcribendo incidiſſet, recordari cœpit: quàm omnes eos coràm conſtitutus, mox initio, ſollicitè, fideliter ac frequenter præmonuerit, ut ſeductores illos, ubi ad ipſos ueniſſent, ne audire quidem dignarẽtur, ſed peſtis inſtar fugerent: iã uerò audire cogeretur, quàm parũ apud nonnullos præmonitionib. ſuis profecerit, & eiuſmodi recordatione cõtriſtatus in lachrymas prorupit. Qua in re duorũ admonemur. Primũ eſt, qui ſint ueri Apoſtoli, paſtoris ac doctoris affectus erga fideles Chriſti, ſicubi uiderint eſſe inter eos, in quibus

frustrà se laborasse appareat. Romanum magisterium, nox tales damnaret & abscinderet: uerùm Apostolicum pectus alienum ab eiusmodi damnationis consilio, in lachrymas potius soluitur: & nihilo tamen minus etiam illachrymando in cura ac sollicitudine Apostolica perseuerat, dicens, Nunc autem & flens dico.

Simul obserua, quàm non debeat mirum uideri, si fidelis ministri crebrę ac necessariæ admonitiones in multis Christianis inanes & inefficaces inueniãtur, cum ipsius Apostoli tam anxia & sollicita cura, tamq; sedulæ præmonitiones susque deque fieri potuerint: cuius doctrina non uerbis tantùm, sed & magnis signis ac portentis commendabatur.

Inimici crucis Christi, inquit.] Specificat eos, quos multos obambulare ac circuire, deq; quibus se, cùm præsens esset, frequenter præmonuisse, & nunc etiam cum lachrymis admonere dixit, quales nam illi sint, quò uel tãdem cognoscantur ac fugiantur. Non loquitur autem de alijs, quàm de quibus & suprà initio Capitis loqui cœpit: ad quos iam post intersertionẽ sui exempli describendos, ac suis coloribus depingẽdos reuertitur. Suprà appellauit eos canes, malos operarios, & concisionem: hic adiungit reliquos illorum colores, quos ex ordine uideamus.

Inimici crucis Christi, inquit.] Per crucem hic nonnulli crucifixionẽ carnis nostrę intelligunt, de qua Gal. 5. dixit: Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentijs: ut inimici crucis uocentur, de quibus Apostolus loquitur, propterea quòd molliores ac carnaliores essent, quàm qui crucem hanc amplecti sustinerent. Sanè qui tales sunt, quantum dediti sunt concupiscentijs carnis, tantùm sunt crucifixionis illius inimici. Verùm quoniam Apostolus non simpliciter dicit, Inimici crucis: sed, Inimici crucis Christi: existimo amplius quiddam & nocentius ab illo notari in pseudapostolis, quàm carnalem molliciem. Omnino nocentior est inimicitia, quæ cruci Christi hostiliter aduersatur, quàm quę concupiscentiarum carnis crucifixionem auersatur. Pseudapostoli ob id potissimùm erant inimici crucis Christi, quòd doctrinam crucis Christi per doctrinam legis & circumcisionis, quantum in ipsis erat hostiliter impugnabant & opprimebant. Historiam quidem crucis negare non poterãt, imò non dubito quin eam prædicarint: uerùm rationem, uirtutem & efficaciam illius, quam Apostolus diligenter euangelizabat, per id enerua bant, quòd salutem nostram circumcisioni & obseruantiæ legis tribuebant. Hoc agentes, quid aliud uocandi erant, quàm inimici crucis Christi?

Et hoc eodẽ nomine totus Papatus ipsissima est crucis Christi inimicitia: idq; multo amplius, pluribusq; modis quàm Iudaismus, quãtumuis lignũ ac formã crucis omnibus in templis apponant, festiua etiam ueneratione flexis genibus adorẽt, & omnibus ubiq; uiarũ compitis prostituant, auro & argento lapidibusq; preciosis ornent, Pontifices ac legati illorum ante se gestari faciant. Nihil enim horum ad ueram crucis amicitiam pertinet, quæ sita est in syncera fide ac fiducia crucifixi, per quam corda nostra iustificantur, pacata redduntur, exhilarãtur, ac cum Apostolo dicunt: Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. de quibus uerbis uide in Commentarijs nostris super Epistolam ad Gal. cap. 6. Verus crucis Christi amicus, si fit Apostolus, pastor ac doctor, non prædicat Pontificiam indulgentiarum nundinationem, non expiatoriũ Missæ sacrificium, non Romani pontificis primatum, non diuorum patrocinia, intercessionem, inuocationem & cultum, non simulacrorum uenerationem, non operum ac meritorũ nostrorum iusticiam, & quæ alia sunt huiusmodi: sed unum Christum Iesum, & hunc pro peccatis nostris tanquam agnum Dei mactatum & crucifixum, inq; illo respipiscentiam & remissionem peccatorum, iusticiam, uitam ac salutem æternam, omnibus qui in sanguinem illius credunt. Si sit uerus Christianus, remissionem peccatorum ac salutem neq; emit à Simone nundinatore, neq; quærit per patrocinia diuorum: neque sperabit ex suis ipsius uel aliorum quorumcunque operibus ac meritis: sed ut nouit illam in cruce, hoc est, morte ac sanguine Christi propositam esse credentibus, ita & fide eam in sola Christi cruce quærit, inuenit, & apprehendit. Hanc doctrinam & fidem crucis Christi supprimere moliuntur omnes in uniuersum iusticiarij, Simoniaci, & idololatræ, quocunq; tandem nomine uocentur, siue sint ex Iudæis, siue ex Turcis, siue ex falsis Christianis.

Quorum finis, inquit, *perditio est.*] Finis Apostolorum ac fidelium, crucis Christi amantium, est uita ac salus: eorũ uerò finis qui inimici sunt crucis Christi, est perditio & exitium. Quare? Quia in cruce Christi est salus: cuius particeps esse nõ potest, quisquis illius est inimicus. Perinde ac si dicas, finem eorum ægrotantium qui inimici sunt medicinæ, esse mortem. Minatur igitur pseudapostolis perditionem. Q. d. qui quales quales esse uideantur, & quicquid polliceantur alijs, omnino nihil reportabunt aliud quàm æternum exitium. Docent iusticiã legis & operum. At ex illa saluari poterit nemo. Auersantur doctrinam crucis Christi. At ex hac sola uita est & salus omnibus qui credunt. Vnde ergo saluabuntur, non ipsi modò, sed & omnes illorum sectatores? Pro salute quam promittunt, reportabunt perditionem. Hoc dicens, absterret eos qui uenenum illorum imbibere cœperant.

Non

Non eſt autem ut comminatio hæc perditionis referatur ad corruptæ uitæ couerſationẽ, dicatq; quiſquam: Etiamſi finis illorum perditio fuit, ob id tamen non eſt culpanda illorum doctrina. Neque enim propter illam: ſed propterea perierunt, quòd bene docentes malè uixerunt. Non ad uitam, ſed ad doctrinam illorum reſpexit Apoſtolus, ubi uocauit eos inimicos crucis Chriſti. Et eòdem reſpiciens ſubijcit: Quorum finis perditio eſt. Fatẽdum eſt, eorum quoq; finem, qui bene quidem docent, malè uerò uiuunt, eſſe perditionem. Verùm longè pernicioſius perit, qui nõ ſolus perit, ſed & alios ſecum in barathrũ perditionis abſtrahit: quòd illi cùm primis faciunt, qui non modò exemplis malę uitæ, ſed & adulterina prædicatione ſeducunt: quales ſunt Papiſtarum doctores.

Admonemur hoc loco omnes cùm doctores tum auditores, ut de fine curſus ſui quiſque cogitet. Nemo quod facit, facturus eſt ſine fine. Vniuſcuiuſuis curſus fine ſuo terminabitur: alius ad uitã, alius ad exitium deſinet. Quod erimus in fine, erimus in ſempiternũ. Finis impiorum perditio eſt. non quòd perditione conſumendi ſint: ſed quòd terminatur illorum curſus, & accipiunt condignum exitium. Quare ſtupenda prorſus ſtupiditas eſt, quòd de fine quiſque ſuo non cogitamus, ſed ſecuri in malo pergimus.

Quorum Deus uenter eſt, inquit.] Rom. 16. de ijſdẽ ſic loquitur: Qui eiuſmodi ſunt, ſeruiũt non Ieſu Chriſto, ſed ſuo ipſorum uentri. Hic idem notãs dicit, Quorum Deus uenter eſt. Significat, illos hoc egiſſe cum primis, & in hunc finem direxiſſe ſuum Apoſtolatum, ut conſultum eſſet illorum uentri: ideoq; ſeruijſſe non Ieſu Chriſto, ſed ſuo ipſorũ uentri, & interea ore ſonaſſe Deum, quaſi illius eſſent miniſtri: cùm non illum, ſed uentrem ſuum colerent. Hoc uidelicet pacto Deus illorum, cui ſeruiebant, non erat ille cuius legem & circumciſionem prædicabant, ſed uenter ipſorum. Monet iudicandum eſſe de illorum Deo & Apoſtolatu, non ſecundum iactantiam oris, ſed ſecundum ſtudium & intentionem cordis. In ore erat mendacium & hypocriſis, in corde autem ueritas, ſecundum quam eſt de factis & uerbis iudicandum. Ore Deum prętexebant, corde uentri ſeruiebant. Quare deum non habebant, niſi ſuũ ipſorum uentrem. Niſi illum coluiſſent, haudquaquam obambulando & circũeundo legem ac circumciſionem prædicaſſent.

Si ſecundum hanc Apoſtoli ſententiam de prælatis Eccleſiarũ, pontificibus, epiſcopis, ſacerdotibus & monachis cenſendum ſit, quis nam ſit illorum Deus: obſecro quotuſquiſque dabitur ex illis, cuius Deus reuera ſit Dominus, & non uel uenter, uel aurum & argẽtum, uel Venus, uel inanis gloria, uel ſecularis potentatus, uel turpe & ignauum ocium? Hi namque ſunt illorum dij, quibus abſque ulla diſſimulatione palàm ſeruiunt. Propter hos pro dignitatibus Eccleſiaſticis decertant, propter hos Roma à Curtiſanis (ut uocant) frequentatur, propter hos uicarijs ſuffraganeis & officialibus numerant: propter hos, ut Bernhardus conqueritur, tondentur: propter hos frequentant eccleſias, miſſas celebrant, pſalmos decantant, reditus Eccleſiarum occupant, & in ſuperfluitatis ac uanitatis uſum diſsipant: ut principatus & dominia, quæ ſibi uendicant, taceam. Si conferas illorum dijs, deum illum pſeudapoſtolorum: bone Deus, quàm erat ille horum comparatione tenuis & macilentus? Venter illorum non habebat opimos reditus, ſplendidos epiſcopatus, pingues abbatias, præpoſituras, prioratus, canonicatus, &c. ſed contentus eſſe cogebatur ijs quæ à ſectatoribus tenuiter ac ſponte dabantur. At iſti ut multo ampliores habent uentres, ita & deos habent multo grãdiores & illuſtriores, & conſequenter apud inferos ampliora quoq; tenebrarum pomeria omnium miſerrimi poſſidebunt.

De miniſtris uerbi quid dicemus? Quàm uelim inter illos eſſe neminem, qui & ipſe non Chriſto, ſed uentri ſuo ſeruiat. Licet enim modicis ſtipendijs alantur, inueniuntur tamẽ qui & illa magis quàm Chriſtum ipſum ſpectent. Quis uerò dubitat, eos qui ob qualiacunque ſtipendiola uentri ſuo magis quàm Chriſto ſeruiunt, idem facturos quod Papiſtæ faciunt, ſi luculentiores præbandas (ut uocant) ſortirentur? Deo autem ſit gloria, quòd multi hac ætate inueniuntur, qui ſic fideliter Chriſto ſeruiant, ut uix poſtremam curam alendo corpori impendant.

Et gloria, inquit, *in dedecore ipſorum.*] Particula hæc bifariam accipi poteſt. Primò, ut intelligas gloriam pſeudapoſtolorum, qua potiebantur inter eos quos ſeducebant, mutandã fuiſſe in turpitudinem ac ignominiã: tum uidelicet, quando inſipientia eorum manifeſtanda erat omnibus, id quod & 2. Timoth. 3. futurum prædixit. Hunc ſenſum & Germanicus interpres expreſsit, dum uertit: *Vnd ir ehr zuo ſchanden wirt.* Deinde ad hunc modum, ut gloria accipiatur pro gloriatione, qua in rebus Chriſtiano nomini turpibus ac dedecoroſis gloriabãtur. Quo propter deprauationem ſanę doctrinæ apud ſeductos in maiori habebantur exiſtimatione, ac uentri ipſorum luculentius conſulebatur: hoc amplius contra Apoſtolum Chriſti gloriabantur. Sic uidelicet in turpitudine ſua gloriabantur. Ambroſius exponit ad hunc modum: Saluti credentium obſiſtebant, de cibis edendis & non edendis queſtiones mouentes, quaſi ſalus in eſca ſit, aut uenter deus, quem iuxta legem mundis eſcis delectari putabant, gloriantes in pudendis circumciſis. Hæc ille. Ergo gloriam & ipſe pro gloriatione poſitam ſentit:

& per αἰσχύνω, id est turpitudinem, circumcisa pudenda intellexit, de ad quibus modum gloriabantur: id quod & alibi notat Apostolus dicens, Vt in carne uestra glorientur. Si cui hic sensus probatur, legat neq; cũ uulgata editione, In confusione: neq; cũ Erasmo, In dedecore: sed, In turpitudine. Sic cõmuniter Ebræa uox ערוה, & Græca αἰσχύνη, turpitudo in Scripturis uertitur, quando de pudẽdis ponitur. Quærendũ autẽ hic est, quò referendum sit, quòd non simpliciter dicit, Et gloria in turpitudine: sed addit, Ipsorũ, de quorum uidelicet pudendis loquatur. Quatenus illi circumcisos esse se iactabant, hactenus de suis ipsorum pudendis: quatenus uerò de carne eorum quos circumcidebant gloriabantur, gloriabantur utiq; de illorum pudendis. Hoc autem dicens, ridet non ipsam circumcisionem, quatenus à Deo erat tradita: sed illorum stulticiam, qui de illa contra Euangelium Dei gloriabantur.

σκηπτοφυία

Qui terrestria curant, inquit.] Græcè est, *οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες*. Vulgata habet, Qui terrena sapiunt. Sunt autem *οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες*, homines mundani, seculares, carnales ac terrestres, quorum animus nõ est appositus ad res spirituales ac cœlestes: sed ad ea quæ sunt super terram, id est, quæ in hoc mundo, à terrigenis ac filijs hominum magnifiunt & impensè appetuntur: qualia sunt, uenter, opes, gloria, uoluptas carnis, amicitia mundi, ocium ac securitas uitæ, & quæ alia sunt eiusmodi. Non culpat Apostolus creaturas Dei, quas ad necessarios nostros usus condidit, nobisque tradidit ac subiecit: sed animum illis magis quàm ipsi Deo addictum. Non dicit, Qui terrenis rebus utuntur: sed, Qui terrena sapiunt, appetunt, affectant & curãt. Terrenis utuntur & sancti, ipsi etiam Apostoli: immò usus illis est ipse quoq; Christus: uerùm terrenis non sunt corde addicti, quo à solo Deo pendent, & cœlestibus inhiant.

Notam igitur hanc inurit pseudapostolis, quòd sint homines mũdani, carnales, & ijs quæ super terram sunt addicti: & huic tribuit ea quæ aduersus doctrinam crucis Christi faciebãt. Et unde est hodie quoq;, quòd qui primores sunt in papatu, Euangelicæ doctrinę tantoperè aduersantur: nisi ex eo ipso, quòd sunt homines *τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες*? Terrestres sunt, non modò corpore, id quod est omnium, etiam sanctorum: sed & corde, mẽte ac spiritu: ideoque & terrena appetunt, amplectuntur, & studiosissimè curant, proq; illis retinendis contra doctrinam ueritatis decertant. Vtinam non possent hæc de illis nisi per iniuriam dici.

Nam nostra cõuersario in cœlis est, ex quo & Seruatorem expectamus, Dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso, secundum efficaciam qua potest etiam subijcere sibi omnia.

Vulgata editio habet, Nostra autem conuersatio: quasi sit in Græco, *ἡμῶν δὲ πολίτευμα*. Et ad hunc modum Ambrosius quoque legit. Verùm exemplaria Græca habent, *ἡμῶν γὰρ*: id est, Nostra enim. Et Chrysostomus quamuis in expositione dicat *ἡμῶν δὲ*: in ipso tamen textu legit, *ἡμῶν γὰρ*.

Reddit rationem præcedentium, non eorũ quæ proximè præcesserunt, sed eorum quibus suprà hortari cœpit, ut se imitarentur, & considerarent eos qui sic ambularent, sicuti se pro exemplari haberent: cæteros uerò fugerent, qui terrena sapiunt. Hic subiungit rationem dicens: Nam nostra conuersatio in cœlis est. Q. d. Neque enim illorum eadem est, quæ nostra, conditio. Illi namq; terrena sapiunt, quærunt & curant: nostra uerò longè alia est uocatio & conditio. Sumus enim ad cœlestia uocati. Quare illos non imitari, sed fugere debetis. Non eò tendunt, quò uos: sed prorsus in diuersum. Illorum politeuma in terris est, uestrum uerò in cœlis. Cauete igitur illorum societatem & imitationem.

Nostra enim conuersatio in cœlis est, inquit.] Mirum uideri poterit hoc loco, quomodo hortetur eos, quorũ conuersatio nõ amplius in terris, sed in cœlis esse dicit: ut imitationẽ fugiãt eorũ, quorũ deus uenter est, & qui non cœlestia, sed terrena curant. Etenim qui in cœlis uersantur, longè aliter animati sunt, quàm ut timendum sit, ne terrena cum terrenis quærant. Potest responderi, quod dicit, *ἡμῶν γὰρ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει*, idem esse quod, *ἡμῶν γὰρ πολίτευμα ἐν οὐρανῷ ὑπάρχειν ὀφείλει*. Sanè eiusmodi loquutiones multæ sunt. Si dicas, Nostra militia non est carnalis, sed spiritualis: quid aliud intelligendum uenit, quàm hanc esse nostram uocationem, ut non secundum carnem, sed secũdum spiritum Christo Domino militemus? quamuis pauci sint admodum qui huic sese uocationi accommodent. Consimiliter & hoc loco, quod dicit, Nostra enim conuersatio in cœlis est: non tam affirmare uidetur, quòd omnes Christiani in cœlis conuersemur: quàm admonere de communi nostra omnium uocatione, quòd secundum illam omnes in cœlis conuersari debeamus. Sic inquam ad præsentem quæstionem responderi poterit. Verùm, meo iudicio, si dictio *πολίτευμα* rectè accipiatur, non erit locus huic quæstioni. Et uetus interpres & Erasmus uerterunt illam, Conuersationem: & Germanicus interpres, *wandel*, sed inconsideratè. Non enim loquitur Apostolus de uitæ nostræ conuersatione, sed de Republica & ciuitate: uel si mauis, municipio cœlesti, cuius per gratiam in Christo facti sumus cõsortes. Quoniam igitur hanc dignitatẽ per cœlestem uocationã cõsequuti

sumus,

ſumus, ut ciues ſimus regni cœleſtis: admonitionis huius argumentum, ſanè omnium æquiſsimum, ex eo ſumit, quo admoneat nos, ut ſeiungamur ab illis qui non cœli, ſed terræ ac ſeculi huius ciues eſſe uolentes, terrena ſapiunt, & inimici ſunt crucis Chriſti. Hic germanus eſt præſentis loci ſenſus, & uox Politeuma illi omnino eſt accommodata. Quare malim legere, Noſtra enim ciuitas, uel noſtra reſpublica, uel noſtrum municipium: quàm, Noſtra conuerſatio. & Germanicè melius redditur, *Dann unſer burgerſchafft*: quàm, *Dann unſer wandel*. Quis autem pro dignitate perpenderit, quanta ſit felicitas, ciuem eſſe cœlorum: & quàm non debeamus illius unquam obliuiſci: quamque conueniat, reſpectu illius omnem huius mundi gloriam ac felicitatem ne pili quidem facere, nedum appetere & affectare?

Ex quo, inquit, *& Seruatorem expectamus.*] Cùm illud, ἐξ ὧν, id eſt ex quo, referatur ad præcedens, ἐν οὐρανοῖς, id eſt in cœlis: quæſierit forſan quiſquam, quomodo admiſſa ſit diſconuenientia numeri: cùm dicendum fuiſſe uideatur, non Ex quo, ſed pluraliter, Ex quibus, ſcilicet cœlis. Sed facilis eſt hic reſponſio. Ebręi cœlum appellant שמים plurali quidem uoce, ſingulari uerò ſenſu. Conſimili modo & Apoſtolus pluralem uocem οὐρανοῖς ſenſu ſingulari, pro οὐρανῷ poſuit: atque ita ſubiecit ἐξ ὧν, id eſt ex quo. Niſi quis ad ſingularem uocem πολίτευμα referendũ eſſe putat, quod tamen neminem facere uideo. Sed uideamus particulæ huius ſenſum.

Ad id quod dixit, Nam politeuma noſtrum in cœlis eſt: rudior aliquis cogitare poterat, Quorſum nobis prodeſt habere municipium in cœlis, cùm interea nolimus uelimus repamus hic in terris, ſimusq; in corpore terreno, infirmo, fragili, humili, & nullo pacto ad cœleſtis municipij inhabitationem idoneo, & ſimul multis miſerijs circumdati, denique & morti & corruptioni obnoxij? Quoniam tale quid obijci poſſe uidebat, ſubiungit dicens: Ex quo Seruatorẽ expectamus Dominum Ieſum Chriſtum, qui transfigurabit corpus noſtrum humile, ut conforme reddat corpori ſuo glorioſo ſecundum efficaciam, qua poteſt etiam ſubijcere ſibi omnia. Quaſi dicat: Tametſi municipio noſtro, quod in cœlis habemus, in præſenti hoc tẽpore, donec in carne ſumus, frui nõ poſſumus: expectamus tamen è cœlo uenturũ ſeruatorẽ, qui nos ad acquiſitionẽ illius idoneos efficiet. Quare nõ debemus cœleſtem dignitatem, ad quam uocati ſumus, contemnere: ſed irremiſſa ſpe, fruitionem illius expectare. *Luc. 12. fo. 37.*

Similes itaq; ſumus ſeruis dominũ ſuum expectantibus, donec reuertatur à nuptijs. Sunt autem duo expectantium genera. unum, ſincerorũ ac fidelium: alterum, reproborum. Qui ſynceri ſunt, cum deſiderio expectant reditum Domini: quia diligunt illum, ac toti ab eo pendent: & quem auidè expectant, illi quoq; ſeſe in occurſum parant, ne imparati inueniantur. Cor illorum non eſt in terreſtribus, ſed in cœlis, unde Dominum expectant. Reprobi uerò expectant & ipſi, ſed non corde. Expectant, quatenus effugere non poſſunt, perinde atque illi qui plectendi in uinculis tenentur, iudicij ſui diem uelint nolint expectare coguntur. Videre igitur quiſque quomodo aduentum Domini expectet. Priori namq; modo ad ſalutem, poſteriori uerò ad condemnationem ac perditionem expectatur.

Ex quo, inquit, *& Seruatorem expectamus.*] Vis ſcire ubi ſit Chriſtus? Vnde expectatur ab Apoſtolo & ueris fidelibus? Ex quo (inquit) è cœlo uidelicet, Seruatorem expectamus. Eſt igitur in cœlo. Eſt quidem (inquiunt) ſed non localiter: quia in cœlo non eſt locus, neque cœlum eſt in loco. Atqui Chryſoſtomus in expoſitione particulæ huius dicit, ἀπ' οὐρανοῦ φησὶν ὁ ἁμάρτησε τοῦτον, ἀπὸ τῆς γῆς, ἀπὸ τῆς προσώπου τὸ σημεῖον δεικνύς. Crediderunt Chriſtiani inde ab initio ad hunc uſque diem, in cœlo, ſecundum Euangelicam doctrinam, eſſe Chriſtum, in cœlo manere Chriſtum uſque ad illius reditum, de cœlo uenturum Chriſtum ad iudicandum uiuos & mortuos: & nos poſt mundi huius finem ibi futuros, ubi futurus eſt ipſe. Hæc eſt Chriſtianæ fidei ſimplicitas, in qua nemo fidelium fallitur. Viderint interim illi, qui hanc Vbiquitate corporis Chriſti, quam comminiſcuntur, in cordibus imperitorum labefactant. *Vide Act. 3.*

Ex quo, inquit, *Seruatorem expectamus, Dominum Ieſum Chriſtum.*] Non ſimpliciter dicit, Ex quo expectamus Dominum Ieſum Chriſtum: ſed, Ex quo ſeruatorem expectamus Dominum Ieſum Chriſtum.

Quæſierit hic quiſquam, cùm ſit Chriſtus non ad hoc uenturus amplius, ut ſaluet mundum, ad quod iam antea in mundo hoc comparuit, ſicuti uidere eſt Ioannis duodecimo, ſed ut iudicet: quare non potius dicat nos Apoſtolus expectare iudicem, quàm expectare ſaluatorem.

Reſpondemus: Et ſeruator eſt Chriſtus, & iudex: ſeruator fidelium, iudex reproborum. fidelibus ſuis & uenit, & uenturus eſt ſaluator. Venit, quia ſeruauit eos per ſanguinem ſuum à peccato & condemnatione, & ex inimicis Dei reddidit filios. Sic Epheſiorum ſecundo: Gratia (inquit) eſtis ſeruati. Et ad Titum capite tertio: Secundum miſericordiam ſuam ſeruauit nos. Venturus eſt iterum in fine mundi, ut nos à morte quoque & corruptione liberet, & in ſalutem quam ſperamus & expectamus, uitamq; & gloriam ſempiternam reipſa poſsidendam inducat. Huius meminit Apoſtolus ſecunda ad Timotheum ultimo, dicens: Liberauit me Dominus ab omni opere malo, & ſaluum faciet in regnũ ſuum. Expectamus

igitur Dominum Iesum Christum seruatorem, qui nos & seruauit per gratiam suam, & seruabit per gloriam, in qua uenturus est in fine mundi. ad quam pertinent, quæ consequenter subijcit, dicens:

Qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso.] Futurum est hoc per resurrectionem & clarificationem corporum nostrorum, quam in fine mundi consequemur. Spirituũ nostrorũ μετασχηματισμὸν operatur in nobis spiritus Christi, dum adhuc sumus in carne: idem & corpora nostra μετασχηματίσει, quo toti cœlestis reddamur glorię participes.

Vetus interpres reddidit, Qui reformabit, quod in Græco est ὃς μετασχηματίσει: Erasmus uerò, Qui transfigurabit. Suprà capite præcedenti diximus, Græcam uocem σχῆμα magis habitum uitæ, quàm figuram uel formam corporis significare. Transfiguratio esse uidetur, quando figura corporis in aliam ac diuersam à priore mutatur: reformatio est, quando pristina rei alicuius forma, quæ deprauata fuerat, restituitur. Neutrum in corporibus nostris futurũ est. Neq; enim figura corporum nostrorum mutabitur, neq; forma pristina quam initio creationis accepimus sic deprauata est, ut reformatione opus habeamus. Quid igitur futurum est? Habitus corporum nostrorum, qui est ex corruptione peccati, mutabitur. Hoc significat uerbum μετασχηματίσει. Vnde & non simpliciter dicit, μετασχηματίσει corpus nostrum: sed, Corpus humilitatis nostrę. nec dicit tantùm, Vt conforme reddat corpori suo: sed, Vt conforme reddat corpori gloriæ suæ. In corporibus nostris ergo neq; substantia neque figura & forma, sed habitus humilitatis, infirmitatis, mortalitatis & corruptionis ipsorum in habitum glorificati corporis Christi mutabitur. Humilitas nostra, quam in corporibus nostris circumferimus, duplici respectu cõsideranda uenit. Vno, communi omnium: altero, speciali in Christianis. Communis omnium humilitas est, quòd corpora nostra sunt terrea, puluis è terra infirma, fragilia, fami, siti, frigori, æstui, fatigaioni, omnis generis morbis ac defectibus, morti quoque & corruptioni obnoxia. Specialis Christianorum est, quòd corpora nostra carceribus includuntur, uinculis cõstringuntur, torquentur, cæduntur, fame, siti, algore, gladio, laqueo, igne & aquis necantur, ad bestias proijciuntur, & nonnunquam in cineres soluta in aquas disperguntur. Magna humilitas, magna abiectio, magna uilitas est, quæ corporibus nostris infertur, ut non sit præter rationem, quòd hic ab Apostolo corpora humilitatis nostræ uocantur. Verùm bene habet, quòd omnis illa humilitas transmutabitur. Vtrunq; illius genus ipse Seruator noster in se suscepit, & in se ipso in gloriam cœlestẽ mutauit, idem facturus & in membris suis, ueris scilicet fidelibus.

Vt conforme, inquit, *reddat corpori suo glorioso.*] Poterit corpus humilitatis nostræ mutare in charitatẽ angelicam, ut similes reddamur angelis cœlestibus: uerùm quoniam sic est à Deo constitutum, ut in filio ipsius Christo Iesu monstretur, quid expectandum sit electis ac fidelibus: omninò futurum est, ut quemadmodum corpus ipsius per resurrectionem ex mortuis cœlesti est claritate & gloria circumdatum, ita & nostra corpora in eandem claritatis glogloriam mutentur: ut quemadmodum ipse humilitatem nostram, homo factus, induit, ita & nos glorię ipsius ad cœlestia translati participes reddamur. Sic utrobiq; duo sunt corporum σχῆματα: unum humilitatis, alterum gloriæ. Humilitatis huic præsenti, gloriæ uerò futuræ est uitæ destinatum. Pendeamus igitur à Christo, in corpore hoc humilitatis nostræ constituti, ac fide illius præsentis uitæ molestias solemur, nec dubitemus fore, ut ad gloriæ quoq; illius exemplum glorificemur.

Vide autem, quomodo metam causæ, de qua loquitur, non excedat. Non dicit, Qui transfigurabit nos in diuæ naturæ dignitatem & gloriam: sed, Qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso. Quoniam enim municipium nostrum in cœlis esse dixit, quo declaret, quomodo futurum sit, ut corpora nostra terrena, & ad cœlestem municipatum inidonea, talia reddantur, quæ in cœlis cum Christo in sempiternum agere queant: dicit illa glorioso Christi corpoti fore cofnormia. Vltra hanc gloriam non debemus sperare ea quæ diuinæ sunt in Christo naturæ. Poterimus in cœlestibus agere, ubi similes erimus corpori gloriæ Christi, etiamsi longè infra diuinitatis excellentiam subsistamus.

Disputatur hodie non simpliciter de gloria Christi, sed de gloria corporis Christi. Loquitur hic Apostolus disertè de corpore gloriæ Christi, & futurum promittit, ut illi nostra corpora conformentur. Quod si ad gloriam illius pertinet, ut illocaliter possit esse ubique, id quod fratres nonnulli contendunt: quid aliud consequetur, quàm quòd & nostra corpora unà cum illo illocaliter futura sint ubique? Non loquor de prærogatiua diuinæ naturæ, quæ in Christo est, secundum quam cœlum ac terram implet: sed de dotibus ac gloria corporis illius, cui corpora nostra conformabuntur, ut perinde atque illud, ita & ipse in cœlis esse & commorari queant. Si corpus Christi sic est deificatum & glorificatum, ut non modò in cœlis agere, sed & ubiq; simul esse, & omnia illocaliter implere possit: quomodo corpora nostra gloriæ illius conformabuntur?

Conforma,

Conformabuntur autem illi. Erunt ergo & ipsa ubiq;, & implebunt omnia illocaliter: uel uanum est, non dico quod Apostolus, sed quod fratres isti de gloria corporis Christi dicunt.

Dotes glorificati corporis Christi, secundum quas illi corpora nostra conformabuntur, sunt impassibilitas, immortalitas, incorruptibilitas, claritas ac splendor cœlestis, subtilitas & agilitas. Et hæ necessariæ sunt ad cœlestem ac sempiternam uitam, & interim tamen nihil demunt ueritati corporis & humanæ naturæ, neq; in Christo, neq; in nobis: quam autem infinita ubiquitas prorsus tolleret, si inter illas connumeraretur.

Secundum efficaciam, inquit, *qua potest etiam subijcere sibi omnia.*] Græcè est, κατὰ τὴν ἐνέργειαν. Vulgatus interpres uertit: Secundum operationem uirtutis suæ: Erasmus, Secundum efficatiam. Loquitur de operatione, qua operari potest in omnibus. Quoniam Christo seruatori nostro μετασχηματισμὸν hunc tribuit, quo corpora nostra glorioso suo corpori conformabit: ratio autẽ humana transmutationem hanc illorum impossibilem esse putat, ac talem, quę à Christo perfici nequeat, adscribendam eam esse monet non humanæ uirtuti, sed prorsus diuinæ: quam tantam habet, ut non solùm infirmitates nostras, mortem ac corruptionem uincere, sed & omnia sibi subijcere possit.

Proponit itaque nobis Apostolus in Christo non solùm corpus glorię, cui corpora nostra conformabuntur, sed etiam uirtutem & potentiam omnino diuinam, qua eiusmodi corporum nostrorum transmutatio perficietur. Eiusdem Christi ut hominis corpori in gloria conformabimur, cuius ut ueri Dei uirtuti cuncta subijciuntur. Qui de hac Christi potentia, ac corporum nostrorum glorificatione non dubitat, utiq; & de eo dubitare non poterit, quod municipatum nostrum in cœlis esse dixit: atque ita & hanc uitam suam in carne à terrestrium rerum affectibus ac studijs abstrahet: nec coniunget se illis qui terrena affectant & curant, perpetuò memor uocationis suæ, qua per gratiam Dei in Christo ad cœlestem est dignitatem ac gloriam uocatus.

CAPVT QVARTVM

ARGVMENTVM CAPITIS.

Epistolam clausurus breues quasdam hortatiunculas connectit: deinde & mentionem facit gaudij sui, quod ex subsidio illorum ad se misso acceperat: atque ita Epistolam consueto salutandi officio terminat.

PRoinde fratres mei dilecti ac desiderati, gaudium ac corona mea, sic state in Domino dilecti.

Colligit ex præcedentibus. Non dicit simpliciter, State fratres mei: sed, Proinde fratres mei sic state in Domino, &c. Quasi dicat: Itaque, cùm municipatus noster sit in cœlo, indeq; expectemus seruatorem Dominum nostrum Iesum Christum, etiam atque etiam satagite, ut infracto animo stetis in Domino: nec uos ab illis seduci sinatis, qui inimici sunt crucis Christi, quorum deus uenter est, &c.

Proinde fratres mei dilecti ac desiderati, inquit.] Rursum fraternæ dilectionis affectum exprimit, eumq; non uulgarem, sed singularem & eximium. Neque enim simpliciter dicit: Proinde fratres mei: sed addit, Dilecti ac desiderati, gaudium & corona mea. Habebat eos omnes pro fratribus, diligebatq; omnes ut fratres, & desiderabat omnes pro ingenio ueræ dilectionis, cuius desiderij sui & suprà Capite primo paulo post initium mentionem fecit, dicens: Testis enim mihi Deus est, quàm desiderem uos omnes in uisceribus Iesu Christi.

In eo quod dicit, Gaudium meum & corona mea: argumentum est, quòd synceri fuerint in fide Christi, usq; adeò, ut illorum nomine gratularetur sibijpsi, & gauderet ex animo: perinde atq; præceptor de discipulorum suorum studijs, diligentia & profectu gaudere solet, si fideliter ac syncerè sit erga eos affectus.

Addit, *Et corona mea.*] Coronam pro gloria posuit, ad similitudinem respiciens eorum qui fideliter agendo uictores euadunt, & pro rebus bene gestis coronam gloriæ accipiunt. Hoc propriè ad Apostolos & doctores pertinet. Cætera fidelibus omnibus possunt esse communia. Qui fidei suæ consortes diligit ut fratres, consequenter desiderabit etiam eos, & super illorum profectu gaudebit, ut eos & ipse gaudium suum uocare queat. Viderit igitur quisque Christianus quomodo se gerat, ne doctoribus suis tristicia potius sit & confusio, quàm gaudium & gloria.

Sic state in Domino dilecti, inquit.] De metaphora standi, qua uti solet Apostolus, ut uidere est Romanorum quinto, undecimo & decimoquarto, 1. Corinth. 15. 16. 2. Cor. 1. Gal. 5. & suprà 1. diximus iam aliquoties. Magna prorsus ratione usus illa est. Nisi enim in ueritate ac fide Christi steterimus, omnia reliqua redduntur inania.

Quòd autem non ſimpliciter dicit, State: ſed ὕτως στήκετε, id eſt, Sic ſtate: bifariam accipi poteſt. Primò, ut referantur ad eum fidei ſtatum, in quo tum erant, ut quemadmodum credebãt in Chriſtum, & erga Euangelium illius animati erant, ita conſtanter perſiſterent. Deinde, ut ad præcedentem admonitionem referatur, qua monuit, ut canes, malos operarios, concisionem, inimicos crucis Chriſti, uentris ſeruos, & terrena curantes uitent: quo in uera doctrina & fide Chriſti conſtanter perſeuerent. Q. d. Quemadmodum uos moneo, ita facite, & in fide Chriſti ſtate. Nil intereſt, utrouis ſenſu accipias.

Illud, In Domino, uel ad ſequens, Dilecti, uel ad præcedens, Sic ſtate, referri poteſt. Si legas, In Domino dilecti: idem eſt quod, Propter Dominum dilecti. Si legere placet, Sic ſtate in Domino: idem eſt quod, Sic ſtate in cognitione ac fide Domini. Prior ſenſus exprimit, quare illos tantopere diligat, propter Dominum uidelicet: poſterior uerò ſpecificationem habet, qua in re ſtare debeant, in Domino ſcilicet, id eſt, in cognitione & fide Domini.

Euodíam obſecro, & Syntychen obſecro, ut ſint concordes in Domino.

Quæ fuerint hæ mulieres, & qua conditione, quo ue in ſtatu apud Philippenſes, certò ſciri non poteſt, quandoquidem nuſquam aliàs mentionem illarum facit: apparet tamen ſingularis cuiuſdam fuiſſe in Eccleſia exiſtimationis. Non imperat illis Pontificaliter, ſed obſecrat utranque per Apoſtolicam modeſtiam. In Græco utrobique eſt uerbum παρακαλῶ: quod licet nonnunquam hortandi ſenſu ponatur, hic tamen rectè per uerbum obſecrandi uertitur.

Vt ſint concordes, inquit, *in Domino.*] Græcè eſt, τὸ αὐτὸ φρονῆν ἐν κυρίῳ, id eſt, Vt idem ſentiant in Domino. Veroſimile eſt, haud fuiſſe illas Apoſtolum nominatim ac ſpecialiter obſecraturum, ut idem ſentirent in Domino: niſi ut id faceret, magna ratione fuiſſet inductus. Quare, meo iudicio, probabile eſt, cœpiſſe illas uel inter ſe aliqua in re, uel ab Eccleſia diſſentire: quod poſterius ex eo fieri potuit, quod forſan pſeudapoſtolis, ſubintroeuntibus illis fratribus, qui mulierculas captiuare ſolebant, aures præbere: atque ita iam non idem cum reliquis fidelibus, ſed diuerſum in cauſa fidei ſentire cœpiſſent. Et huic ſuſpicioni fauere uidetur, quòd ijs quæ de cauendis pſeudapoſtolis præcedenti capite, & iam de retinenda in Domino conſtantia monuit, duas haſce mulierculas obſecrat, ut idem ſentiant, idque in Domino. Quid autem ſit idem ſentire in Domino, iam antea aliquoties diximus.

Obſeruandum itaq; eſt hoc loco ſtudium uerè Apoſtolicũ, in eo quòd duas haſce mulierculas ſiue à ſe inuicem, ſiue ab Eccleſia in cauſa fidei diſſentientes, ad conſenſum tanta cum modeſtia reducere conatur.

Sanè rogo & te compar germana, adiuua eas, quæ in Euangelio decertarũt mecum, unà cum Clemente quoq; & reliquis cooperarijs meis: quorum nomina ſunt in libro uitæ.

Græcè eſt: ναὶ ἐρωτῶ καὶ σέ. Vulgatus interpres uertit, Etiá rogo & te. Et Germanicus, *Ia ich bitt auch dich.* Græca uocula ναὶ, nonnunquam iurandi ſenſu ponitur: uerùm hic rectius per Etiá redditur. Baſilius uſurpaſſe illam uidetur in ſenſu obſecrandi, in Epiſtola 69. ad epiſcopos Italiæ & Galliæ, ubi ſic dicit: ναὶ ἀδελφοὶ γνησιώτατοι, δέσποι χεῖρα τείνετε ὡς γόνυ κλίνεσι. quo ſenſu & Ebræis in uſu eſt uocula אנא.

Etiam rogo & te compar germana.] Græcè eſt, σύζυγε γνήσιε. Vulgata editio habet in maſculino genere, Germane compar: in qua lectione ordo dictionum inuerſus, occaſionem dedit Lyrano, ut Germanum, propriũ uiri cuiuſdam nomen eſſe putauerit, qui ſocius fuerit Apoſtoli in Euãgelico miniſterio. In Græco non eſt γνήσιε σύζυγε: ſed, σύζυγε γνήσιε: ubi γνήσιε adiectiui loco poſitum eſt, σύζυγε uerò ſubſtantiui: quamuis Chryſoſtomus dicit, quoſdam illud σύζυγε accipere pro nomine proprio. Propriè autem συζυγὸς coniugem, tam in fœminino quàm in maſculino genere, & συζυγία coniugium ſignificat: ut appareat, hæc uerba pertinere ad coniugem Apoſtoli. quem ſenſum & Clemens, & nonnulli alij ex Græcis tenuerunt: unde & Eraſmus reddidit: Compar germana. Scio eſſe & fuiſſe, quibus hæc ſententia non ſit uiſa probabilis, quæ tamen mihi nihil habere incommodi uidetur. De coniugio Apoſtolorum, ac teſtimonijs Ignatij & Clementis, in Locis noſtris diximus. Haberem & hoc loco quæ in medium adferem, ſi me precium aliquod operæ facturum confiderem.

Adiuua eas, inquit, *quæ in Euangelio decertarunt mecum.*] In Græco eſt συλλαμβάνου: quod ſonat, unà cum alijs manũ admouere operi. Germanicè dicimus *zugreiffen.* Rogat coniugẽ ſuam, ut mulieribus

lieribus illis, quæ pro ſua uirili Euangelio Dei ſubſeruiebant, operam ſuam coniungeret. Credibile eſt illam opibus huius ſeculi non ſic fuiſſe cumulatam, ut corporali ſubſidio quicquam in hac cauſa præſtare poſſet: uerùm non eſt neceſſe, ut de eiuſmodi ſubſidio uerba Apoſtoli intelligamus. Simpliciter dicit: Adiuua illas. quod rectè poteſt de ſpirituali inſtructione & adiumento intelligi, quo mentes illarum in opere Domini confirmarentur.

Quæ in Euangelio decertarunt mecum, inquit.] Græcè eſt, συνήθλησάν μοι, id eſt, concertarunt mecum. Suprà in calce primi Capitis dicit, eos idem certamen habuiſſe, quale in ipſo uiderant. Credibile eſt, fuiſſe quaſdam mulierculas, quæ initio, cùm prædicaret Apoſtolus Philippis, multum pertulerint laborum & afflictionum cum illo propter Euangelium, inter quas fuit dubio procul & Lydia purpurarum uenditrix, cuius mentio fit in Actis Apoſtolorum, capite decimoſexto. In harum recordationem uenit per occaſionem Euodiæ & Syntychis, quas & ipſas ueroſimile eſt initiò haud parum laboraſſe pro Euangelio: poſtea uerò nonihil declinare cœpiſſe, ſicuti hodie quoq; ſæpenumero fieri uidemus. Harum itaq; exẽplo admonitus cauere cupit, ne & reliquæ à rectæ doctrinæ conſenſu abducantur. quare rogat compa rem ſuam, ut illas adiuuet in Domino.

Vnà cum Clemente, inquit, *& reliquis cooperarijs meis.*] Græcè eſt, μετὰ καὶ κλήμεντος καὶ τῶν λοιπῶν: id eſt, & cum Clemente & cũ reliquis. Non uindicat ſibi ſoli laboresac certamina Euangelij, ſed adiũgit ſibi in hac gloria eos quoq; quos tum habuit, cõfortes. Clementẽ ex illis tantùm nominatim exprimit. Hoc quare faciat, cùm Philippis cõſtitutus habuerit ſecũ Silam, in Act. nominatũ, cuius tamen nõ meminit, certò ſtatuere non poſſum. Neq; certũ eſt, quis nam ille fuerit. De eo namq; quod in Eccleſiaſticis hiſtorijs ab Euſebio libro tertio, capite quarto, decimoquarto & decimoquinto: & libro quinto, capite ſexto, hic Clemens tertius Romanę eccleſiæ epiſcopus ab apoſtolo Petro conſtitutus fuiſſe memoratur, à multis cõtrouertitur: quemadmodum & de libris, qui illi tribuuntur, de quibus Eraſmus in Annotationibus ſuis Romanorum decimoſexto ſic ſcribit. Mira fuit in his ueterum uel credulitas, uel ciuilitas, qui tantum tribuerint libris, quos titulo Clementis habemus, cùm in his tam manifeſtus appareat fucus hominis qui talia ſcripſit. Habentur ſub nomine illius quatuor Epiſtolę, cùm Euſebius affirmet, unam duntaxat extare quæ illius ſit, ad Eccleſiam Corinthiorum ſcriptã. Verùm quicquid ſit de Romano illo Clemente, illiusque epiſcopatu & libris: hic Clemens Pauli cooperarius apud Philippenſes fuit: & quoniam illius nuſquam, præterquam hoc loco, fit mentio, haud improbabile uidetur, extitiſſe illum ex ſenioribus Eccleſiæ Philippenſium.

Quorum nomina ſunt, inquit, *in libro uitæ.*] Liber uitæ, liber eſt fideliũ Chriſti, quos Deus ad uitam uocauit, qui & nomina ſua Chriſto ſeruatori in baptiſmate dederunt, ne quis eorum tantùm nomina qui cooperantur Apoſtolis in Euangelio, in hoc libro ſcripta eſſe putet. Tam certa habetur illorum ratio & cura apud Deum, quàm certa habetur eorum quorum nomina diligenter conſcripta tenentur. Libris non utitur Deus: uerùm ſimilitudine hac ſignificat Apoſtolus, eſſe eos qui Chriſto accenſentur, ad uitam deſtinatos, & in certa coram Deo memoria & cura conſtitutos. Lucæ decimo, rem eandem Chriſtus ſic exprimit: Veruntamen nolite in hoc gaudere, quòd ſpiritus uobis ſubijciuntur: ſed gaudete, quòd nomina ueſtra ſcripta ſunt in cœlis. Monet, gaudendum ipſis eſſe, quòd in cœleſte regnum eſſent aſſumpti.

Quærunt nonnulli, unde cognouerit Apoſtolus, nomina cooperariorum ſuorum eſſe in libro uitæ. Qui librum uitæ æternam eſſe electionem ac prædeſtinationam ſentiunt, quer ſenſum ego quoque Pſalmo 69 poſui: quæſtionem hanc mouent, eo quòd electio ac prædeſtinatio Dei ſit inſcrutabilis. Verùm reſpondit ad illam iam ante me chariſsimus in Domino frater Ioannes Caluinus. Indicia electionis teſtantur de electis. Non eſt adeò leue & obſcurum diſcrimen inter electos & reprobos, ut nequeat homo ſpiritu Chriſti præditus inter illos diſcernere, donec & quatenus mores illi reproborum, iſti electorũm exprimunt. Cùm ſciret Apoſtolus, quo ſtudio cùm mulierculæ fideles, tum Clemens cum reliquis fratribus ſecum in Euangelio Chriſti concertarint: quid aliud pronunciare de illis poterat, quàm quòd eſſent ex eorum numero, quorum nomina ſcripta ſunt in libro uitæ? Econtrariò, ſi uideas homines odio Euangelij infectos, hoſtiliter ac pertinaciter ueritati Dei aduerſantes, & omnis generis impietati, iniquitati, maliciæ & immundiciæ immortuos: quid aliud de illis in præſenti cenſere poteris, quàm quòd tales ſint, quales ſunt, quorum nomina ſcripta ſunt in libro mortis & æternæ perditionis? Quòd ſi priores à ſtudio pietatis excidunt, locum habet in illis quod ad Moſen dixit Deus Exodi trigeſimo ſecundo: Qui peccauerit in me, delebo illum de libro meo. Et illud Pſalmo 69: Deleantur de libro uiuẽtium, &c. Poſteriores ſi mutata ſentẽtia reſipuerint, & fideles eſſe cœperint, iudicandũ de illis erit, non ſecundũ præcedentẽ maliciã, ſed ſecundũ acceptã à Deo reſipiſcentiam. Quod ſuprà Capite

præcedenti de pſeudapoſtolis dixit, Quorum finis perditio eſt: perinde eſt ac ſi dixiſſet, Quorum nomina ſunt in libro perditionis. id quod de illis tanquam tum temporis reprobis & impiè agentibus pronunciauit.

Quare autem hic de cooperarijs ſuis dicat, quòd nomina illorum ſint in libro uitæ, facilè cogitari poteſt. In facie ſeculi uidebãtur nomina eorũ eſſe in libro mortis: erant enim uelut oues occiſionis. Quapropter ut & illos & reliquos ad conſtantiã Chriſtianæ fidei & confeſſionis animaret, contrarium ab eo quod apparebat pronunciauit, dicens: Quorum nomina ſunt in libro uitę. quo ſimul & cauſam expreſsit, ob quam qui tales ſunt, ſummo ſint ſtudio in opere Domini adiuuandi.

Gaudete in Domino ſemper: & iterum dico, gaudete. Modeſtia ueſtra nota ſit omnibus hominibus. Dominus propè eſt. De nulla re ſollíciti ſitis, ſed in omni precatione & obſecratione cum gratiarum actione petitiones ueſtræ innoteſcant apud Deum: & pax Dei quæ ſuperat omnem intellectum, cuſtodiet corda ueſtra, & ſenſus ueſtros per Chriſtum Ieſum.

Quod ſuprà initio Capitis præcedẽtis cœpit, dicens, Quod ſupereſt fratres, gaudete in Domino, & quæ ſequuntur: id iam eãdem adhortatione repetens concludit, cùm dicit: Gaudete in Domino ſemper, & iterum dico gaudete. Cœperat autẽ hortari eos, ut cauerent pſeudapoſtolos, canes, malos operarios, & conciſionem: quam admonitionem iam tandem abſoluit: atq; ita repetit illius principium: dicens, Gaudete in Domino ſemper, & iterum dico gaudete. Quomodo adhortatio hæc ad propoſitum faciat, ſuprà ſatis fuſè annotauimus, ut non ſit opus hic de illa denuò admonere.

Illud, Semper & iterum dico, gaudete, bifariam accipi poteſt. Primò ſic: Gaudete in Domino, ſemper & iterum dico gaudete. Quaſi dicat. Semper hoc dico, & iam iterum inculco, gaudete in Domino.

Deinde, quemadmodum communiter legitur & accipitur, hoc uidelicet pacto: Gaudete in Domino, ſemper & iterum dico gaudete. Q.d. Quicquid uobis accidat in hoc ſeculo, ſemper in Domino gaudete: ſi læta, gaudete in Domino, à quo illa uobis contingunt: ſi triſtia gaudete in Domino, quòd propter illum ea patimini. In omnibus, ubique & ſemper in Domino gaudete. Et quoniam hoc ſatis inculcari non poteſt, iterum dico, gaudete, in Domino uidelicet ſemper.

Poſcitur ergo à nobis indeſinens ac perpetuũ gaudium in Domino: nec immeritò. Nam & id eſt indeſinens ac perpetuum bonum, cuius gratia gaudere iubemur. Idem faciẽdum nobis eſt & in fide, & timore, & dilectione, & cultu Dei. Semper debemus credere uerbo Dei, ſemper illi toto corde fidere, ſemper illum timere ac reuereri, ſemper diligere, ſemper colere: quia ſemper uerax eſt in omni ſuo uerbo, ſemper fidelis, ſemper Dominus omnium, ſemper bonus, ſemper ſolus Deus, ab omnibus unicè inuocandus & colendus. Si uxor proba & honeſta ſemper gaudet in ſuo marito, illumq́ue ſemper amat, ſemper reueretur & obſeruat, ac ſemper illi fidit: quanto magis ſic animatus eſt uerus Chriſtianus, ut ſemper in Domino gaudeat, illum ſemper diligat, obſeruet & colat, &c.

Modeſtia ueſtra, inquit, *nota ſit omnibus hominibus.*] Græcè eſt, τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν. Vocẽ hanc aliter atq; aliter uertunt. Eraſmus 1. Timot. 3. τὸν ἐπιεικῆ reddidit æquum, & Tit. 3. & 1. Pet. 2. humanum, & Iacobi 3. modeſtum: & ἐπιείκειαν 2. Corinth. 10. manſuetudinem. Non poteſt hæc uox una Latina uoce propriè exprimi. Diſſerit de illa Ariſtoteles in Ethicis libro 5 cap. 10, docetq́ue eſſe eam moderationem, qua ubi lex generaliter poſita cum iuſticia in cauſa quadam ſingulari exerceri non poteſt, ab illa diſceditur, & quod par & conſentaneum cauſę fuerit pronunciatur, ut ἐπιεικὲς perinde habeat atque plumbea regula Lesbiæ ſtructuræ. Quemadmodum modum enim illa lapidi accommodatur, & ſecundum illius conſtitutionem curuatur: ita & ἐπιεικὴς ſententia ad qualitatem cauſæ, non ad certam ac generalem legem attemperatur. Oppoſitum huius eſt ἀκριβοδίκαιον, quo non ſecundum qualitatem cauſæ, quod par & æquum ſit: ſed ſecundum rigorem legum exactè ſine ulla moderatione ſic pronunciatur, ut ſummum ius ſumma fiat iniuria. ut, exempli gratia: Lex eſt, qui effuderit ſanguinem hominis, fundatur & illius ſanguis. Accidit nonnunquam, ut fiat hoc caſu aliquo præter animi ſententiam, & ſine culpa: qua de re uidere eſt Exodi uigeſimoprimo, & Deuteronomij decimonono. Hic ſi ſecundum literam legis per ἀκριβοδίκαιον iudicetur, damnabitur inſons, qui per ἐπιείκειαν liberandus erat.

Ad hunc modũ de hac uoce diſſerit Philoſophus. Compoſita eſt ἀπὸ τοῦ ἐπὶ & εἰκὸς. Sonat autem εἰκὸς, ſimile, par, ęquũ, conſentaneũ, & ueroſimile, & εἰκότως ueroſimiliter. Sic ἐπιείκεια uirtus illa eſt, qua non ſtricto iure cũ proximis agimus, & noſtra ἀκριβοδικαίως pſequimur: ſed magis conditionẽ illorũ, impoſsibilitatẽ, tenuitatẽ, neceſsitatẽ, &c. cõſideramus, ac de iure noſtro,

uel

uel aliquid uel totum, secundum illorum conditionem ac fortunas, remittimus: ad quem modum in parabola Euangelica Matthæi decimooctauo, à rege illo factum memoratur, qui seruo suo omne debitum remisit, cùm non haberet unde solueret: cuius τῆς ἐπιεικείας contrarium erat, quòd idem seruus omne debitum à conseruo suo ἀκριβοδικαίως extorquere conabatur, cùm nec ipse haberet unde solueret. Hanc uocis istius rationem ac significationem non uideo quomodo Latina aliqua dictione possimus exprimere: Germanicè uerò propriè illã exprimimus, cùm dicimus, *Nach gestalt der sach handlen*. De usu uerò illius in Sacris literis non repugno, quin ponatur aliquando pro moderatione, uel si mauis modestia, pro humanitate & consuetudine. Sic namque comparata est hæc uirtus, ut aliena sit ab immoderatis, inhumanis & seueris austerisq; ingenijs: pulchrè uerò à moderatis, humanis & mansuetis exerceatur, qui in proprijs suis causis perpetuò magis ἐπιεικεύονται, quàm ἀκριβοδικαιοῦν sequuntur.

Requirit igitur Apostolus hoc loco, ut simus propensi ad hanc moderationis uirtutem, qua de iure nostro remittentes, illorum nos necessitatibus accommodemus, quibuscum agimus: ut manifestum sit, spectare nos magis, ne quem, ne iure quidem grauemus, quàm quomodo ius nostrum persequamur.

Obserua uerò quòd non simpliciter dicit, Modesti sitis: sed, Modestia uestra nota sit. Non poscit leuem aliquam, sed insignem: non raram, sed frequentem, usitatam & irremissam modestiam, quæ latêre non possit, sed manifesta reddatur. Quare? Quia etiam ethnici, impij, reprobi & increduli uirtutem hanc probant & laudant. τὸ ἐπιεικὲς ἐπαινοῦμεν, inquit Aristoteles, καὶ ἄνδρα τὸν τοιοῦτον. Ornamentum hoc est Euangelij, si passim de nobis dicatur, quicquid de fide istorum hominum sentiatur, uidemus eos esse in omnibus ἐπιεικεῖς, humanos, modestos ac mansuetos. Magis quæ aliorum, quàm quæ sua sunt ipsorum quærunt: de iure suo cedunt potius quàm ut quenquam grauent. Hoc uult notum de nobis esse etiam infidelibus, quo discant subinde melius atque melius de Christiana sentire religione. Eòdem respexit & Christus, dicens: Vos estis lux mundi. &: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est. Matthæi quinto.

Deinde & illud obserua, quòd non simpliciter dicit, Modestia uestra nota sit hominibus: sed, Nota sit omnibus hominibus. hoc est: Reipsa & per experientiam declaretur erga non uestros modò domesticos, cognatos, amicos, & fidei uestræ consortes: sed in uniuersum erga omnes cuiusuis generis homines, etiam extraneos & incredulos. Obsecro, quales Christiani sumus, dum in rebus nostris priuatis erga fratres, conciues, & eiusdem fidei consortes ob uilem assem summo iure agimus, & quamuis iniuriam acerbissimè ulciscimur? Dum hæc cernunt qui fidem nostram damnant, quomodo fieri potest ut bene de illa sentiant?

Quod causam fidei nostrę attinet, ibi nõ poscit à nobis Apostolus, ut erga eos qui fidei nostræ aduersantur, simus ἐπιεικεῖς, hoc est, à regula ueritatis Euãgelicę discedamus, nosq; illorũ erroribus cõformemus. Absit. Quod in rebus priuatis ac secularibus cũ laude Christiani nominis fieri potest, in rebus fidei & ueritatis Euangelicæ nonnisi cum summo dedecore & æterno exitio fieret. Doctrina Euangelij non debet esse μεταβολὴν καινὴν, sed certa & firma regula, ad quam omnis nostra religio accommodetur, & ędificatio Ecclesiarum Christi dirigatur. Quod uerò res liberas concernit, quæ sine peccato uel obseruari uel negligi possunt, hic Christianus utiliter ac salubriter ἐπιεικὴς utetur, ut non sit ἀβρωστοδικίας infirmorum fratrum, uel ἀκριβὴς ἰουδαῖος in faciendo, quod pro Christiana libertate facere potest: sed magis secũdum Christianam charitatem parcet infirmioribus, ne quẽ temerè ex illis offendat. Eiusmodi obseruationes sunt, ciborum, dierum, & Ecclesiasticorum rituum, in quibus nihil contra fidem Euangelij Dei admittitur. Talem ἐπιείκειαν Philippus Melanchthon sanctę memorię uir, pluri mùm amauit, ob quam tamen non adeò bene, ut par erat, apud nonnullos audiuit.

Dominus propè est, inquit, *de nulla re solliciti sitis*.] Carò sic argumentatur: Si cedendum mihi est de iure meo, & utẽdum hac ἐπιεικείᾳ erga omnes homines, usqueadeò, ut talem me esse manifestum fiat omnibus, quid aliud consequetur, quàm ut summam egestatem incurram? Nemo mihi reddet quod debet, & ego cogar dare quod non debeo. Huic sollicitudini occurrit, dicens: Non est ut ulla in re soliciti sitis, quasi nescio quæ uobis subeunda sit necessariarum rerum penuria, si ἐπιεικείᾳ erga omnes homines studeatis. Non habetis Dominum à uobis remotum ac longinquum, qui rebus uestris succurrere nec possit nec uelit. Dominus enim noster propè est, uidens, sciens & curans nostra omnia. Pergite uos constanter in eo quod fidei ac religionis nostræ honorem ac ornamentum concernit: quod reliquum est, prouidentiæ Domini committite. Hic sensus mihi simplicior apparet.

Chrysostomus tamen de aduentu Domini, quo ad iudicium uenturus est, exponit ad hunc modum: ὁ κύριος ἐγγὺς, μηδὲν μεριμνᾶτε. τί γὰρ εἶπέ μοι, ἐὰν καὶ ἀντίσταντα; καὶ ἐὰν ὀργὰς τραφῶσιν αὐτοὺς, τίνος ἕνεκεν ἀλύετε; ὅλη ἡ κρίσις ἐφέστηκεν, οὐκ εἰς μακρὰν λύσουσι λόγον τῶν πεπραγμένων αὐτοῖς, &c cætera.

Sanè

Sanè tribus modis est propè Dominus. Primò, quatenus per spiritum suum in cordibus nostris habitat, nosque per illum in omnibus moderatur, dirigit & solatur. Deinde per uirtutem diuinitatis suæ qua implet omnia, & ubique tanquam Dominus omnium, etiã in medio inimicorum suorum regnat. Hac uirtute in medio eorum est, qui in nomine ipsius congregantur, etiam si sint tantùm duo uel tres. Tertiò, propè etiam est, quod aduentum illius attinet, quo corporaliter uenturus est denuò, ut terminet hunc mundum, iudicetq; de omnibus tam uiuis quàm mortuis.

Si ad postremum hunc modum intellexerimus hæc Apostoli uerba, nascitur quæstio, quo modo dixerit Dominum propè esse, id est breui uenturum, cùm ab eo tempore, quo hęc scripsit, fluxerint anni plus minus mille quingenti: & tamen ne hodie quidem sciatur, quando sit uenturus.

Respondeo: Reipsa non est procul aduentus Domini, quantumuis nobis procul esse uidetur. Deinde præstat de illo sentire, quòd sit non procul, sed è uicino immineat: quàm cum malo seruo, de quo Matthæi uigesimoquarto dicere, Dominus uenire cunctatur. Apostolus autem, ut sit fidelis, persuadet nobis, propè esse Dominum, quo in fide ac uera pietate firmi persistamus. & aduentum eius bona cum spe ac fiducia expectemus. Et hoc consilio suprà quoque dixit: Ex quo seruatorem expectamus Dominum Iesum Christum.

De nulla re solliciti sitis, inquit.] Non dicit, Nihil operantes, aut nihil curantes: sed, De nulla re solliciti sitis. Non uetat curare & operari quæ necessaria sunt ad uitæ sustentationem, tam aliorum quàm nostræ: sed anxiam sollicitudinem uetat, qua caro metuit ne cœlum ruat, si secundum Christi doctrinam uiuere, & firma à Deo fiducia pendere debeat. contra quam uide Matthæi sexto, quæ Christus seruator differat. Vtebantur hisce Apostoli uerbis Anabaptistæ quidam, qui Augustanis meis persuadere nitebantur, aduentum Domini esse præ foribus, ad diem uidelicet Ascensionis, eo anno quo id affirmabant: & clamabant, uanum esse posthac aliquid operari, uel quæ necessaria essent curare: quorum unus, cum illò uocatus essem, Anno 1531, in uinculis adhuc detinebatur, qui tamẽ paulo pòst errores suos & agnouit, & publicè reuocauit. Operandum nobis est, & curandum unicuiq;, quòd ex officio & conditione status sui curare tenetur, etiamsi sciamus in propinquo admodum esse diem Domini. Anxia uerò, & plena diffidentiæ sollicitudo, à ueris Christianis semper debet esse aliena.

Sed *in omni precatione & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones uestræ innotescant apud Deum.*] Græcè non est, ἐν πάσῃ, genere fœminino, ut referri possit ad sequentem dictionem προσευχῇ: sed in neutro, ἐν παντὶ, hoc est in omni, uel quacunq; re. Quare separatim accipiendum est, & interiecta uirgula à sequentibus distinguendum: ut sit sensus, Sed in omni re quæcunque uobis & qualiscunq; acciderit, confugite ad Deum, ut per precationem & obsecrationem, unà cum gratiarum actione, petitiones uestræ apud illum innotescant. Rectè itaq; nonnulli fratres reddiderunt: Sed in omnibus. & Germanicus interpres, Sonder in allen dingen. Et Chrysostomus, ἀλλ' ἐν παντὶ πράγματι, inquit.

Cùm dicit, Nulla de re solliciti sitis: non postulat ut simus securi, contemnamusq; omnia, ac susq; deq; faciamus quicquid acciderit nobis: sed monet, ut abiecta omni anxia sollicitudine ac diffidentia, confugiamus ad inuocationem auxilij diuini, petamusq;, ut quod nobis est impossibile, per diuinam prouidentiam curetur. Et ut hoc maiore cum fiducia faciamus, dicit Dominum esse propè. Sic concordat cum Dauide, qui Psalmo 144 dicit: Propè est Dominus omnibus inuocantibus ipsum. Et cum Ieschaiah cap. 55. Quærite Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum propè est.

Admonemur, non esse causam nobis anxiæ sollicitudinis ac diffidentiæ, cùm habeamus Dominum propinquum, & liceat nobis opem illius bona cum fiducia, & non frustrà implorare. Et sic comparata est uera fides, ut sollicitudinem hanc excludat, & ad Deum precando & obsecrando confugiat. Hoc est quod apostolus Petrus monet, ut omnem solicitudinẽ nostram in Deum proijciamus, eo quòd illi cura sit de nobis. 1. Pet. 5.

Precatione & obsecratione.] Græcè est, προσευχῇ καὶ δεήσει. De duabus illis uocibus annotauimus Eph. 6. προσευχὴ adoratio est, ad Deum uidelicet. δεήσεις precatio, uel obsecratio, qualis est egentium, à uerbo δέομαι, quod egeo significat. αἰτήματα sunt, quibus petimus necessaria. Insunt hęc orationibus fidelium, quibus in necessitatibus suis Deum adorant. Egestatem suam memorant, & petunt auxilium.

Cum gratiarũ actione, inquit.] Nemo est ullis in necessitatib. constitutus, qui non acceperit à Deo, unde illi gratias agere debeat. Conuenit igitur, ut nunq; precemur ad Deũ, sine gratiarũ actione. Nihil. n. est, quod magis impediat, ne orãtes, exaudiamur, quàm ingratitudo. Nos uerò proniores sumus ad querulandũ ac petẽdum, si qua re necessaria destituimur, quàm ad agendum gratias pro ijs quæ à Deo accepimus. Magna itaq; ratione monet Apostolus, ut precationibus nostris gratiarum actionem iungamus, immò præmittamus.

Petitiones uestræ, inquit, *innotescant apud Deum.*] Quid est quod non simpliciter dicit, Fiát apud Deum:

Deum: sed, Innotescant apud Deum? An nescit Deus quibus rebus egeamus, nisi innotescat hoc illi per nostras petitiones? Quid igitur est quòd Christus seruator noster, benedictus in secula, Matth. 6. dicit: Scit enim pater uester, quid opus sit uobis, antequam petatis?

Respondeo: Distinguit inter ἐπίγνωσιν & petiones nostras. ἐπίγνωσιν nostram uult innotescere omnibus hominibus, ut ornetur doctrina & fides Christiana: petitiones uerò nostras non uult hominibus, pharisæorum more, sed Deo soli innotescere: non ut inde discat Deus, quibus rebus opus habeamus: sed ut orantes non hominum, sed solius Dei cõscientiam quęramus. Requirit tantùm à nobis fiduciæ erga Deum, ut quicquid accidat nobis, ad illum unum orando & inuocando deferamus. Sic aliàs solemus de necessitatibus nostris communi care cum fidis amicis, quibus præ cæteris bene fidimus. Illis notum facimus, qua in re deficiamus. Sic animatos nos erga Deum esse uult Apostolus, cùm dicit: Petitiones uestræ innotescant apud Deum.

Et pax Dei, inquit, *quæ superat omnem intellectum, custodiet corda uestra & sensus uestros per Christum Iesum.*] Chrysostomus accipit ista pro apprecatione, qua fidus doctor nõ modò docet & hortatur, sed & ex animo ijs quos docet, cœlestem gratiã apprecatur. Verùm quoniã in futuro dicit φρουρήσει, id est custodiet: magis assentior illis qui iudicant, ista habere promissionem prędenti adhortationi annexam. Dominus (inquit) propè est, nihil solliciti sitis: sed quicquid uobis accidat, inuocate opem illius cum gratiarum actione. Hoc si feceritis, polliceor uobis fore, ut corda ac sensus uestri diuina ac mirabili pace custodiantur in Christo Iesu.

Et pax Dei, inquit.] Pax principis gemina est. Vna, quam habet ipse: altera, quã dat subditis suis. Sic pax Dei gemina est. est enim & ipse in pace, & dat nobis pacẽ. Vtraq; rectè pax Dei uocatur. De priore nõ loquitur Apostolus, posteriorẽ à Deo accepimus & accipimus. Accepimus, quando illi per sanguinẽ Christi recõciliati sumus, quam pacẽ per Euangelium mundo tam ijs qui procul, quàm illis qui propè, annũciari uoluit. Ephesiorũ secũdo. Accipimus, quando corda nostra per fidem in Christum, accepto spiritu sancto, pacificantur. Hanc postremam intelligit Apostolus, cùm dicit: Et pax Dei quæ superat omnem intellectum, custodiet corda uestra, &c. Concipitur hæc fide in Christum, & alitur precibus ad Deum, & gratiarum actione.

Quæ superat omnem intellectum, inquit.] Græcè est, πάντα νοῦν: id est, omnem mentem. Ponitur pro ratiocinatione mentis. Significat pacem à Deo nobis dari, cuius ratio ac ptæstantia nulla quãtumuis acutæ mentis ratiocinatione, comprehendi intelligiq́ue possit. Significat autem hoc non ociosè. Carni siquidẽ, & in oculis mundi, nemo remotior à pace Dei esse uidetur, quàm ueri Christiani: qui sic omnis generis odijs, inimicitijs, blasphemijs, persequutionibus & afflictionibus adobruuntur in hoc mundo, ut non homines modò, sed & Deum ipsum infensissimum habere uideantur: cùm interea soli inter homines uera, certa & sempiterna pace Dei in conscientijs suis fruantur. Illa, quoniam cordis, spiritus ac fidei est, & in medijs afflictionibus regnat, à mundo cognosci non potest. Hoc uidelicet est, quod dicit eã omnem (intellige humanum) superare intellectum.

Custodiet corda uestra, & sensus uestros, inquit.] Græcè est, καὶ τὰ νοήματα ὑμῶν. Non loquitur itaque de sensibus corporis, sed mentis. Vetus editio habet, Et intelligentias uestras. Promittit fidelibus in pace Dei constitutis custodiam diuinam, qua conseruentur. Ergo tam multæ tamq́ue graues tentationes occurrunt fidelibus, ut ad resistendum illis propriæ ipsorum uires haudquaquam sufficiant: sed opus habeant diuina custodia, qua conseruentur.

Custodiet, inquit.] Quid custodiet pax Dei? non dicit, Corpora uestra, uel fortunas uestras, uel uitam uestram: sed, Corda uestra, & sensus uestros. Salus nostra non est in eo sita, si corpora nostra fortunis ac uita illæsa custodiãtur: nec in eo est perditio nostra, si de corporibus nostris, fortunis ac uita hac præsenti periclitemur. Saluti nostræ in eo consulitur, si corda nostra ac sensus custodiantur.

Quare necessaria nobis sit hæc custodia, qua corda ac sensus nostri custodiantur, illis notum est, qui tentationes satanæ experiuntur: qui etiam ubi corporibus ac fortunis nostris omne genus afflictionum infert, reipsa non id tantum agit ut illa perdat, sed ut corda ac sensus nostros tentationibus suis subijciat ac corrumpat, atque ita à uera fide & pietate abducat.

Obserua uerò quàm accuratè nec corda nostra tantũ, nec sola νοήματα, sed utraq; coniunctim posuerit. Requiritur à nobis, ut in cognitione ac fide Dei sani ac synceri simus, talesq; constanter permaneamus. Cognitio uerò ad mentem, illiusq́ue sensus, fides ad corda pertinet. Mente namque intelligimus & cognoscimus, corde uerò credimus. Si uitiati sint sensus mentis, nihil ualet fides cordis. Rursus si sensus quidem rectè habeant, quod intelligentiam attinet, cor uerò alienum sit à recta fide ac fiducia, non poterit esse locus saluti. Frequenter accidit, ut qui ueritatem Dei, uitiatis sensibus mentis non intelligunt, immò diuersum pro uero habent, in corde sint zelo ac studio Dei prædit: id quod Iudæis accidit,

accidit, teste Apostolo, & maioribus nostris in Papatu: & rursus, ut qui ueritatẽ cognoscit, corde sint incredulo & corrupto, quales nimis multi hac nostra ætate passim uisuntur. Itaq; summoperè necessarium est, ut utraq; & corda & νοήματα nostra custodiantur.

Per Christum Iesum, inquit.] Græcè est, ἐν χριστῷ ἰησοῦ: id est, in Christo Iesu. Non erat ratio cur uerteretur, Per Christum Iesum: cùm perspicuum sit, quid hic dicat Apostolus. Verum quidem est, pax ista de qua loquitur, per Christum facit ea quæ illi hic tribuit: sed quoniam non satis expressit, qua in re illa corda & sensus nostros custodiat, maluit dicere, In Christo Iesu: id est, in fide & cognitione Christi Iesu: quàm, Per Christum Iesum. Sic & Chrysostomus exponit, dicens: τί ἐστιν ἐν χριστῷ ἰησοῦ; ἐν αὐτῷ φυλάξει, ὅτι μίσειν, ἢ μὴ ἀπιστεῖν αὐτὸν τῆς πίστεως. Significat igitur corda ac sensus nostros per pacem Dei custodiri in Christo Iesu, ne ex fide & cognitione illius per tentationes satanæ uicti excidamus.

Non est autem obscurũ, quomodo pax Dei corda ac sensus fidelium in Christo custodiat, cùm sit in illis utrisq;, in cordibus uidelicet per fidem ac fiduciam gratię Dei quę est in Christo, in sensibus mẽtis per certam cognitionem, utrobiq; operãte Spiritu sancto, ne quid possint tentationes satanæ, & afflictiones à mundo illatæ: licut econtrariò, ubi nec in sensibus mentis, nec in affectibus cordis locum habet pax Dei, ibi necesse est ut superẽt tentationes, & uictos in exitium deijciant.

Quod reliquum est fratres, quæcunque sunt uera, quæcunque honesta, quæcunque iusta, quæcunque pura, quæcunque accommoda, quæcunq; boni nominis: si qua uirtus, & si qua laus: hæc cogitate. quæ & didicistis, & accepistis, & audistis & uidistis in me, hæc facite: & Deus pacis erit uobiscum.

Ne quis cogitaret, satis esse Christiano homini, si nulla de re sollicitus, quicquid sibi accidat, ad Deum oret: subiungit de studio uitæ sic inter incredulos instituendæ, ut non modò sit inculpata, sed & omnis generis politicis uirtutibus ornata. Quod reliquum est, fratres (inquit) quæcunq; sunt uera, &c. Multa sunt in rebus humanis uera, multa honesta, multa iusta, multa pura, multa grata & accepta, multę uirtutes boni nominis & laudis conciliatrices. Ne quis Christianus hæc ad se nihil pertinere cogitet, propterea quòd uidet ea usitata esse apud ethnicos, & non expresè in doctrina Euangelij præscribi: generali hac de illis adhortatione sic monet, ut non solùm quędam illorum, sed in uniuersum omnia ad Christianæ uitæ studia pertinere discamus. Nimis morosi sunt, qui quæ bene fiunt ab ἐτεροζήλοις, ob hoc ipsum facere detrectant, quòd ab illis fiunt, ne qua in re cũ illis facere uideantur: quasi hoc sit Christianũ, nulla in re cum ullo mortaliũ coniũgi, sed in omnibus etiá ueris, iustis & honestis discrepare. Christiana religio nihil reijcit, quod sit honestum, iustum, uerum, & laude dignum. Neque enim sic comparata est ut aduersetur rebus ueris, iustis & honestis, quibus non nisi quæ falsa sunt, iniusta & inhonesta aduersantur. Nam ut omne uerum uero consonat: ita consonat & omne iustum iusto, & honestum honesto. Quid autem uerius, quid iustius, quid honestius Christiana ueritate, iusticia & honestate? Quare quemadmodum Christus seruator noster dicit, Qui non est contra uos, pro uobis est: ita & hic sentire debemus, quicquid non est contra Christianam ueritatem, iusticiam & honestatem, pro illa est, imò propriè ad illam pertinet. Sed uideamus singula.

Quæcunq; sunt uera, inquit.] Quamuis mundus hic in mendacio est, & principi mendaciorũ subiectus, nec spiritũ ueritatis (teste Seruatore) accipere potest: multa tamẽ uera cognoscit & approbat, quæ & communi mortalium sensu intelliguntur ac tenentur, non modò in rebus humanis, sed & religionis. qua de re in Locis nostris, loco de Lege naturæ, quædam annotauimus.

Obserua uerò, quàm cautè non dicat, Quæcunq; uidentur esse uera, iusta & honesta: uel, Quæcunq; habentur uulgò pro ueris, quæcunq; sunt catholica, usitata & consueta: sed, Quæ cũq; sunt uera: hoc est, sic manifestè uera, ut citra impudentiam uera esse negari nequeant. In manifestè ueris aut falsis decipitur nemo, uerosimilibus autem decipimur frequẽter. Quare admonitio hæc Apostolica non nisi ad ea pertinet, quæ sic manifestè uera sunt, ut conscientiam nostram de certa ueritate conuincant: & haudquaquam ad uerosimilia, de quibus dubitare possumus, trahi debet. Vbi Christianus igitur de uero aliquo etiam ab aduersarijs admonitus fuerit, si uerum esse intellexerit, non quæret effugium, sed candidè agnoscet, & uerum esse fatebitur, tanquam ueritatis alumnus, à quo studium mendacij omnium conuenit esse alieniſsimum. Promisit aliquid? non negabit, sed pro uiribus seruabit quod promisit. Iniquè quicquam egit? si objiciatur, fatebitur ingenuè. Dicendum est testimonium? nõ dicit falsum, ne contra hostem quidem. In summa, in omnibus studiosus erit ueritatis, etiamsi quid inde sit detrimenti accepturus. Damnant nos Papistæ, quòd ab ipsorum coryphæo Romano pontifice, & cultibus quos falsos habent, erroribusq; dogmatum ipsorum deficimus. Prætexũt catholicum consensum, patres, & nescio quot secula; quibus argumentis nos haudquaquam mouemur. Quin comprobant uera esse, quæ nos dicimus esse falsa, & ut falsa fugimus & auersamur?

auersamur? Hoc si fecerint, obediemus Apostolicæ huic admonitioni: Quæcunque uera sunt, & cætera.

Quæcunq; honesta, inquit.] Græcè est, ὅσα σεμνὰ. Vulgatus interpres reddidit, Quæcunq; pudica. Ambrosius, Quæcunq; magnifica. Vox σεμνὸν sonat graue, uerecundũ, uenerandum, pudicum & honestum: cuius oppositum est leue, inuerecundũ, impudicum & inhonestum. Vult ergo Apostolus, ut amatores omnis honestatis, dum requirit, ut quæcunque honesta sunt, cogitemus & faciamus. Nemo enim hoc præstabit, nisi impense sit omnium honestarum rerum amans. Et sic comparata est honestas, ut laudem consequatur etiam inter filios huius seculi. Et qui honestè se gerunt, doctrinam Christi mirum in modum ornant: quemadmodum econtrariò ludibrijs illã exponunt, qui cùm Christiani uideri uelint, uani, leues & inhonesti reperiuntur, maximè si sint primores, & aliorum duces. De uita & honestate clericorum multa habentur in chartis, quorum nihil in ipsorum uita monstrari potest.

Non est autem præsentis instituti singulas honestatis species recensere, quæ uarię sunt secũdum gentium & populorum ordinum, statuũ, conditionum, ętatum, sexuum & personarũ uarietatem. Id uerò curabit unicè Christianus, ut honestatis eius rationem habeat, quæ inter eos usitata est, cum quibus uiuit: ne si diuersam sequatur, singularitatis potius notam incurrat, quàm honestatis laudem inueniat. Si quis nudus incedat in Europa, facit quod parum habetur honestum: secus uerò, si id faciat in India. Si tõdatur mulier in Germania, habetur pro inhonesto: si uerò fiat hoc inter eos, quib. in more est, ut mulieres tonsis sint capitibus, ibi id haudquaquam inhonestati datur. Et secundum uices temporũ mutantur honestatis species. Parum honestum fuisset olim, si uir quisquam barbatus & capite tonsus apparuisset in publico: quod tamen iam omnem inhonestatis notam amisit. Romæ olim sic erat inhonestum clero, esse barbatum, ut si fortè Græcorum episcoporum aliquis cum barba sua inter tonsos Romanos comparuisset, ludibrio habitus fuisset. Vicissim in Gręcia indecorum erat, esse tõsum & imberbem. Iam existimo, Romanos quoque non amplius ut antea respuere barbas. Multa eiusmodi in moribus ac indumentis uicissitudine temporum mutantur, quibus se Christianus sic accommodabit, ut neq; singularis, neq; leuis ac uanus esse uideatur.

Quæcunq; iusta, inquit.] Quemadmodũ qui uerax est, omnis ueritatis: & qui honestus, omnis honestatis: ita qui iustus est, omnis iusticiæ amans est ac studiosus. Cùm ergo monet, ut quæcunq; iusta sunt cogitemus & faciamus: significat requiri à nobis, ut simus omnis iusticiæ amantes. δίκαια uerò sunt uaria. Alia sunt ἁπλῶς, alia πολιτικὰ, alia πατρικὰ: alia δεσποτικὰ, alia ἰκετικὰ: alia φυσικὰ, alia νομικὰ: alia κτητὰ, alia ἀκίνητα, &c. de quibus non est ut hic discriminatim dicamus. Si quis de illis cognoscere cupit, Aristotelis Ethica consulat. Nos hoc loco sic cogitamus. Iusta sunt duplicis generis. Alia debemus nos proximis, alia debentur nobis à proximis. De posterioribus non loquitur hic Apostolus. Neq; enim opus est ut admoneamur de ijs quæ nobis debentur, quandoquidem alioqui plus satis hac in parte ἀκριβοδίκαιοι sumus, & exactores admodũ improbi & irremissi. Loquitur ergo de prioribus, idq; magna ratione. Sumus enim nihil minus quàm ad eorum iustorũ studium ppensi, quæ proximis nostris debemus. Iustũ quidẽ est, ut qui nobis debet, quod debet reddat: uerùm de eo illi est, nõ nobis cogitandũ. Rursus iustum est, ut præstemus proximis quod illis debemus. Hoc genus iusti nostram curam concernit. Multa sunt iusta, quæ à nobis fieri debent secundum uniuscuiusque statum, personam & cõditionem. De illis cogitandum nobis est triplici nomine. Primò, quia iusta sunt in se. Deinde, quia nos constringunt, ac debitores reddunt. Tertiò, quia cedunt in bonum eorum quibus ea debemus. Alia quæ ad nos non pertinent, cogitari etiam à nobis non debent. Iustum est ut malefactores plectantur, ut iudices rectè iudicẽt, ut ministri uerbi rectè doceant, & quæ alia multa sunt eiusmodi. De illis non est nostrum cogitare: sed eorum, ad quos curahæc ex officio pertinet. Quòd itaque Apostolus hic dicit, Quæcunq; iusta sunt: cum discretione accipiendum est, ne uerbo temerè inhærentes, à reipsa deflectãmus.

Quæcunque sunt pura, inquit.] Loquitur de ijs quæ ad puritatem ac sanctimoniam uitæ, uerborum uidelicet ac factorum pertinent. Pharisæi & hypocritæ nisi frequenter lauissent manus, non manducabant, tenentes traditiones Seniorum. Et à foro uenientes, nisi baptizarẽtur, non edebant, & alia multa eiusmodi seruabant, utpote baptismata calicum, urceorũ, eramentorum & lectorum. Ergo ne iubemur ab Apostolo ut hæc faciamus & ipsi: cùm dicit, Quæcunque sunt pura? Nequaquam. Neque enim impuratur homo cibo & potu, si manibus & poculis illotis edat ac bibat: sed puritas, quam seruare debemus, est cordis, uerborum & factorum. qua de re uide Matthæi decimoquinto. Papistæ per puritatem & castitatem communiter intelligunt eam, quæ sit in cœlibatu: quem cum omnium impurissimi profiteantur, qui spirituales inter illos uocantur, deputant eum tantùm ἀγαμίαν: quasi hoc sit esse cœlibem, abstinere à legitimo coniugio, & interim in omni genere libidinum, perinde atq; sues in uolutabro luti uolutari & conspurcari. Honorabile coniugium est, inquit Apostolus, & thorus immaculatus: scortatores autem & adulteros iudicabit Dominus. Ebræorũ decimotertio. Hæc quidem clamat Apostolus: sed quod hoc hominũ genus attinet, frustrà, quia surdis

Marci 7.

narrat fabulam. Puritatem uitæ omnem in ſtolam albam, quam in templis geſtant, ineluſerunt, ut ſint foris dealbati, intus pleni ſordibus: atq; ita ſimiles ſepulchris dealbatis. Verùm longè aliud eſt uerè, quæ munda ſunt cogitare ac ſeruare: & aliud externam mundiciem ſimulare. Chriſtiana puritas & caſtitas eſt in pura fide erga Deum, in doctrina ſana & ſyncera, in ſancta & munda conuerſatione uitæ, cùm uerborum, tum factorum.

Quæcunque accommoda ſunt, inquit.] Græcè eſt, ὅσα προσφιλῆ. Vetus interpres reddidit, Quæcunque amabilia. Sic legit & Ambroſius. Et Germanicus interpres habet, *was lieblich iſt*. Quemadmodum προσφιλεῖν adamare, & ad amorem ſeſe accõmodare: ita προσφιλῆ ea ſignificant, quæ ſic comparata ſunt, ut amabilia ſint, grata & accepta omnibus. Hic autem plurimùm refert, qualia qualibus grata ſint, ac placeant. Scimus multa quidem προσφιλῆ eſſe mundo, id eſt filijs huius ſeculi, quæ & Chriſtiani cogitare & facere queant ſine culpa: rurſus uerò eſſe non minus multa, quæ citra offenſam Dei nec cogitare nec facere poſsint. Diligere omnes, bene loqui de omnibus, benefacere omnibus, etiam inimicis, humilem, manſuetum & humanum eſſe erga quoſuis, eſſe obſequentem ſuperioribus, uenerari primores, patienter ferre malos, alienũ eſſe à ſtudio uindictæ, fideliter ſeruire dominis, & quæ alia ſunt huiuſmodi, & προσφιλῆ ſunt communiter omnibus, & Deo quoque grata & accepta. Rurſus conſortem eſſe in ſuſperſtitione, idololatria, falſis cultibus, corruptis moribus & catholicis uitijs, in ebrietate, laſciuijs, & omnis generis uanitatibus, quibus hic mundus impenſè delectatur, προσφιλῆ ſunt, & hæc præſentis ſeculi filijs: uerùm illicita Chriſtianis, & deteſtabilia in conſpectu Dei. Quòd itaq; Apoſtolus uniuerſaliter, quod uerba attinet, dicit, Quæcunq; amabilia & grata: non eſt indiſcrimatim ac prorſus uniuerſaliter accipiendum: ſed de ijs rebus tantùm, in quibus mundo huic citra offenſam Dei gratificari, & προσφιλῆν Germanicè, *zulieben*, poterimus.

Non habent itaque hoc loco quo defendantur Proſcæri illi: qui, quo tranquillitati ac ſecuritati ſuæ conſulant, προσφιλοῦσι, & gratificantur aduerſarijs, unà cum illis frequentando illorũ templa, audiendo illorũ ...iſſas, & alia ſuperſtitioſè cum ipſis faciendo, idq; contra ſuas ipſorum conſcientias. de quibus fuſè in Proſcęro noſtro diximus.

Quæcunque boni nominis, inquit.] Græcè eſt, ὅσα εὔφημα: id eſt, Bonę famæ. Eraſmus rectè uertit, Boni nominis. Bonum nomen Chriſtianorum, ornamentum eſt Euangelij Chriſti: utpote ſi prædicetur de illis quòd ſint homines iuſti, honeſti, ueraces, boni, manſueti, humani, beneuoli, caſti, &c. Quęcunque ad eiuſmodi boni nominis conſequutionem facere poterunt, cùm primis cogitanda ſunt homini Chriſtiano, & diligenter facienda. Simul tamen patienter ferendum eſt, ſi propter Euangelij doctrinam & fidem uocemur ab ethnicis impij, ſuperſtitioſi, dementes, & à falſis Chriſtianis hæretici & ſchiſmatici. Non enim ad dexteram tantùm, ſed & ad ſiniſtram armis iuſticiæ inſtructi, per gloriam & ignominiam, per conuicia & laudes (quod in Græco eſt, διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας: id eſt, per malam & per bonam famam) commendare nos debemus hominibus tanquam ueri Chriſtiani, & germani Chriſti diſci-
2. Corint. 6. puli, qui & ipſe à bonis bene, & à malis malè audiebat. qua de re uide Commẽtarios noſtros ſecunda Corinthiorum ſexto.

Si qua uirtus, inquit, *& ſi qua laus.*] Gẽtium philoſophi de uirtutibus multa diſputabãt, illaſq; in immenſum extollebant, ſic ut eſſet inter gentes magna illarum laus & exiſtimatio, quamuis interea plus ſtudij uitijs, quàm illis impenderetur. Nam illi ipſi philoſophi, qui uirtutum laudes ebuccinabãt, de uirtutibus loquuti, libidini operam dabant, & bacchanalia uiuebãt. Apoſtolus itaque, ne qui Chriſti erant, pro oſoribus uirtutum haberentur, poſtquam ſingulares quaſdam uirtutes nominatim præſcripſit, ſubijcit iam in genere de quibuſcunque alijs, dicens: Si qua uirtus, intellige adhuc alia: & ſi qua laus, id eſt, ſi quid laudis ulla ex re ad uos redire poteſt, hæc cogitate, &c. Perinde mihi facere uidetur, atque ſi hac noſtra ætate quiſpiam uerbi miniſter calumniam Papiſtarum ab Eccleſijs noſtris, & Euangelij doctrina amoliturus, qua falſò nos accuſant, quòd ſimus operum bonorum oſores: doceamusq́ue, non eſſe bona opera alicuius facienda, hortetur fideles ad ſtudia bonorum operum, ac dicat: Si qua eleemoſyna in pauperes, ſi qua hoſpitalitas exulum ac peregrinorum, ſi qua conſolatio triſtium & afflictorum, ſi qua uiſitatio infirmorum & captiuorum, ſi quod ieiunium: in ſumma, ſi quod aliud eſt bonum opus, hæc cogitate & facite. Conſimili planè modo Apoſtolus commendat Philippenſibus ſtudia & exercitia uirtutum, quo non modò calumniam aduerſariorum effugerent: ſed & laudem ſibi, quæ & uirtutibus dabatur, conciliarent.

Quid autem ſit uirtus, & quæ illius ſpecies, non eſt ut hic explicemus. Si quis de hac materia cognoſcere cupit, ingrediatur ſcholas philoſophorum. Simpliciter ſentiamus, oppoſitum cuiuſque uitij eſſe uirtutem. Vitia ſunt, mendacium, inhoneſtas, iniuſticia, impuritas, immiſericordia, ſuperbia, auaricia, & cætera. Ergo ueritas, honeſtas, iuſticia, puritas & caſtitas, miſericordia, animi modeſtia, liberalitas, &c. ſunt uirtutes. Quemadmodum uitium aliud eſt cordis, aliud mentis, aliud morum, & aliud membrorũ ac ſenſuum corporis: ita & uirtus alia eſt in corde, alia in mente, alia in moribus, quam Ethicam uocant, alia in membris ac ſenſibus corporis. Puto non eſſe inſolens, ſi quemadmodum defectum uiſus oculorum uitio,

tio, ita perſpicuitatem uidendi uirtuti illorum demus. Et hæ uirtutes, ſiue ſint cœlitùs ſingulari gratia collatæ, ſiue naturaliter inſitæ, ſiue ſtudio & exercitio acquiſitę, omnes ſunt ex dono Dei. Nam omne bonum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.

Si qua laus, inquit.] Vulgata editio habet, Si qua laus diſciplinæ, cùm in Græco nulla fiat diſciplinæ mentio. Hortatur Chriſtianos, ut ſint laudis ſtudioſi, & in eum finem uirtutum exercitio incumbant. Quid igitur eſt quòd ſeruator noſter Chriſtus Matthęi quinto dicit: Sic luceat lux ueſtra coram hominib. ut uideant opera ueſtra bona, & glorificẽt patrẽ ueſtrum qui in cœlis eſt? Non dicit, Vt glorificent uos: ſed, Vt glorificent patrem ueſtrum qui in cœlis eſt. Reſpondeo: Non docet hoc Apoſtolus, ut noſtram ipſorum laudem & gloriam quęramus in hoc ſeculo, & huius ſtudio quæ bona ſunt faciamus: ſed id magis ſpectat, ut recta, inculpabili, iuſta, honeſta & ſancta conuerſatione uitę, Euangelium & nomen Chriſti ornetur per nos in medio nationis prauæ. Et hactenus conuenit nobis, ut laudis noſtræ ac boni nominis rationem habeamus.

Hæc cogitate, inquit.] Græcè, ταῦτα λογίζεσθε. Significat autem λογίζεσθαι, rei alicuius inire rationẽ, illamq; inita ratione conſiderare, reputare ac perpendere. Haud itaque ſimpliciter hortatur eos ut hæc cogitent: ſed ut digna iudicent, quorum diligentem rationem ineant. Apparet autem occultam eſſe emphaſim in uoce ταῦτα, id eſt hæc. Quaſi dicat: Sinite pſeudapoſtolos, cõciſores illos, cum ſectatoribus ſuis λογίζεσθαι circumciſionem, delectum ciborum, purificationes, & ſabbatha: uos uerò hæc λογίζεσθε, hæc uobis meditanda eſſe reputate. perinde ac ſi hodie auditoribus Euangelicæ doctrinæ dicas: Sinite Papiſtis templarios ſuos cultus: uos uerò cogitate de ueritate, de honeſtate, de iuſticia, de caſtitate, de fide, de ſpe, de charitate, &c.

Quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & uidiſtis in me.] Significat ſe præſcribere illis neq; inaudita neque incognita: ſed iam antea frequenter ipſis tradita, cognita etiam & recepta, idq; in ſuo Apoſtolatu & exemplo. Sic dicit, Quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & uidiſtis in me. Eſt autem ordo rei huius inuerſus. Nam prius eſt audire & uidere, poſterius uerò diſcere & accipere. Verùm non eſt hoc temerè factum. Illud namque, Et audiſtis, & uidiſtis in me, adiectũ eſt propter præcedens, ad conuincendum illorum conſcientias. quaſi dicat, Non poteſtis iſta ignorare. Nam etſi non aliunde ex me, tamen illa audiſtis, & in me uidiſtis. Ego hæc uobis ſæpenumero inculcaui, immò meo illa exemplo ad oculum ſpectanda propoſui.

Obſeruandum hic eſt, quod ſit & Euangelici doctoris & auditorum illius משמע. Doctoris eſt docere, & quæ docet ipſo facto exprimere, adeoq; non ſolùm audienda, ſed & uidenda Eccleſię proponere. Auditorum eſt, audire doctrinam, & uidere conuerſationem uitæ: deinde audita & uiſa diſcere, & acceptare. Niſi hæc fiant in Eccleſia, quęcunque gerantur, non res ſeria agitur, ſed inanis fabula luditur. Quare impudentiam eorum ſatis admirari nequeo, qui præſentem Apoſtoli locum ad hoc uſurpant, ut cõſtitutiones humanas & Eccleſiaſticas, ut uocant, ſeruandas eſſe comprobent. id quod in locis Eccij uidere licet, qui ubi hæc Apoſtoli uerba, Fratres, quęcunque ſunt uera, &c. citauit, mox ſubiecit: Huiuſmodi autem ſunt conſtitutiones Eccleſiæ, quare ſunt ſeruandæ. Non obſeruât, Apoſtolum hortari non ad ineptes quaſdam ceremonias Eccleſiaſticas, ſed ad conuerſationem uitę Chriſtiana profeſsione dignam. Deiude neque in doctrina neque in uita Apoſtoli quicquam eorum inueniri, quæ Romana eccleſia innumera ſuapte temeritate Eccleſijs ſeruanda obtruſit. Quæ didiciſtis (inquit) & accepiſtis, & audiſtis & uidiſtis in me. Doceant nos ritus illos, quos improbamus, audiſſe Philippenſes, & uidiſſe, & didiciſſe & accepiſſe ex doctrina & uita Pauli. Imò ſaltem hos doceant, eſſe illos tales, ut inter uera, honeſta, iuſta & ſancta connumerari ualeant.

Hæc facite, inquit.] Præmiſit, Hęc cogitate: iam ſubijcit, Hęc facite. Prius eſt, eorum quę bona ſunt inire rationem, deinde ea facere. Prior ſit animus in opere bono, deinde ſubſequatur manus. Neque manus ſine mente, neque mens ſine manu Deo placet, ſi ſit faciendi facultas. Quare etiam atque etiam curandum eſt, ut totus homo interior & exterior occupetur in opere bono.

Et Deus pacis erit uobiſcum, inquit.] Idem promittit quod ſuprà, ubi dixit: Et pax Dei, quę ſuperat omnem intellectum, cuſtodiet corda ueſtra & ſenſus ueſtros in Chriſto Ieſu. Pro pace Dei, ponit hic Deum pacis: pro cuſtodia cordium ac ſenſuum noſtrorũ in Chriſto, dicit hic, Erit uobiſcum. Nobiſcum eſt Deus pacis, quando cuſtodit nos in uera pace. Egemus pace? Deus noſter Deus pacis eſt. Egemus ſapientia? Deus noſter Deus ſapientię eſt. Si ille nobiſcum fuerit, nobiſcum eſt pax illius, ſapientia, & omnia bona.

Sed quatenus promittit nobis, Deum pacis fore nobiſcũ? Non ſimpliciter, ſed quatenus cogitauerimus & fecerimus ea quæ ſunt paci accõmoda: qualia ſunt, quæ uera ſunt, quæ honeſta, quę iuſta, quę pura, quę boni nominis, &c. Hęc cogitate (inquit) & hęc facite, & Deus pacis erit uobiſcum. Ergo cum ijs qui cogitant & faciunt quę ſunt falſa, inhoneſta, iniuſta, impura, &c. non eſt Deus pacis, ſed deus omnis perturbationis & anguſtię.

Gauiſus autem ſum in Domino magnopere, quòd iam tandem reuiguiſt

uestra pro me solicitudo, in eo, in quo & soliciti eratis, uerùm deerat opportunitas. Non quòd iuxta penuriam loquar. nam ego didici, in quibus sum, his contentus esse. Noui & humilis esse, noui & excellere: ubiq; & in omnibus instítutus sum & saturari, & esurire, & abũdare, & penuriam pati. Omnia possum per Christum, qui me corroborat. Attamen rectè feciſtis, quòd simul communicastis meæ afflictioni.

Hinc ad calcem usque Epistolæ memorat, quanto cum gaudio subsidium illorum acceperit, proque eo gratias agit Deo: & uicissim illis optat omnium à Deo necessariorum sufficientiam.

Gauisus autem sum in Domino magnopere, inquit.] Nihil acceptius esse potest illis, qui de suo amicis aliquid, idque ex animo contribuunt, quàm si cognouerint illos cum gaudio quæ dederunt, accepisse: & econtrariò usqueadeò ingratum est, quod aliquid dederunt, si illud susque deque fieri senserint, ut dedisse ipsos admodum pœniteat. Apostolus itaque mox initio memorat, quanti subsidium ipsorum fecerit, quantoque cum gaudio illud acceperit: quo intelligant, quàm fecerint sibi rem omnium acceptissimam. Sic dicit, Non simpliciter gauisus sum: sed, Gauisus sum magnopere.

Et addit, In Domino. Hac particula discernit gaudium suum à gaudio carnis, quæ & ipsa gaudet, si quid corporalium subsidiorum acceperit. Gauisus fuerat in Domino, id est, propter Dominum, cuius respectu subsidium ipsi Philippenses miserant. Ea res afficiebat animum ipsius magno gaudio. Ex eo namque quod miserant ipsi tãquam Christi Apostolo subsidium, intelligebat quàm essent adhuc erga Dominum syncerè ac fideliter animati. Nam hic illi erat omnis & gaudij & tristiciæ fons, secundum uerę dilectionis ingenium: gaudij, si cubi sinceram erga illum fidem: tristiciæ uerò, si animum insincerum ac reprobum erga eum inueniebat.

Quod iam tandem, inquit, *reuiguit uestra pro me solicitudo.*] Visa fuerat illa exaruisse, propterea quòd aliquandiu nihil ad ipsum miserant. Cùm ergo per Epaphroditum subsidium mitterent, uidebantur denuò necessitatum ipsius habere rationem. Hoc est quod dicit: Quòd iam tandem reuiguit uestra pro me solicitudo. Græcè est, ἐπὶ τέλει ποτὲ ἀνεθάλετε τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν, id est, Quòd iam aliquando refloruistis, ut pro me soliciti sitis. Comparat eos arboribus, quæ ubi aliquandiu nullos fructus attulerunt, atque ideo exaruisse uisæ fuerunt, tandem recuperata fertilitate refloreſcunt & fructificant. Quod igitur arboribus ad hunc modũ accidit, non est alienum à Christi fidelibus. Quare nemo desperare de illis debet, qui aliquando in cursu pietatis langueſcunt: sed potius pro illis orare ad Dominũ, ut recuperatis uiribus ad id quod cœperunt, denuò redeant, & ultrà constanterq; pergant.

In eo, inquit, *in quo & soliciti eratis: uerùm deerat opportunitas.*] Græcè est, ἐφ' ᾧ καὶ ἐφρονεῖτε, ἠκαιρεῖσθε Α. Vulgata sic: Sicut & sentiebatis, occupati autem eratis. Illud ἐφ' ᾧ. accepit uetus interpres pro quemadmodum: &, ἐφρονεῖτε, pro sentiebatis: & ἠκαιρεῖσθε, pro occupati eratis. Erasmus rectius uertit: In quo, inquit, & soliciti fuistis (intellige, antea quoque.) uerùm destituti fuistis opportunitate. Ne uideatur eos neglecti officij & inconstantiæ accusare, dicens, Quod iam tandem reuiguit uestra pro me solicitudo: mox reijcit intermissi ac dilati officij causam in temporum illorum importunitatem, qua fuerint impediti ab eo, quod antea sedulò curare cœperant. Quasi dicat: Et antea quidem soliciti pro me fuistis, uerùm temporum istorum incommoditas impediuit, quo minus quod cœperatis prosequeremini. Iam tandem, accepta opportunitate, uestra pro me solicitudo reuiguit. Vide quàm diligenter caueat, ne quo illos pudore afficiat, in causa quæ ipsum concernere uidebatur. Id quod factum fuerat, sic factum esse interpretatur, ut nullam illius culpam ipsis imputet. Sic solent moderati ingenij homines, quoad eius possunt, omnia fratrum facta in meliorem interpretari partem.

Verùm deerat opportunitas, inquit.] Excusatur igitur defectus operis boni, per importunitatẽ perficiendi illius: & econtrario nulla est excusatio, ubi & facultas & opportunitas ad perficiendum quod bonum est inuitant, nisi quod est & possibile nobis, & opportunum fecerimus.

Non quòd iuxta penuriam loquar, inquit.] Græcè est, καθ' ὑστέρησιν. Vtrique Latini interpretes uerterunt, Penuriam. Non sonat autẽ uox ipsa propriè penuriã. ὑστερεῖν significat posterius, sicut πρότερον prius: & ὑστερέομαι, posthabeor ac negligor, sicut πρωτεύομαι priores partes accipio. Hinc est ὑστέρησις, quæ accidit nobis, quando posthabemur, uel quæ nos concernunt post debitum tempus, adeoque tardius æquo dantur. Sic ὑστέρησιν poterant hic uertere, neglectum uel tarditatem. Sensus enim Apostoli est: Non quòd malè me habuerit tarditas officij uestri, quemadmodum ex eo suspicari possetis, quod solicitudinem uestram pro me tandem refloruisse dixi.

Quod si legere placet, Iuxta penuriam: respiciendum est ad id quòd se magnopere gauisum

sum fuisse ex eo dixit, quòd iam tãdem pro se denuò soliciti esse cœperint. Poterat uideri gaudium hoc natum ipsi fuisse ex eo quod interea temporis, ex quo Philippenses nihil amplius mittebant, passus sit grauem penuriam, de cuius postea ablatione tam impensè gaudere cœperit. Id negans dicit, Non quòd iuxta penuriam loquar, quasi illa me malè habuerit.

Nam ego didici, inquit, *in quibus sum, his contentus, esse.*] Reddit rationem, quare non loquatur κατ' ὑστέρησιν. Assignat autem uirtutem egregiam, omnibus omnino non ministris tantum, sed & Christi fidelibus maximè, & cum primis necessariam. Ea est, contentum esse presentibus, quæ à Deo nobis singulis temporibus pro ipsius prouidentia uel largiter uel tenuiter subministrantur. Hac uirtute qui præditus est, nec insolescet, si diues sit: nec molestè feret, si uoluerit ipsum Deus esse pauperem. Hoc se pacto animatum esse significans, dicit, Nam ego didici in quibus sum, his contentus esse. Quasi dicat, Quare cogitandum non est, quòd me malè habeat, si tardius subleuor: uel penuriam patior, & quòd hæc propterea scribam.

Obserua uerò quòd non dicit simpliciter, Nam ego in quibus sum, contentus sum: sed, Nam ego didici in quibus sum, contentus esse. Quomodo didicit? Duplex est discendi genus. Vnum, quo ad intelligendum: alterum, quo ad faciendum instruimur. Ad intelligendum uel reuelatione interna uel uerbis docemur. Ad hoc ut possumus quod bonum est facere, exercemur ipso rerum usu. Paulus ut sciret in quibus erat esse contentus, didicit illud non ex uerbis docentis alicuius: sed ex quotidiano usu, in quo omnis generis necessitatibus exercebatur. In laboribus & molestijs, in uigilijs, in fame & siti, in ieiunijs, in frigore & nuditate, & alijs afflictionibus didicerat præsentibus esse contentus. Scientia hæc non acquiritur in abundantia, pace, ac rerum prosperitate.

Notanter autẽ dicit, In quibus sum. Generalius est, ac latius, quàm si diceret, In ijs quæ habeo. Contentus est is in quibus est, qui in statu in quo est, & sorte, & conditione, & loco & fortuna, quantumuis humili contentus sic est, ut non quærat potiora. Qui sic animati sunt, non adspirant ad sublimiora: quia humiliora non fastidiunt.

Contentus esse.] Græcè est, αὐτάρκης εἶναι. Ἀρκεῖσθαι significat, cõtentus sum: Αὐταρκεῖσθαι uerò, unde est αὐτάρκης, non simpliciter, sed suis sic contentum esse sonat, ut nihil aliunde appetat, qui est αὐτάρκης. Hæc uirtus non habet locum in illis, qui de alieno ditantur, & opibus quas aliunde corradunt, contenti sunt. Ἀρκεῖσθαι quidem possunt, αὐταρκεῖσθαι uerò non ita. Vbi αὐταρκεία locum habet in animo, ibi nec πλεονεξία, nec alienorũ bonorum affectatio esse potest. Cùm itaq; dicit, In quibus sum, in his didici esse αὐτάρκης: significat sic se institutum esse, ut possit esse cõtentus suis, etiamsi nemo quicquam contribuat.

Noui & humilis esse, inquit, *noui & excellere.*] Declarat quòd se illis in quibus erat, contentum esse dixit. Nemo hoc præstare potest, nisi liber sit à spiritu superbiæ & auariciæ, ut paratus sit in utranque fortunam, humilem uidelicet & excellentem, sciatq́ animi sui moderationem in utraque constanter retinere. Hac de re subijciens, dicit, Noui & humilis esse: noui & excellere. Humilis est paupertas & egestas: econtrariò excellens est opulentia. Humile est, in necessitatibus negligi, & affligi: excellens uerò haberi in precio, suspici ac coli. Vtraque fortuna admodum diuersa est, & tamẽ sępenumero per dispositionem Dei accidit, ut utramque experiamur: id quod ob oculos exponere uolunt, qui fortunæ dant rotam: in qua qui hodie supremum locum obtinet, paulo pòst deuoluatur ad infimum. Tribuunt fortunæ, quod diuinæ debetur prouidentiæ ac dispositioni. Dicunt: Si fortuna uolet, fies de rhetore consul: Si uolet hæc eadem, fies de consule rhetor. Tu dic: Disponente Deo fies de rhetore consul: Si uolet hic idem, fies de consule rhetor. Hæc fortunæ diuersitas ipsi quoque Apostolo accidit. Erat utique humilis, cùm Corinthijs gratis prædicaret Euangelium, & interea egeret, uictumq́ proprijs manibus operando quæreret. qua de re uidere est secunda Corinthiorum undecimo. Humilis erat, cùm fatigaretur & exercitaretur crebris laboribus, ieiunijs, uigilijs, fame ac siti, nuditate, frigore, & omnis generis periculis & afflictionibus. Excellebat uerò, quoties edebat miracula, signa & prodigia: & cùm à Galatis instar angeli Dei, imò ipsius Christi, ita haberetur in precio, ut si opus ipsi fuisset, ipsos suos oculos eruissent, ipsiq́ dedissent. Verùm utrobique sic se gessit, ut nec humilitatem deiecto animo ferret, nec excellentiam elato spiritu iactaret. Sic sciebat esse humilis, pariter & excellere. Siue humilis esset, siue excelleret, fideliter pergebat in opere Domini. Inuenias qui propter impatientiam humilitatis, egestatis & neglectus deserant iniunctum officium: & rursus inuenias qui propter excellentiam dignitatis & opum, etsi non resignant prælaturas suas, officium tamen non præstant: sed unà cum ocio luxũ & fastum cõiungunt: atq; ita nec illi humiliari, nec isti excellere sciunt. Quare? Quia nõ didicerũt. Postquam dixit, Didici: subiungit, Scio. Quæ nec didicimus, nec discere sustinemus, quomodo sciremus? Hęc scientia nõ nisi in schola fidei timoris Dñi, spei & patientiæ discitur. Qui huius nõ sunt discipuli, ad illã puenire nõ poterũt.

Vbique, inquit, *& in omnibus institutus sum.*] Græcè est, ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσι, id est, in omni & in omnibus. Similis loquutio est secunda Corinthiorum undecimo, ubi dicit: ἀλλ' ἐν παντὶ φανερωθέντες ἐν πᾶσιν εἰς ὑμᾶς. Illic annotat Erasmus, illud ἐν παντὶ, posse referri ad rem: ἐν πᾶσιν uerò, ad personam. Et hunc sensum, hoc præsenti loco, sequutus est Germanicus interpres, dum uertit: *Ich bin in allen dingen, und bey allen geschickt.* hoc est, In omni re, & inter omnes. Et addit Erasmus: Nisi mauis conduplicationem facere ad uehementiam. Sic idem Germanicus interpres accipit hæc uerba secunda Corinthiorum undecimo, ac uertit: *Doch ich bin bey euch allenthalben wol bekant.* Per *Allenthalbē* uoluit exprimere quòd Apostolus dicit, ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσι. Simplicius quidem est, ut accipiamus hæc uerba per duplicationem: quam ideo posui, ut omnino in omnibus institutum se esse asserat. uerùm si cui aliud placet, accipiat licet illud ἐν παντὶ generaliter, de quauis sorte uel humilitatis uel excellentiæ: & quod sequitur, ἐν πᾶσι, de specialibus casibus, qui uel in humilitate uel in excellentia constitutis accidere solent.

Illud, Institutus sum, Græcè est μεμύημαι, à uerbo μύω μαι, id est sacris imbuor & initior. Vsurpauit hoc uerbum omnium pertinentissimè. Nam omnino sacra est hæc disciplina Christianæ scientiæ, qua qui Christi sunt, & humiliari & excellere ex æquo sciunt: & institutio illius non est simplex παίδευσις, sed sacra μύησις. Gloriantur Papistarum sacrificiuli, esse se sacris initiatos, propterea quòd sunt oleo uncti, & uertice rasi. Verùm hoc genus initiationis, longè alienum est ab eo de quo loquitur hic Apostolus: & quod longè esset Ecclesijs Christi utilius, quàm sit illud, cuius myitæ nec humiliari nec excellere, ideoq; nec officia Ecclesiastica administrare sciunt.

Et saturari, inquit, *& esurire, & abundare, & penuriam pati.*] Quoniam dixerat se ubique & in omnibus institutum esse, ne id ultrà quàm conuenit acciperetur, repetit aliquanto clarius quod præmiserat, dicens: Scio humilis esse, & scio excellere. Quod illic dixerat esse humilem, id uocat iam esurire, & penuriam pati: & quòd dixerat excellere, id uocat saturari & excellere. Sic continet se in proposito.

Dixerit quisquam: Ecquid magni erat, quod saturari & abundare sciebat? Quis enim adeò stolidus est, qui se nesciat abundè saturari, si id sibi sortis contingat? Quot inuenias reges ac principes in historijs, & nostra ætate Pontifices, qui summis honoribus absque magna scientia potiri nouerunt?

Respondeo: Saturari & excellere cum scientia, non est Apostolo simpliciter: sed sic saturari & excellere, ut haudquaquam superbias & insolescas, officiumque obeundum deseras. Qui hoc præstare nouit, utique singularem consequutus est scientiam, quam reipsa paucorum esse uidemus.

Esurire, inquit, *& penuriam pati.*] Cogor hic ingemiscere, propter sortem Euangelicarum ecclesiarum, quę sic bonis, quæ uocant Ecclesiastica, magna ex parte nudantur ac destituuntur, ut nisi singulari gratia Dei ministros acquirant, qui cum Apostolo esurire ac penuriam pati sciant, uel nullos prorsus, uel uehementer uanos ac leuiculos sint habituræ pastores. Futurum præuideo, ut uix tres uel quatuor coniunctæ unum aliquē ministrum sortiantur. Sunt enim admodum pauci qui esurire sciant, ac penuriam in laboribus ministerij pati uelint.

Omnia possum per Christum, inquit, *qui me corroborat.*] Græcè est, ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με χριστῷ, id est, in Christo qui me internè, uel in omnia perferēda corroborat. Non est simpliciter δυναμοῦντι, id est roborante: sed ἐνδυναμοῦντι, id est intus roborante, uel in aliquid faciendum uel ferēdum roborante. Scio compositam hanc uocem frequenter poni pro sua simplici, uisum tamen est de illa admonere Lectorem.

Multum sibijpsi tribuere uidebatur, dicens: Didici contentus esse in quibus sum. Scio humilis esse, scio excellere. Vbique & in omnibus institutus sum. Res ipsa igitur poscebat, ut daret gloriam ei, à quo tantum uirtutis acceperat. Sic itaque dicit: Omnia possum in Christo, qui me corroborat. Quasi dicat: Nihil hic mihi tribuo. nam omnia sunt Christi, qui me ad omnia, habitans in me, corroborat. Significat igitur, non esse scientiam hanc humanæ uirtutis, sed pendēre à corroboratione Christi. Agnouit hoc & Salomon Prouerbiorum trigesimo dicens: Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, sed tribue tantùm uictui meo necessaria, ne fortè satiatus illiciar ad negādum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei. Hisce uerbis satis indicat, fieri non posse, ut animalis homo egere ac diues esse sciat, sed opus esse diuina corroboratione. Et hoc sciens orat ad Deum, ut nec mendacitatem sibi, nec diuitias tribuat, eo quòd periculum sit utrobiq; ne peccet. Bone Deus, quotusquisque nostrûm est, non dico qui cum Apostolo ueraciter dicere possit, quòd egere & abundare sciat: sed qui cum Salomone ad Deum ex animo oret, ne det sibi diuitias, cùm ferè omnes summo studio opibus per fas ac nefas coaceruandis inhiemus?

Omnia possum, inquit.] Nihil ergo excipis Paule? An omnipotens es? Quid enim aliud est omnia posse, quàm esse omnipotentem? Si omnipotens factus es per Christum, ergo nouum te Deum fecit Christus? Hæc ex litera cogitari possunt ab aduersarijs: uerùm uniuersales uo-

ces

ees non sunt in huiusmodi loquutionibus prorsus uniuersaliter accipiendæ: sed ad propositum materię, de qua fit sermo, accõmodandę. Loquitur de humilitate & excellẽtia, de fame & saturitate, de penuria & abundantia: in quib. se sic institutũ esse dicit, ut rectè se in illis gerere sciat. Quare quòd dicit, Omnia possum per Christum: non est ad quæuis alia trahendum.

Qui me corroborat, inquit.] Nouit igitur Christus, infirmitates suorum esse tantas, ut nec egestatem nec abundantiam ritè ferre queant, nisi cœlesti gratia corroborentur: ideoq; & illos uirtute sua corroborat, ut possint, quod aliàs non possent.

Obserua uerò, quòd non dicit, Omnia potest Christus qui me defendit & conseruat, id quod tamẽ uerè dixisset: sed, Omnia possum in Christo, qui me corroborat. Sic agit cum suis Christus, ut partim eos ipse, potens omnia, conseruet ac defendat, in ijs uidelicet quæ plus habent insidiarum & aduersariæ potentiæ, quàm ut ab illis uitari queant, adeoq; omnino cœlestem protectionem requirunt: quale erat, quod alibi dixit, Dominus eripuit me de ore leonis. & quod Act. 26. promisit illi Dominus, quòd uellet ipsum eripere ex populis & gẽtibus. Quò & illud pertinet, quod 2. Cor. 1. dicit: Qui è tantis periculis nos eripuit, in quẽ speramus, quod & adhuc erepturus sit, &c. partim uerò corroboret eos, reddatq; potentes, ut sciant & possint cùm facere, tum ferre, quæ uires humanæ nec sciũt, nec possunt. Non debemus igitur à conseruatione tantùm ac defensione cœlesti pendere: sed simul petere à Christo Domino, qui non est seruator tantùm, sed & corroborator: ut nos in ijs quæ uel facere uel ferre debemus, per spiritum suum intus in cordibus nostris corroboret, quo & nos omnia cum Apostolo possimus, & in omnibus ritè initiati & instituti inueniamur. Vtrunq; necessarium nobis est, tam ut corroboremur, scientesq; ac potentes reddamur, quàm ut custodiamur, conseruemur, ac eripiamur: & utrunq; præstat nobis Christus, quare & utrũq; ab illo petere debemus. Apostolos suos uirtute spiritus sui corroborauit, ut quod præceptũ ipsis erat, fideliter & constanter facerent: & quæ promissa erant, indubitata spe expectarent, prædictasq; afflictiones inuicta patientia ferrent.

Attamen rectè fecistis, inquit, *quòd simul communicastis meæ afflictioni.*] Poterant Philippẽses oleum & operam (ut aiunt) perdidisse uideri, ex eo quòd se in quibus sit contentum esse, nec rationem penuriæ suæ habere in hac causa dixit: quasi quæ per Epaphroditum miserant, frustrà, hoc est, sine aliqua necessitate, ad ipsum miserint. Hanc itaq; cogitationẽ animis illorum exẽpturus, dicit: Attamen rectè fecistis, quòd simul communicastis meæ afflictioni. Q. d. Quamuis ego sic sum comparatus, ut & egere sciam, & abundare, & esurire & saturari: ideoq; omnẽ penuriam moderatè feram: uos tamen operam uestram non perdidistis, nec sumptus uestri in me inanes extiterunt: sed rectè fecistis, quòd subsidium mittendo, afflictionis meæ participes esse uoluistis. Sic rectè facimus dum sanctos pascimus, licet illi esurire sciant: in afflictionibus cõsolamur, quamuis non sint tristes ac deiecti, sed hilares in Domino. Hęc enim faciẽtes, quæ nostri sunt officij facimus, & interim afflictionum illorum participes reddimur.

Quòd simul communicastis meæ afflictioni, inquit.] Quæ erat tum tẽporis afflictio Apostoli? Existimo illum loqui de molestia custodiæ, in qua detinebatur. Verùm quæsierit quisquam, quo modo Philippenses illi communicasse dicat. Respondeo. Tribus modis communicamus afflictionibus sanctorum. Primus est, quando eadem cum illis patimur, siue id eodem siue diuerso tempore fiat. Eodem, quomodo Paulus ac Silas simul eodem carcere arctabantur apud Philippenses, & ijsdem plagis uapulabant. Act. 16. Diuerso, quomodo hodie quoq; passionibus Apostolorum, propherarum & martyrum Christi communicant, qui perinde atque illi propter causam ueritatis Dei affliguntur & necantur. Secundus est, quando afflictionibus illorum condolemus, atq; ita compatimur, etiamsi corpore cum illis haud affligamur. Tertius est, quando aliquod illis solatium uel uerbis per consolationem, uel factis per subsidium impẽdimus. De hoc tertio modo loquitur hic Apostolus, cùm dicit: Attamẽ rectè fecistis, quòd simul afflictioni meæ communicastis. Nam loquitur de subsidio, quod illi in custodia constituto miserant.

Nostis autem & uos Philippenses, quòd in principio Euangelij cùm proficiscerer à Macedonia, nulla mihi Ecclesia cõmunicauerit in rationẽ dandi & accipiẽdi, nisi uos soli. Nam & in Thessalonica cùm essem semel & iterũ, quod opus erat, mihi misistis: non quòd requirã munus, sed requiro fructũ exuberantem in rationẽ uestram. Recepi tamẽ omnia, & abundo: expletus sum, posteaquã accepi ab Epaphrodito, quæ à uobis missa fuerant, odorẽ bonę fragrantiæ, hostiam acceptã gratamq; Deo. Deus aũt meus supplebit, quicquid opus fuerit uobis secundum diuitias suas cum gloria per Christum Iesum. Deo autẽ, & patri nostro gloria, in secula seculorum: Amen.

Ex eo quòd dixit, Attamen rectè fecistis, quòd simul commuuicastis meę afflictioni: ij quibus ignota erat cęterarũ Ecclesiarũ ingratitudo, suspicari poterãt, nulla ipsum tũ tẽporis necessitate grauatũ fuisse, ideoq; nõ fuisse causã Philippensib. ut aliquod ipsi subsidiũ mitterẽt,

nec debuisse ipsum accipere quicquam, nedum approbare etiam quod miserat. Contra eiusmodi suspicionem, quæ iam ad calcem usq; sequuntur, subijcit: declarans, quàm nihil ab illis necessitate acceperit. Sic dicit:

Nostis autem & uos Philippenses, quòd in principio Euangelij, cùm proficiscerer à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicauit in rationem dandi & accipiendi, nisi uos soli.] Principiò appellat illorum cõscientiam, quo plus fidei habeant, quæ dicturus est. Multi quidem in alijs erant Ecclesijs, quę hoc quod scribit ignorabant: uerùm quoniam ista peculiariter Philippensibus scribit, illorumque hic potissimùm rationem habet, contentus est illorum conscientia.

Illud, quòd non simpliciter dicit, Nostis uos: sed, Nostis & uos Philippenses, bifariam accipi potest. Primò sic, Non solùm autem ego hoc noui, sed & uos Philippenses scitis. Deinde ad hunc modum, Non modò reliquæ Ecclesiæ sciunt: sed & uos Philippẽses ipsi nostis, quòd in principio Euangelij, &c. utrouis modo accipias, nihil refert.

Quod in principio Euãgelij, inquit, *cùm proficiscerer à Macedonia.*] Non loquitur simpliciter de principio Euangelij, sed de primordijs illius, quatenus Macedonibus primùm annunciatum fuerat. Sensus est: Vosipsi scitis, quòd cùm Euangelium uobis initiò prędicassem, & Macedoniã egrederer, nulla mihi Ecclesia communicauerit quicquam, &c. Loquitur autem non de quibuslibet Ecclesijs, sed ijs tantùm, quæ erant in Macedonia.

Nulla mihi Ecclesia cõmunicauerit, inquit, *in rationem dandi & accipiendi, nisi uos soli.*] Quasi dicat, Vnde scire potestis, quàm non fuerim locuples, cùm relicta Macedonia ad alias ciuitates & regiones proficiscerer. Nihil enim mecum asportaui in meos ac meorum sumptus, quàm quod mihi uos soli dederatis.

Obseruari hic posset summæ ingratitudinis exemplum in Ecclesijs Macedonum, nisi illas summa excusaret paupertas: de qua tamen quàm benefica fuerit erga pauperes sanctos qui erant Hierosolymis, hic ipse Apostolus secunda Corinthiorum capite octauo testatur. Interim tamen obseruanda est sors Apostoli, qui pro laboribus suis nihil reportasset è Macedonia, nisi Philippenses aliquid dedissent.

In rationem dandi & accipiendi, inquit.] Et hæc particula bifariã accipi potest. Chrysostomus sic exponit, εἰς λόγον λήψεως τῶν σαρκικῶν, καὶ λήψεως τῶν πνευματικῶν, id est, Communicauerant in rationem dandi carnalia & accipiendi spiritualia. Quemadmodum enim qui uendũt & qui emunt, communicant inter se, dum quæ correspondentia habent, uicissim tradunt. Hoc sensu communicauerat Apostolus reliquis Macedonum Ecclesijs de spiritualibus suis bonis, illæ uerò non communicarunt ipsi de suis carnalibus, nisi soli Philippenses. Mihi tamen hæc expositio non probatur, quamuis sunt qui illam sequantur. Alij exponunt de consuetudine Apostoli, qua quæ ipsi conferebantur ab Ecclesijs in certam rationem, sic referebat, ut & accepta & expensa inter se conferret. Neque enim in suos usus priuatim insumebat, quæ dabãtur: sed omnem ex illis tam suum quàm reliquorum fratrum, quos in comitatu suo habebat, sumptum sustinebat. Haud susque deque faciebat, quibus illa modis, uel insumeret, uel in futurum sibi reconderet: sed fideliter ea in necessarios usus expendebat, quos Euangelij propagatio requirebat. Accipiebat ea tanquam debitam Apostolico labori sustentationẽ, quare cõueniebat etiam, ut in eos ipsos usus illa non in alios insumeret, uel auarè in suos loculos reconderet. Hoc animo præditus quæ dabantur ab Ecclesijs digerebat in rationem dandi & accipiendi. Germanicus interpres sensum hunc euidenter expresit, ad hunc modũ: *Daß kein gemeind mit mir getheilet hatt, nach der rechnung der außgab und einnam, dann ihr allein.*

Solten die Bäpstische Apostel rechnung geben ires einnẽmens und außgebens.

Dixerit quisquam, non facere hunc sensum ad dignitatem Apostolicam. Ad eam certè non facit, quæ nunc est Romanorum ac reliquorum pontificum: ad quam nec ipsa Euangelij prædicatio faceret, si illam per se exequi uellent. Verùm ad fidem Apostolicam optimè & conuenientissimè facit, non solùm ueraciter ac sedulò prædicare Euangelium Christi, sed & quæ ab Ecclesijs hoc nomine dantur, non in usus prophanos, non in luxum, non in auariciam: sed ad necessariam sustentationem eorum qui in opere Domini laborant, fideliter insumere, adeoq; & rationem habere acceptorum & expensorum, siue id per se faciat Apostolus, siue per aliquem ex discipulis & ministris, quo uelut œconomo utatur.

Nisi uos soli, inquit.] Ergo Philippenses in eo quod bonum erat, ac debitum etiam, & simul necessarium, non expectarunt aliarum Ecclesiarum exemplum, sed primi ad prouocandum alios quàm postremi esse maluerunt: atque ita factum est, ut essent soli: id quod in illis hic ab Apostolo non sine singulari laude commendatur. Non sunt cunctati, dicentes: Soli'ne nos sumptus Apostoli sustinebimus? Quin expectamus, ut uideamus quid reliquæ facturæ sint Ecclesiæ? Si dabunt illæ, dabimus & nos. Sin minus neque nos dabimus ne ab illis seiungamur, & singularitatis notã incurramus. Hæc caro cogitat ubi dandũ est, nõ autẽ ubi quid est accipiẽdum. Vera pietas, & uera gratitudo lõgè aliter est animata. Samaritanus ille leprosus, quẽ Dominus cum alijs nouẽ mundauerat, nõ cunctabatur, ut uideret quid reliqui

reliqui nouem facturi essent: sed & primus & solus ad Deũ recurrit: & quod debebat illi, ac poterat, reddit, gratiarum uidelicet actionem: ob quam rem & laudatus est à Domino, Lucæ 17. Ad hæc duo exempla Philippensium & leprosi respiciendum est pijs omnibus, satagendumque, ut primi sint in bono opere: etsi contigerit ipsos esse solos, haud timendum, ne tanquam soli negligantur à Domino, sed indubitatò tenendum, facturum hoc ipsis ad cumulum tam laudis quàm remunerationis. Solus Noe in uniuersa terra, & solus Loth in Sodomis, inueniebatur iustus coram Domino, & uterq; cum sempiterna laude seruabatur.

Nam & in Thessalonica cum essem, semel & iterum, quod opus erat, mihi misistis, inquit.] Memorat quando & quoties soli Philippenses ad ipsum quæ necessaria erant miserint. Cùm in Thessalonica uidelicet esset, secundò ad eum miserunt. Cùm discessisset à Philippensibus, per Amphipolim & Apolloniam, uenit Thessalonicam: sicuti uidere est in Actis apostolorum capite 17. & ibi quoque non otiosus substitit, sed euangelizauit, & multos tam ex Iudæis quàm Gentibus, etiam nobiles matronas ad fidem Christi conuertit. Interea tamen opus erat, ut à Philippensibus necessarios sumptus, idque non semel tantùm, sed secundò, acciperet. Ex præcedentibus, & hoc præsenti loco subapparet, hoc moris fuisse Apostolo, ut interea cùm primum euangelizaret in aliquo loco, nihil ab auditoribus acciperet: acciperet uerò ab illis, quibus proximè prædicauerat. Sic suprà dixit, Cùm proficiscerer à Macedonia, ne una quidem mihi communicauit Ecclesia in rationem dandi & accipiendi, nisi uos soli. In quibus uerbis satis patet, debuisse Ecclesias Macedoniæ discedenti à se Apostolo communicare necessarios sumptus, non itineris tantùm: sed & ad hoc, ut alijs in locis haberet, unde sese cum suis sustentaret, & sine eorum sumptu, quibus iam primum euangelizabat, in opere Domini pergere posset. Hoc cùm non esse factum scirent Philippenses, miserunt ipsi Thessalonicam semel atque iterum, quæ necessaria erant: ne uel penuria laboraret illic, uel contra morem suũ ab illis quibus iam primùm prędicare cœperat, sumptus petere cogeretur: id quod haudquaquam ad profectum Euangelij fecisset.

Illud hic obiter notandũ est, quòd non dicit, Quod uolui & petij: sed, Quod opus erat misistis. Ipse Apostolus nõ petijt, sed Philippẽses ultrò miserunt: nec miserunt ad libidinem, sed ad necessitatem, quantũ opus fore existimabant. Græcè est εἰς χρείαν. Sonat autem χρεία & necessitatem, & usum. Vulgata editio habet, In usum. Ideo non cõtenti semel misisse, miserunt denuò. Si non otiosis, sed laborantibus in opere Domini, & neque minus neque amplius, quàm cuiusque necessarius usus postulat, daretur: multo melius consuleretur Ecclesijs, quàm hac iniqua ac peruersa bonorum Ecclesiasticorum distributione, qua in otiosos uentres ingentes opes profunduntur, & interim operantibus uix tantum datur, quantum agasonibus & stabularijs magnorum prælatorum.

Non quòd requiram munus, inquit.] Quoniam de Ecclesijs Macedoniæ conqueri, quòd ne una quidem ex illis aliquid contulerat: Philippenses uerò laudare uidebatur, quòd illi cùm in Thessalonica esset, semel atque iterum quod opus erat miserant: uideri poterat auidus esse munerum. Eam suspicionem reijciens, confestim subiungit: Munus se non requirere. quasi dicat: Non hoc scribo, quòd ambiam munera: ideoque laudem uos, quòd secundò contribuistis: reliquas uerò Ecclesias accusem, propterea quòd nihil dederunt. Absit. Non hoc requiro. Quid tum?

Sed requiro fructum, inquit, *exuberantem in rationem uestram.*] Non quæro meum commodum (inquit) sed uestrum. Plantaui uos tanquam fertiles arbores, ut sitis frugiferi. Quæro igitur ex uobis fructum, non qui mihi cedat, sed qui uos cœlestibus bonis cumulet. Hoc sentiens, non simpliciter dicit, Sed requiro fructum: sed addit, Exuberantem in rationem uestram. Quæ erat illorum ratio? Acceperant spiritualem culturam, quare conueniebat ut uicissim fructum illi conuenientem redderent, ne inanes ac infrugiferi, ubi reddenda esset ratio, inuenirentur. Hæc erat illorum ratio. Eadem est & nostra communiter omnium, qui ad cœlestem sumus culturam per Euangelium adducti. Sciat & cogitet quisque, quid & quantum acceperit à Domino, simulque uideat quàm bene id collocet, ne gratiam Domini frustrà ac inutiliter acceperit. Futurum enim est, ut reddenda nobis sit ratio de acceptis à Domino talentis.

Obseruandus etiam hic est paterni animi affectus in eo, quòd se non munus, sed fructum quærere dicit, qui in ipsorum rationem exuberet. Sic solent patres, non quæ ipsorum sint, sed quæ commodo sint filijs quærere. Verùm sicut alibi dicit: Non multos habent Ecclesiæ Christi patres: licet multos habeãt magistros, prælatos ac dominos, qui non modò munera quærant, sed & iuxta exemplum filiorum Eli, quæcunque uolunt, per uim etiam auferant.

Adhuc obserua, quòd non dicit, Non requiro necessarium subsidium: sed, Non requiro donum, sed fructum. nec dicit, Exuberantem in liberalitatem uestram: sed, Exuberantem in rationem uestram. Admodum scitè cauet, ne quod Ecclesiæ ipsi tanquam Christi apostolo ac doctori suo communicabant, habeatur pro dono, & ipsa com-

communicatio pro liberalitate: ſed magis pro debito fructu, qui pertineat ad rationem olim Domino reddendam. In ea quæ ad Galatas eſt, dicit: Communicet autem is qui catechizatur in ſermone, ei qui ſe catechizat de omnibus bonis. Significat eiuſmodi communicationẽ pertinere ad rationem debiti.

Recepi tamen omnia, & abundo, inquit.] Græcè eſt, ἀπέχω δὲ πάντα, id eſt, Recepi autem omnia. quod melius eſt, quàm ſi cum Eraſmo legas, Recepi tamen omnia. uel cum Germanico interprete, *Dann ich hab alles*. Redit enim ad mentionem eorum quę Philippenſes Romam per Epaphroditum miſerant, de quibus ſuprà loquutus eſt, dicens: Attamen rectè feciſtis, quòd ſimul cõmunicaſtis meę afflictioni. Huc pertinet quod iam ſubiungit: Quare neque Recepi tamen, neq; Recepi enim: ſed, Recepi autem, legendum eſt.

Recepi autem omnia, inquit, *& abundo*.] Quaſi dicat: Verùm quod attinet ea quæ Romam ad me per Epaphroditum miſiſtis, accepi illa omnia. Sic cauet, ne qua ſiniſtra ſuſpicione grauetur Epaphroditus, quaſi non integram ſibi ſummam reddiderit. Omnia (inquit) recepi. Dubium non eſt, quin literis illi ſignificauerint & commendauerint ſummam eorum quæ mittebant.

Et abundo, inquit.] Quaſi dicat: Non ſolùm neceſsitatibus meis conſuluiſtis, ſed & abundantem reddidiſtis. Quid eſt autem abundare aliud, quàm habere ultrà quàm neceſſe eſt in præſenti? Non poſſumus ſummam eorum metiri, quę miſerant Philippenſes. Erant non diuites, ſed aliorum collatione pauperes. Quare non dubito, quin abundantia hæc magis frugalitati Apoſtolicæ tribuenda ſit, quàm copię eorum quæ illi miſerant.

Expletus ſum, inquit, *poſteaquam accepi ab Epaphrodito quæ à uobis miſſa fuerant*.] Hę uoces, Abundo & Expletus ſum, non ſunt auarorum ac diuitum huius ſeculi: ſed filiorum Dei, hominum frugaliter uiuentium, & modico contentorum: adeoque commendant nobis non amplas ac ſuperfluas opes, ſed animum à ſpiritu πλεονεξίας alienum, uictuque & amictu contentum, ac in cœleſtibus, non in terrenis conuerſantem. Vtinam ueraciter dicere queant, Abundo, Expletus ſum, quicunque Chriſtianam fidem profitentur. Sic enim inter eos nullus eſſet locus nec auariciæ, nec uſurę nec fraudibus & malis artibus nec inhumanę tenacitati.

Poſtquam accepi ab Epaphrodito, inquit, *quæ à uobis miſſa fuerant*.] Quod antea dixit, Accepi omnia: id iam clarius exprimit, declarans ſe loqui de ſubſidio illorum, quod Romam per Epaphroditum miſerant: ne de illis intelligatur, quæ ſemel atque iterum neceſsitatibus ipſius, cum Theſſalonicæ eſſet, communicauerant. Et hęc ſpecificatio neceſſaria erat Epaphrodito, ne quis ſupereſſet locus maleuolis, ſiniſtrum aliquid contra fidem & integritatem illius comminiſcendi.

Odorem bonæ fragrantiæ, inquit, *hoſtiam acceptam, gratamq; Deo*.] Diligenter quidem cauit, ne quâ proprij emolumenti cupiditatem ſperare uideretur, in eo quod ſubſidia ab Eccleſijs accepit: uerùm iuxtà non minus diligenter cauendum eſſe cenſuit, ne quæ Philippẽſes per Epaphroditum miſerant, modici momenti cenſere, ac ſuſque deq; facere putaretur. Hanc ob cauſam ornat & extollit ea plurimùm, idque bifariam. Primùm ab eo, quòd neceſsitatibus ſuis non utcunque, ſed abundè ſatisfecerint. Hoc prædicat, dicens: Recepi omnia, & abũdo. Repletus ſum, poſteaquam accepi ab Epaphrodito quę à uobis miſſa fuerant. Deinde ab eo quod Deo grata ſint & accepta, inſtar odoris bonæ fragrantiæ, & hoſtiæ quæ illi optimè placeat. Metaphora odoris bonæ fragrantię, diximus in Commentarijs noſtris ſuper Epiſtolã ad Epheſios cap. 5. Perinde Deo grata eſſe dicit, quę ipſi miſerãt, ac ſi illi gratiſsimã & acceptiſsimam hoſtiam ſacrificaſſent. Sic hodie quoque cenſendum eſt de illis quæ fideliter in ſuſtentationem miniſtrorum & pauperum Chriſti conferuntur. Talibus hoſtijs, inquit Ebræorum 13. delectatur Deus. Superſtitioſa & cæca caro, neſcit alium bonæ fragrantiæ odorem, quàm ſuffitum templarium, aliaque ſacrificia, quàm quæ in templis ad aras idolorum offeruntur & ſacrificantur.

Deus autem meus ſupplebit, inquit, *quicquid opus fuerit uobis, ſecundum diuitias ſuas cum gloria per Chriſtum Ieſum*.] Exẽplaria Græca quæ in manibus habemus, habent in futuro, πληρώσει, id eſt Implebit. Chryſoſtomus tamen legit πληρῶσαι, id eſt, Impleat, in optatiuo. nec legit tantùm, ſed exponit quoque ad hũc modum, dicens, ὅτε πῶς καὶ ἐπεύξεται, καθάπερ οἱ πένητες: id eſt, Vide quomodo etiam apprecatur, perinde atque ſolent pauperes. Et Germanicus interpres, & uulgata Latina per optatiuum modum legunt. Et ea lectio mihi magis arridet. Sic Apoſtolus ſimul & animi ſui gratitudinem declarat, & admonet quid ipſis ſit à Deo ſperandum. Sanè huiuſmodi ſanctorum ac pauperum, quantumuis humilium & abiectorum, apprecationes plurimi ſunt faciendæ. Maioris æſtimo, ſi mihi quiſquam ex Chriſtianis omnium pauperrimus bene precetur, quàm ſi omnis illa templaria turba ſuam mihi benedictionem polliceatur. Sed uideamus ipſa apprecationis huius uerba.

Deus autem meus, inquit.] Sic & ſuprà initio Capitis primi de Deo loquitur, ubi lectorem ad primum Caput prioris Epiſtolæ ad Corinthios remiſi.

Suppleat, inquit.] Q. d. Quod ego præſtare non poſſum, præſtet Deus meus. Sic ſolent pauperes

peres remunerationem acceptorum beneficiorum petere & apprecari à Deo, quem sciunt omnium esse bonorum retributorem.

Vide autem quàm optet illis parem plenitudinem à Deo, qua ipsorum quoq; omnis χρεία, id est necessitas impleatur, quemadmodum ipsi suam impleuerant. Sic dicit, Suppleat πᾶσαν χρείαν ὑμῶν, id est Omnẽ uestram necessitatẽ. Est hoc genus gratitudinis peculiare eorum qui quàm bene sit ipsis factum, apprimè perpendunt: ideoque uicissim par benefactoribus suis beneficium optant ex animo.

Secundum diuitias suas, inquit, *cum gloria.*] Optat illis non uulgarem, sed opulentam ac talem repensionem à Deo, quæ sit illi glorioſa. Diues qui dat secundum diuitias suas, non dat parcè, sed opulentè ac largiter: & qui sic dat, dat cum sua gloria. hoc est, sic dat, ut nomen ipsius ex eo glorificetur. Consimili modo dat Deo diuitias, & optat Philippensibus ut recipiant ab illo secundum ipsius diuitias opulentè ac glorioſè, quo beneficentiæ ipsorum rependatur.

Obserua uerò, quæ sit gloria Dei. Quoniam diues est, gloria illius est dare pauperibus secundum ipsius diuitias. Gloriam illius esse iudicat hic mundus, si multa à nobis accipiat. Verùm gloria illius est, non accipere à nobis, sed dare nobis: idque non parcè, sed iuxta diuitias non quaslibet simpliciter, sed ipsius: hoc est diuinas, quæ sunt infinitæ. Hanc esse sui, id est ueri Dei, ad id usque temporis gentibus incogniti, gloriam, Philippensibus & alijs qui ex gentibus credebant in Christum, inculcat.

Per Christum Iesum, inquit.] Græcè est, ἐν χριστῷ ἰησοῦ: id est in Christo Iesu. Verum quidem est, quæ à Deo nobis bona contingunt, non nisi per Christum contingere: uerùm non ideo mox ubique illud ἐν χριστῷ ἰησοῦ, uertendum est, Per Christum Iesum. Cùm hic dicit Apostolus, In Christo Iesu: significat hoc illis hactenus esse expectandum, quod ipsis optat, quatenus sunt & manent in Christo: id est, in fide ac religione Christi. Potest etiam accipi per Ebraismum, pro, Propter Christum: ut במשיח sit idem quod בעבור חמשיח. Ambrosius tamen non incommodè trasfert ad singularem gloriam Dei, quam ostendit in Christo Iesu, & ad gloriam Christi Iesu faciat.

Deo autem & patri nostro, inquit, *gloria in secula seculorum: Amen.*] Commodùm ubi incidit in mentionem Dei sui, & illius gloriæ: confestim subijcit illius δοξολογίαν, illaque Epistolam hanc terminat. Et quoniam sacrificium hoc doxologiæ Dei Christianis omnibus conuenit esse commune, iam non amplius dicit, Deo autem meo: sed, Deo autem & patri nostro sit gloria in secula seculorum: Amen. De hisce autem uerbis, & quid in illis obseruandum ueniat, annotauimus in Commentarijs nostris super Epistolam ad Galatas, Capite primo.

Salutate omnem sanctum in Christo Iesu. Salutant uos qui mecum sunt fratres. Salutant uos omnes sancti, maximè uerò qui sunt ex Cæsaris familia. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis: Amen.

De officio salutandi diximus alibi. Quàm studiosus illius fuerit Apostolus, non una tantùm, sed omnes illius declarant Epistolæ, dempta ea quæ prior est ad Timotheum.

Salutate, inquit, *omnem sanctum in Christo Iesu.*] Solenne illi est, Christianos uocare sanctos. Addit, In Christo Iesu: quod bifariam accipi potest. Primò, ut referatur ad uerbũ, Salutate: deinde ut specificationis gratia adiectum sit, ad exprimendum, quem omnẽ sanctum salutare debeant: omnem eum uidelicet, qui est in Christo Iesu. Si legas, Salutate in Christo Iesu omnem sanctum: idem erit quod, Salutate propter Christum Iesum omnem sanctum. Si uerò legeris, ut habetur, Salutate omnem sanctum in Christo Iesu: perinde erat ac si dicat, Salutate omnem sanctum qui est in fide Christi Iesu.

Non est autem ociosum, quòd non dicit pluraliter, Salutate omnes sanctos: sed, Salutate omnem sanctum. Non solùm hoc petit, ut multos simul salutent, sed ut neminem omittant, quantumuis in facie humilem, modò ad Christum pertinentem, quem non suo nomine amanter salutent.

Salutant uos qui mecum sunt fratres, inquit.] Non quærimus quinam illi fuerint. De Timotheo suprà Capite secundo mentionem fecit, admodũ honestam: de cæteris uerò conquestus est, quòd omnes quærant quæ sua ipsorum sint, non quæ Iesu Christi. Vnde satis patet, quales fuerint apud Deum fratres. Et tamen in officio salutationis eos sibi coniungit. Ea erat illi humanitas.

Salutant uos omnes sancti, inquit.] Intelligit reliquos Christianos, qui Romæ tum temporis erant. Sic animos Philippensium inuitat ad mutuam dilectionem erga Ecclesiam, quæ erat Romæ.

Maximè uerò qui sunt ex Cæsaris familia, inquit.] Græcè est, ἐκ τῆς καίσαρος οἰκίας: id est, è domo Cęsaris. Ad quid illorum specialiter meminit? Erant'ne potiores reliquis Christianis, propterea quòd erant de domo Cæsaris? Nihil prærogatiuæ contulit illis domus Cæsaris, contulit uerò plurimùm singularis & eximia fides: qua fiebat ut cùm in maiori discrimine

discrimine uersarentur, quàm cæteri Christiani: haud tamen detrectabant mentionem ipsorum fieri in hisce literis, quæ in ecclesia Philippensium palàm erant legendæ. Voluit autem eôdem consilio mentionem illorum facere, quo suprà Capite primo, uincula sua in toto prætorio manifestata esse dixit.

Sed obsecro, quare nullam mentionem facit Petri, & eorum qui cum illo Romæ nescio quot annos ad Ecclesiæ gubernacula sedisse feruntur? An non honestius illorum mẽtionem quàm domesticorum Cæsaris feciſſet, siquidem Romæ Petrum inuenisset?

Nos admonemur hic, ne tyrannorum quidem familias sic auersari Dominum, ut prorsus neminẽ inter illas gratia sua dignetur: quando & in perditissimi Neronis domo inuenti sunt, qui Christo nomen darent.

Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis.] Hanc initio Epistolæ confestim præmittit apprecationem, & eâdem illam finaliter claudit. Nouit enim, & significat in hac una omnem omnium salutem esse sitam. Sed uide de illa 1. Corinthiorum ultimo, 2. Corinthiorum ultimo, & Galat. ultimo.

FINIS.

IN EPISTOLAM APOSTOLI PAVLI AD COLOSSENSES, PRAEFATIO.



VSPICE Christo seruatore, benedicto in secula, ad Epistolam hanc explicandã, Lector optime, peruenimus: quã Apostolus Christi pro Apostolica sua cura ac solicitudine ad Ecclesiã Colossensium, per Tychicum & Onesimum misit: de cuius expositione nihil habeo quod homo senex polliceri queam, quàm uoluntatem ad id operis per gratiam Domini propensam. In manu illius est, ad finem ne illius pertingam: uel in medio cursu, aut certè mox initiò subsistam ac deficiam. Quod bonum est in oculis ipsius, fiat.

De Colossensibus hisce, ad quos Apostolus scripsit, non est eadem doctorum hominum sententia, fuerint ne Rhodij, uel Phryges. Qui Rhodios fuisse iudicant, argumentum suæ sententiæ ex eo sumunt, quòd in ea insula colossus fuit, miræ ac portentosæ magnitudinis: ita ut inter septẽ mirabilia mundi huius opera censeretur, quasi insulæ huius incolę nomen inde contraxerint, ut Colossenses uocarentur. Sic sensit Suidas, dicens: κολασσαεῖς οἱ ῥόδιοι, οἵτινες ἀνέστησαν ἐν τῇ νήσῳ χαλκοῦν ἀνδριάντα τὸ ἥλιον, ὃν διὰ τὸ μέγεθος ἐκάλεσαν κολοσσόν. Et alibi: Ῥόδος ἡ νῆσος, ἥτις καὶ λίνδος καλεῖται, καὶ κολασσαεῖς οἱ οἰκήτορες, διὰ τὸν κολοσσόν. Et Calepinus de Rhodo insula annotans: In ea (inquit) fuit admirandę magnitudinis colossus, à quo postea Rhodij appellati sunt Colossenses, ad quos Apostolus Epistolam scripsit. Et idem tradit Cosmographia Monsteri.

Qui sententiam hanc non recipiunt, dicunt Colossas ciuitatem fuisse Phrygiæ & Asiæ minoris. Sic sentit Hieronymus, ut patet in Prologo huic Epistolæ præfixo, ubi dicit: Colossenses & hi, sicut & Laodicenses, sunt Asiani. Et Chrysostomus: ἡ πόλις τῆς φρυγίας ἦν. Et ut rationẽ suę sententię exprimat, mox subijcit: καὶ ὅλως ἐκ τοῦ τῶν λαοδικείων πλησίον εἶναι. Sanè ex uicinitate duarũ urbium, Laodiceæ & Hierapolis, quarum Apostolus Capite ultimo mentionem facit: haud leue argumentum est, fuisse Colossas quoq; ciuitatem Phrygiæ. ad quam sententiam comprobandam, Erasmus in Annotationibus suis citat Ptolemeũ, Plinium, Strabonem & Theophylactum. Et hanc ex recẽtioribus quoq; nonnulli se quuntur, quæ & mihi probatur.

Annotant nonnulli, Ecclesias illas, Colossensem, Laodicenam & Hierapolitanam, terræmotu sub Nerone, paulo post mortem Apostoli, prolapsas esse ac perijsse:

perñsse: qua de re non habeo quod certò teneam. De Colossensibus, fateor, ex uerbis Chrysostomi, probabile est, quòd ante tempora Chrysostomi perierint. Non enim dicit eam ciuitatem esse, sed fuisse ciuitatem Phrygiæ. Credibile tamen est, postea ex ruinis constructam eam, quam χῶναι uocarunt: cuius meminit Theophylactus, dicens: πόλις φρυγίας αἱ κολοσσαὶ, αἱ νῦν λεγόμεναι χῶναι.

Non est autem ut offendat quenquam, quòd in Græcis codicibus legitur κολασσεῖς: uel, ut in Suida est, κολασσαεῖς, cùm Latini uocemus hanc ciuitatem Colossas. Solenne est, locorum nomina, ubi in alias linguas transferuntur, non integrè, sed corruptæ literis quibusdam uel mutatis uel transpositis, uel prorsus ablatis pronunciare: quod & hic fieri potuit. Erasmus tribuit hoc librariorum incuriæ.

Quæ uerò causa fuerit Apostolo ad Ecclesiam Colossensium scribendi, ex ipso contextu patebit. Solicitudo omnium Ecclesiarum, quam incutiebant illi partim crebræ persequutiones ab Ethnicis illatæ, partim seductores pseudapostoli, etiam hic animum illius impulit, ut hanc ad illos Epistolam scriberet. Quę autem singulis Capitibus tractentur, argumenta præfixa docebunt.

CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Gratias agit Deo propter illorum fidem, spem ac dilectionem. Deinde mentionem facit Epaphræ, à quo docti fuerant in Christo. Meminit tertiò precationum suarum pro ipsis, ut crescerent in agnitione uoluntatis Dei, & in omni opere bono. Et quartò prædicat de Christo, quòd sit redemptor noster, & imago Dei, ac primogenitus: quodq; per illum & in illo sint omnia, & quòd sit caput corporis Ecclesiæ, ac reconciliator omnium. Quintò, meminit afflictionum suarum, & Apostolatus, mysteriique quod prædicabat.

PAulus Apostolus IESV CHRISTI per uoluntatem Dei, & Timotheus frater, ijs qui sunt Colossis, sanctis ac fidelibus fratribus in Christo. Gratia uobis & pax à Deo patre nostro, & Domino IESV CHRISTO.

HAbent hæc subscriptionẽ, inscriptionem ac salutationẽ, quibus pro more suo utitur Apostolus de eo quod dicit, Paulus Apostolus Iesu Christi per uoluntatem Dei: uide 1. Cor. 1. & de eo quòd Timotheum sibi coniungit, uide 2. Cor. 1. & Philip. 1.

Iis, inquit, *qui sunt Colossis, sanctis ac fidelibus fratribus in Christo.*] Sic uocat Christianos, & ornat eos insignibus epithetis & elogijs: quorum unumquodque suum habet respectum. Sanctos eos uocat, propter gratiam sanctificationis, qua erant in Christum initiati ac sanctificati, non modò per lauacrum Baptismatis, sed & per spiritum sanctificationis. Fideles uocat, propter fidem qua in Christum credebant: Fratres uerò, propter cõmunem adoptionis gratiam, qua inter se tanquam filij Dei coniuncti sunt, ac fratres effecti. Si hæc tria Christianorũ elogia inter nos mutuò consideraremus: obsecro, fieri ne posset, ut aliquid mutui uel odij, uel cõtemptus, uel desidij locum inter nos inueniret, & non potius alius alium honore inuicem præueniremus?

Addit, *In Christo.*] Significat Christo debere hæc omnia. Per illum sumus sancti, per illum fideles, per illum fratres. Ille nos Deo sanctificat, ille fideles, ille filios Dei ac fratres reddit. Econtrà princeps huius mundi reddit suos prophanos, perfidos & inimicos.

Gratia uobis & pax, inquit, *à Deo patre nostro, ac Domino Iesu Christo.*] Hac salutatione usus est & in præcedentibus Epistolis, Rom. 1. 1. Corinth. 1. 2. Cor. 1. Galat. 1. Ephes. 1. Philip. 1. ubi uideat Lector quæ sint obseruanda.

Gratías agimus Deo & patri Domini nostri Iesu Christi semper de uobis, cùm oramus.

Exordium est à gratiarum actione. Sic solet post salutationem ordiri, ut uel in presenti gratias agat Deo, illiusq; bonitatem ac gratiam deprædicet: uel narret, quomodo indesinenter gratias Deo agat. quod utrunq; & Philippens. 1. annotamus. Qua in re constantissimũ exemplum uidemus animi ad omnem beneficiorum Dei memoriam grati, imò quosuis ad consimilem gratitudinem prouocantis.

Deo & patri, inquit, *Domini nostri Iesu Christi.*] Consimili modo & secunda Corinthiorum primo, & Ephesiorum primo, Deum & patrem Domini nostri Iesu Christi glorificat, dicens: Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi. De hoc elogio Dei, quo uocat eum Deũ & patrem Domini nostri Iesu Christi: ac simul tribuit Iesu Christo, quem prædicabat, quòd sit filius Dei, & noster Dominus: uide quæ locis iam citatis 2. Cor. 1. uidelicet, & Ephesiorũ 1. annotauerimus.

Semper de uobis, cùm oramus, inquit.] In eo quod addit, Cùm oramus: specificatio est, quando pro illis gratias agat. Inter orandum uidelicet. Tum enim recordabatur Ecclesiarum Christi, & pro gratia singulis diuinitùs concessa gratias agebat Deo. Consimilia & in alijs nonnullis Epistolis memorat: præsertim in præcedenti ad Philippenses.

Quoniam audiuimus fidem uestram in Christo Iesu, & charitatem erga omnes sanctos, propter spem repositam uobis in cœlis.

In Græco est, ἀκούσαντες: quod uerti poterat, Postquam audiuimus de fide uestra in Christo Iesu, &c. Audierat autem de illa ex Epaphra, sicut infrà uidebimus. Reddit rationem, quare gratias pro illis agat Deo, cùm eos non uiderit, dum exprimit, unde motus, & à quo tempore id facere cœperit: ab eo uidelicet, quo primùm de fide, dilectione & spe illorũ audiuit.

Postquam audiuimus, inquit.] Non dicit, Postquam cognouimus. Audierat tantùm: eiq; auditui sic credebat, ut indesinenter Deo gratias ageret, perinde ac si coràm omnia uidisset & cognouisset. Vt credebat, ita & Deo gratias agebat.

Postquam audiuimus fidem uestram, inquit.] Non dubito Apostolum cùm primis de fide eorum qui Christo accensebantur percontatum esse, deinde & de dilectione fraterna. nec immeritò. In his enim duabus situs est uerus Christianismus. fide reddimur Christiani, & à nõ Christianis discernimur. Dilectione mutua spiritum Christianum exerimus, nosq; ueros esse Christi discipulos comprobamus. Vbi audiuit, Ecclesiam rectè habere in fide & dilectione: agnouit in eo singularem diuinæ gratiæ operationem, proq; illa Deo indesinenter agebat gratias.

In Christo Iesu, &, *erga omnes sanctos.*] Nulla est uspiam secta, de cuius fide & dilectione nihil prædicari queat: uerùm multum discriminis est inter ueram fidem, ueramq; dilectionem, & inter falsam. Ideo necessariũ erat, ut specificaret utranq; & fidem & dilectionem Colossensium. Sic nõ simpliciter dicit, Postquam audiuimus de fide uestra: sed addit, In Christo Iesu: nec simpliciter, Et de charitate: sed mox subijcit, Erga omnes sanctos.

In Christo Iesu, inquit.] Sic est in Græco, ἐν χριστῷ ἰησοῦ. Perinde accipiunt hanc loquutionem, ac si sit, In Christum Iesum, εἰς χριστὸν ἰησοῦν. Sanè aliud est, fidem habere quæ est in Christo: & aliud, credere in Christum. fides in Christo, id est, in professione & religione Christi, est ea, qua credimus secundum doctrinam Christi, in Deum patrem, & filium eius unigenitum, & spiritum sanctum: & fidem habemus uniuersæ Euangelicæ doctrinæ: fides uerò in Christum est, qua credimus in Christum, & ab illo tanquam unico nostro seruatore firma cum fiducia pendemus. Quare quòd dicit, Postquam audiuimus de fide uestra in Christo Iesu: existimo de tota Christianorum fide dici, quæ tamen inclusam in se habeat fiduciam in Christum.

Obseruandum hic est, quæ nam sit uera Christianorum fides: ea uidelicet, quæ est in Christo. Qui credũt ea quæ sunt extra Christum, hoc est, à Christo non tradita: horum utiq; fides hactenus non est in Christo, adeoq; non Christiana.

Et charitatem, inquit, *erga omnes sanctos.*] Fides Christiana, uera ac syncera esse non potest sine charitate, non minus quàm ignis sine ardore. Loquitur autem hic non de quauis dilectione, sed de ea quæ est ex efficacia fidei ac spiritus Christi, erga omnes sanctos: id est, erga unumquẽq; Christianum, tãquam ad Christum pertinentẽ, & spiritu ac lauacro Christi sanctificatum. Et reuera, quisquis persequutionis tempore Christianum hominem, ut Christianum, ex animo diligit, illiq; benefacit: hoc facto luculenter comprobat, quomodo sit erga Christũ animatus, & qua illi sit fide addictus. Verùm de efficacia fidei, quæ per dilectionem est, in Galatis diximus, cap. 5, & in Locis nostris, loco de Fide.

Propter spẽ, inquit, *repositam uobis in cœlis.*] Amphibolum est, quò sit hæc particula referenda. Si ad proximè præcedentia, uidetur tribui Colossensibus, quòd causa fidei ac dilectionis ipsorũ fuerit spes reposita in cœlis. Verùm quomodo accipiendus sit hic sensus, non immeritò quæritur. Conuenientius namq; est, ut ex fide spem ac dilectionem, quàm ex spe fidẽ ac dilectionem esse dicamus. Quid enim sperare poterimus, quod prius futurum esse non credimus? Et unde diligemus Christianos, nisi ex fide in Christum?

Si uerò retulerimus ad gratias, quas se Deo pro illis semper agere dixit, sensus erit: Gratias ago Deo & patri Domini nostri Iesu Christi pro uobis, ab eo tempore, quo de fide ac dilectione uestra audiui, considerans quàm incõparabilis spes reposita uobis sit in cœlis. Hoc sensu, non dicit illos credere ac diligere propter spem in cœlis repositam: sed se propter illam gratias ab eo tempore agere Deo, quo de fide ac dilectione illorum audiuit.

Quòd si neutrum horum placuerit, reliquum erit ut fidem accipiamus pro fidelitate, qua constanter

constanter in fide Christi perseuerabant, & dilectionem erga sanctos pro operibus dilectionis: quibus omnibus ad Christum pertinentibus, quæ necessaria erant pro uiribus impertiebant. Sanè in hac fidelitate & studio beneficentiæ plurimùm eos retinere poterat spes, quam in cœlis repositam habebant. Cogitationes meas simpliciter absque contentione pijs hominibus propono.

Illud per se patet, quòd spem hoc loco, pro eo quod speratur posuit. Virtus spei nostræ nõ est in cœlo, sed in cordibus nostris: sed sperata felicitas in cœlo nobis est reposita.

Obserua, quòd felicitas nostra, donec in hac uita sumus, spes est: propterea quòd nondum eam possidemus, sed sperando expectamus. Vbi non erit amplius spei locus, non erit adhuc spes, sed res ipsa: cuius consequutione ex sperantibus reddemur possidentes.

Deinde, non dicit, Propter spem quam habebitis: sed, Quæ reposita uobis est. Græcè, τὰ ἀπεκαμένα. Ἀποκείμενα sunt, quæ pater filijs suis, & amicus amico, in futurum, thesauri loco recõdit. Est ergo felicitas nostra non tale quid, quod nondum sit certò destinatum & constitutũ: sed quod inde ab initio mundi paratum sit electis, iuxta illud Christi seruatoris: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod paratum uobis est à constitutione mundi. Matthæi uigesimoquinto.

Tertiò, nec illud ociosum est, quod addit, In cœlis. In cœlis nihil est humile, nihil fragile, nihil caducum & transitoriũ: sed omnia excellẽtissima, augustissima, firmissima, ac sempiterna. Cùm igitur spes nostra sit in cœlis reposita, satis patet, esse illã non terrenę humilitatis ac fragilitatis, sed cœlestis excellẽtię ac ęternitatis. De hac spe loquitur & apostolus Petrus in prio re Epistola, cap. 1. dicens: Qui iuxta copiosam suam misericordiam regenuit nos in spem uiuam, per hoc quod resurrexit Iesus Christus ex mortuis, in hæreditatem immortalem & incontaminabilem, atq; immarcessibilem, conseruatam in cœlis erga uos, &c. Reuera miserabiliores essemus omnibus hominibus, si spes nostra esset non in cœlis, sed in terris: nunc uerò cùm non sit in terris, sed in cœlis, omnino feliciores sumus omnibus. Et hac spe freti gaudemus etiam in tribulationibus, & fiducialiter patimur & agimus propter Christum omnia: dicimusq; non cum filijs huius seculi, λὸς μοι τὸν σήμερον, καὶ λάβι τὸν αὔριον: sed cum electis ac fidelibus, λὸς μοι τὸν αὔριον, καὶ λάβι τὸν σήμερον. Vbi spes nostra est, ibi est & cor nostrum: ubi cor nostrũ, ibi & uita nostra. Quare ex uitæ nostræ studijs & conuersatione facilè colligi potest, ubi sit spes nostra, in cœlis ne, uel in terris.

De qua prius audieratis per sermonem ueracem Euangelij, quod peruenit ad uos: quemadmodum & in toto mundo etiam fructificat, sicut & in uobis, ex eo die quo audistis & cognouistis gratiam Dei per ueritatem. Quemadmodũ & didicistis ex Epaphra dilecto conseruo nostro, qui est fidus pro uobis minister Christi, qui & exposuit nobis uestram dilectionem in spiritu.

Iactant & Iudæi spem suam, quam habeant in cœlis repositam, & propter quam obseruatores sint Mosaicæ legis. Nec dubito, de illa pseudapostolos quoq; multis ac frequenter disputasse. Hanc ob causam, quemadmodum suprà fidei, ita hic spei quoque specificationem adijcit: qua quæ Christianorum est, ab ea separetur quæ est Iudęorum, & reliquarum quoq; extra Christum nationum. Cùm itaq; dixisset, Propter spem repositam uobis in cœlis: mox specificandi gratia subijcit: De qua prius audiuistis per sermonem ueracem Euangelij. Ergo Christianorum spes in cœlis reposita, non est alia, quàm quæ prædicata est in mundo per sermonem Euangelij.

De qua prius audistis, inquit.] Requiritur ergo auditus cùm primis. Colossenses, nisi prius audissent de spe in cœlis reposita, ad fidem in Christum haud peruenissent. Sed hac de re uide Romanorum 10.

Per sermonem ueracem Euangelij, inquit.] Græcè est, τῷ λόγῳ τῆς ἀληθείας τὸ ἐυαγγελίου, id est, In sermone ueritatis Euangelij. Sermonem uocat prædicationem. Non erat opus mutare casum. Magis propriè dixeris, De spe nostra audiui in sermone, uel prædicatione Euangelij: quàm, De spe nostra audiui per sermonem Euangelij. Nec displicet ut simpliciter legamus, quemadmodum est in Græco, In sermone ueritatis: & expositoriè accipiamus quod additur, Euangelij. id quod nonnulli exprimere uolentes, sic uerterunt: In sermone ueritatis, nempe Euangelij. Est autem manifestum satis discrimen inter sermonem ueracem, & sermonem ueritatis. De quouis sermone in quo nihil est falsi, prædicari potest quòd sit sermo uerax: non autẽ mox de quouis ueraci sermone rectè dici potest, quòd sit sermo ueritatis (nisi Ebraica phrasi) id est, qui de ueritate prædicetur. Verax sermo est, si dixeris, mundum hunc esse in malo positũ: uerùm non est mox sermo ueritatis, quo sensu Euangelium ueritatis sermo est. Quare dum uocamus Euãgelium ueracem sermonem: etsi hoc rectè dicimus, haud tamen κρινόμενον illius sufficienter exprimimus. Sermo enim ueritatis est, in quo nobis ueritas illa Dei prædicatur,

propter cuius testimonium Christus ipse in mũdum se uenisse, ad Pilatum dixit, & quæ nos à seruitute peccati liberat. qua de re uide in Commentarijs nostris super Ioannem, capite 8. ibi: Si uos manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei eritis, & cognoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos.

Prodest tamen plurimùm de Euangelio Christi certò tenere, quòd sit sermo uerax, imò omnium ueracissimus. Sic enim cõparati sumus, ut ubi uel prædicantur abscondita, quæ intellectus rationis nostræ non capit, uel promittuntur bona quædam non præsentia, sed futura: omnium egerrimè assentiamur, metuentes ne quo pacto nobis imponatur. At quæ per Euangeliũ p̃dicantur ac promittũtur, quid aliud habent, quàm abscõdita, & nõ apparentia: deinde futura bona, & nondũ p̣sentia? ubi igitur p̣suasi sumus, huiusmodi Euangeliũ esse sermonẽ ueracẽ, adeoq; omnẽ dubitationẽ excludimus, nullis tẽtationib. ab illo abduci sustinebimus.

Quod peruenit ad uos, inquit.] Græcè, τῦ παρόντ& εἰς ὑμᾶς. Haud malè uertunt, Quod peruenit ad uos. Verùm quoniam sequitur, Quemadmodum & in toto mundo: aut legendũ est, ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ, pro εἰς πάντα τὸν κόσμον, id est in omnem mundum: uel quod hic dicit τῦ παρόντος εἰς ὑμᾶς, accipiendum pro τῦ παρόντος ἐν ὑμῖν, id est, quod præsens est in uobis, uel inter uos.

Quæ in hoc præsenti contextu dicit, ad hoc sermoni Euangelij, quem ab Epaphra audierant, annectit, ut suo illum testimonio tanquá uerum, & eundem quem Deus in totum mundum emisit, confirmet. Q.d. Quòd Euangelium non aliud ab eo quod in omnẽ hunc mundũ missum est à Deo, sed prorsus idẽ ad uos quoq; puenit: & quemadmodũ in toto mũdo fructificat, ita fructificat & in uobis: idq; mox ab eo die, quo illud audire, & gratiã Dei cognoscere cœpistis. Simpliciores addubitare poterant, esset ne uerũ Euangeliũ Dei, quod nõ ab ipso Apostolo, sed ab Epaphra prędicatum ipsis erat. Horũ gratia dicit: Quod p̣uenit ad uos, quemadmodum & in totum mũdum, & inter uos fructificat haud secus quàm in mundo uniuerso.

Seruiat & nobis hic locus, contra adulterinam, quæ in Papatu est, doctrinam. Vis scire, uerum ne sit Christi Euangeliũ, quod nobis hodie prædicatur, uel falsum? Si idem cum eo est, quod initio peruenit in totũ orbem, & fructificauit, ab eo die quo primùm prædicari in mundo cœpit: sine omni dubitatione tenendum est pro uero & germano. Quale uerò Euangeliũ in toto mundo sit initiò prædicatũ, Apostolorum & Euangelistarũ scripta docent. In his est regula ueritatis, quam sequamur: & accepta à Christo doctrina, quã Apostoli totius orbis nationibus fideliter assignauerunt. Ex ipso ordine, inquit alicubi Tertull. manifestatur id esse Dominicum & uerũ, quod sit prius traditum: id autẽ extraneũ & falsum, quod sit posterius immissum. Ipsa doctriua aduersariorum cum Apostolica comparata, ex diuersitate & contrarietate sua pronũciabit, neq; Apostoli alicuius authoris esse, neq; Apostolici. Quia sicut Apostoli non diuersa inter se docuissent, ita & Apostolici non cõtraria Apostolis edidissent, nisi illi qui ab Apostolis desciuerunt, & aliter prædicauerunt.

De Præscriptione hæreticorum.

Quemadmodum & in toto mundo etiam fructificat.] Aliqui sic: Quemadmodum & in toto mundo est, & fructificat, sicut & in uobis. Argumẽtum est diuinæ uirtutis & operationis, cùm in admirabili propagatione, tũ in fructificatione Euangelij: perinde inter ipsos Colossenses, atq; in toto mundo declaratę. Humano siquidem consilio ac studio, nec ꝓpagatio tam ampla, nec fructificatio tam stupenda perfici potuit. Et reuera nostra hac ætate intra paucos annos, Euãgelij renouati cursus tam latè promouit, tamq; multa regna & principatus & respublicas occupauit, ut luculentissimo testimonio comprobetur, geri causam hanc nullis humanæ sapiẽtiæ consilijs: sed uirtute & operatione diuina, cui uniuersa uis Antichristi, imò & ipsę inferorum portæ resistere nequeant, quantumuis omnes suas & artes & uires in oppositũ obijciãt.

Ex eo die, inquit, *quo audistis & cognouistis gratiam Dei per ueritatem.*] Græcè est, ἐν ἀληθείᾳ, id est, in ueritate. Etiam in eo singularem uirtutem gratiæ Dei declaratã esse significat, quod Euangelium inter ipsos mox ab eo die quo illud initiò audierunt, & gratiam Dei ex illo cognouerũt, fructificauit. Sic admonet eos, ut hinc quoq; in semel recepta ueritate cõfirmatiores esse pergant. Q.d. Euangelium quod habetis, in uobis ipsis comprobatum est per diuinæ uirtutis operationem, per quam mox initio inter uos fructificare cœpit. Quare etiam atq; etiam satagite, ut in illo persistatis, nec pseudapostolis aditum præbeatis.

Rursus obserua uerbum Audiẽdi, quomodo uerbo Cognoscẽdi ordine præmittatur. Quo audistis (inquit) & cognouistis gratiam Dei. Ad cognitionem itaq; gratię Dei opus primum est, ut de illa audiatur. Non cognoscet illam, qui audire detrectat.

Deinde obserua, quid audiatur & cognoscatur ex Euangelio Dei. Gratia Dei uidelicet. Quæ illa? Quam impertiuit nobis in Christo filio suo, dum illum pro nobis redimendis, & à peccato ac morte liberandis in mortem tradidit: ac credentes in illum in filios adoptat, & regni sui hæredes constituit.

Illud ἐν ἀληθείᾳ, id est, in ueritate: nonnullis idem est, quod ueraciter. Sanè Ebræis id sonat frequenter באמת, id est, in ueritate. De gratia Dei etiam falsi doctores sæpenumerò prædicant: uerùm ex illorum doctrina non cognoscitur illa ueraciter: cognoscitur autem ueraciter ex Euangelio Christi. Meo tamen iudicio, In ueritate, hoc loco nihil est aliud, quàm in Euangelio,

gelio, cuius iam ſermonem, ueritatis ſermonem appellauit. Chryſoſtomo idem eſt, quod ex ipſis operibus, & reipſa. Refert autem ad ſigna & portenta.

Quemadmodum & didiciſtis, inquit, *ex Epaphra dilecto conſeruo noſtro.*] Coniunctionalis uocula καὶ, id eſt Et, abundat. Non enim aliud præcedētibus adiungit: ſed id quod dixit explicatius pro ſequitur. Dixit autem, eos cognouiſſe gratiam Dei in ueritate: & iam ſubijcit, quomodo illā cognouerint. Quemadmodum didiciſtis (inquit) ex Epaphra dilecto conſeruo noſtro. Si illud, In ueritate, acceperimus pro ueraciter, ſenſus hic erit: Fructificauit in uobis Euāgelium, ex eo die, quo audiſtis & cognouiſtis gratiam Dei, non per opinionē, ſed ueraciter ac certò: talem uidelicet illam eſſe, qualem ex Epaphra didiciſtis. Hæc dicens, commendat illis Epaphram: ac primò de ueritate doctrinæ illius teſtatur, imò conſcientiam illorum teſtem citat. Voſipſi (inquit) cognouiſtis ueritatem gratiæ Dei ſic habere, ſicut illam prædicauit uobis Epaphras, & uos ex illo didiciſtis. Deinde ornat eum præclaris elogijs, dum uocat eum dilectum conſeruum ſuum, fidumq; Chriſti miniſtrum, ipſis à Deo deputatum. Sed de illo infrà capite ultimo adhuc plurima prædicat, quare hic obiter tranſimus.

Dilecto, inquit, *conſeruo noſtro.*] Quoniam de doctrina illius teſtatur, tutò iam illum dilectum ſuum conſeruum uocat, poſtquam teſte ipſorum conſcientia comprobare poteſt, cognouiſſe ipſos ueram eſſe gratiam Dei, quam ex illo audierāt & didicerant. Aliàs ſuſpectum habere potuiſſet teſtimonium, quod dilecto & conſeruo ſuo dabat. Sic diligebat autem omnes eos qui Chriſtum fideliter prędicabant. Neque enim ſuam, ſed Chriſti gloriam, mortaliumq; ſalutem ſpectabat, per quoſcunq; tandem utraq; propagaretur.

Qui eſt fidus pro uobis miniſter Chriſti, inquit.] Exponit, quomodo & quare uocet eum dilectum conſeruum ſuū. Conſeruum ſuum uocat eum, propterea quòd erat Chriſti miniſter pro Coloſſenſibus: dilectum uerò, quòd eſſet fidus.

Nihil aũt refert, legamus ne, Qui eſt Chriſti miniſter p uobis fidus, id eſt, fideliter, p uobis agēs in omnib. cui ſentētię fauet quod ſequitur: uel, Qui fidus eſt Chriſti miniſter p uobis. i. uobis deputatus à Deo. Quō aũt à miniſtro requiratur, ut fides inueniatur, uidere licet 1. Cor. 4.

Qui & expoſuit uobis, inquit, *ueſtram dilectionem in ſpiritu*]. Quoniā nullam ſpecificationē dilectionis expreſsit, poterit accipi quod dicit, tam de ea qua ſeſe mutuò, quàm de ea qua ipſum Apoſtolum dilexerint Coloſſenſes. Chryſoſtomus tamē poſteriorem ſenſum ſequutus eſt. Exponit enim, τὴν ὑμᾶς, id eſt, Eam quæ eſt erga nos. Addit ἐν πνεύματι, id eſt, In ſpiritu. Apoſtolum non uiderant Coloſſenſes, ſed de illo tantùm ex Epaphra audierant, unde in ſpiritu illū amanter ac reuerenter complecti cœperunt: quandoquidem externis eum dilectionis ſtudijs, eo quòd abſens eſſet, proſequi nequibant. Sic ſolemus eos qui procul à nobis ſunt, abſentes in ſpiritu complecti: quoniam corporali præſentia nihil officiorum in illos exercere poſſumus. Coloſſenſes cum corpore non poſſent, ſpiritu inuiſebant Apoſtolum Chriſti in uinculis conſtitutum, illiq; ſolatia ac ſubſidia neceſſaria ſubminiſtrabant. Sic Apoſtolus cum corpore abeſſet, ſpiritu erat cũ Corinthijs. 1. Cor. 5. Hunc puto ſimplicē eſſe præſentis particulæ ſenſum. Exponunt tamen alij de ſpirituali dilectione, q̃ ſit ex ſpiritu Dei. Et Chryſoſtomus ſic ſentiēs, diſputat de diſcrimine eius dilectionis q̃ eſt naturalis uel carnalis, & eius q̃ eſt ex ſpiritu Dei: In eo autem quòd Coloſſenſes Apoſtolum, quem non uiderant, tantopere diligebant, & Epaphras illud Apoſtolo expoſuit: exemplum uidemus animi candidi in Epaphra, qui & Apoſtolum coram Coloſſenſibus ſic deprædicauit & laudibus extulit, ut eos ad diligendum ipſum permoueret, & poſtea uiciſsim hanc illorū dilectionem ipſi Apoſtolo expoſuit. Exemplum hoc rarum eſt, cùm conueniat eſſe illud inter nos uſitatiſsimum. Mirum enim in modū efficax eſt ad conciliandum animos noſtros, & in mutuam dilectionem pertrahendum.

Propterea & nos, ex quo die audiuimus, non deſiuimus pro uobis orare & poſcere, ut impleamini agnitione uoluntatis eius, in omni ſapientia & prudentia ſpirituali, ut ambuletis dignè Domino, ut per omnia placeatis, in omni opere bono fructificantes: & creſcentes in agnitionem Dei, omni robore corroborati, iuxta potentiam gloriæ illius ad omnem tolerantiam ac patientiam cum gaudio, gratias agentes patri.

Poſtquam recenſuit de Epaphra, quid ex eo audierint ac didicerint, & quid ille ſibi de dilectione ipſorum expoſuerit: iam conſequenter de ſe ſubijcit, quid ipſe ab eo die quo hæc audiuit, indeſinenter pro ipſis facere cœperit. Atque ita iam latius proſequitur, quod ſuprà in ipſo narrationis exordio paucis attigit: ubi ſe Deo ac patri Domini noſtri Ieſu Chriſti agere gratias dixit, & ſemper pro ipſis orare, poſtquam de fide ac dilectione ipſorum audiuit. Sic etiam explicat ex ordine, quid orando pro ipſis ad Deum indeſinenter petat.

Propterea & nos, inquit, *ex quo die audiuimus, nō deſiuimus pro uobis orare.*] In Græco eſt, ἀφ' ἧς ἡμέρας, id eſt, non deſinimus, non ceſſamus. Non ſimpliciter dicit, Et nos: ſed, Propterea & nos. Neque enim ſignificat tantùm quid faciat: ſed & quare id faciat pro ipſis. Quoniam (inquit) ex Epaphra inſignem ueſtram erga me dilectionem cognoui: ideo ex eo die quo die illa audiui, cœpi orare pro uobis, nec in hunc uſq; diem id facere deſino.

Obserua hic, quō Apostolus dilectioni eorū à quibus diligebatur, respōderit. Poterat dicere: Propterea & nos ex quo die audiuimus, non cessamus uos uicissim diligere. Diligebat eos absq; dubio: uerùm mauult eos scire, quàm sedulò & indesinenter oret pro ipsis, & quid ipsis à Deo petat: quo non modò diligi se ab ipso, sed & necessitatē eorū intelligerent, quæ à Deo pro ipsis petebat. Multo satius erat ipso dilectionis opere quàm uerbis declarare, quàm impensè ipsos diligeret. Sic solet uera dilectio, qualis est parentum erga liberos.

Consimilia legūtur & Ephes. 1. ubi dicit: Quapropter & ego, cùm audissem eam quæ in uobis est fidem in Domino Iesu, & charitatem in omnes sanctos, non desino gratias agere pro uobis, mentionem uestri faciens in precibus meis, &c. ubi uide quæ annotauerimus.

Et poscere, inquit.] Græc. est, προσευχόμενοι τῷ αἰτήματι, id est orātes ac petētes. προσευχὴ est adoratio. Simpliciter accipitur pro oratione, qua ad Deum orando conuertimur. Αἴτησις est petitio, qua quid à Deo petamus, exprimimus. Accidit autē frequenter, ut orātes nesciamus ipsi quid petamus, imò prorsus nihil petamus, siue quòd sine sensu necessitatū nostrarū, siue quòd sine fide ac fiducia impetrandi oramus: hoc tantùm agētes ut orasse uideamur. ad quē modū orāt, qui studio tēplarij quęstus orant: & qui superstitiosè orantes, oratiunculas quasdam ad certū numerū emurmurant. Verùm Apostolus Christi ad Deum pro se & fidelibus Christi orans, petebat ea quę ad gloriam Christi, & ad salutem eran t necessaria.

Vt impleamini agnitione uoluntatis eius, inquit.] Exponit, quid pro illis à Deo petat. Non aūt simpliciter dicit, Vt cognoscatis uoluntatem eius: uel, Vt accipiatis cognitionē: sed, Vt impleamini cognitione uolūtatis eius. Cœperāt cognoscere uoluntatē Dei: uerùm ea cognitio erat adhuc rudis & tenuis. ideo petit à Deo, ut quotidie plenior in illis ac pfectior reddatur. Plenā ac pfectā, qualē in futurauita habebimus, ut nō poterat sperare, ita nec petere poterat pro illis qui in hac erāt pręsenti adhuc uita cōstituti. Quare limitāda est hęc petitio secūdum pręsentis uitę capaeitatem, in qua nō perfectè, sed ex parte cognoscimus. qua de re uidere licet 1. Cor. 13. Hic implemur cognitione Dei, dum in illa ad mensurā unicuiq; à Deo destinatā crescimus.

Non solum aūt quantā, sed & qualē illis à Deo cognitionē apprecetur exprimit, cū addit: Volūtatis eius. Voluntas Dei simpliciter in se infinitæ cōsiderationis est, & omnino incōprehensibilis. Quatenus aūt illa salutē nostram & debitā obediētiam cōcernit, bifariā cōsiderāda uenit. Primò, quod attinet mysteriū illius in Christo, per quē nos saluare uoluit. quò pertinet illud Ioan. 6. Hæc est uoluntas patris mei qui misit me, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam. Deinde quod attinet ea q̄ uult ut faciamus. De hac uoluntatis Dei parte loquitur Christus, dicens: Non omnis qui dicit mihi Dñe Dñe, intrabit in regnum cœlorū: sed qui facit uoluntatē patris mei qui in cœlis est. Matth. 7. Verùm hanc de uoluntate Dei materiam, illius q̄; cognitione, fusè in Locis nostris peculiari loco tractauimus.

In omni sapiētia, inquit, *et prudētia spirituali*.] Eph. 1. pro Ephesijs petijt à Deo, ut daret illis spiritū sapiētię & reuelationis, in cognitiōe ipsius. Eadē utrobiq; petitio est. Qu od illic spiritū sapiētię ac reuelationis, id hic uocat spiritualē sapiētiā & intelligētiā (nā in Græco est, τῇ συνέσει: qđ Eras. prudētiā uertit.) Sic discernit uerā sapiētiā, q̄ est in Christo Iesu, à sapiētia carnis & mūdi: de qua intelligi poterat, quod dicit, In oñi sapiētia & intelligētia: nisi adiecisset, Spirituali.

Est aūt sapiētia hęc & intelligētia non extendenda ultra limites causæ, de qua loquitur. Loquitur de cognitione uoluntatis Dei, qua Colossenses impleri petit. Includit aūt illa omnem sapiētiam & intelligentiā, quam spiritus Dei mentibus electorū ac fidelium ad hoc impertit, ut Deum ritè in Christo Iesu, tanquam patrem in filio cognoscant, colant & obseruent. Hic non fuerit incōmodum legere, Vt impleamini cognitione uoluntatis eius per omnē sapientiam & intelligentiam spiritualē, ut sit Ebraismus בחכמה רביגה. Quid sit aūt sapiētia, & quid intelligentia, & quid discriminis sit inter utrāq;, diximus in Cōmentarijs nostris super Iesaiā prophetā cap. 11. ibi: Et quiescet super eum spiritus Dñi, spiritus sapiētiæ & intelligentiæ, &c.

Vt ambuletis dignè Dño, inquit.] De uocula ἀξίως, q̄ in Græco est, & uertitur Dignè: uel, Vt dignū est: diximus Phil. 1. Requirit hic, ut cōuersemur sicuti decet eos qui sunt Dñi. Et in hunc finē petit à Deo, ut impleamur cognititione uoluntatis eius, per omnē sapiētiam & intelligentiā spiritualē. Ἀξίως ambulare Dño, est uiuēdo correspōdere uocationi, qua sumus ad cœlestē gratiā p Euangeliū à Dño uocati. Sic Eph. 4. ἀξίως, inquit, τῆς κλήσεως, & Phil. 1. ἀξίως τοῦ εὐαγγελίου τοῦ χριστοῦ. & 1. Thes. 2. ἀξίως τοῦ θεοῦ. Spiritualis itaq;, uera & Christiana sapiētia nō est speculatiua tātùm, sed & practica, talē uitę cōuersationē requirēs, q̄ aliena sit à stulticia ac turpitudine carnalis uitę: cōformis uerò cœlesti gratię, ad quā sumus p Euangeliū à Dño uocati. Quare τοῦτο ἀθύσειν ἀκολουθήσει ὧν, ματαίως ἀνύσεται τῇ ἀνωφελῶς ἴσως τὸ τέλος ἴσχει ἐὰν γνῶσις, ἀλλὰ πρᾶξις, sicut Aristot. alicubi de Ethicorū suorū doctrina scribit. Tātū. n. sapimus reuera, & intelligimus, quātū & corde & studio uitę exprimimus. Quātū uerò peccatū sit, nominis eius dignitatē ac gloriā turpitudīe uitę nostrę cōtaminare, p cuius gratiā ad cœlestē sumus felicitatē ac gloriā uocati, nemo satis ppenderit.

Vt per omnia placeatis, inquit.] Græcè est, εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν. Si uocē ἀρέσκειαν passiuę uel neutraliter accipias, significat placitū. Hoc sensu reddiderūt, Per omnia placētes, ut p omnia placeatis, ad omne placitū: & Germanicè, *In allem gefallen*. Si uerò accipias actiuè, significat studiū placendi, & gratificationē. Hūc sensū sequuti sunt, q̄ reddiderūt, Ad omne obsequiū. Et 1. Co. 10.

sic

sic utitur uerbo ἀρέσκω, dicens: καθὼς κἀγὼ πάντα πᾶσιν ἀρέσκω. Non omnibus per omnia placebat, sed ut placeret satagebat.

Exponit aũt hac particula, quõ, quo scopo, quo proposito, & ad quem finẽ dignè debeant ambulare Dño. Sic uidelicet, & ad hũc finẽ, ut Dño gratificẽtur ac placeãt ꝑ omnia. Hoc náq; spiritualis sapiẽtię, qua uoluntas Dei cognoscitur, ꝓpetuũ est & unicũ studiũ, ut ꝑ omnia placeamus Dño. Qui hoc studio præditus est, sic dignè Dño ambulabit, ut sũmopere caueat, ne qua in re illũ offendat, ac maiestati illius displiceat. Et id demũ est πᾶσαν ἡδέως ὑπὲρ πάσων ἀρέσκειαν.

Vt per omnia placeatis, inquit. Quare per omnia? Ita ne difficilis & morosus est Deus noster, ut si illi in multis quidẽ placeas, displiceas uerò in aliquo, frustrà placeas in multis? Si sic est cõparatus, quis nã mortaliũ saluari poterit? Nemo enim est qui nusq̃ peccet. Et quorsum ꝓfuerit nobis gratia mediatoris Christi? Respõdeo. Sic quidem iustũ est in se, ut qui in uno offendit, omniũ sit reus. Et nobis omnib. hoc studij & diligentiæ cõpetit, ut non in aliquo tantùm, sed planè ꝑ omnia studeamus ei placere, à quo uno omnis nostra salus unicè dependet. & huc respicit Apostolus hoc loco. Verùm aliud est, si, quid nostra mereatur imperfectio: & aliud, quid cõtingat nobis per gratiã, cõsideremus. Quòd credentes in Christũ saluamur, licet in multis delinquamus omnes, gratiæ est, ꝑ quã nobis delicta propter Christũ nõ imputãtur. Interea tamen unicum hoc debet esse studium nostrum, ut placere Deo ꝑ omnia satagamus.

In omni opere bono fructificantes, inquit.] Quomodo ꝑ omnia placere Deo debeamus, exponit obiter. Vtitur aũt similitudine arboris bonæ, diligenter plantatę ac cultæ. Illa tum perplacet, quando fructificat, crescit, robusta est ad perferendũ inclementiam cœli, uiret, & laboribus culturę respondet. Consimili modo tum placemus Deo, quando in omni opere bono instar bonarum arborum fructificamus, in cognitione Dei crescimus, omni robore ad omnem tolerãtiam ac patientiam malorum corroboramur, inq; ipsa patientia hilares gaudemus, & per gratiarum actionem culturæ cœlesti respondemus.

In omni opere bono fructificantes, inquit.] Ergo bona opera id sunt nobis, quod fructus sunt arboribus. De hac fructificationis metaphora diximus in Cõmentarijs nostris super Psalmos, Psalmo primo, ubi homo pius bonæ arbori comparatur.

Non est aũt ociosum, quòd nõ simpliciter dicit, In opere bono: sed, In opere bono fructificantes. Hoc discriminis est inter hominem pium ac fidelem, & arborem bonam. Bona arbor satis est fructifera, si unius, sui uidelicet, generis fructũ ꝓferat. Nemo ex una arbore diuersos fructus q̃rit. Pius uerò & fidelis homo nõ uni tantùm est bono opi sic deditus, ut nõ simul oĩs generis bonis operib. ꝑ uiribus suis incũbat. Hoc puto sentiẽs Apostolus dicit, In omni ope bono fructificãtes. Sic cõparata est natura bonitatis in cordib. piorũ, ut omnis generis bono ope delectetur: quẽadmodũ ecõtrariò natura malicię est, ut ad quoduis malũ opus ꝓpẽdeat.

Et crescentes in agnitionẽ Dei, inq̃t.] Qui recẽtes plantulas in hortis suis habent, frequẽter illas cõsiderant, quõ crescant, parce ne uel alacriter, indeq; colligunt quid de illis sibi polliceri debeant. Crescunt quidẽ & infrugiferę: uerùm de nulla sperari potest, quòd futura sit frugifera, nisi crescat. Hoc spectãs & in Christianis Apostolus, petit à Deo, ut det illis incrementũ, quo ueluti bonę arbores, feliciter in cognitione ipsius crescãt. Nisi. n. in illa crescant ac ꝓmoueãt, fertiles in pietate ac uera bonitate fieri nõ poterũt. Et enim quemadmodũ ex ignorantia Dei cęcitas mentis est, & ex cæcitate omnis generis impietas: ita ex cognitione Dei mẽtes illuminantur: & quantũ in ea luce crescũt, tantũ ad uerã pietatem & quæuis bona opera proficiũt.

Omni robore roborati, inquit, *iuxta potentiã gloriæ illius, ad omnẽ tolerantiã ac patiẽtiam cum gaudio.*] Non est satis, in cognitione Dei, uera sapientia & intelligẽtia crescere, deniq; & omni bono opere fructificare: nisi adsit animi fortitudo ac robur, ad perferendum quæuis aduersa, quæ instigante satana, mundo & carne inferuntur illis, qui piè uolunt uiuere in Christo Iesu. Vt enim frustrà est arboris bonitas, fertilitas, & crescendi alacritas, nisi eo sit robore prædita, ut ferre possit hyemis frigora, & æstatis ardorem: ita planè habet & nostra cõditio in Christo. Nisi enim corroboremur ad tolerantiam ac patientiam malorum ac tentationum, frustrà erunt cætera omnia. Sine patiẽtia quippe in uera pietate, ac bonorum operum fructificatione persistere haudquaq̃ poterimus. Vnde & Luc. 8. Seruator cùm dixisset, Et fructũ adferũt: addidit, Cum patiẽtia. Et alibi, In patiẽtia uestra (inquit) possidebitis animas uestras. Luc. 21.

Non dicit autem simpliciter, Corroborati ad tolerantiam & patientiam: sed, Omni robore corroborati, ad omnem tolerantiam ac patientiam. Omni robore dixit: uel pro sufficienti, uel pro omnis generis robore. Robur in Christiano homine aliud est certæ scientiæ Dei ac ueritatis illius, aliud est fidei in Christum, aliud spei infractæ, aliud dilectionis nõ fictæ, aliud patientię in tribulationibus. Significat opus esse, ut ex omni parte corroboremur. Omnis tolerantia ac patientia est, qua non aduersus unam & alteram tantùm afflictionem ac tribulationem, sed aduersus quamcunque tribulationis uel tentationis speciem perferendam instructi communitiq; simus. Alioqui frustrà tolerabimus ac uincemus pleraq; aduersa, nisi tolerauerimus ac uicerimus omnia. Etenim qui uno malorũ genere superatur ac perit, perinde perit ac si multis uincatur. Arbor quę ardore solis perit, nihilo minus perit, quàm si frigore hyemis aut alio quopiã uitio pereat. Quare quod hic Apostolus pro Colos. à Deo petit, sic est neces-

ſarium omnibus fidelibus, ut ſine illo ſalutem à Chriſto nobis partam retinere nequeamus.

Obſeruet interim Lector duas haſce uoces quæ in Græco habentur, ὑπομονὴν uidelicet, & μακροθυμίαν. ὑπομένειν, unde eſt ὑπομονὴ, eſt ſub afflictionum pondere permanere, ac non concidere. μακροθυμῶν, unde μακροθυμία eſt, animo eſt eſſe non conciſo, ſed prolixo, quod præſentem hũc locum attinet. Nam aliàs ſignificat procul eſſe ab ira, quod Ebræis eſt eſſe ארך אפים. Sed de his uocibus alibi admonuimus. Nec ὑπομονὴ ſine μακροθυμίᾳ, nec μακροθυμία ſine ὑπομονῇ conſiſtere poteſt. Quare non fruſtrà utræq; ſunt ab Apoſtolo poſitæ.

Iuxta potentiam, inquit, *gloriæ eius*] Ebraiſmus eſt, pro, Glorioſa potentia eius. Adiecit hanc particulã, ut admoneat, fieri nõ poſſe ut omni robore corroboremur ad omnẽ tolerãtiam ac patientiã, niſi p potentiã Dei corroboremur. Vnde enim pulueri ac terrę, & carni tã fragili, tãtũ poterit eſſe roboris, niſi q oſſa roboris gratia molli noſtræ carni indidit, indat etiã mentib. ac cordib. noſtris robur, ad pferendũ quaſuis p nomine ipſius tribulationes & afflictiones? Vide aũt quõ loquatur. Poterat dicere, omni robore corroborati p ipſũ: uerùm quo fiduciã nobis indat, neceſſariã à Deo fortitudinẽ ſperãdi ac petẽdi, dicit: Iuxta glorioſã eius potẽtiã: nõ ſimpliciter, Iuxta potẽtiã: ſed, Iuxta potẽtiã gloriæ eius. Quę eſt potẽtia glorię Dei? An nõ ea, qua quod infirmũ eſt eligit ac corroborat, ut p illud uincãtur & cõfundãtur q̃ ſunt fortia? Gloria potentię Dei aſſeritur, quãdo uirtus illius in infirmitate noſtra declaratur ac glorificatur. Quid infirmius & contẽptius haberi poterat in Germania noſtra, q̃ erat unicus fraterculus, p quẽ gloria & potẽtia Antichriſti, q̃ iã ſupremas occupauerat, & Imperatorib. & Regibus formidabilis erat, ſic eſt uicta & cõfuſa, ut iam p pè toti ſit Chriſtiano orbi abominabilis? Annõ hic gloria potẽtię Dei declarata eſt? ut taceã de illis, q omnẽ mundi huius potentiã p omnis generis afflictionũ ac cruciatuũ tolerãtiam uictores in ueritate Chriſti ſuperarũt & confuderunt. Cùm ergõ per huiuſmodi potentiã corroborari, non modò neceſſariũ nobis, ſed & diuinæ maieſtati glorioſum exiſtat: quid nos impedire poterit, quo minus cum Apoſtolo & pro nobis & pro reliquis fidelibus bona cum fiducia petamus à Deo, ut nos aduerſus omnes afflictiones & tentationes omni robore confirmet ac corroboret?

Cum gaudio, inquit.] Nihil refert, ad p̃cedentia ne uel ad ſequẽtia referas. Nos retulimus ad p̃cedẽtia, propter diſtinctionẽ quam in Greco contextu reperimus. Aliàs nõ reluctor illis, qui ad ſequentia referunt. Gaudium hoc, de quo loquitur Apoſtolus, tam ad patientiam afflictionum, quàm ad gratiarumactionem requiritur. In tribulationibus gaudium requirit Chriſtus Mat. 5. dicẽs, Gaudete & exultate, quoniã merces ueſtra multa eſt in cœlis. Quòd autem gratiarum actio neceſſariò requirat grati animi gaudium, nemo opinor eſt qui neget.

Gratias agentes patri, inquit.] Vulgata editio habet, Gratias agentes Deo & patri. Græcè tamen ſimpliciter eſt, ἱκανώσαντι τῷ πατρὶ, id eſt, Gratias agentes patri. ad quem modum legit & Ambroſius. Significat Apoſtolus, haud uulgarẽ patiẽtiam in tribulationibus inter Chriſtianos eſſe oportere: ſed talem, quæ ſit etiam cum gaudio coniuncta, & in gratiarum actionem erga Deum exuberet. Nec immeritò. Modicum enim ac momentaneum, quod eſt in tribulationibus noſtris, æternum gloriæ pondus parit in nobis. 2. Cor. 4. quę felicitas utiq; non triſticiam, ſed gaudium: non querimoniam, ſed gratiarumactionem requirit.

Nec ocioſũ eſt, q̃ nõ dicit, Deo: ſed, Patri. Admonet, negociũ nobis eſſe cũ Deo ea p ſus cõditiõe, qua filijs negociũ eſt cũ patre, eo qd̃ nõ dominaliter nobiſcũ, ſed in morẽ patris agat, etiã ubi nos multis afflictionib. ſubijci, ac in mortẽ quoq; tradi ſinit. cuius rei exemplum nobis nõ modò in prophetis & Apoſtolis, ſed & in ipſo unigenito eius Chriſto Ieſu p̃monſtratũ eſt.

Chryſoſtomus tamẽ non in textu tãtùm, ſed & in expoſitione legit, ἱκανώσαντι τῷ υἱῷ, id eſt Gratias agentes Deo: nec addit, Patri. Triplex itaq; uariatio in modica hac particula admiſſa reperitur, idq; non à recentioribus tantùm, ſed & à ueteribus. Nam alij legunt, Gratias agentes Deo: alij, Gratias agentes patri: alij, Gratias agentes Deo & patri. Sed bene habet, quòd uariatione hac nihil incommodatur doctrinę Apoſtoli.

Qui idoneos nos fecit ad participationem ſortis ſanctorũ in lumine, qui eripuit nos à poteſtate tenebrarum, ac trãſtulit in regnum filij ſibi dilecti, per quẽ habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum.

Cùm Chriſtianorum hæc ſit conditio in præſenti ſeculo, ut omnib. ſint afflictionis generibus, & innumeris tentationib. obnoxij, ſic ut niſi cœleſti robore corroborentur, p̃ſiſtere non poſſint, adeoq; ipſis in continua ſit & irremiſſa patientia uiuendum: mirũ uideri poterat, unde nam gaudendũ ipſis ſit. & gratiæ inſuper agendæ Deo & patri, cum iudicio carnis in eiuſmodi conditione conſtitutis, lugendum potius uideatur quàm gaudendum, & querulãdum magis quàm gratiæ agendæ. Neceſſariò igitur Apoſtolus, poſtq̃ gaudij & gratiarum actionis unà cum omni tolerantia & patientia meminit: fuſè iam ſubijcit, unde ſit afflictis ac tribulatis Chriſtianis gaudendum, Deoq; & patri gratiæ agendæ. Gratias agentes (inquit) Deo & patri. Quare rationem ſubijcit, dum incomparabilia illius beneficia recenſet, dicens:

Qui idoneos nos fecit, ad participationẽ ſortis ſanctorũ in lumine.] Græc. τῷ ἱκανώσαντι ἡμᾶς. Vulgata Lat. habet, Qui dignos fecit. uerbũ *ἱκανόω* ſignificat nõ modò aptũ et idoneũ, ſed & multũ ſufficiẽtẽ & ualidum

ualidum facio: quemadmodum & ἱκανὸς non modò aptum & idoneum, sed & multum sufficientem & potentem significat. Ambrosius legit: Qui uocauit nos, quasi sit ἱκάλεσεν ὑμᾶς: & exponit, Qui dignatus est aduocare. Chrysostomus sic exponit, ἰσχυρὸς ἐποίησε, id est ualidos & potentes fecit πρὸς τὸ λαβεῖν, id est, ad accipiendum. Prædicat primo loco, & commendat nobis hanc gratiam Dei, qua nos consortes sanctorum fecit.

Obserua uerò, quomodo nobis gratiam hanc Dei commendet. Non dicit simpliciter, Qui assumpsit nos idoneos in partem sortis sanctorum: sed quo illam amplificet, ut reuera omniũ est amplissima, Qui nos (inquit) idoneos fecit, ad participationem sortis sanctorum. Ergo non ideo assumpsit nos ad consortium sanctorum, quòd essemus ad illud idonei: sed cum essemus omnibus modis inidonei, fecit nos idoneos. An' non satis fuisset gratię, si nos idoneos participes sortis sanctorum reddidisset? Iam cùm inidoneos existentes reddidit idoneos, quò ad consortium hoc assumi possemus, obsecro quantus nobis hic tam insignis gratiæ cumulus proponitur?

Simul tamen considerandum & hoc est, quòd non dicit: Qui nos inidoneos, consortes sanctorum fecit. Inidonei nõ perueniunt ad hoc sanctorũ consortium, donec sunt inidonei: sed necesse est, ut ex inidoneis idonei reddantur. Qui incredulus est, impius, sceleratus, ac prorsus carnalis: partem in sorte sanctorum habere non potest, donec talis est: sed cum primis necesse est, ut per regenerationem spiritus in alium uirum mutetur, & idoneus reddatur.

Præterea & illud obserua. Non dicit, Qui idoneos nos faciet, ne animos illorum ad futurã gratiam suspensos reddat: sed in præterito, Qui nos idoneos fecit, quo de accepta iam gratia admonitos ad gratiarũ actionem accendat, & ad quæuis aduersa fortiter perferenda excitet.

Ad participationem sortis sanctorum, inquit.] Quę est ista sors sanctorum? Communiter exponũt de hæreditate regni Dei, cuius participes sunt omnes sancti. Ad hanc peruenimus, quàm primùm per fidem in Christum adoptionem filiorum Dei consequuti sumus.

Per sanctos intelligunt nonnulli specialiter patriarchas, prophetas & fideles ex Israele, tanquam oliuam, in quam nos qui ex gentibus in Christum credimus, uelut ex oleastro insiti sumus. qua similitudine usus est Apostolus Rom. 11. Et Christus huc respicit, cùm Matth. 8 dicit: Multi uenient ab Oriente & ab Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob, in regno Dei. Hunc sensum Ambrosius attigit dicens: Qui dignatus est aduocare & inducere gentes in promissionem Iudæorum. Possumus tamen generaliter accipere de omnibus tam noui quàm ueteris testamenti sanctis, ad hæreditatem regni Dei inde ab initio electis ac prædestinatis.

Addit, In lumine: qua metaphora inter regnum Dei & regnum satanæ discernit. Vt enim illud tenebrarũ est, ita hoc est lucis. In illo est cæcitas & ignorantia Dei: in hoc est lux & scientia uoluntatis ac ueritatis Dei. Chrysostomus refert ad utranq; lucem, tam præsentis quàm futuræ uitę. Sic enim exponit: ἐν τῷ φωτὶ, καὶ τῷ μέλλοντι, καὶ τῷ παρόντι, τέτοιγε τῇ γνώσει. Vtrobiq; scientia est. Hic in fide, illic in specie: hic ex parte, illic ex perfectione. Sancti igitur etiam in hac uita uersantur in luce, suntq; filij lucis, & amãt lucem. Econtrariò carnales ac prophani uersantur in tenebris, & sunt tenebrarũ filij, amantq; tenebras, & odiunt lucem. Hinc tam manifesta, tam perpetua, tamq; irreconciliabilia sunt inter illos disidia.

Quòd sit autem lumen hoc scientiæ Dei, in quo cum sanctis in eâdem sorte participamus, non est aliunde quàm ex ipso uerbo Dei statuendum. An Papistæ qui mortuos sanctos inuocant, adorant & colunt, & simulachris illorum aduoluuntur, partem sortis sanctorum habẽt in hoc lumine? Nemo cordatus hoc dixerit. Quomodo namq; in eâdem sorte participant ij, quorum alij inuocant, colunt, adorant: alij inuocantur, coluntur & adorantur? Quomodo in lumine sunt, qui creaturas colunt supra creatorẽ: & cæcas, surdas, mutas, lingneas, lapideas & æneas imagines genuflexione, accensis cereis & uotiuis donarijs supplices uenerantur? quæ omnia in sacris Scripturis impietatis ac cæcitatis damnantur. Detur uel unus sanctus, qui hæc fecerit. Percurrantur utriusq; Testamenti Scripturę, & inspiciantur exempla sanctorum. Quare etiã atq; etiam uidendũ est, an q̃ credimus, colimus, facimus, conformia sint luci uerbi Dei. Ex qualitate nãq; fidei ac cultuũ, deniq; & operũ q̃ studiosè facimus, facilè est experimentũ capere, uersemur ne in cõsortio lucis cũ sanctis Dei, uel in cõsortio tenebrarũ cũ filijs huius seculi. Quòd si uersamur in lumine ueritatis ac scientię Dei, participes utiq; sumus sortis sanctorum omnium, q̃ est hæreditas illa omniũ opulentissima & gloriosissima, ad quã p Euangeliũ regni Dei uocamur. Haud itaq; immeritò admonemur, ut q̃cquid nobis tribulationũ & afflictionũ ꝓpter ueritatẽ Dei accidat in hoc mũdo, gratias agamus cũ gaudio Deo patri, qui nos idoneos per gratiam suam ad hanc participationẽ sortis sanctorum reddidit.

Qui eripuit nos à potestate tenebrarum, inquit, *ac transtulit in regnum filij sibi dilecti.*] Prosequitur beneficium Dei, & exponit quomodo nos idoneos fecerit, ad participationem sortis sanctorum in lumine. Eramus sortis huius omnium minimè capaces, donec eramus sub potestate satanæ captiui, in tenebris uiuentes, & propter peccata condemnationis ac mortis rei. Cùm igitur idoneos nos sortis huius ac hæreditatis sanctorum facere uellet, omnino

omnino neceſſariũ erat, ut cum primis liberaremur à poteſtate ſatanæ, à tenebris, à peccatis, & à cõdemnatione ac morte. Et hoc illũ feciſſe prædicans Apoſtolus, ſubijcit iſta q̃ ſequũtur.

Qui eripuit nos, inquit.] Obſerua uerbum Eripiendi, in qua nobis potentia Dei commendatur. Princeps tenebrarum quod dolo acquiſierat, ſponte ſua reddere noluit. Eripuit igitur illi Deus potenti manu, quos captiuos tenebat. Nec in uoluntate noſtra, nec in uiribus erat, ut noſipſi liberaremus. Poſsidebat enim nos totos, & corda noſtra & mentes & corpora occupans. Quare fieri non poterat, ut in libertatem noſipſi aſſereremus. Nec potuit hoc fieri per alterius cuiuſquam potentiam, niſi ſolius Dei: quia fortem armatum non uincit niſi fortior. fortior autem principe tenebrarum non eſt, niſi ſolus Deus.

Qui eripuit nos, inquit, *à poteſtate tenebrarum.*] Poteſtatem tenebrarum, intelligit regnum principis tenebrarum: ſatanę uidelicet, qui dominatur in tenebris mentium & cordium humanorum: hoc eſt, in cæcitate ignorantiæ Dei, quam ipſe ingerit: perinde atq; Chriſtus in luce regnat, quam ipſe nobis confert, dum mentes noſtras & corda cognitione uoluntatis ac ueritatis Dei illuminat.

Mirum autem uideri poteſt, quomodo principi tenebrarum, ſatanę omnium nequiſsimo, tribuat ἐξουσίαν, id eſt poteſtatem licitam: cùm omnis ἐξουσία ſit à Deo, Rom. 13. Dicẽdum potius fuiſſe uidetur, Qui eripuit nos à tyrannide, quàm à poteſtate tenebrarũ. Verùm ad hanc quęſtionem quædam reſpondimus Epheſ. cap. 2. ibi: Iuxta principem, cui eſt poteſtas aeris. quibus pauca hæc addi poſſe puto.

Poteſtas Latinis, quemadmodum & ἐξουσία Græcis, bifariam accipitur. Primò: pro iuſta poteſtate, quæ iure ſit ſuffulta, quam licitam uocant, qualis eſt legitimorum magiſtratuum: deinde pro δυνάμει, id eſt potentia faciendi. Cùm dicimus, Poteſt hoc fieri: intelligi poteſt tam de eo quod non eſt impoſsibile factu, quàm de licito: ad quem modum & uerbum ἔξεστι, unde eſt ἐξουσία, Græcis aliquando idem eſt quod licet: aliquando uerò ſonat idem quod poſsibile eſt. Quòd igitur præſentem locum attinet, poteſtatem tenebrarum pro potentia ſatanæ in tenebris dominium exercentis, accipere poſſumus, ut non ſit locus quæſtioni de licita poteſtate. Quod ſi id non placet, ponamus duas eſſe licitæ poteſtatis ſpecies: iuris unam, permiſsionis alteram: quarum prior ipſius Dei eſt in omnia: poſterior uerò ſic comparata, ut & ſatanæ tribui queat. Pilatus non habebat licitam & legitimam poteſtatem occidendi Chriſtum: habebat uerò eam quam promiſsionis eſſe dicimus, quam deſuper ab ipſo Deo, teſte Chriſto, acceperat. Spiritus immundi non habuiſſent poteſtatem in porcos, niſi eam quæ permiſsionis eſt à Domino accepiſſent. Sic de hac poteſtate tenebrarum dici poteſt, eſſe eam hactenus licitam ſatanæ, quatenus à Deo permiſſa eſt propter peccata noſtra, quibus iram illius inci dimus: perinde atq; licita erat poteſtas, qua ſpiritus malus, ſpiritus erat mẽdacij in ore omnium prophetarũ, quo deciperetur Achab. Nam id poteſtatis acceperat à Deo. Vide Paral. 18. ad quem modum de ea quoq; operatione ſatanæ dicere poſſumus, qua omnis generis uirtute, prodigijs & ſignis mendacibus ac ſeductione myſterium iniquitatis Antichriſtianæ confirmauit, eſſe eam licitam poteſtatem, quandoquidem miſit eam Deus ipſe, tanquam operationem erroris, quo mendacio credant ac condemnentur omnes qui non credunt ueritati, ut ſaluentur: ſed conſentiunt iniquitati, ut pereant. Vide 2. Theſſ. 2. Quomodo uerò poteſtas hæc tenebrarum operetur in excæcatis, & quanta ſit hæc gratia, qua ex illa erepti ſumus, annotauimus in Commentarijs noſtris ſuper Epiſtolam ad Epheſios, cap. 2. ibi: Qui nunc agit in filijs contumaciæ.

Qui nos eripuit à poteſtate tenebrarum, inquit. Ergo nihil amplius poteſtatis in nos habet ſatan, tenebrarum princeps? Nihil prorſus, ſi uerè ab illo ſumus erepti: uerùm ſi adhuc in tenbris ambulauerimus, omnino adhuc poteſtati illius ſubiecti ſumus: eſt enim tenebrarum poteſtas. Ambulant aũt in tenebris, quotquot opera tenebrarũ faciũt. de quib. uide Rom. 13. & Eph. 4.

Ac tranſtulit in regnum filij ſibi dilecti, inquit.] An non ſatis amplum beneficium eſt, quòd nos poteſtati tenebrarum eripuit? Omnino incomparabile eſt. Quanto aũt illud cumulo amplificauerit, in eo quòd tranſtulit nos inſup in regnũ filij ſui, nemo unq̃ pro dignitate ꝑpẽderit.

Ac tranſtulit.] Non dicit, Et uocauit, uel, Et aſſumpſit: ſed, Ac trãſtulit. Quemadmodũ opus Dei eſt, quòd erepti ſumus à poteſtate ſatanæ: ita opus illius & hoc eſt, quòd ſumus in regnũ filij ipſius trãslati. Translatio hæc cõcludit in ſe omnẽ regni Chriſti gratiã ac felicitatẽ, quem admodũ à poteſtate tenebrarũ liberatũ eſſe, ab omni eſt excæcatione eſſe captiuitate ac ꝑditione ereptũ. Transfert nos trahendo ad filium, iuxta illud Ioan. 6. Nemo uenit ad me, niſi pater quimiſit me, traxerit eum. Trahit autem per ſpiritum ſuum corda noſtra ad cognoſcendum, credendum & amplectendum cœleſtem gratiam illuminando ac dirigendo.

In regnum, inquit, *filij ſibi dilecti.*] Quare non dicit, In regnum ſuum? uel, In regnum lucis, quod oppoſitum eſt poteſtati tenebrarum? Cùm translationem noſtri in regnum tribuat patri, quemadmodum & ereptionem è poteſtate tenebrarum, quare non tribuit illi & regnum? Reſpondeo: Tranſitum parat ad declarandum myſterium Chriſti, in quo duo cum primis ſunt cognoſcenda. Vnum, dignitas illius, & ſupereminentia: alterum,

opus

opus ſuſceptæ diſpenſationis ac noſtræ redemptionis. Ad hoc poſterius autem pertinet, quòd regnum electorum ac filiorum Dei accepit à patre, in quo uera & æterna uita, ſalute & felicitate potiamur. Ad prius uerò referendum eſt, quòd non ſimpliciter dicit, In regnũ Chriſti: ſed, In regnum filij ſibi dilecti. Neutrum agnoſcunt Iudęi increduli, & interim pollicentur ſibi regnum Dei. Si dicas, Gentes in Chriſtum credẽtes, translatas eſſe in regnum Dei: totis uiribus reluctantur. Si dicas, translatas eſſe in regnũ Chriſti filij Dei, quemadmodum dignitatem perſonæ Chriſti, qua eſt filius Dei primogenitus ac dilectus, non agnoſcunt: ita nec regnum illius agnoſcere ſuſtinent, quia myſterium illius ab oculis ipſorum prorſus eſt abſconditum. Eſt quidem regnum Chriſti, regnum Dei ac patris: uerùm quoniam propriè ad miniſterium Apoſtolicum pertinet, notum facere myſterium Chriſti ac regni eius, cõſultò transfert ſermonem à Deo patre ad Chriſtum filium illius, noſtrumq; regem ac redemptorem. Quòd autem regnum Chriſti filij Dei, in quod translati ſumus, ad ſuſceptam ſalutis noſtræ diſpenſationem referimus, ex eo eſt, quod Chriſtus ipſe Lucæ 22. ad diſcipulos ſuos in cœna dixit: Et ego diſpono uobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus, regnum, &c. Regnum hoc dedit pater filio, ut per ipſum ad conſortium illius perueniremus. Chryſoſtomns particulam hanc diligenter perpendit, in uerbo μετέστησεν. ubi ſic annotant: ὥσπερ ἄπιστον μετάγαγεν, ἀλλὰ μετέθηκεν. τὸ μὲν γὰρ ὅλον τῶν μεταβάντος ἦν, ὁ τῶ μετιστάντος. ἀλλὰ μετέστησεν ἄπιστον, ὥστε καὶ ἡμῶν καὶ αὐτῶ ἐστίν. quibus uerbis ſatis innuit, uerbum μετίστησιν amplius quiddam hoc loco ſignificare, quàm tranſtulit. Sentit enim, ſic nos eſſe in regnum Chriſti à Deo patre translatos, ut in eandem illius ſimus hæreditatem cum illo inaugurati & conſtituti. Germanicè rectè diceres, *welcher uns eingeſetzt hatt.*

Illud quoque conſideret Lector, quòd non ſimpliciter dicit, Filij ſui: ſed, Filij dilectionis ſuæ. Eraſmus uertit, Filij ſibi dilecti. Et hunc alij quoq; ſequuntur. Sanè Chriſtus omnino dilectus eſt Deo patri filius, id quod ipſe quoq; cœlitùs teſtatus eſt Matthæi 3 & 17. quem ſenſum hic quoq; facilè recipio. Lectionem tamen quæ in Græco eſt, τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ, id eſt, filij dilectionis ſuæ, retinendã eſſe cenſeo. Etenim non modò dilectus patri filius eſt Chriſtus: ſed inſuper eſt quoq; dilectionis illius filius. Inuenias qui rectè regis alicuius filius, & tamen nõ ita rectè ſapientiæ illius filius uocetur, eo quòd paternã ſapientiam non referat. De Chriſto filio Dei dici non poteſt, quòd ſit quidem filius Dei, uerùm nõ ſit dilectionis illius filius. Deus dilectio eſt, filius illius dilectionem paternam exprimit per omnia: id quod & ſpiritus illius, & uerbum, & tota ſuſcepta pro nobis diſpenſatio omniũ luculentiſsimè teſtantur. Sic habemus Chriſtũ filium Dei, non ſolùm dilectum patri, ſed & paternæ dilectionis germanũ filium, diligentẽ nos, ac dilectionẽ paternam erga nos per omnia declarantem. Propter hanc cogitationẽ exiſtimo legendũ eſſe cum uulgata editione, iuxta Gręcam lectionẽ: Ac tranſtulit in regnũ filij dilectionis ſuę. Auguſtinus libro de Trinitat 15, capite decimononoe, ſic dicit: Quòd autẽ dictum eſt, Filij charitatis ſuæ: nihil aliud intelligatur, quàm filij ſui dilecti, quàm filij poſtremò ſubſtantiæ ſuæ. Charitas quippe patris quæ in natura eius eſt ineffabiliter ſimplici, nihil aliud eſt quàm ipſa eius natura atq; ſubſtantia: ac per hoc filius charitatis eius nullus eſt alius, quàm qui de ſubſtantia eius eſt genitus. Hæc ille.

Per quem habemus redemptionem, inquit, *per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum.*] Habentur hæc uerba & in Epiſtola ad Epheſios, capite primo, ubi de illis annotauimus. Summatim complectitur opus redemptionis noſtræ. Quæ illa ſit, exponit: nempe remiſsio peccatorum: deinde in quo illam habeamus, in filio Dei uidelicet (eſt enim in Græco, ἐν ᾧ, id eſt in quo.) tertiò, quomodo illa perfecta ſit, uel per quod precium conſtiterit, per ſanguinem ſcilicet illius. Sed hac de re loco iam citato admonuimus. Ergo eundem habemus regem, quem habemus redemptorem: ſumusque facti in regno Dei conſortes non modò ſanctorum, ſed & ipſius regis ac redemptoris noſtri Chriſti Ieſu. De redemptione uerò, & peccatorum remiſsione, diximus in Locis noſtris.

Poterit hic quæri, quomodo redemptio noſtri cõſtet remiſsione peccatorum, cùm per ſanguinem Chriſti redempti ſimus. Vbi precium redemptionis ſanguine conſtitit, quomodo locum ibi habere poteſt peccatorum remiſsio? Vbi namque peccatum remittitur, ibi eſt gratia: ubi uerò gratia eſt, ibi locus non eſt precio redemptionis.

Ad hanc quęſtionem facilis eſt reſponſio. Quod autem attinet redemptorem noſtrũ Chriſtum, benedictum in ſecula, liberatio noſtri conſtitit non gratia, ſed redemptione per ſanguinis illius precium facta, qua iuſticiæ Dei pro peccatis noſtris eſt ſatisfactum. Quod uerò nos concernit, gratis liberati ſumus, per gratuitam omnium peccatorum noſtrorum remiſsionẽ. Sic diuerſis reſpectibus in opere redemptionis noſtræ concurrunt gratia & precium, remiſsio peccatorum & ſatisfactio pro peccatis. Quoniam igitur de toto redemptionis noſtræ beneficio gloriari poſſumus, rectè gloriamur non modò de gratuita peccatorum noſtrorum remiſsione, ſed & de redẽptione noſtri: de precio uidelicet ſanguinis Chriſti, tanquam de ſatisfactione, quã pręſtitit pro nobis, & pater tanquã plenam ac ſufficientẽ acceptauit: ut iam nihil iuris in nos habeat infernalis lictor, cuius eramus poteſtati, ppter peccata noſtra iuſto iudicio Dei ſubiecti, poſtquã illi idẽ nos Deus eripuit, q̃ nos condẽnauerat, illiq; ſubiecerat.

Qui

Qui est imago Dei inconspicui, primogenitus uniuersæ creaturæ, quòd per illum creata sint omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, uisibilia & inuisibilia, siue throni siue dominationes: siue principatus siue potestates. Omnia per illũ & in illum creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia per illum consistunt. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primas tenens: quoniam in illo complacitum est patri uniuersam plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare cuncta erga se, pacificatis per sanguinem crucis eius per eundem, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cœlis.

Dixit suprà, in cognitione mysterij Christi duo cùm primis esse consideranda. Vnum, quę sit illius dignitas & excellentia: alterum ipsum opus susceptæ dispensationis ac nostrę redemptionis. De priori iam loqui cœpit, ubi uocauit eum filium Dei dilectum. Sciendum autem, dignitatẽ Christi esse geminam, essentiæ ac diuinitatis unam, personæ alterã. Essentiæ ac diuinitatis, qua natura Deus est: personæ, qua filius Dei est primogenitus & unigenitus. Illam communem habet cum patre ac spiritu sancto: unde ὁμόσιος cum utroq; prædicatur: istam uerò, nec cum patre, nec cum spiritu sancto, neque præterea cum quoquã alio communem: sed propriam habet, hypostaticam & personalem. Solus enim ut uerbum, ita & filius est patris in diuinitate. De priore non loquitur hic Apostolus, sed de posteriore, dum uocat eum filium Dei, imaginem Dei, primogenitum Dei: dicitq;, per illum creata esse omnia, & omnia per illum conseruari.

Diligentis itaque Lectoris fuerit, sic uersari in ijs quæ de Christo in Euangelicis & Apostolicis literis prædicantur, ut accuratè obseruet, quò singula sint referenda. Et ut rudi Lectori absq; ulla contentione utcunque seruiam: existimo posse ea omnia quadripartita diuisione comprehendi. Nam alia ad diuinitatem tantùm naturamq;, essentiam & gloriam Dei, alia ad personam & hypostasim filij ac uerbi Dei: alia ad utranq; communiter: alia ad uerbum incarnatum pertinent. Ad primam partem referendum est illud, Ioann. 1. Et Deus erat uerbum. Et quod Rom. 9. legitur, Qui est benedictus Deus in secula. Ad secundam uerò referas illa: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & per ipsum omnia facta sunt: & quæ hic ab Apostolo commemorantur, cum alijs consimilibus. Ad tertiam, quod hic dicitur esse ante omnia, esse principium, & primas habere in omnibus, esse omnium conseruatorem: & quæ alia sunt eiusmodi. Tam enim ista de patre quàm de filio prædicari possunt. Ad quartam omnia pertinent, quæ in suscepta dispensatione, siue diuina, uirtute siue humana infirmitate & gessit & passus est. Hoc quadruplici respectu, si quis in Scripturis de Christo testificantibus uersetur: hunc existimo expeditius aliquanto compendium habiturum, quo fidem suã à multis quæstionibus passim accurrentibus, explicet. Sed ad textum.

Qui est imago Dei inconspicui, inquit. De eo quòd Christum imaginem Dei uocat, diximus 2. Corinth. 4. ibi: In quibus Deus huius seculi excæcauit sensus incredulorum, ne illucescat illis lumen Euangelij glorię Christi, qui est imago Dei: quò Lectorem remitto. Quod præsentem locum attinet, diligenter obseruandum est, quòd postquam dixit, Et transtulit in regnũ filij dilectionis suæ: confestim subijcit, Qui est imago Dei incõspicui: quo significet esse Christum ipsissimum ac germanum Dei filium: idq; solum, sic ut in illo tantùm imago inuisibilis Dei reluceat, ut qui ipsum uidet & cognoscit, imaginem Dei patris, adeoq; & ipsum Deum patrem in illo uideat & cognoscat. quò respicit Christus, cùm dicit: Philippe, qui uidet me, uidet & patrem meum. Non dicit, Qui uidet me, uidet Deum: id quod tamen uerum est: sed, Qui uidet me, uidet & patrem meum, ut se uiuam ac perfectam patris esse imaginem significet: in qua pater, tanquam in uero, naturali & germano filio uideatur & cognoscatur. Aliud est, quòd filius eadem est essentia, natura & forma cum patre: & aliud, si eodem sit spiritu, ingenio, animo, studio uitæ, ijsdemq; per omnia moribus. Priore namq; modo non potest propriè imago patris sui dici. Nam in eo hominis quidem imaginem refert, patris sui uerò non refert, nisi in posteriore. Est autem germani filij hoc proprium, ut non solùm homo hominis essentiam, naturam & formam: sed & ut filius patris spiritum, ingenium, animum, sapiẽtiam, mores ac studia, tanquam uiua ac perfecta illius imago, exprimat. Quòd itaque Christus naturalis, germanus & ipsissimus sit filius Dei, patri per omnia similis, in eo cõprobatur, quòd perfectam illius imaginem exprimit ac refert. Si in illa deficeret, germanus ac uerus Dei filius non esset. Oportet omnino relationem hanc inter ipsum & patrem firmam esse ac constãtẽ, ut talis sit Deus pater, nõ modò essentia & natura, sed & uolũtate & operatione, qualis est ipsius filius Christus: ac rursus filius p omnia talis sit, qualis ipsius est pater. Hoc sensu uocat Apostolus Christũ imaginẽ Dei. Aliàs 1. Cor. 11. uir quilibet imago Dei uocatur: quod nõ est de pfecta imagine, qua filius patris imago est: sed de particulari dictũ, qua ex parte, aliqua ratione, Adam ad imaginẽ Dei conditus fuerat, secundum quã uir imago Dei uocari potest.

De

De eo quoq; cogitandũ est hoc loco, possit ne fieri ut perfecta sit imago Dei patris Christus illius filius, etiamsi non sit eâdẽ cum illo natura, essentia & diuinitate præditus. Ad quod paucis respondemus, esse id impossibile. Etenim nisi germanus esset filius Dei patris, non esset perfecta illius imago. Prius est esse filium, deinde esse imaginem patris. Non esset autem filius Dei patris, nisi esset illi & natura & essentia, & diuinitate per omnia similis & æqualis. Quemadmodum filius hominis nõ potest uerè patris sui exprimere imaginẽ, nisi cum primis sit eadem cum illo essentia, natura & forma: ita sanè habet & Christi filij Dei conditio. Quare non est præter rationem, quod Chrysostomus hoc loco contra hæreticos argumentando dicit, διὰ τοῦτο τὸ ἀπαράλλακτον δείκνυσι.

Nec illud ociosum est, quòd non simpliciter dicit, Qui est imago Dei: sed, Qui est imago Dei inconspicui. Græcè est, τοῦ ἀοράτου. Vulgata editio Latina habet, Inuisibilis. Testantur Scripturæ de Deo, quòd nemo illum uiderit unquam, nec uidere possit. Ratio nobis hæc datur, quod sit ἀόρατος, id est inuisibilis. Quid habet ille qui inuisibilis est, unde cognoscatur?

Si inuisibilis est Deus, inquies, unde cognoscemus eum? Si formam haberet, cognosceremus eum ex forma: sed est ἄμορφος. Et tamen necesse est, ut ad cognitionem illius perueniamus. Respondeo: Etsi sit ἄμορφος & ἀόρατος, uerbum tamen habet, in quo tanquam in expressa imagine, uideri cognosciq; potest. Non est ipse alterius cuiusquam imago: sed, quoniam inconspicuus est, habet imaginem, in qua se uisendum cognoscẽdumq; exprimere uoluit, idq; mox ab initio dum omnia per uerbum suum condidit. qua de re mox in sequentibus. Imago hæc Christus est, splendor gloriæ, & character substantiæ inuisibili Deo. Non est inuisibilis Deus, sicut inuisibilia sunt quæ uel tenebris sunt immersa, uel aliàs nullo pacto expressa. Est enim lux, & ὑπόστασις splendorem habens, & expressam imaginem. Dum Christum splendorem & imaginem illius uidemus, utiq; ipsum, quantumuis in se inuisibilem, uidemus. Quærunt, quomodo Iacob Genesis 32. & Moses Numeri 12. facie ad faciem ac palàm uiderint Deum, & nos illum uisuri simus in futura uita, sicuti est, si prorsus est inuisibilis. Verùm de ea quæstione diximus in Commentarijs nostris super Ioannem, capite primo, ibi: Deum nemo uidit unquam.

Priusquam ad ulteriora progrediar, admonendi sunt εἰκονολάτραι, quam imaginem adorare debeant. Solùm Deum adorandum esse, notum est pijs omnibus. Vbi non est uera diuinitas, ibi locum non habet adoratio. Nulla est autem imago cui diuinitas adscribi possit, præter unam hanc, quæ uiua, uera, germana & perfecta est inconspicui Dei imago, Christus uidelicet: idque non ut homo iustus, sanctus & innocens, sed ut unigenitus Dei, patri ὁμοούσιος, & per omnia æqualis ac similis, sola personę proprietate dempta. Quare damnabilis εἰκονολατρία est, qua imagines mortuorum sanctorum in templis prostitutæ adorantur, cùm ne ipsi quidem sancti, si præsentes essent, idq; in eo statu in quo iã sunt, adorationis capaces esse possent. Neque enim in illis imago Dei, quę similis sit Deo, & idem quod est Deus, qualis sit in solo Christo unigenito Dei, habetur: ideoq; & sola adorari debet.

Pictores & statuarij formant imaginem hominis senis & cani, & hãc in templis pro imagine patris colunt & adorant εἰκονολάτραι papistę. Verùm ut Augustinus Epistola 119. capite 11. dicit: Nulla imago Dei coli debet, nisi illa quæ hoc est quod ipse: nec ipsa pro illo, sed cum illo. Talem imaginem Dei nefas est Christianis in tẽplo collocare, qua gloria inuisibilis & incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis commutatur. Vide Augustinum libro de Fide & symbolo, cap. 7.

Calumniantur Papistæ, quòd in Ecclesijs nostris nullæ prostant imagines Dei, Christi & sanctorum, ligneæ, lapideæ, æneæ, argenteæ & aureæ, pictæ ac sculptæ: indeq; diffamant nostras Ecclesias, quod sint non sacræ, sed prophanæ. Audiant, obsecro, quæ ad hanc calumniã ut Christiani respõdere possumus. fatemur quidem planè, omnino prophanam omnem esse Ecclesiam, in qua non sunt imagines Dei, Christi & sanctorum: uerùm iuxtà monemus, ut habeantur ueræ, non falsæ. Imago Dei uera habetur in Ecclesia, quando Christus unigenitus illius habetur. Nemo Christianorum negare poterit, esse illum imaginem Dei ueram, germanam & perfectam, non creatam: non factam, sed ab ipso Deo patre ab æterno genitam. Hanc imaginem Dei in medio eorum esse constat, qui in nomine ipsius congregantur. Vbi duo uel tres (inquit) in nomine meo cõgregantur, ibi sum in medio illorum. Hæc imago Dei in cordibus eorum habitat, qui ipsam ex animo diligunt: & ubi illa habitat, ibi habitat & Deus pater ipse. Qui diligit me (inquit) sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum: & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ioannis 14. Non habitat hæc imago Dei in templis lapideis, sed in cordibus fidelium, qui uerè Christianam constituunt Ecclesiam. Dum hanc in Ecclesijs nostris unà cum prototypo illius Deo patre habemus, uidemur ne Ecclesias habere prophanas sine Deo, & sine imagine Dei? Absit. Viderint illi quam imaginem Dei in templis suis habeant, colãt & adorent. Humana barbati senis imago, ne uiua quidem & creata, nedum lignea uel lapidea, manibus hominum picta uel sculpta, pro imagine Dei sine grandi impietate haberi potest.

Nec est quòd dicant, se quoque habere in templis suis Christum, imaginem Dei. Habent Christum non uerum, sed pictas & sculptas hominis Christi figuras, manibus hominum pictorum ac statuariorum factas, quas nemo fidelium pro uero Christo habere poterit. Si uerũ Christum habent, habent eum non manibus hominum factum, non insensatum, sine anima, sine uita, sine motu: cæcum, surdum, mutum, aris impositum, uel sub sera clausum, sed à Deo patre genitum, uiuum, uerum, uera diuinitate prẽditum, in cordibus ipsorum habitantem, ac spiritu suo illa dirigentem ac gubernantem. Si hunc Christum haberent, ueram utiq; imaginem Dei haberent, & illam in nostris quoq; Ecclesijs agnoscerent.

Quod sanctorum imagines attinet, puto Ecclesias illas, in quibus sunt uiui sancti, non haberi posse pro prophanis. Quis nam cordatorum dubitat, præstantius & Christianius esse, habere in Ecclesijs uiuos sanctos, quàm pictas & sculptas mortuorum sanctorũ imagines? Vbi autem habentur ueri fideles, ibi habentur ueri ac uiui sancti. Vbi illi non habentur, ibi non potest Ecclesia Christi agnosci, quæ non imaginibus mortuorum sanctorum, sed uiuis sanctis constat. Ipsi autem cõstanter negant, se in Ecclesijs suis uiuos habere sanctos. Habent igitur non nos, sed ipsi, prophanas omnino Ecclesias.

Non habetis (inquiunt) Apostolorum ac martyrum imagines, quas nos in templis nostris habemus, ac ueneramur. Respondeo: Imago Apostoli, doctrina est Apostoli, non picta & sculpta figura. Qui hanc habent, utiq; imaginem habent Apostoli, qua non corporis figura, sed Apostolicæ mentis ac fidei character exprimitur. Aliud est Pauli hominis, iuxta corpus: & aliud Pauli apostoli, iuxta apostolatum, habere imaginem. Deinde ubi habetur minister Apostolicæ doctrinæ, an non in eo magis quàm in ligneo simulacro, uiua habetur Apostoli Christi imago? Præterea confidenter dicimus, quẽcunque minimum ex ijs qui Christi sunt, longè, immò infinito potiorem esse quàm omnes Apostolorum & martyrum pictas ac sculptas imagines. Et unus martyrum Christi, quorum numerus in nostris Ecclesijs abũdat, præstantior est omnibus surdis, mutis, cæcis & insensatis martyrum quorumcunque simulacris. Sed cesso de surdis illis imaginibus, surdis illarum cultoribus proponere, quæ audire nec possunt, nec uolunt.

Primogenitus, inquit, *uniuersæ creaturæ.*] Tertium hoc est elogium, ad personalem Christi dignitatem pertinens. Vocauit eum dilectionis Dei filium: deinde, incõspicui Dei imaginem: iam tertiò uocat eum primogenitum uniuersæ creaturæ. Homini autem à cognitione mysterij Christi alieno mirum uideri poterit, quomodo uocet eum primogenitum omnis creaturæ. Etenim hac loquutione uidetur illum constituere omnis creaturæ ueluti parentis filium, quasi ex illa & Deo patre sit genitus, id quod absurdissimum est cogitatu. Deinde Christianus quoque mirari poterit, quomodo uniuersis creaturis coniungatur, dum illarum primogenitus uocatur, cùm non sit creatus, sed genitus à Deo: ut rectius uideatur, si omnis genituræ potius quàm omnis creaturæ primogenitus appelletur.

Hæretici ex hoc loco occasionem sumpserunt, filium Dei Christum creaturis accensendi. Verùm non dicit Apostolus, quòd sit uel πρωτοπλάστος, uel πρωτόκτιστος: sed uocat eum πρωτότοκον. Videndum igitur, quis sit huius particulæ sensus. Primogenitus omnis creaturę est Christus bifariam. Primò, quatenus genitus est, priusquam mundus hic esset conditus. Nulla creatura siue earum quæ sunt in cœlo, siue earum quæ sunt in terra, condita erat, cùm esset filius Dei ab æterno genitus à Deo patre. Sic accipit & Ambrosius: Ante omnem creaturam (inquit) genitum filium, non creatum, testatur. Hoc sensu πρωτότοκος πάσης τῆς κτίσεως idem est, quod genitus πρὸ τῆς πάσης κτίσεως. Deinde primogenitus dicitur Christus etiam hactenus, quatenus est Dominus omnium. Sic enim comparatum est ius primogenituræ, ut qui primogenitus est, in regno patri succedat, & reliquorum fratrum sit Dominus. quo sensu ad Romanos octauo primogenitus inter multos fratres uocatur. Vtroque sensu hæc particula accipi potest. Est enim & ante omnem creaturam genitus à patre, & omnis creaturæ Dominus. Germanicus interpres reddidit, Der erſtgeboren uor allen creaturen.

Quòd per illum, inquit, *creata sunt omnia.*] Probat esse Christum primogenitum Dei, ante omnem creaturam à Deo patre genitum. Poterat enim cogitare quisquam, unde cõstaret ipsi, genitum esse Christum ante omnem creaturam. Et alioqui temerarium uidetur quicquam tradere, quod fuerit, priusquam hic mundus esset conditus. Reddit igitur rationem eius quod dixit, ne de Christo temerè quicquam affirmare uideatur, quo gloriam illius amplificet. Ideo non simpliciter dicit, Et per illum creata sunt omnia: sed, ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα, id est, Quoniam in illo creata sunt omnia. Si per illum creata sunt omnia, necesse est ante omnem fuerit creaturam: necesse est etiam, ut non fuerit creatus, sed genitus. Etenim si creatus fuisset & ipse, quomodo omnia per ipsum essent creata? Nec dici potest, quòd semetipsum crearit. Nulla creatura suijpsius creatrix esse potest. Quomodo namque quod nondum est, crearet aliquid, nedum semetipsum? Consequitur itaque necessariò, esse Christum filium Dei, ante omnem creaturam à patre non creatum, sed genitum: quandoquidem omnia per illum creata esse constat.

Sed

Sed unde hoc constat? Scribit Apostolus Christianis, quibus constat esse Christum uerbũ illud incarnatum, per quod ante secula condita sunt omnia, teste propheta, qui Psalmo 33. dicit: Verbo Domini cœli facti sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Illis ualet præsens argumentum, quod iudicio rationis nostræ, cæcæ ac stultæ, non ualet.

Rectè autem hoc loco Erasmus, quod in Græco est ἐν αὐτῷ, id est, In ipso: uertit, Per illum: id quod in sequentibus mox patebit. Loquutus est Apostolus more Ebræo: ad quem modum & Psalmo trigesimo tertio, cœli in uerbo Domini facti esse dicuntur. Sic enim ibi legimus, בדבר יהוה שמים נעשו: id est, In uerbo Domini cœli facti sunt. quæ phrasis Latinę linguæ non competit.

De eo uerò, quòd pater omnia per filium suum Christum Iesum condidit, diximus in Epistola ad Ephesios, capite tertio, ibi: Qui creauit omnia per Iesum Christum. deinde & Ioannis 1. ibi: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.

Quæ in cœlis sunt, inquit, *& quæ in terra, uisibilia et inuisibilia: siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates.*] Amplificat, quòd per Christum omnia creata esse dixit. Vniuersalem uoculam, Omnia, generali quadam diuisione explicat: quandoquidem impossibile est omnes creaturarũ species, quæ sunt innumeræ, persequi. Diuidit igitur omnia creata, primùm in cœlestia & terrestria, deinde in uisibilia & inuisibilia. Nam quicquid creatum est, uel in cœlo est, uel in terra. Cùm aũt dicit, In terra, non intelligit de illis tãtùm quæ sunt in superficie terræ: sed & de reliquis omnibus quæ sunt in sinu terræ, & in aquis sub terra. quemadmodum & cùm dicit, Quæ in cœlis sunt: omnia complectitur quæ sunt in nubibus, in firmamento, & supra firmamentum. Vsus est hac simplici diuisione & Moses, dicens: In principio fecit Deus cœlum & terram, &c.

Deinde diuidit omnia creata in uisibilia & inuisibilia. Etenim quæcunque sunt, siue in cœlo siue in terra, uel uisibilia sunt, uel inuisibilia. Loquitur autem nostri captus respectu, secundum quẽ creaturæ Dei aliæ sunt uisibiles, aliæ inuisibiles. Nam in se nihil est ex omnibus creatis, quod oculis Domini sit inuisibile: & econtrà, omnibus ille solus est creaturis inuisibilis.

Quæsierit hic quisquam, quorsum mentionem faciat inuisibilium, quæ ut sensus oculorũ nostrorum non attingunt, ita & in cognitionem nostrã non cadunt: præsertim cùm nec Moses in historia creationis de inuisibilibus quicquam scribat. Verùm si propositum Apostoli consideretur, facilè intelligi potest, quare Christo non solùm uisibilium, sed & inuisibilium creationem in hac ad Colossenses Epistola tribuat. Propter pseudapostolos uidelicet, qui cœlestium spirituum cultum, nescio quæ de angelis comminiscentes, docebant & inculcabant, sicuti Capite sequenti patebit. Contra illorum seductionem conijcit inuisibiles illos spiritus in ordinem creaturarum, ac subijcit eos Christo, per quem sunt creati. Eodem consilio & in ea quæ ad Ebræos est, capite primo, dignitatem Christi multis argumentis supra angelos extollit.

Siue throni, inquit, *siue dominationes, siue principatus, siue potestates.*] Ne inferioris tantùm ordinis creaturas per Christum conditas intelligerent Colossenses, etiam eas exprimit, quæ cæteris sunt sublimiores: utpote principatus, dominationes, potestates, &c. de quibus uocibus diximus ad Ephesios primo, ibi: Super omnem principatum, potestatem, potentiam & dominium. Significat nihil tam esse eximium, non modò in terra, sed & in cœlis, non solùm inter uisibilia, sed & inter inuisibilia, quod non sit per Christum primogenitum Dei conditum. Verosimile est, pseudapostolos, quò doctrina Christi contemptibilem redderent, multis disputasse de cœlestibus spiritibus, & angelorum sedibus, dominationibus, principatibus, potestatibus ac uirtutibus: atque ita extulisse illorum cultum supra fidem ac religionem Christi, ut necessarium fuerit Apostolo etiam illos conijcere in ordinem creaturarum, ac Christo tanquam Domino ac conditori omnium subijcere. Qui & quales sint cœlestium spirituum ordines, non est nostrum statuere. Satis intelligimus, si non dubitemus eos esse per Christũ conditos, illíque per omnia subiectos: deinde inferamus de terrenis potentatibus, dominationibus ac principatibus, Si cœlestes potentiæ per Christum sunt conditæ, illíq; ad seruiendum subiectæ, quanto magis terrestres?

Omnia per illum & in illum creata sunt, inquit, *& ipse est ante omnia, & omnia per illum consistunt.*] Repetit & inculcat uniuersalem, ne quid illi per diuisionem quam posuit, decedere uideatur. Quatuor dicit, quorum duo repetit ex præmissis, reliqua duo illis ad amplificandum dignitatem Christi adijcit. Omnia (inquit) per illum creata sunt (Græcè est δι' αὐτοῦ, id est, per ipsum: ut uideas quod suprà dixit ἐν αὐτῷ, id est, in ipso, idem esse quod per ipsum) & ipse ante omnia. Hæc duo suprà sic posuit: Qui est primogenitus omnis creaturę, quoniam per illum creata sunt omnia. Genitum esse ante omnem creaturam, & esse ante omnia, reipsa idem sunt. Ioannes Euangelista capite primo: In principio (inquit) erat Verbum. In principio intellige, cùm fierent cœlum & terra, & quæ in illis sunt omnia, non fiebat uerbum, sed erat uerbũ: nec erat tantùm, sed per illud fiebant & creabantur omnia. Si quæras, ubi nam fuerit, cùm

nec cœlum esset, nec terra, apud Deum (inquit) erat. Vbi Deus creator omnium ante creaturas suas erat, ibi erat & uerbum. Quomodo hoc fieri potuit? Audi. Deus erat uerbum. Igitur usqueadeò mirum uideri non debet, quòd uerbum ante omnia apud Deum fuisse traditur, cùm Deus esset: ut mirum potius uideri debeat, si hoc quisquam neget. Vbi namque potius esset quod Deus est, quàm in Deo: & quod homo est, quàm in homine? Sed hac de re uide Ioannis primo.

Et *in illum*, inquit, *creata sunt omnia, & omnia per illum consistunt.*] Græcè rursus est ἐν αὐτῷ, id est, In ipso cõsistunt. Nihil relinquit ex omnibus creatis, quod Christo filio Dei non subijciat: dum non modò per illum, sed in illum quoque omnia creata esse, inq; illo omnia consistere dicit. In illum (inquit) creata sunt omnia. Quomodo? Quemadmodum pater rex totum suum regnum, regniq; uires, thesauros & gloriam in filium suum primogenitum ordinat ac disponit: ita Deus pater omnia non solùm per, sed & in filium suum primogenitum creauit, ac potestati illius subiecit, ut sit hæres ac Dominus omnium, & omnia in illius potentia consistãt. In rebus humanis accidere uidemus, ut filius à rege patre accipiat quidem ius ac potestatem regni: uerùm non conseruet ea quæ accepit. Hic uerò nihil huius accidit. Filius qui omnia accepit à patre, eâdem illa uirtute, qua patri æqualis est, conseruat: qua, cùm non essent, ex nihilo condidit.

Non sunt autem hæc sic adscribenda filio, ut pater excludatur, perinde atq; Iupiter Saturnum patrem regno exclusisse fertur. Quemadmodum pater cùm per filium suum crearet omnia, usq; adeò non erat expers operis, ut esset ipse illius author & opifex, quemadmodum artifex operis sui, quod per sapientiam suam operatur: ita & cùm omnia per filium conseruantur, haudquaquam sine patre conseruantur. Ipse namque perinde est omnium conseruator,
Roman. 11. atque omnium est creator. Vnde & alibi dicit Apostolus: Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipsum sunt omnia. Et Act. 17. In ipso namq; uiuimus, mouemur & sumus. Sunt ergo opera diuinitatis, neq; sic patris, ut non sint simul & filij: neq; sic filij, ut nõ sint & patris. Pater meus usque modò operatur (inquit Christus) & ego operor. Item: Pater in me manens, ipse facit opera quæ ego facio.

Et *ipse est caput corporis Ecclesiæ*, inquit.] Quæ hic subijcit, ad dispensationem uerbi incarnati pertinent. Secundum hanc dedit eum Deus pater caput Ecclesię, sicuti uidere est Ephes. cap. 1. circa calcem, ubi uide quæ hic sint annotanda.

Poterat dicere: Et ipse est caput corporis sui. & reuera sic habet. Nullum potest esse caput, nisi suijpsius corporis. Omne caput, corporis caput est. Ideo rectè dixit: Et ipse est caput corporis. Verùm ut significaret Ecclesiã esse corpus illud, cuius caput est Christus: pro eo quod dicẽdum erat, Et ipse est caput corporis sui: dixit, Et ipse est caput corporis Ecclesię. ubi uox Ecclesiæ per appositionẽ est posita. quasi dicat: Et ipse est caput corporis, quod est Ecclesia. Vocabulum Ecclesia, usitatum iam tum erat inter Christi fideles. Et in Israele erat קהלת, id est Congregatio populi Dei, quam Sacræ literæ συναγωγὴν uocant: at Ecclesia propriè competit fidelibus Christi, propter singularem uocationem, qua ex omnibus gentibus in unitatem fidei uocantur electi. Hoc sensu uocabulum Ecclesiæ solet usurpare Apostolus.

Qui est principium, inquit.] Si accipiamus de uerbo creationis, principium est Christus omnis creaturæ, non quòd sit ex ordine creaturarum primus: sed quòd ab ipso habeant omnia principium. Si uerò respiciamus ad uerbum incarnatum, quod est caput Ecclesiæ, & hic principium est Christus Ecclesiæ, quod Ebræi ראש uocant, quæ uox & caput & principium sonat. Quemadmodum in corpore principium est caput, ita in Ecclesia & caput & principium est Christus. Caput, quia rector, moderator & seruator: principium, quia fons & origo est Ecclesiæ suæ. Qua in re uidemus, quanta sit Ecclesiæ dignitas pariter & felicitas, qua filium Dei per quem omnia sunt condita, patri coæternum & ὁμοούσιον, principium habet & caput. In hoc
2. Petri 1. utiq; facti sumus θείας κοινωνοὶ φύσεως, propter originem unde est Ecclesia, & propter communicationem, quæ est inter corporis Ecclesiastici caput & membra. Chrysostomus non legit, ὅς ἐστι ἀρχὴ: sed, ὅς ἐστι ἀπαρχὴ: id est, Qui est primitię. & exponit, ἀπαρχὴν δὲ εἶπε, καθάπερ ἐπὶ καρπῶν τινος. ἐκ μέρους, ἀνάστασις, ἀλλὰ ἀπαρχὴ, δεικνὺς ὅτι πάντας ἡμᾶς ὑγίασε, καὶ ὥσπερ θυσίαν προσῳνήκε. hoc est: Primitias uerò dixit, ad similitudinem fructus alicuius. Non dixit, Resurrectio: sed, Primitię: ostẽdens quòd nos omnes sanctificauerit, & ueluti uictimam obtulerit. hæc ille. Quę propterea adduxi, ut cogitet Lector, quam lectionem præferat. Si cum Chrysostomo legerimus, ἀπαρχὴ πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν, consona erit ea lectio ijs quę 1. Corinthiorum decimoquinto leguntur: ubi Christus ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, id est, primitiæ eorum qui obdormiuerunt uocatur. Vide ibi quæ annotauerimus.

Primogenitus ex mortuis, inquit.] Magnum erat offendiculum mortis Christi. Dum prædicat de illo, quòd sit caput & principium Ecclesię: cogitari potest, non esse gloriãdum de tali principio & capite, quòd mortuum ac sepultum esse constat. Vt eiusmodi offendiculo occurrat, mortis Christi mysterium attingit: & ex illo quoque gloriam ac præcellentiam illius asserit, dum eum uocat primogenitum ex mortuis. Non uocat eum πρωτοτόκον ἐκ τῶν νεκρῶν, id est, primo-

primomortuũ ex uiuis: ſed, primogenitũ ex mortuis. Non eſt author mortis ipſe, ſed Adam: eſt uerò author uitæ, ex omnib. mortuis primogenitus, non ad hoc tantùm ut uiuat ipſe, ſed ut nos quoque membra ipſius exiſtentes, ad uitam per ipſum excitemur ac regeneremur: ut quemadmodum per hominem mors eſt, ita ſit & reſurrectio & uita mortuorum per hominẽ. Poterat dicere, πρῶτος ἐγερθὶς ἐκ νεκρῶν, id eſt, Primus excitatus à mortuis. uerùm conſultius dixit, Primogenitus ex mortuis: ut hic quoque primogenituræ dignitatem Chriſto uindicet, & alludat ad oraculum illud, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quòd autem reſurrectio ex mortuis noua ſit genitura, non hoc præſenti tãtùm loco, ſed Act. 13. patet, ubi dicit: Quoniam hanc Deus adimpleuit filijs ueſtris, reſuſcitans Ieſum. ſicut & in Pſalmo ſecũdo ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et hanc ob cauſam & Chriſtus ipſe noſtram reſurrectionem ex mortuis uocat regenerationem, dicens: Amen dico uobis, quòd uos qui ſequuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, &c.

Sic reperimus in Chriſto triplicem primogenituram. Prima eſt uerbi æterni, quòd genitum eſt à patre ante omnem creaturam, propter quam ſuprà primogenitus omnis creaturę uocatur. Secunda eſt, aſſumpti hominis, ſecundum quem primogenitus eſt matris uirginis. Vide Matthæi capite primo, circa calcem. Tertia eſt hæc præſens, ſecundum quam primogenitus eſt ex mortuis.

Nec eſt ut dicat quiſquam: Atqui ante Chriſtum multi ex mortuis reſurrexiſſe leguntur, quomodo igitur primogenitus ex mortuis eſſe poteſt? Etenim ante illum nemo ſic ex mortuis reſurrexit, ut nõ fuerit illi denuò moriẽdum. Ipſe primus ex omnib. mortuis, nunquã amplius moriturus, reſurrexit ac reuixit. De multis illis ſanctis, quorum corpora Chriſto in cruce mortuo reſurrexerunt, denuò ne mortui ſint, uel ſecus, uide Auguſtinum Epiſtola 99. ad Euodium: & libro tertio de Mirabilibus Scripturæ, capite decimotertio. Non poteſt refelli, ſi quis dicat, eos poſt reſurrectionem Chriſti eſſe ſuſcitatos. Nam ſic legitur: Et egreſſi è monumentis poſt reſurrectionem eius, uenerunt in ſanctam ciuitatem. Matthæi uigeſimoſeptimo.

Vt *ſit in omnibus ipſe primas tenens*, inquit.] Non ſimpliciter, Et in omnibus primas tenens: ſed, Vt ſit (inquit) in omnibus ipſe primas tenens. Omnino reddit rationem præcedentium, uel omnium, uel certè eius quod proximè dixit, factum eſſe Chriſtum primogenitum ex mortuis. Si omnium, referenda eſt hæc particula ad ſuperiora, quibus dixit Chriſtum primogenitum eſſe uniuerſæ creaturæ, & quæ cõtinuò hucuſque ad præeminentiam dignitatis illius pertinentia ſequuntur. Et reuera ſic primas habet in omnibus creaturis, tam in cœlo quàm in terra conſtitutis, tanquam omnium princeps ac dominus. Si proximè præcedentium, quibus eum primogenitum ex mortuis eſſe dixit, ſenſus eſt: Voluit Deus pater filium ſuum, quem ab æterno ante ſecula genuit, per quem & in quem omnia quę in cœlo ſunt, & in terra, creauit, & in quo omnia conſiſtunt, non ſolùm uiuorum eſſe principem, ſed & mortuorum: ideoque morti illum tradidit, & ex mortuis excitatum primogenitum conſtituit, ut in omnibus primas habeat, uiuisque ac mortuis dominetur. Haud quidem omnium in eo primatus eſt, quod primogenitus eſt ex mortuis: uerùm niſi hoc eſſet, primas in omnibus non teneret. Non erat in baptiſmate Ioannis omnis iuſticiæ plenitudo ſita. & tamen cùm baptizari à Ioanne uellet, & hoc ille recuſaret, dicebat: Sine modò, ſic enim decet nos omnem implere iuſticiam. Significabat, eam quoque partem ad plenitudinem iuſticiæ requiri. Sic hoc quoque loco, ad hoc ut primas teneret in omnibus, id quoque requirebatur, ut primogenitus fieret ex mortuis.

Primas habere in omnibus, ſic latè patet, ut nemo mortaliũ reperiatur, qui in omnibus primas tenere poſsit: & in multis paucos inuenias, qui uelint etiam. In omnibus habere primas, eum requirit qui primus omnium ſit in uirtutibus, in bonitate uidelicet, iuſticia, æquitate, ſapientia, fortitudine, humilitate animi, patientia, &c. deinde, qui primam omnium habeat poteſtatem: tertiò, qui & potentia præſtet omnibus: quartò, qui primam omnium dignitatem, primosque honores ſuſtinere poſsit: & quintò, qui primas quoque partes in rebus gerendis obire ualeat. Vindicant ſibijpſi Romani pontifices hanc dignitatem, ut primas teneant in omnibus, proq; illa decertarunt iam ſeculis aliquot: & hac noſtra ætate extrema citius pericli tari uolunt, quàm illa priuari. Primos honores, primam poteſtatem, primas omnium beneficiorum mordicùs retinent: uerùm ſi uirtutes & officia obeunda ſpectes, in hiſce ne cum poſtremis quidem, nedum cum primis reperiuntur. Quòd igitur ſibi primatum ita ſedulò uendicant, uendicant ſibi quod nec habent, nec habere poſſunt, & quod uni eſt Chriſto à Deo patre datum.

Quoniam in illo, inquit, *complacitum eſt patri, uniuerſam plenitudinem inhabitare.*] Patri, non eſt in Græco, nec in uulgata Latina editione: rectè tamen eſt ab Eraſmo adiectum. Exprimit hiſce uerbis, quare oporteat Chriſtum primas habere in omnibus: propterea uidelicet, quòd placuit patri omnem in illo plenitudinem inhabitare. De qua uerò plenitudine loquatur, non eſt ut

de noſtro exprimamus, quandoquidem infrà Capite ſequenti, quod hic deſideratur, diſertè exprimit, dicens: Quoniam in illo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter. Puto namque ſatis patêre cordato Lectori, nihil illic aliud dici quàm quod hic legimus: niſi quòd illic perfectius exprimit, quod hic omiſerat. Longum, immò impoſsibile fuerit, omnes plenitudinis Chriſti ſpecies recenſere: quare illic uno deitatis uocabulo omnes eſt complexus. Verùm ea de re illic dicemus.

Quærendum hic uidetur, quare placuerit patri, omnem plenitudinem inhabitare in Chriſto, & unde cognouerit Apoſtolus, quòd hoc patri placuerit. Duo ſunt hic reſpectus conſiderandi, unde cognoſcamus, quare placuerit patri omnem plenitudinem inhabitare in Chriſto. Vnus eſt uerbi, tanquam eiuſdem cum patre & eſſentiæ & naturæ: ſecundum, quòd Chriſtus æqualis eſt patri in omni diuinitatis potentia & gloria. Alter eſt impoſitæ illi diſpenſationis, noſtræq; redemptionis & ſalutis. Quoniã illum uoluit redemptorẽ, ſeruatorem, Dominumq; eſſe & caput Eccleſiæ: ſimul placuit, omnem in illo inhabitare plenitudinẽ diuinitatis, ex cuius abundantia omnes acciperemus gratiam ſuper gratiam, ſicuti uidere eſt Ioannis primo. Hinc rectè colligimus, ſimul placere Deo patri, ut non aliunde, ſed in Chriſto tantùm ex illius plenitudine gratiam, auxilium, ſalutem ac uitam quæramus. Ab hac uoluntate Dei diſcedunt mortuorum ſanctorum inuocatores ac cultores, impiè ac fruſtrà quærentes gratiam & auxilium in illis, quos noluit Deus eo eſſe loco, ut ſint noſtri ſeruatores & opitulatores: & non potius in Chriſto filio illius, in quo uult omnem diuinitatis inhabitare plenitudinem. Cogitent hac de re, qui perperam legentes, Aue gratia plena, & impiè exponentes, plenitudinem gratiæ contra uoluntatem Dei in uirginem collocant. Cogitent (inquam) quanta cum iniuria Chriſti, quamque impiè & pernicioſè tribuant hanc plenitudinem B. uirgini: quæ etſi mater eſt Domini ſecundum carnem, ſeruatrix tamen non eſt, ſed & ipſa per plenitudinem filij ſeruata.

Vnde autem cognouerit Apoſtolus omnem in Chriſto diuinitatis inhabitare plenitudinem, ad id facilè reſpõdemus. Vnde cognouit eum eſſe filium Dei, per quem & in quem creata ſunt omnia, & in quo conſiſtunt omnia, & imaginem Dei inconſpicui & caput corporis Eccleſię, ac unicum omniũ ſeruatorẽ: inde cognouit etiã ſic placuiſſe Deo patri, ut inhabitet in eo omnis plenitudo diuinitatis, uera Chriſti cognitio complectitur. Hęc omnia Deus qui filium ſuũ reuelare per hunc Apoſtolũ uoluit, reuelauit illi myſteria Chriſti, à mundo abſcondita. Acceſsit etiam experiẽtia, unde reipſa experiebatur, omnem eſſe in Chriſto diuinitatis plenitudinem, per id quòd omnis generis ſpiritualia chariſmata credentibus in illum conferebantur, quorum & ipſe copioſè fuerat particeps factus.

Et per eum, inquit, *reconciliare cuncta erga ſe.*] Inter mundũ & Deum facta eſt diuiſio, ſtudio ſerpentis antiqui, per tranſgreſsionem præcepti ac peccatum primorũ noſtrorum parẽtum. Ea diuiſio non modò peperit, ſed & auxit inimicitias: tam abeſt, ut quiſquam uel in cœlo fuerit uel in terris, per quem reconciliatio fieri poſſet. Placuit igitur Deo, ut fieret per ipſius filium: ut per quem cuncta creata fuerant, per eundem etiam cuncta reconciliarentur.

Eſt hic locus diligenter de reconciliatione obſeruandus. Quemadmodum enim ipſiſsima perditio, eſt ſeparatum eſſe à Deo: ita ipſiſsima ſalus eſt, eſſe illi recõciliatum & unitum. Sunt itaq; iſta ex ordine notanda.

1. Factam eſſe reconciliatinẽ. 2. Quorum. 3. A' quo.
4. Cum quo. 5. Per quem. 6. Quomodo.

1. *Factam eſſe reconciliationem.*

Reconciliatio quid ſit, notum eſt. Græca uox ἀποκαταλλάξαι, ſignificat gratiam & amicitiam priſtinam offenſione aliqua diremptam reſarcire & integrare, atque ita diuiſos in mutuam beneuolentiam & concordiam reſtituere, & ex inimicis reddere amicos. Sanè ubi nulla eſt ſimultas, nullaque inimicitia, ibi locum non habet reconciliatio, quæ omnino præcedentem inimicitiam præſupponit. Hoc ſignificans Apoſtolus ad Romanos capite quinto, dicit: Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo. quæ uerba & de præteritis inimicitijs & de facta reconciliatione teſtantur. Ergo, ſi reconciliati ſumus, neceſſe eſt ſublatas eſſe inimicitias, quibus eramus à Deo abalienati, & natura filij iræ, ſic ut iam ſimus in gratia, beneuolentia & amicitia cum Deo coniuncti. Eſt autem incredibile, quantum conſolationis fideliũ conſciẽtijs reconciliationis huius ſenſus in tentationibus & angoribus adferat. Etenim ſi ira regis mors, beneuolentia uerò uita eſt: quanto magis ſic nos de ira ac beneuolentia Dei ſentire cõuenit, ut nõ dubitemus, quemadmodum in ira illius ſempiternum eſt & ineuitabile exitium, ita in gratia ac beneuolentia illius ſempiternam eſſe uitam ac ſalutem?

2. *Quorum ſit facta reconciliatio.*

In poſteriore ad Corinthios capite quinto dicit: Deus erat in Chriſto, mundum reconci-

lians

lians sibi. Ergo pro toto humano genere facta est hæc reconciliatio. Constare uidetur autem genus humanum ex reprobis & electis. Dicemus ne igitur omnes in uniuersum tam reprobos quàm electos esse reconciliatos?

Respondeo: Ex hominibus, non ex reprobis & electis, constat genus humanum. Reprobum & electum esse, non facit homines: ideoque nec genus humanum constituit, atque ita nec mundum. Sic Deus dilexit mundum (inquit Seruator Ioannis tertio) ut filium suum daret, ut quisquis credit in eum, non pereat: sed habeat uitam æternam. Et hic cùm Deum mundum dilexisse dicit Christus, non includuntur reprobi, sed simpliciter genus humanum, hoc est, omnes homines. Et cùm Apostolus epistola prima ad Timotheum, capite secundo dicit: Qui uult omnes homines saluos fieri: non loquitur de reprobis, sed de omnibus hominibus. Consimili modo quod dicit, Deum fuisse in Christo, mundumque sibi reconciliasse: non est ad reprobos referendum, sed ad omnes homines.

Dices: Atqui & reprobi homines sunt. Igitur & illi sunt reconciliati. Respondeo: Quia non sunt simpliciter homines, sed reprobi homines: ideo non possunt reconciliationis huius esse participes.

Adhuc, Atqui omnes homines sunt peccatores, dices: atque ita non est inter illos quisquã, qui simpliciter sit homo. Ergo nemo prorsus ex mortalibus reconciliatus est. Respondeo: Aliud est esse peccatorem, & aliud esse reprobum. Peccatores sumus omnes, reprobi uerò non ita. Deinde, reconciliatio propriè concernit peccatores, atque ita pertinet ad totum genus humanum. Catholica est ratio reconciliationis propter catholicum peccatum, quod genus humanum à Deo diuisit: reprobatio uerò non est catholica, ideo ad illam catholica reconciliatio pertinere non potest.

At inquies: Electio quoque non est catholica, dicemus ne igitur, nec ad electos pertinere catholicam reconciliationem? Respondeo: Sic est. Reconciliatio præsupponit abalienationem, quæ erat propter peccatum, non electionem. Vbi Deus mundum reconciliasse dicitur, neque de reprobis est, neque de electis disputandum. In summa ad inimicitiam illam catholicam generis humani, quam ex Adamo contraximus omnes, propter naturæ nostrę corruptionem, referenda est hæc reconciliatio: & huius respectu totus mundus per Christum reconciliatus dicitur, quare non est ut hic quicquam de reprobis inferamus.

Hæc de eo dicta sunt, quòd Deus in Christo existens, mundum sibi reconciliasse dicitur: quòd uerò non omnes homines reconciliationis huius participes fiunt, ex eo est, quòd illã non omnes fide in Christum amplectũtur, sed quamplurimi per incredulitatem auersantur. qua de re & 2. Corinth. 5. diximus.

At hoc loco nõ simpliciter dicit, Et per eum reconciliare mundum: sed, Et per eum reconciliare cuncta, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cœlis. Locus hic obscurus est, & tamen à nonnullis magis adhuc obscuratur, ex quibus est Ambrosius, qui sic annotat: Vt ea omnia quæ fecit, per illum restauraret, cum errore quodam discrepare cœpissent ab inuicem, necnon & ab authore (est enim adhuc error in carnalibus cœlis) humiliauit eum incarnando illum: ut homo factus ostenderet ac doceret, quomodo possint ea quæ in firmamento sunt, & super terram, reconciliari creatori. Quod ut ad perfectum perduceret, occidi se passus est propter homines: ut quos apud superos docuerat, exeuntes hinc à morte secũda teneri non possint, ut doctrina eius fructum haberet primæ institutionis: & omnia facta per ipsum, uiuerent in ipso, quasi in authore. sicut Petrus fatetur in Actis Apostolorum. Hæc ille. Chrysostomus per ea quæ in cœlis sunt, angelos: & per ea quæ in terris sunt, homines intelligit. Sic enim exponit: Transtulit illuc hominem, restituit illis inimicũ adeò exosum. Non solùm quæ in terris sunt pacificauit, sed reduxit ad eos ipsum inimicum & hostem. Ea demum profunda ac solida pax est. Angeli deinceps in terra rursus apparent, quandoquidem & homo in cœlo comparuit. Item: Dissidebat (inquit) à cœlo terra. Hostiliter aduersabantur hominibus angeli, Dominum suum contemni uidentes. Hæc ille. Ergo intellexit locum hunc de recõciliatione, quæ facta sit inter cœlum & terram, id est, angelos & homines. quem sensum & ex ueteribus nonnulli, & ex recentioribus sequuntur.

Mihi uerò uidetur idem hic dicere Apostolum, quod ad Ephesios capite primo sic expressit: Vt summatim instauraret omnia per Christum quæ in cœlis sunt, & quæ in terra. ubi uide quæ annotauerimus. Restauratio omnium, hic reconciliatio omnium uocatur. Quæ reconciliantur, utique & restaurantur. Quomodo autem non homines tantùm, sed & uniuersa creatura, tam cœlestis quàm terrestris per Christum reconcilietur, tum demum perspicuè cognoscemus, quando restaurationem omnium reipsa uidebimus.

3. A' *quo sit facta reconciliatio.*

Ab eo utique facta est reconciliatio omnium, cuius non modò uoluntate ac placito, sed & opere est facta. Voluntatem ac placitum hic exprimit, cùm dicit: Quoniam in illo complacitum est patri uniuersam plenitudinẽ inhabitare, & per eum reconciliare cuncta erga se, &c.

Ergo Deus pater uoluit,& sic illi quoque placuit ut omnia erga se reconciliarentur. In posteriore uerò ad Corinthios,capite quinto,tribuit illi etiam ipsum opus reconciliationis,dicens: Omnia uerò ex Deo, qui recõciliauit nos sibijpsi per Iesum Christum. Item, Quoniam Deus (inquit) erat in Christo, mundum recõcilians sibi. Quemadmodum igitur firma & sine pœnitentia est diuini placiti uoluntas: ita firma est etiam reconciliatio, quæ ex illa nata est. In seculo frequenter accidit, ut frustrà fiant disidentium reconciliationes, propterea quòd non fiunt ex animo: sed uel coactè, uel per occasionem, uel nescio qua spe inani. Hic nihil huius timendum est.

4. *Cum quo sit facta reconciliatio.*

Si, quod in Græco est εἰς αὐτὸν, legamus cum Erasmo, Erga se: consequetur, reconciliationẽ hanc omnium quæ in cœlo sunt & in terra, factam esse non modò à Deo, sed & cum Deo. Sic & 2. Corinth. 5. legimus, Deum fuisse in Christo, mundumque sibi reconciliasse.

Verùm hic quæritur, quid necesse fuerit reconciliari cum Deo creaturas eas, quæ nulla in re aduersus Deum peccarunt, non solùm eas quę in cœlo sunt, utpote angelos, solem, lunam, stellas, aerem: sed & terrestres bestias, arbores, herbas, terram ipsam, & mare, fluuios, fontes, & quæ in aquis uiuunt. Si reconciliatio præsupponit inimicitias, quomodo locum in illis habere potest, in quibus nulla præcesserit inimicitia? Quòd humanum genus cum Deo reconciliari necesse fuit, in promptu ratio est: quia omnes nascimur natura filij iræ, propter peccatum, quo natura nostra infecta est. At ab hac conditione alienæ sunt reliquæ creaturæ, tam quæ in cœlis sunt, quàm quæ in terris.

Respondeo: Hoc mouit Chrysostomum, & eos qui illum sequuntur, ut reconciliationem hanc sentirent factam esse inter ipsas creaturas, terrenarum cum cœlestibus, & cœlestium cum terrenis, eo quòd inimicitiæ inter illas propter humanum genus intercesserint. Verùm si causa hęc propius inspiciatur, & considerentur ea quæ ad Romanos capite octauo ad hunc modum leguntur: Etenim sollicita expectatio creaturæ expectat, ut palàm fiant filij Dei. Quippe uanitati creatura subiacet, non uolens, sed propter eum qui subiecit illam sub spe. Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim, quòd omnis creatura congemiscit, simulque nobiscum parturit, usque ad hoc tempus, &c. existimò non esse reconciliationem hanc ad genus humanum duntaxat restringendam: sed ad uniuersam creaturam, tam quæ in cœlis quàm quæ in terris est extẽdendam, eoque sensu hæc esse ab Apostolo dicta. Quemadmodum enim omnis hæc cœli terræq; machina propter hominem condita est, ita & uicissim ira Dei omnia creata propter peccatũ hominis inuoluit, ut & ipsa opus habuerint reconciliatione, qua unà cum genere humano reconcilientur, & suo tempore restaurentur: hoc est, à seruitute uanitatis & corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei liberentur.

Quòd autem reconciliationem hanc & restaurationem creaturarum omnium, per Christum futuram, non intelligimus: in causa est, quòd nec primæuam illarum, nec futuram conditionem cognoscimus. Nescimus qua conditione fuerint ante peccatum hominis: & quæ futuræ sint, ubi in libertatem gloriæ filiorum Dei, cùm mundus innouabitur, liberabuntur. Quales esse cœperint post peccatum primorum nostrorum parẽtum, etiamnum ad oculum uidemus: quales uerò conditæ sint initio, & quales innouato mundo futuræ sint, nullo iam sensu comprehendere possumus. Itaque sensus hic, quo Deus omnia sibi, tam quæ in cœlo, quàm quæ in terra sunt, reconciliasse dicitur, planè nihil habet absurdi, nec impedit illum nostra harum rerum ignorantia.

5. *Per quem reconciliatio hæc sit facta.*

A` Deo patre fieri potuit hæc reconciliatio, sed non per Deum patrẽ: Opus enim erat mediatore inter Deum & genus humanum, per quem omnium fieret reconciliatio. Qua de causa misit filium suum, per quem omnia reconciliaret, per quem etiam, & in quem omnia creauerat. In illo (inquit) complacitum est patri uniuersam plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare cuncta erga se. Ergo quicunque gratiam Dei quærunt extra Christum, quærunt eam frustrà: quia extra reconciliationem adhuc inimici existentes quærunt, id quod faciunt Iudæi, Turci, & Pseudochristiani, gratiam reconciliationis huius negantes, ac suis ipsorum operibus & meritis, uel certè mortuorum sanctorum intercessioni, quam fingunt confidentes. Quare uerò per solum Christum reconciliatio hæc fieri potuerit, ex ijs quæ hoc illi loco tribuit Apostolus, satis intelligi potest.

6. *Quomodo sit hæc reconciliatio per Christum facta.*

Modum etiam reconciliationis huius, quo illa per Christum est facta, exprimit Apostolus dicẽs: εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ δι' αὐτοῦ, i. Pacificãs, uel facta pace p sanguinẽ crucis eius

per

per ipsum: uel, per eundem. Verba hæc Erasmus non satis circumspectè uertit ad hunc modum, Pacificatis per sanguinem crucis eius per eundem, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cœlis. quasi dicat Apostolus: Ea quę tam in terra sunt quàm in cœlis, esse pacificata p sanguinem Christi. Non dicit illa esse pacificata, sed simpliciter & absolutè, Deum per sanguinem Christi pacem fecisse: atque modum ita exprimit, quo omnium sit à Deo per Christum facta reconciliatio. Quare contextus hic sic est per parenthesim disponendus: Quoniam in illo cõ placitum est patri uniuersam plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare cuncta erga se (facta pace per sanguinem crucis eius per eundem) tam quæ in terra sunt, quâm quæ in cœlis. Sic posterior hæc particula pertinet ad ea quibus dixit, Et per eum reconciliare cuncta erga se: ut legatur ad hunc modũ, Et per eum reconciliare cuncta erga se, tam quæ in terra sunt, quàm quæ in cœlis, facta per sanguinem crucis illius pace per eundem. Quod si cui placet secundum quorundam fratrum uersionem legere, Pacificando per sanguinem crucis eius per ipsum, tam quæ sunt super terram, quàm quæ sunt in cœlis: per me licet sic legat. Ergo per mortem Christi, quam pertulit in cruce, facta est pax & reconciliatio inter Deum, & omnia creata.

Per sanguinem crucis eius, inquit.] Quare non simpliciter, Per sanguinẽ eius: sed, Per sanguinem crucis eius? Non proponit nobis sanguinem Christi in se simpliciter, sed quatenus in cruce pro peccatis nostris effusus est. In effusione illius siquidem oblatio est & satisfactio pro peccatis nostris. Vnde & Christus ipse in cœna non simpliciter dixit, Hoc est sanguis meus: uel, Hoc est testamentum nouum in sanguine meo: sed adiecit, Qui pro uobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Papistæ ubi communicationem sub una specie (ut loquuntur) defendunt, dicunt & in corpore esse sanguinem: ideoq; qui de corpore communicãt, de sanguine quoq; Christi communicare. Atqui Christus non simpliciter sanguinem suum in hoc sacramento, quatenus erat tũ in corpore ipsius: sed quatenus in cruce pro peccatis nostris effundendus erat, peculialiter proposuit. Et fratres nostri quos habemus in Euangelica doctrina collegas & symmistas, admodum inconsultè de præsentia corporis & sanguinis Christi, eoque corporali ac reali, magis quàm de immolatione corporis, & effusione sanguinis eius in cruce facta contendunt.

Dixerit hic quisquam: Sanguis Christi, quem in cruce pro peccatis nostris effudit, humanus sanguis est, in hoc assumptus & effusus, ut humanum genus redimeretur: quomodo igitur in illo reconciliati sunt angeli cœlestes, & reliquę tam cœlestes quàm terrestres creaturę? Nusquam angelos (inquit Apostolus ad Ebræos secundo) sed semen Abrahæ assumpsit. Vt homines redimeret, homo factus est. Eâdem ratione si angelos redimere ac recõcilare Deo uoluisset, angelicam naturam assumere debuisset.

Respondeo: Non sunt homines propter angelos, uel reliquas ullas creaturas, sed angeli cum reliquis omnibus creaturis propter homines. Et quoniam redemptio principaliter concernebat genus humanum, ideo & naturam non angelorum, sed hominum assumpsit, inque illa & homines cum primis, deinde & reliqua omnia cum Deo reconciliauit. Lapsus angelorum non inuoluit reliqua creata, inuoluit uerò omnia lapsus hominis, transgressio uidelicet primorum nostrorum parentum: ideo & in natura humana generalem omnium oportebat fieri reconciliationem quæ in nulla alia fieri poterat.

Hactenus de reconciliatione per Christum à Deo patre facta dictum esto. Quomodo autẽ illius gratia dispensetur in mundo, uidere licet 2. Cor. 5.

Et uos qui quondam eratis abalienati & inimici mente, in operibus malis, nunc tamen reconciliauit in corpore carnis suæ per mortem, ut exhiberet uos sanctos & irreprehensibiles, & inculpatos in conspectu suo: siquidem permanetis in fide fundati ac stabiles, nec dimouemini à spe Euangelij, quod audistis, quod prædicatum est apud uniuersam creaturã, quæ sub cœlo est, cuius factus sum ego Paulus minister.

Quæ hactenus in genere de reconcilitione omnium à Deo per Christum facta memorauit, iam in ipsis fidelibus, quibus scribit, reipsa comprobata esse dicit, quo conscientias illorum de ueritate conuincat. Et uos (inquit) qui quondam eratis abalienati & inimici, &c. nunc reconciliauit. Non simpliciter dicit, Et uos quoque reconciliauit: sed, Et uos qui quondam eratis abalienati & inimici mente, in operibus malis, nunc tamen reconciliauit. Reconciliatos eos esse per id comprobat, quòd non amplius, ut antea, abalienati sint à Deo, posteaquam Christiani sunt facti: sed sancti, irreprehensibiles & inculpati in cõspectu eius. Hoc enim illis sine reconciliationis gratia contingere non potuit.

Et uos, inquit, *qui quondam eratis abalienati & inimici.*] Poterat dicere: Et nos, qui quondam eramus abalienati. Verùm quò inducat eos in uiuum ſenſum acceptæ reconciliationis, admonet ipſos quales olim, priuſquam Chriſtiani eſſent facti, fuerint. ideoque dicit, Et uos qui quondam eratis abalienati, &c. Quaſi dicat: Conſiderate uoſmetipſos, & uidete, an non recõciliatio hæc cum Deo, de qua loquor, in uobiſipſis deprehendatur. An non eratis quondam alieni à uero Deo: immò quòd mentis ueſtræ qualitatem attinet, inimici etiam illius? Nunc uerò non eſtis amplius alieni, ſed domeſtici: non inimici, ſed coniuncti, & in filios adoptati. Vnde hoc, niſi ex eo quòd eſtis reconciliati?

Dixerit quiſquam: Quomodo fuerant abalienati à Deo, cùm eſſent, mouerentur & uiuerent in Deo, etiam priuſquam in Chriſtum crederent, ſecundum ipſius Apoſtoli ſententiam, qua Actorum decimoſeptimo dixit: Non longè eſt ab unoquoque noſtrùm. In ipſo enim uiuimus, mouemur & ſumus.

Reſpondeo: Aliud eſt, abalienatum eſſe mente ac corde à Deo: & aliud, Deum eſſe uirtute & prouidentia ſua, qua cuncta gubernat, abalienatum ab homine. Quòd homines ſumus, uiuimus, mouemur, mente ratiocinamur, & corde alia affectamus, alia fugimus, omnia hæc nõ ſunt nobis niſi à Deo: & hactenus nec à nobis eſt Deus abalienatus, nec nos ab illo. Quòd uerò mali ſumus, malè uiuimus, & ad ea quę mala ſunt mouemur, mente & corde auerſi ſumus à Deo, hęc non ſunt nobis à Deo, ſed à ſatana: & hactenus utiq; abalienati ſumus à Deo, nec fieri poteſt ut illi coniungamur, niſi per reconciliationem quæ eſt per Chriſtum. Satan ipſe, quatenus creatura eſt, uiuit, & mouetur, multisq; eſt ſpiritualis naturę uiribus prędituſ, hactenus utique in Deo eſt: quatenus uerò malus ac peruerſus ſpiritus eſt, hactenus omnium eſt à Deo alieniſsimus.

Et inimici mente, inquit.] Vehementer durum uidetur, ulli mortalium tribuere, quòd ſit inimicus Dei. Nemo namque uſquaadeò palàm malus haberi ſuſtinet, ut odio Deum proſequatur. Vbi autem odium non eſt, ibi nullam eſſe inimicitiam exiſtimatur. Quomodo igitur Coloſſenſes quondam inimicos Dei fuiſſe dicit? Verùm ſi cauſa iſta penitius inſpiciatur, omnino neceſſe eſt inimicos Dei eſſe omnes homines ſpiritu Dei deſtitutos, & ab hac reconciliatione alienos. Etenim quemadmodum idem uelle, idemq; nolle, firma eſt amicitia: ita ſecundum regulam oppoſitorum, diuerſum ſentire, diuerſumque uelle & nolle, ipſiſsima eſt inimicitia. Mente igitur inimicus Dei eſt, quicquid ore profiteatur, quiſquis à mente ac uoluntate illius diſsidet. Mens ac uoluntas Dei eſt, ut ſolus ipſe uerus Deus agnoſcatur, inuocetur, colatur, ametur ac timeatur. Ab hac uoluntate Dei diſsidẽt omnes idololatræ, & falſorum deorum cultores. Sunt ergo inimici Dei, & ab illo pro oſoribus maieſtatis ſuę habentur: ſicuti uidere eſt in ſecundo præcepto Decalogi, ubi dicit: Viſitans iniquitatem patrum in filijs, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me: & faciens miſericordiã in millia, eorum qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Itaque inimici Dei mente fuerunt etiam Coloſſenſes, qua diuerſum ab illo ſentientes ea faciebant quæ in conſpectu illius erant abominanda, ſatanæ uerò acceptiſsima.

In operibus malis, inquit.] Græcè eſt, non ſimpliciter *πονηροῖς*, ſed *πονηρῶις*. Non loquitur (meo iudicio) de craſsis uitijs cárnis, qualia ſunt ea quæ aduerſus ſecundam, ſed quæ manifeſta impietate & idololatria falſis cultibus ac ſuperſtitionibus contra primam tabulam ab ethnicis mente cæcis & cognitione Dei deſtitutis admittuntur. Ea rectè tribuuntur menti: quemadmodum illi tribuũtur & oculi uel obtenebrati, uel illuminati. Hæc mala opera erant ethnicis prorſus catholica, cùm interea à craſsis uitijs nõnulli ex ſapientiorib. quoad eius poterãt, abſtinerent. Et in Papatu reperias nõ paucos, qui cùm de craſsis uitijs haud facilè accuſari queant: interea tamen mente excæcata, inimici Dei ſint in prauis catholicę impietatis operibus: quib. nõ ſolùm Deũ in Chriſto Ieſu, ſed & creaturas, idque non ſecũdum uerbum Dei, ſed ex humanis conſtitutionibus colunt: imò nõ colũt, ſed offendunt & exacerbant. Exiſtimo non mox quamuis tranſgreſsionem præceptorũ Dei, conſtituere inimicum Dei. Multæ ſunt malorum operum ſpecies, quarum nonnullæ etiam in electis ac fidelibus reperiunrur: de quorum mente ueraciter dici non poteſt, quòd ſit inimica Deo. Paulus bonum, quod uolebat, non faciebat: & malum, quod nolebat, id faciebat: quamuis mente conſentiret legi Dei, quòd ſit bona, ſancta & iuſta. An ſic animatum dicemus fuiſſe inimicum Dei mente in operibus malis? Nequaquam. Maritus non ſtatim pro inimica habet uxorem, ob quoſuis malos mores & defectus, quas illa patienter tolerat: habet uerò eam pro tali, ſi fuerit perfida, corde à ſe auerſo, & ſpiritu adulterij corrupta & abominabilis. Conſimilis eſt & eorum conditio qui mente impia & auerſa ſcortantur cum dijs falſis, & uerum Deum auerſantur.

Coloſſenſes igitur, cùm eſſent à malis illis operibus liberati, & mente illuminati, ipſa poterant experientia cognoſcere, quantis inimicitijs uerum Deum offenderent: & porrò offendiſſent, niſi reconciliationem, illuminationem & reſipiſcentiam per Chriſti fuiſſent gratiam adepti.

Nunc

Nunc tamen reconciliauit, inquit, *in corpore carnis suæ per mortem.*] Græcè est, νυνὶ δὲ, id est, Nunc autem. Si cum Erasmo legas, Nunc tamẽ: sensus est, Quamuis sic comparati, odio magis & perditione quàm reconciliatione digni essetis, nunc tamen uos reconciliauit.

In corpore carnis suæ per mortem, inquit.] Quemadmodum suprà illud διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ legimus, Per sanguinem crucis eius, id est Christi: ita hic quod in Græco est, ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ legendum non est, In corpore carnis suæ, sed, In corpore carnis eius. Loquitur enim de Deo patre, quomodo nos ille per mortem filij sui erga se reconciliauerit. Pertinent hæc quoq; ad modum, per quem nos Deus erga se recõciliauit: quo de suprà diximus. Studio inculcat redemptionem ac reconciliationem nostri per ea esse factam, quæ erant in Christo infirma: adeoque & offendiculum in oculis sapientum huius mundi generãtia, utpote per corpus, quod assumpserat nostris corporibus coessentiale & conforme, nostrarumq; infirmitatum particeps, per carnem, per sanguinem in cruce fusum, ac per mortem. Quàm hęc erant in se contemptibilia, tam reddit ea augusta & preciosa, amabilia & accepta, dum tribuit illis redemptionis ac reconciliationis nostræ opus, in quo omnis nostra salus ac uita sita est. de quo mysterio seruator ipse Ioann. 6. multis disputat, ubi dicit: Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Item: Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Et: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet uitam æternam, &c. In his igitur quæ infirma fuerunt in Christo, nobisque conformia, & pro nostra salute Deo patri in cruce oblata, summa nobis parata est cõsolatio, contra omnes peccatorum nostrorum, satanæ quoq; tentationes: ut non fuerit præter rationem, quòd Paulus nihil uoluit scire nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Pro mea infirmitate hęrebo cruci Christi, & sanguinem illius pro peccatis meis fusum, fide cordis mei è corpore carnis illius manantem sugam, unde saluer ac uiuam: & interea sinam, ut qui sublimibus inhiant, de corporis & carnis Christi deificatione & ubiquitate, quantum uolunt, subtiliter disputent.

Obiter autem obserua, quòd quemadmodum suprà non simpliciter dixit, Per sanguinem: sed addidit, Crucis eius: ita hic quoque non simpliciter dicit, In corpore carnis eius: sed adijcit, Per mortem: ne hæreamus simpliciter in corpore, carne ac sanguine Christi: sed respiciamus ad sacrificium illius, in quo semetipsum Deo patri pro peccatis nostris hostiam expiationis & satisfactionis obtulit. Corpus, caro & sanguis Christi, nusquam nobis plus salutis contulerunt, quàm in cruce ac morte: ibi enim redemptionem, reconciliationem, salutem ac uitam omnibus Euangelio salutis credentibus pepererunt.

Vt exhiberet uos sanctos, inquit, *& irreprehensibiles, & inculpatos, in conspectu suo.*] Græcè est, ἁγίους καὶ ἀμώμους καὶ ἀνεγκλήτους. quod Eraſm. uertit: Et irreprehensibiles, & inculpatos. ἀνέγκλητος est, qui à nemine potest criminis alicuius gratia in ius uocari, à uerbo ἐγκαλέω, quod in ius uocari significat: ἄμωμος uerò eum significat, qui est sine macula. Coincidunt hæ duæ uoces: sic tamen, ut posterior priori ad hoc sit adiecta, ut exponat, quomodo ἅγιοι esse debeamus, sic uidelicet, ut à nemine queamus in ius uocari.

Vt exhiberet uos sanctos, inquit.] Hoc est, ut redderet uos longè alios ac diuersos ab ijs qui fuêratis antea. Eratis prophani, polluti, & in omnibus culpabiles in ipsius conspectu: reconcilia uit igitur uos, ut sitis nunc sancti, mundi & inculpabiles. Quid autem sit esse sanctum, immaculatum & inculpabilem: deinde, quomodo fieri possit ut in conspectu Dei tales simus, in quo nemo innocens reperitur, diximus in Epistola ad Ephesios cap. 1. ibi: Quemadmodum elegit nos in ipso antequam iacerentur fundamenta mundi, ut simus sancti & irreprehensibiles coram illo in dilectione.

Vide autem quomodo in unum finem cùm electio, tum reconciliatio nostri tendant. Illic dicit, Quemadmodum elegit nos in ipso antequam iacerentur fundamenta mundi, ut simus sancti & irreprehensibiles coram ipso: & hic, Nunc tamen uos reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, ut exhiberet uos sanctos & irreprehensibiles, & inculpatos in conspectu suo. Sic unus & idem Deus eligit nos ante tempora, & reconciliauit nouissimis temporibus per eundem mediatorem Christum, & ad eundem finem.

Deinde obserua, quòd non dicit, Vt exhiberetis uos: sed, Vt exhiberet uos. Licet Græcè sit in infinitiuo παραστῆσαι, res ipsa tamen non patitur, ut legamus, Vt exhiberetis uos: sed, Vt exhiberet uos. Nequit enim fieri, ut nosipsi sanctos, immaculatos & inculpabiles in conspectu Dei exhibeamus. Quis namque mundum facere potest, de immundo conceptum semine, nisi qui solus est prophanorum & immundorum sanctificator?

Nec illud ociosum est, quod addit, In conspectu suo. Monet, non esse morandum mundi huius iudicium, in cuius conspectu qui ueri Christiani sunt, pro immundis, prophanis, impijs, superstitiosis, & uehementer culpabilibus habentur: sed à gratia Dei pendendum, in cuius conspectu consistere, & pro sancto, immaculato & inculpato haberi, in sempiternum est esse beatum.

Præterea

Præterea & illud consideret diligens Lector, quòd nõ simpliciter dicit, Vt sanctos uos, immaculatos & inculpatos redderet: sed, Vt exhiberet: uel, Vt sisteret uos in conspectu suo sanctos, &c. Loquitur ad similitudinem regis, qui quos amanter complectitur, eo honore afficit, ut faciat eos stare in conspectu suo: & ut præsto sibi sint cum dignitate, precioso eos ornatu splendidos & conspicuos reddit. Et quibus hoc honoris ac regiæ dignationis contingit, ut proximi sint apud regiam maiestatem, ac faciem eius indesinenter uideant, admodum felices esse censentur. quale est illud quod de ministris Salomonis 2. Paralip. 9. regina Saba dicebat: Beati sunt uiri tui ac serui tui, qui assistunt coram te semper, & audiunt sapiẽtiam tuã. Consimile est quod hic Apostolus Colossensibus contigisse dicit, quòd uidelicet exhibuerit eos in conspectu suo Deus, sicq; ornarit, ut essent sancti, immaculati & inculpati: cùm antea fuissent prophani, immundi, culpabiles, abalienati & inimici. Sic amplificat reconciliationis per Christum factæ gratiam, quæ nunquam satis amplificari potest. est enim prorsus incomparabilis ac stupenda.

Siquidem permaneatis in fide fundati ac stabiles, inquit, *nec dimoueamini à spe Euangelij.*] Habent ista cõditionem, sine qua tam insigni reconciliationis gratia frui non datur. Sunt duo hominum genera, quæ illa potiri non poterunt. Vnum est incredulorum, qui nunquam ad fidem Christi perueniunt, sed ab eo ad finem usq; abalienantur. de quibus est illud Christi: Qui non crediderit, condemnabitur. Alterum est eorum, qui etsi ad fidem peruenerint, in ea tamen non permanent, sed deficiunt: quia non sunt fundati ac stabiles. Hæc defectio omnibus est Christianis timenda. Ideo Colossenses Christianos de illa fugienda monet Apostolus, dicens: Siquidem permanetis in fide fundati ac stabiles. q.d. Peruenistis ad gratiam reconciliationis per Christum, in quem credidistis: & in illo iam estis in conspectu Dei sancti & immaculati, siquidem in fide permanetis. Alioqui si defeceritis, omnem hanc gratiam amittetis, eritisq; adhuc abalienati à Deo, & inimici, & prophani & immundi, perinde ac si ad illam nunquam perueneritis, imò amplius ac perniciosius quàm antea.

Hæc conditio propriè concernit omnes eos qui per gratiam Christi ad cognitionem Euãgelicæ ueritatis peruenerũt: & cùm antea mente fuerint in operibus malis abalienati à Deo, & inimici, iam per sanguinem Christi reconciliati, & fide sanctificati iustificatiq; sunt in conspectu Dei. Sciant illi omnes, esse quidem omnem hanc reconciliationem, sanctificationem ac iustificationem, opus gratiæ Dei in Christo: uerùm non contingere cuiquam efficaciter, nisi credenti, & in fide ac spe Euangelij constanter & ad finem usq; permanenti. cui sentẽtiæ & Christus ipse attestatur, dicens: Qui perseuerauerit ad finem usque, hic saluus erit. quò etiã facit parabola illius de semine in agrum proiecto, Matthæi 13.

Obseruandum autem hic est, qualis nam hæc sit conditio, sine qua reconciliationis huius gratia locum in nobis habere non potest. Non dicit, Siquidem posthac nihil amplius peccatis: sed, Siquidem permanetis in fide fundati ac stabiles, nec dimouemini à spe Euangelij. Accidit etiam electis ac fidelibus, ut post acceptam hanc gratiam subinde peccent: unde tamen haudquaquam ab illa excidunt, propter fidem in Christum, per quam remissionem peccatorum & imputationem iusticiæ accipiunt. Secus uerò accidit illis, qui à fide Christi deficiunt, & omnem Euangelij spem cordibus auersis abijciunt. Illi etiamsi nihil præterea peccati admittant, quod est impossibile: omnem tamen reconciliationis huius gratiam amittunt. fide namque Christo desponsamur, & incorporamur: atq; ita omnis illius gratiæ participes reddimur, sanctificamur & iustificamur. Quemadmodũ igitur hæc nobis gratia fide in Christum cõstat: ita ab illa quoque excidimus, si à fide defecerimus. perinde atq; mulier, quemadmodum fide desponsatur uiro, illiq; incorporatur, ac bonorum omniũ quæ habet iure coniugij consors redditur: ita ab eo iure non ob quælibet peccata, sed ob perfidiam adulterij ac defectionis excluditur & abalienatur.

Dixerit quisquam: Bene, si nos à Deo sola à fide defectio separat, non quælibet alia peccata: peccabimus igitur securè, & hoc unum curabimus, ut in fide permaneamus. Respondeo: Sic cogitantes, non fidem seruamus, sed gratiæ Christi illudimus, adeoq; nos illa prorsus indignos reddimus. Si uxor cogitet: Quoniam nullo peccati genere à iure matrimonij excidere possum, nisi sola adulterij perfidia, faciam quæcunque mihi placuerint, nec ulla in re mariti mei uoluntati acquiescam: & interim cauebo, ne de adulterio accusari possim: an non eiusmodi animus etiam adulterij crimine peior ac detestabilior esse censendus est?

Quare diligenter considerandum est, quid sit in fide Christi ac spe Euangelij permanere: & an qui in illa permanent, tale quid cogitare ac præsumere queant. Qui fidem nesciunt aliã quàm historicam, existimant se esse & permanere in fide Christi, si credant ea esse uera quæ de natiuitate illius, prædicatione, miraculorum patratione, passione, morte, resurrectione & ascensione in historijs Euangelij narrantur: etiamsi promissionibus Euangelij non ita credant, nec fiducia cordis à Christo tanquam seruatore unico pendeãt. Qui sic comparati sunt, nec sunt, nec permanent in uera fide Christi: & interim putant se simul & permanere posse in fide Christi, & concupiscentijs carnis securè indulgere. Verùm longissimè errant, ac seipsi seducunt.

ſeducunt. Nam ij demum in uera Chriſti fide ſunt ac permanent, qui non ſolùm hiſtoricè credunt, ſed & promiſsionibus Euangelij fidem habentes, ſyncera ac firma cordis ſui fiducia à Deo patre in Chriſto filio eius unigenito, unico noſtro ſeruatore pendent, & æternam ſalutem certa & conſtanti ſpe per gratiam illius expectãt. Qui ſic animati ſunt, carnem ſuam cum concupiſcentijs crucifigunt, & quodcunq; peccatum ex animo oderunt, ſummaque cura ſatagunt, ne acceptam gratiam ſuſque deque facientes oculos diuinæ maieſtatis peccando lædant & offendant. Fiduciam hanc erga Deum ſtudium peccandi extinguit. quare qui ſic cogitant: Si fide tantùm ſaluor, & ob ſolam defectionem à fide condemnor: cauebo igitur unicè, ne à fide deficiam, & interim genio meo ſecundum carnem indulgebo, fieri non poteſt, ut in uera fide Chriſti ſint ac permaneant.

In fide, inquit, *fundati ac ſtabiles.*] Non ſimpliciter dicit, Siquidẽ permanetis in fide: ſed addit, Fundati ac ſtabiles. Vtitur duabus metaphoricis uocibus, quibus firmitatem ac ſtabilitatem conſtãtis in fide animi exprimit. Prior ſumpta eſt ab ædificijs, quæ ritè fundata contra quoſuis impulſus firma conſiſtunt. Vtitur illa & Chriſtus ipſe Matth. 16. ubi ſe Eccleſiam ſuam ſupra petram ædificaturum dicit, ſic ut ne inferorum quidem portæ aduerſus eam ſint præualituræ. Poſterior ſumpta eſt de illis qui in ſellam uel ſedem collocati, ad nihil minus quàm ad inſtabilitatem uagandi propẽdent. ἕδρα quippe ſedes appellatur. Vnde ἑδραῖοι, ſunt ſedẽtes. Et nos Germani, cùm de aliquo dicimus, Er *hat ſich geſetzt*, ſignificamus eum haud facilè poſſe moueri. Conſimilis eſt & radicationis metaphora, qua in Epiſtola ad Epheſ. cap. 3. utitur. Significat hanc eſſe conditionem Chriſtianæ fidei in hoc mundo, ut multis modis impugnetur, nec ſubſiſtere ualeant credentes, niſi in illa probè ſint obfirmati, eo quòd ſint perinde uarijs tentationibus, atq; ædificia & arbores uentis expoſiti.

Non eſt autem præter rationem, quòd poſteaquam dixit, τεθεμελιωμένοι: ſubiecit, καὶ ἑδραῖοι. Sic enim fieri ſolet in ædificijs, ut dum ſunt adhuc recentia, licet impoſita ſint firmo fundamento: nondum tamen ſic ſunt obfirmata, ut uim aliquam ſuſtinere poſsint, donec tota ſtructura ſubſidat, & fundamento preſsius innitatur. Id nos Germani exprimimus, cùm dicimus, Der *bauw hat ſich noch nitt geſetzt*. Conſimili planè modo accidit & illis, qui recens ad fidem in Chriſtum ſunt perducti. Sunt & ipſi adhuc infirmi, licet impoſiti ſint Chriſto, fundamento omniũ firmiſsimo, donec ſpiritu Dei magis ac magis corroborati in cognitione ac fide Chriſti preſsius ac plenius ſubſidant, & fundamento innitantur: ac ſic reddãtur immoti, ut omnia aduerſa perferre poſsint. unde & ſubijcit:

Nec dimouemini à ſpe Euangelij.] Quid opus erat hoc adiungere? An qui in fide fundati permanent, à ſpe Euangelij dimoueri poſſunt? Nequaquam. Verùm adiecit hanc particulam, ut ſignificet eos demum uerè fundatos eſſe in fide Chriſti, qui à ſpe Euangelij dimoueri ſe nõ ſuſtinent. Eſt autem ſpes Euangelij, qua uita ætterna per ſanguinem Chriſti in cruce parta, perq; Euangelium omnibus in illum credentibus annunciata & promiſſa cum patientia certò expectatur. De illa uide Locos noſtros cõmunes. Itaque qui ſpei huius expertes de uita æterna, quòd illius ſint participes, dubitant, certo documento, quòd in fide Chriſti deficiant, cognoſcere poſſunt.

De eo autem quòd fides ac ſpes ad hoc peregrinationis noſtræ tempus pertineant, in quo peregrinamur adhuc à Domino, diximus alibi. Vide 2. Cor. 5. in Commentaris noſtris, ubi dicit, Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem. Omnis noſtra religio ac ſalus, donec in hac carne ambulamus, fide ac ſpe conſtat, ex quibus reliqua pietatis, dilectionis, inuocationis, cultus, patientiæ & ſanctimoniæ exercitia oriuntur.

Quod audiſtis, inquit, *quod prædicatum eſt apud uniuerſam creaturam, quæ ſub cœlo eſt.*] Habent iſta ſpecificationem Euangelij, in cuius fide ac ſpe permanentes reconciliati, ſancti, immaculati & iuſtificati ſumus in conſpectu Dei. Iactabant & Pſeudapoſtoli Euangelium, hiſtoricum uidelicet, quale eſt, quod & Papiſtarum doctores iactant, fidem uerò ac ſpem Euangelij Chriſti non docebant: ſed has obſeruãtiæ legis, propriæ iuſticiæ ac ſatisfactioni deputabant, atq; ita fidem ac ſpem ab Euangelio ſeparabant, quæ ſeparatio omnium eſt peſtilẽtiſsima. Sic & Papiſtæ uocabula quidem Euangelij, fidei ac ſpei retinent: uerùm quæ coniungenda erant, pernicioſè ſeparant. Hiſtoricum Euangelium de Chriſto prædicãt, & hiſtoricam fidem requirunt: eam uerò, quæ cordis eſt in Chriſtum credentis, fiduciam unà cum ſpe uitæ æternæ, nõ annectunt Euangelio ſalutis, ſed noſtræ ipſorũ iuſticiæ, noſtris meritis, bonis operibus, ſatisfactionibus, & diuorum interceſsionibus. Tale Euangelium non eſt Apoſtolicum, ſed omnino Pſeudapoſtolicum: & quoniam circum ferebatur tum temporis, ac ſpargebatur per pſeudapoſtolos, neceſſarium exiſtimauit Apoſtolus, ut ueri Euangelij ſpecificationem præcedẽtibus adijceret: quo certò ſcirent Coloſſenſes, in cuius Euangelij fide ac ſpe permanentes reconciliati, ſancti, immaculati & inculpati eſſent in conſpectu Dei. Dicit itaq;:

Quod audiſtis, quod prædicatum eſt apud uniuerſam creaturam quæ ſub cœlo eſt.] Audierant uerum Euangelium Chriſti per Epaphram. qua de re & ſuprà poſt ſalutationem in ipſo Epiſtolæ exordio teſtatus eſt. Præuenerat eos ueritas Euangelij Dei, per quã ad rectam fidem ac ſpem in cœlis

repoſitam adducti erant: nec deſiderabatur in ipſis quicquam, quàm ut in fide hac, ſpe & charitate creſcerent, ac immoti permanerent.

Iam cùm periculum eſſet ne per pſeudapoſtolorum Euangelium, quod inſtar zizaniorum inimicus homo ſuperſeminare ſolebat, ſeducerentur: admonet eos, ut in fide eius quod audierant, fundati ac ſtabiles permaneant.

Deinde ut ſignificet, quòd audierant Euangelium hoc ipſum eſſe, quod Deus in mũdum hunc miſit: ſubijcit, Quod prędicatũ eſt apud uniuerſam creaturã quæ ſub cœlo eſt. Q.d. Euãgelium quod audiſtis, non eſt ſingulare quoddam humano aliquo ſtudio excogitatũ, ac temerè introductũ, quale eſt pſeudapoſtolorũ: ſed idem ipſum quod in toto orbe ſecundũ diuinam eſt diſpoſitionẽ prædicatum. Huius eos iam ſecundò admonet. Nam ſuprà paulo pòſt exordium ſic dixit: De qua (ſpe) prius audiſtis per ſermonẽ ueritatis Euangelij, quod peruenit ad uos, quemadmodum & in toto mundo etiam fructificat, ſicut & in uobis. ubi de hac particula quomodo nobis hodie quoq; ſeruiat, annotauimus.

Illud, Quod prædicatum eſt apud uniuerſam creaturam: Græcè ſic habetur, τῷ κηρυχθέντι ἐν πάσῃ τῇ κτίσει. id eſt, Quod prædicatum eſt in omni creatura. Nihil aliud autẽ dicit, quàm eſſe Euangelium hoc in toto mundo ac terrarum orbe prædicatum. Omnem creaturam quæ ſub cœlo eſt, mundum hunc uocat. Sic concordat cum Dominica loquutione, qua Marci ultimo dixit: Euntes in mundum uniuerſum, prędicate Euangelium omni creaturæ.

Quæſierit uerò quiſquam, quomodo tum temporis Euangelium in toto mundo prædicatum eſſe dicat, cùm multi dubio procul in Occidente populi, poſt aliquot demum ſecula prędicationem Euangelij audierint. Reſpondeo: Suo more per totum mundum intelligit & Iudæorum & gentium populos: ut quod dicit, Quod prædicatum eſt in omni creatura, non ſit ſtrictè ad literam, ſed perinde accipiendum ac ſi dicat: Quod prædicatum eſt non Iudæis tantùm, ſed & gentib. quemadmodum & eſt omnibus tam gentiũ quàm Iudæorũ populis diuinitùs deſtinatum. Nondum erat abſolutus in mundo Euangelicæ prædicationis curſus: & tamen, quoniam ſonus illius in uniuerſam terrã, & ad omnes fines terræ exierat: rectè dicit, uerum hoc eſſe Euangelium quod prædicatũ ſit in toto mundo, qui ſub cœlo eſt. In toto mũdo non erat aliud Euangelium prædicatum, quàm illud ipſum, quod prædicatum erat & Coloſſenſibus. Omnibus in locis, in quibus prædicatum erat Euangelium in mũdo, iliud ipſum erat prædicatum. Nonnulli fratres idem eſſe dicunt, quod longè lateq; prædicatũ eſſe in mũdo. Sanè communi modo loquendi in toto mundo diuulgatum eſſe dicimus, quod latè longeque ſparſum eſſe ſentimus.

Cuius factus ſum ego Paulus miniſter, inquit.] Hinc ad calcem uſq; præſentis Capitis commendat Coloſſenſibus miniſterium ſuũ, quoniam ſciebat pſeudapoſtolos paſsim hoc agere, ut illud diffamarent ac ſubuerterent. Vide autem quomodo non ſimpliciter dicat, Quod ego prædico: ſed, Cuius ego Paulus factus ſum miniſter. quibus uerbis uocationẽ ſuã pſeudapoſtolis objicit: ſignificans, ſe haud propria temeritate ad munus prędicãdi profiliſſe, ſed à Domino conſtitutũ eſſe Euãgelij miniſtrũ. Nec ſimpliciter dicit, Cuius factus ſum miniſter: ſed, Cuius factus ſum ego Paulus miniſter. Cum fiducia gloriatur, ſe Paulũ factũ eſſe Euãgelij miniſtrũ. Nomen ipſius contẽptibile erat & ethnicis incredulis, & pſeudapoſtolis. Sonat enim modicum. Dicit itaq;: Quantum uolunt, nomen meum exufflent increduli & pſeudapoſtoli. Sum quidem Paulus & nomine & re, quod me attinet: at interim ego Paulus ille factus ſum Euangelij Dei miniſter, quod iam prædicatum eſt in omni creatura quæ ſub cœlo eſt.

Ornat & alijs locis miniſteriũ ſuũ, idq; uarijs elogijs. 2. Cor. 6. uocat ſe miniſtrũ Dei. 2. Cor. 11. miniſtrũ Chriſti. 2. Cor. 3. miniſtrũ ſpiritus, ibid. miniſtrũ noui teſtamẽti, Eph. 3. & hic, miniſtrum Euangelij, 2. Cor. 5. miniſtrũ recõciliationis: & paulo infrà, miniſtrum Eccleſię, quę eſt corpus Chriſti: & 2. Cor. 3. miniſtrum iuſticię. Igitur hęc omnia ſic ad uerum Chriſti Apoſtolum & miniſtrum requiruntur, ut nullum eorum abeſſe poſsit.

Nũc gaudeo ſuper afflictionib. meis pro uobis, & ſuppleo quod deerat afflictionũ Chriſti in carne mea pro corpore ipſius, quod eſt Eccleſia: cuius Eccleſię factus ſum ego miniſter, iuxta diſpẽſationem Dei, quæ data eſt mihi in uos, implendi ſermonem Dei, myſterium quod reconditum fuit à ſeculis & generationibus: nunc autem patefactũ eſt ſanctis illius, quibus uoluit Deus notum facere, quæ ſint diuitię glorię myſterij huius inter gentes, qui eſt Chriſtus in uobis, ſpes glorię, quem nos annunciamus: admonentes omnem hominem & docentes omnem hominem in omni ſapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu, ad quod etiam enitor, decertans ſecundum efficaciam eius, agentem in me uirtutem.

Quemadmodum crux Chriſti, ita & afflictiones, tribulationes & paſsiones Apoſtolorum & fidelium illius plurimùm offendebant incredulos, cauſamq; Euangelij Dei in hoc mundo propter

contemptibilem ac deſpicabilem reddebant. Cùm igitur in carcere ac uelut in umbra mortis propter Chriſtum crucifixum cõſtitutus, ad Eccleſias de ſalute ac felicitate eorũ qui in Chriſtum credũt, magnificè ſcriberet, eamq; ob cauſam miniſteriũ ſuum cõmendaret: opus erat, nõ ſolùm crucis Chriſti, ſed & paſsionũ ſuarum probrũ & offendiculum amoliri. Vt igitur illud in præcedẽtibus fecit, ubi placuiſſe Deo dicit, p ſanguinẽ crucis Chriſti cuncta recõciliare q̃ in cœlo ſunt & in terra, ipſosq; per mortẽ illius cùm eſſent abalienati & inimici mente in operibus malis recõciliaſſe, ut exhiberet eos ſanctos, immaculatos & inculpabiles: ita conſequẽter & de eo quod ipſius paſsiones cõcernebat: ſubijcit, tã abeſſe ut ſe illarũ pudeat, ut etiã in illis gaudeat. Gaudij aũt huius duas cauſas aſsignat. Vna eſt, quòd quę patiebatur, ad Chriſti paſsiones pertinebant: altera, quòd patiebatur ea pro corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, idq; propter diſpenſationem à Deo acceptam.

Nunc gaudeo, inquit. *ſuper afflictionibus meis.*] Vulgata latina editio habet, Qui nũc gaudeo: uerùm in Græco nõ eſt, Qui. Apparet interpretẽ ſyllabam, *ὁς*, quę ultima eſt in præcedenti dictione *διακόνος*, pro articulo legiſſe, ac reddidiſſe: Qui nũc: quaſi ſit, *ὁς νῦν χαίρω*. Quicquid ſit, parũ refert. Et Ambroſius legit, Qui nunc gaudeo: Chryſoſtom. uerò cũ Græcis exẽplarib. cõcordat.

Illud, Super afflictionib. meis: Græcè eſt, *ἐν τοῖς παθήμασίν μου*, id eſt, In paſsionibus meis. Verbo *χαίρειν* Græci aliquãdo ſubijciunt *ἐπί*, id eſt Super: aliquando *ἐν*, id eſt, In: idq; eodẽ ſenſu. ut 1. Cor. 16. *χαίρω δὲ ἐπὶ τῇ παρουσίᾳ στεφανᾶ*. Et Luc. 10. *ἐν τούτῳ μὴ χαίρετε, ὅτι τὰ πνεύματα ὑμῖν ὑποτάσσονται*. Quẽadmodum igitur illic reddidit Eraſmus, In hoc nolite gaudere, quòd ſpiritus uobis ſubijciũtur: ita poterat & hic reddere, Nũc gaudeo in afflictionibus meis. Verùm quoniã fieri poteſt, ut gaudeat aliquis in afflictionib. nõ ꝓpter afflictiones, ſed propter aliquid aliud: ut exprimeret ſenſum Apoſtoli, quo ſe ſuper afflictionibus ſuis gaudere dicit, rectè uertit: Nunc gaudeo ſuper afflictionibus meis.

De eo quòd dicit, ſe ſuper afflictionibus ſuis gaudere, diximus alibi. Rom. 5. cõſimili modò dicit ſe gloriari ſup afflictionibus. Et Apoſtoli quum cæſi eſſent propter Chriſtũ, à cõſpectu cõcilij gaudẽtes abibãt, quòd digni habiti eſſent, qui ꝓpter nomẽ eius cõtumelia afficerẽtur.

Super afflictionibus meis pro uobis, inquit.] Quõ pro Coloſſenſibus affligebatur, cùm nõ prædicaſſet illis, imò ne uidiſſet quidẽ eos? Affligebatur pro illis, quatenus ꝓ corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, cuius ipſi quoq; mẽbra erãt, affligebatur. qua de re mox ſubijcietur. Significat tã abeſſe, ut propter afflictiones ſuas cõtẽptius de ſe ſentire debeãt, ut potius propter eas ipſas Deo gratias agere cõueniat, quãdoquidem eas propter ipſos, quemadmodũ & propter alias Eccleſias ſuſtineat. Ad Epheſ. 3. eodẽ cõſilio dicit ſe uinctũ eſſe Chriſti Ieſu pro gentib. id eſt, propter gentes: propterea uidelicet, quòd eſſet à Chriſto Ieſu ad euangelizandum gentibus miſſus, & eam ob cauſam in uinculis detineretur.

Et ſuppleo quod deerat afflictionum Chriſti in carne mea, inquit, *pro corpore ipſius, quod eſt Eccleſia.*] Ad declarandum præcedentem particulam iſta ſubijcit, exponens afflictionũ ſuarũ conditionem. Affligebatur propter Chriſtũ, quem prædicabat gẽtibus, quibus datus erat à Deo Apoſtolus. Ob hanc itaq; cauſam afflictiones ſuas, Chriſti afflictiones uocat: dicitq;, ſuſtinere ſe eas pro corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia.

Et ſuppleo, inquit, *quod deerat afflictionum Chriſti in carne mea.*] Græcè eſt, *τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ χριστοῦ*. Ambroſius uertit, Reliquias preſſurarum Chriſti. Vulgata Latina habet, Et adimpleo ea quæ deſunt paſsionũ Chriſti. Germanica Lutheri uerſio ſic habet: *Vnd erſtatte an meinem fleiſch was noch manglet an truebſalen in Chriſto.* Tigurina editio Germanica ad hunc modum habet: *Vnd erſetz das noch uberbliben iſt den truebſalen Chriſti an meinem fleiſch.*

In paſsionibus Chriſti ſunt *πρωτερήματα* & *ὑστερήματα*, id eſt priores & poſteriores partes. *πρωτερήματα* ſunt q̃ ille paſſus eſt in ſuoipſius corpore, quòd paulò ſuperius corpus carnis ipſius uocauit. quò referẽdę ſunt paſsiones crucis, effuſio ſanguinis, & mors, in quib. eſt uictima expiationis, ſatisfactionis, reconciliationis & redemptionis, qua nos ſemel in cruce Deo patri reconciliauit, redemit, & in ſempiternum ſanctificauit. qua de re uide Ebr. 9. & 10. De hiſce Chriſti paſsionibus nõ loquitur hic Apoſtolus. *ὑστερήματα* uerò paſsionum Chriſti, ſunt ea quę non in corpore carnis ſuæ: quod ut ſemel mortuum, amplius mori non poteſt: ita nec ullis eſt paſsionibus amplius ſubiectum, ſed in corpore membrorum ſuorum, fidelium uidelicet, ad finem uſq; mundi patitur. De illis accipienda ſunt quæ hic legimus. Ad ea pertinebant quæ Apoſtolus propter Chriſtum pro corpore Eccleſię ipſius patiebatur.

Quare putidiſsimum, impijſsimum ac nequiſsimum nugamentum eſt, quo doctores Papiſtarum ad eneruandum opus redemptionis noſtræ uerba hæc Apoſtoli ad paſsiones expiatorias & ſatisfactorias referũt, quibus ſancti paſsiones Chriſti, quaſi imperfectas adhuc, pro ſua quiſque portione ad redimendum nos à pœna & ſatisfactione peccatorũ noſtrorum impleant, atq; ita theſaurum congerant, unde Deo pro pœnis peccatorum noſtrorum ſatisfiat, quem Eccleſiæ theſaurum uocant, & ſub nomine indulgentiarũ execrabili quæſtu uendunt. Hoc nugamentum Eccius Locis ſuis inſeruit, loco de Indulgentijs, quarum cauſam lucroſam uocat. ubi inter cætera ſic dicit: Nunc autẽ gaudeo in paſsionibus meis pro uobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſsionum Chriſti in carne mea pro corpore eius quod eſt Eccleſia.

Expende catholicè, quia miseriæ sanctorum adiungendæ sunt pressuris Christi ad communem Ecclesiæ utilitatem. Et est iste thesaurus meritorum, de quo dicit Ecclesia, precibus & meritis sanctorum. Nam quod Paulus adimpleuit, quis negabit de alijs sanctis, crucem Christi portantibus, & eum sequentibus? Hæc ille. Passiones crucis Christi dicit ualere pro expiatione culpæ, uerùm quod pœnam attinet, ibi ualere passiones ac merita sanctorum. Et huc torquet uerba Apostoli. Verùm ea de re admonuit ante me hoc loco Ioannes Caluinus, charissimus in Domino frater, & candidissimum pectus, piæ memoriæ, Philippus Melanchthon, idem commentum reijciens. Verba hæc Apostoli non de merito, sed de similitudine afflictionum intelligenda esse monet: quas quia in ministerio sustinebat, pro Ecclesia se sustinere dicit.

Sunt autem ὑστερήματα passionum Christi duplicis generis. Vnum singulare, quod est Apostolorum ac ministrorum Euangelij Dei: alterum commune, quod est omnium fidelium ac membrorum corporis Christi. Priori generi conueniunt, quę hic Apostolus de passionib. suis commemorat. Quemadmodum Christi uices euangelizando, & reconciliationi per sanguinem crucis partæ ministrando obibat: ita & quæ ipsi ex eo nascebantur παθήματα, non immeritò inter ὑστερήματα passionũ Christi connumerat, seq; illa ἀντανα πληρῶ pro corpore Christi, quod est Ecclesia dicit. Non dicit simpliciter ἀναπληρῶ, id est impleo: sed, ἀντανα πληρῶ, quod est uice alterius implere aliquid, perinde atq; si ὑπερπληρῶ uices ducis, nõ suoipsius, sed ducis nomine impleat. quo simili & Chrysostomus utitur. Cómunia uerò fidelium παθήματα sunt quidem & ipsa ad ὑστερήματα passionum Christi referenda: uerùm nõ ut ministrorum, sed ut membrorum in corpore Christi. Et tyranni hostes Christi ac ueritatis Euangelicæ sic discriminát inter auditores ac doctores ueritatis, ut licet pariter omnes persequantur: doctores tamen, ueluti ductores ac coryphęos singulari sæuitia & crudelitate neci tradant.

Deinde & illud obseruádum est, quòd non simpliciter dicit, Suppleo ὑστερήματα passionum Christi: sed addit, In carne mea. Reliquiæ passionum Christi complectebátur & reliquos Apostolos & fideles Christi: & hodie quoq; complectuntur omnes eos qui prædicant Euangelium Christi, & qui piè in Christo uiuere uolunt, atque ita durant in corpore Christi, quod est Ecclesia, usq; ad finem mũdi. Quare fieri non poterat, ut ipse illas in uniuersum suppleret. Necesse igitur est, ut intelligamus de mensura passionũ Christi, quæ carne ipsius erat diuinitùs deputata, ut hanc particulam, In carne mea, referamus non ad uerbum Suppleo, sed ad ὑστερήματα, id est reliquias passionũ Christi: quæ & hoc nomine reliquiæ erant, quòd tum passiones ipsius, quas admodum multas, magnas, ac diu iam pro Christo pertulerat, ad finẽ tendere, nihilq; ex illis reliquum esse uideretur, quàm ut eas sanguine suo terminaret & obsignaret. Sic potest ueraciter dicere, quisquis ad mortem pro Euangelio Christi obeundam ducitur: Ego iam suppleo ὑστερήματα passionum Christi in carne mea. Cum morte namq; absoluitur omnium afflictionum mensura, carni nostræ pro Christo subeunda.

Cuius Ecclesiæ factus sum ego minister.] Quoniam dixerat se reliquias passionum Christi in carne sua supplere, pro corpore eius, quod est Ecclesia, subiungit: Cuius Ecclesiæ factus sum ego minister, quæ uerba & rationem habent præcedentium, & limitationem. Rationem, quare se pro Ecclesia quæ corpus Christi est, reliquias passionum Christi in carne sua supplere dicat. Propterea uidelicet, quòd sit illius minister, & propter ministerium ipsius passionibus istis sit factus obnoxius. Limitationẽ, quousq; pro Ecclesia passiones Christi suppleat. Poterant præcedentia accipi uniuersaliter de tota Christi Ecclesia ex Iudæis & gentibus collecta: uerùm fieri non potuit, ut pro tota Ecclesia pateretur, quia non erat totius Ecclesiæ factus minister: sed earũ tãtùm q̃ erant ex præputio, quib. factus erat à Deo Apostolus. Pro ecclesia Hierosolymitana & Iudęę passiones Christi suppleuerunt Iacobus, Petrus & Ioannes, non Paulus. Non debent hæ passiones Apostolorum referri, quò ministeria ipsorum referri non possunt. Nam non nisi ministerij ratione passiones illorum pertinent ad Ecclesias: quẽadmodum labores & molestiæ militares, quibus fatigantur & afflictantur duces, referri non possunt ad aliud regnum, quàm pro quo militarunt.

Quid hic dicendum sit de Romanis prælatis, pontificibus & carnalibus, qui cùm nullius sint Ecclesiæ in Euangelio Dei facti ministri, omnium tamẽ uolunt esse domini, & de totius Ecclesiæ potestate, quam sibi uindicant, gloriantur, haud opus est, ut admoneamus. Nemo cordatus non uidet, quàm non sint ueri Apostolorum successores.

Iuxta dispensationem Dei, inquit, quæ data est mihi in uos, implendi sermonem Dei.] Hactenus offendiculum passionum & afflictionum suarum sustulit: iam consequenter explicat conditionem ac rationem ministerij, propterea quòd se & Euangelij & Ecclesiæ ministrum factum esse dixit.

Iuxta dispensationem Dei.] Græcè est, κατὰ τὴν οἰκονομίαν τοῦ θεοῦ, οἰκονομία, officium est res domesticas administrandi, quatenus id est ab ipso patrefamiliàs impositum ac determinatum. Hanc uel ex uocabulo ministerij liquet omnino esse infra οἰκοδιακονίαν: cuius ob id admoneo, quòd solenne iam olim esse cœpit, ministeria in Ecclesijs peruerti in dominatũ. Ei peruersitati nõ sine cõsilio Spiritussancti quadruplici cautione in hisce paucis uerbis resistitur. Prima in eo est

quòd

quòd se dicit factum esse Ecclesiæ diaconum, id est ministrum. Minister non est propriæ, sed superioris ac domini sui uoluntatis exequutor, cui est in omnibus obstrictus. Et ne quis hic dicat, Minister Dei potest esse dominus Ecclesiæ: obseruandum est, quòd se Ecclesiæ non dominum, sed ministrum factum esse dicit. Ecclesia non est Apostolorum, sed Apostoli sunt Ecclesię, sicuti patet ex epistola prima ad Corinthios, cap. tertio, ubi dicit: Omnia uestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, &c. Et: Quis est Paulus? quis Apollo? nisi ministri, per quos credidistis?

Secundam cautionem exprimit, cùm dicit: Quæ data est mihi. Cùm datur οἰκονομία, & non διακονία: fidelis ministri est in eo quod datum est à Domino ministrare, non id quod datum non est, perfidè usurpare. Consimilia leguntur & ad Ephesios cap. tertio, mox ab initio, ubi dicit: εἴγε ἠκούσατε τὴν οἰκονομίαν τῆς χάριτος τοῦ θεοῦ τῆς δοθείσης μοι εἰς ὑμᾶς. Verùm quomodo οἰκονομίαν administrarent, qui illam à Deo non acceperunt. Dicis: Atqui nec dominatum acceperunt à Deo. Respondeo: Caro pro suo ingenio procliuius est ad dominandum, non ad ministrandum, ideoq; citius dominatui non dato inhiat, quàm ministerio.

Tertia in eo est quòd dicit, εἰς ὑμᾶς, id est, In uos. Exprimit hac particula determinationem eorum, quibus ministrare debuerit Apostolus. Acceperat οἰκονομίαν à Domino, non in circumcisionem, sed in præputium, id est gentes. Et erat interim uerus Apostolus Christi, perinde atq; Petrus, cui data erat οἰκονομία non in gentes, sed in circumcisionem. sicuti uidere est in Epistola ad Galatas. Vnde ergo catholicum primatum in uniuersas Christi Ecclesias habent Romani pontifices? Certè non habent illum ab Apostolis. Nemini enim illorum data est à Deo uniuersalis οἰκονομία, sed unicuiq; certæ cuiusdam partis determinatio. Quare falsissimũ est, quod de successione Petri apostoli gloriantur. Sed hac de re dictum est alibi.

Quarta specificationem habet dispensationis, in eo quòd dicit: Implendi sermonem Dei. Intelligit autem per sermonẽ Dei, nihil aliud quàm Euangelium Dei, quod gentibus prædicabat. Romani pontifices primatum suum sic palliant, ut dicant se habere uniuersalem & Apostolicam domus Dei οἰκονομίαν: uerùm Apostolica οἰκονομία erat, implere sermonem Dei, hoc est, prædicare Euangelium Dei in mundo, & ministerium euangelizandi tanquam officium à Domino impositum implere. Implet sermonem Dei, qui prædicando munus euangelizandi implet. Quàm longè uerò absint Romani põtifices ab hac Apostolica implendi sermonis Dei οἰκονομίᾳ, nemo est qui non uideat. Si quatuor istæ cautiones seruatæ fuissent in Ecclesia, nunquam locus fuisset pontificali fastui, primatui ac dominationi.

Mysterium, inquit, quod reconditum fuit à seculis & generationibus, nunc autẽ patefactum est sanctis illius.] Quoniam uaria sunt sermonis Dei genera, postquam dispensationem sibi implendi sermonẽ Dei datam esse dixit: adiecit, Mysterium quod reconditum fuit à seculis, &c. ut intelligatur, de quo genere sermonis Dei loquatur. Intelligit autem de Euangelio, cuius se suprà dixit esse ministrum. Est illud sermo Dei de mysterio Christi, quod absconditum fuit à seculis. Ad Ephesios capite tertio idem sic scribit: Siquidem audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in uos, quòd secundum reuelationem notum mihi fecit mysterium, &c. quod in alijs ætatibus non innotuit filijs hominum, quemadmodũ nunc reuelatum est sanctis, &c. Eo loco diximus de uocabulo. Mysterium, & de reliquis hoc loco annotandis.

Quod reconditum fuit, inquit.] Græcè est, τὸ ἀπεκκεκρυμμένον, id est, Quod absconditũ fuit. Sunt qui dem utræq; uoces Absconditum & Reconditũ à uerbo Condo, est tamen id inter eas discriminis, quòd recondere non simpliciter abscondere: sed ea quæ antea in lucem expositа fuerant, denuò abscondere significat. Ne quid igitur quæstionis hoc loco nascatur, malo legere Absconditum, quàm Reconditum.

Obiter autem obserua, quæ de hoc mysterio Christi non hic tantùm, sed & alijs in locis prædicet. Apostolus ad Romanos capite decimosexto, uocat illud χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον: id est, Aeternis temporib. tacitũ. Et ad Ephesios capite tertio: Quòd in alijs generationib. (inquit) non est cognitũ factum filijs hominũ. Et aliquãto pòst: Quod absconditũ fuit (inquit) à seculis in Deo. Et in hoc presenti cõtextu similiter: Quod abscõditum fuit à seculis, & à generationibus. Prædicat igitur de hoc mysterio Christi, quòd fuerit absconditum. Si quæras, Vbi? addit, In Deo. A quibus etiam fuerit absconditum, A filijs hominum (inquit.) Deinde & quomodo fuerit illis absconditum, in eo exprimit, quòd dicit illud fecisse tacitum, & non cognitum factum. Sanè ubi de uoluntate Dei erga nos tacetur, quatenus illa nobis nõ fit cognita per uerbum reuelationis, hactenus est à nobis in Deo abscõdita. Nequit enim à nobis ulla ratione inuestigari. Præterea etiam quàm diu fuerit mysterium hoc absconditũ in Deo, Aeternis temporibus (inquit) à seculis & generationibus. Aeterna tempora admodum sunt prolixa, & tamen mysterium hoc tacente & non reuelante Deo, haudquaquã produxerunt in lucem, quamuis tempus omnia reuelare dicatur.

Itaq; Christianæ fidei mysterium tam non est nouissimis demum temporibus natum, sicuti mundus hic calumniatur, ut etiam æterna tempora præcesserit. Etenim esse absconditum, tacitum, & non manifestatum, de eo prædicari non potest, quod nondum est uspiam. Mysterium

riũ hoc ante omnia ſecula abſconditũ fuit in Deo. fuit igitur in Deo. Quomodo nõ eſt, quod in Deo eſt? In homine multæ ſunt cogitationes, quæ uanæ ſunt, immò prorſus nihil: in Deo autem quicquid eſt, omnino eſt, & mutari non poteſt. Non habemus igitur nouam fidem, doctrinam & religionem, quotquot in Chriſtum ſecundum Euangelium Dei credimus: ſed omnium uetuſtiſsimam, utpote æterno conſilio Dei prædeſtinatam. Et hæc conſideratio plurimùm ualet ad mentes noſtras in fide ac religione Chriſti confirmandas.

Nunc autem patefactum eſt, inquit, *ſanctis illius.*] Si abſconditũ fuit in Deo, dixerit quiſq̃, unde ti bi illius cognitio facta eſt? Patefactũ eſt (inquit.) Non dicit, Mihi: ſed, Sanctis illius, ne ſibi ſoli cognitionẽ hãc uindicare uideatur. Ad Epheſios quidem capite tertio ſibi myſterium hoc notum eſſe factum dicit: uerùm mox ſubijcit, Quemádmodum nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius, & prophetis. Quòd ergo hic ſimpliciter ſine ſpecificatione dicit, Nunc autẽ patefactum eſt ſanctis illius: de Apoſtolis & Prophetis intelligendum eſt, quibus Deus illud ad hoc reuelare uoluit, ut eſſent reuelationis illius miniſtri.

Nolim tamen reluctari, ſi quis in genere per Sanctos, hic uniuerſos fideles: per Spiritum Chriſti, ſanctificatos intelligat. Nam & illis patefactum eſt myſterium hoc Chriſti, per Euangelium uidelicet, quod prædicatum eſt in mundo.

Quibus uoluit Deus notum facere, inquit, *quæ ſint diuitiæ gloriæ myſterij huius inter gentes.*] Siue de prophetis & Apoſtolis, ſiue de fidelibus reliquis præcedentem particulam intellexerimus, conueniunt utrique ſententiæ, quæ hic ſubijcit. Neque enim prophetis tantùm & Apoſtolis, ſed & omnibus electis ſuis & fidelibus myſterium hoc in Chriſto notum facere uoluit Deus. Etenim ob hoc ipſum reuelauit illud prophetis & Apoſtolis, ut per illos patefieret reliquis quibus eam reuelationem deſtinauit. Et hic reijcitur illorum curioſitas, qui quærunt quare tam paucis, tam humilib. & obſcuris hominibus myſteriũ hoc, & non ſapiẽtibus huius mundi notum fecerit Deus. Quibus uoluit Deus (inquit) &c. Tribuit hanc reuelationis gratiam liberæ uoluntati Dei, ad quem modum & ſeruator Chriſtus Matthæi undecimo, cùm dixiſſet, Gratias ago tibi pater, Domine cœli & terræ, quòd abſconderis hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaris ea paruulis: mox ſubiecit, Certè pater, quoniam ſic fuit bona uoluntas apud te.

Quæ ſint, inquit, *diuitiæ gloriæ myſterij huius.*] Græcè eſt, τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης τοῦ μυστηρίου τούτου. In ea quę eſt ad Epheſ. cap. primo, reddidit Eraſmus hæc uerba, τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης: Quàm ſit opulenta gloria. Poteſt reddi, Glorioſæ diuitiæ, ſic ut & Germanicus interpres uertit. De diuitijs autem gloriæ, gratiæ, & Chriſti & hæreditatis ſanctorum, uide ad Epheſios capite 1. 2 & tertio: & ad Romanos capite nono.

Inter gentes.] Adiecit hoc, tanquam Apoſtolus gentium, quibus Chriſtum euangelizabat. Quatenus gentes myſterium Chriſti concernat, uidere eſt ad Epheſios capite tertio. Ad id reſpicit etiam hoc loco. Mirum autem eſt omnino, & in oculis eorum qui ex Iudæis credebant in Chriſtum, erat prorſus incredibile, fieri potuiſſe ut gloria Dei locum haberet inter gentes, tot modis impias & impuras, nedum diuitiæ gloriæ Dei. Verùm ubi abundarunt impietas, cæcitas & inimicitiæ cum omnis generis peccatis, ibi abundauit & gloria gratiæ Dei.

Qui eſt Chriſtus, inquit, *in uobis ſpes gloriæ.*] Vulgata Latina refert ad uocem Myſterij, quod interpres ille, Sacramẽtum reddidit: ideoq; habet, Quod eſt Chriſtus. id eſt, Quod myſterium eſt Chriſtus. Verùm in Græco ſic habetur: τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης τοῦ μυστηρίου τούτου ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὅ ἐστι χριστὸς ἐν ὑμῖν. Hic ſatis manifeſtum eſt, quòd dicit in maſculino, ὅς ἐστι χριστὸς, referendum eſſe ad id quod præmiſit in eodem genere, πλοῦτος τῆς δόξης, id eſt, diuitiæ gloriæ. Græcis diuitiæ maſculini generis ſunt. πλοῦτος gloriæ Dei, Chriſtus eſt. Poterant iſta de diuitijs futuræ in cœleſtibus gloriæ intelligere, quas & pſeudapoſtoli ijs promittebant, qui non in ſolo Chriſto hærerent, ſed fidei illius legis quoque obſeruantiam & iuſticiam coniungerent. Cùm itaque dixiſſet, Quibus uoluit Deus notum facere quæ ſint diuitiæ gloriæ myſterij huius inter gentes: confeſtim ſubiecit, Qui eſt Chriſtus in uobis: ut ſignificaret, in ſolo nos Chriſto, diuitiarum gloriæ ac gratiæ Dei, poſſe reddi participes. Iudæi quærunt illas in Moſe, ſed fruſtrà. Moſes nec iuſticiam, nec remiſsionem peccatorum, nec redemptionem, nec mentis illuminationem, nec uoluntatis Dei cognitionem, nec conſcientiæ pacificationem, neque adoptionem, nec ſpiritum, nec uitam, nec ulla cœleſtia bona conferre poteſt: ſed hæc & conſimilia omnia in ſolo nobis Chriſto à Deo patre ſunt propoſita, ut non fruſtà ab Apoſtolo πλοῦτος τῆς δόξης eius uocetur.

Nec ſimpliciter dicit, Qui eſt Chriſtus: ſed addit, In uobis. Habebant in ſe Chriſtum, per fidem ac ſpiritum Chriſti: & tamen fieri poterat ut ignorarent, ſe habere diuitias gloriæ & gratiæ Dei, per id quod Chriſtum in ſe habebant. Nam fieri poteſt, ut etiamſi credas Chriſtum eſſe diuitias gloriæ Dei, exiſtimes tamen eſſe eum talem, non quatenus per fidem ac ſpiritum habitat in corde tuo: ſed quatenus regnat in cœleſtibus, ſedens ad dexteram Dei patris. Quare ſatis uigilanter adiecit, dicens: In uobis. Non dicit, Qui eſt Chriſtus in ſacrario, qui eſt Chriſtus in pane, qui eſt Chriſtus ubiq;: ſed, Qui eſt Chriſtus in uobis. Non reddimur

participes

participes Christi, cœlestiumq; diuitiarum, donec extra nos est Christus. Verùm paucos hodie inuenias, qui de eo sint solliciti, ut habeant Christum in corde suo, & interea multis disputatur, ubi sit Christus corporaliter.

Spes gloriæ, inquit.] Hoc est: Per quem speramus gloriæ huius nos participationem consequuturos. Vis scire, habeas'ne Christum in corde tuo? Examina teipsum, quid in illo spei certæ ac firmæ conceperis. Si tibi non est spes uitæ, salutis ac glorię, non poteris de eo certificari, quòd habeas ipsum in corde tuo. Magna est spei huius certitudo, quæ non confundit, quia non fallit. Verùm de spe diximus in Locis nostris. Papistæ uocant B. uirginem spem suam, dum canunt: Salue regina misericordiæ, uita, dulcedo & spes nostra. Interea damnant nos hę reseos, dum Christum spem nostram uocamus.

Quem nos annunciamus, inquit.] Etiam de Christo addit specificationẽ. Idem quidem est Christus in se: uerùm nõ idem prędicatur ac creditur ab omnibus. Prædicabant Christũ & pseudapostoli, prędicabat illũ & Paulus: uerùm diuersimodè. illi dimidiatũ, & cum Mose cõiunctũ non ut unigenitũ Dei, Dominum, seruatorẽ ac redemptorẽ unicum, non ut diuitias ac spem gloriæ Dei: sed ut insignem prophetam, qualis fuit Moses, & qualem Turci faciunt suum Mahometem. Palus uerò illum ut plenum & perfectum, solum & unicum Dominum, ubique gentium tanquam fidelis illius Apostolus euangelizabat. Notanter itaq; cùm dixisset, Qui est Christus in uobis spes gloriæ: adiecit, Quem nos annunciamus. ad discriminandum illum ab eo, qualem pseudapostoli prædicabant, ad hoc à satana missi, ut à uera ueri Christi fide & doctrina quosuis abducerent.

Quid hic de Papistis dicemus? An'non & illi Christum annunciant? Annunciant illum, fateor, sed qualem? Vnigenitum Dei, uerum Deum, patri ὁμοούσιον, & uerum hominẽ, & quæ alia de illo secundum Euangelicas historias traduntur. Agnosco: uerùm in eo deficiunt, quòd nõ prædicant illum unicam nostram iusticiam, & unicum mediatorem: sed in causa iusticiæ & salutis nostræ adiungunt illi partim intercessiones ac merita diuorum, partim sacrificia unctorum & rasorum, partim bona nostra opera, & præterea Romani Simonis indulgentias. Non prędicant igitur talem Christum, qualem prædicauit Apostolus, & post Apostolum hodie non pauci fideles ministri fideliter annunciant: ob quam causam pro hæreticis habentur, & grauissimis odijs ac persequutionibus exagitantur. In uera ac syncera Christi doctrina nõ est materia dominatus ac q̃stus, ideo illum corruperunt: talemq; cõfinxerunt Christũ, in quo possint seculariter ditescere, ociari, regnare, & turpissimum in Ecclesijs exercere quæstũ, uẽdere claues, altaria, merita sanctorum, & Christum ipsum.

Admonentes, inquit, *omnẽ hominem, & docentes omnem hominem, in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.*] Postquam dixit, annunciare se Christum, diuitias & spem glorię: subiungit iam, quàm id faciat sine ullo nationũ respectu, & ad quem finem, quamq; diligẽter ac sedulò. Qui ex Iudæis credebant in Christũ, auersabantur gentes, quasi illę ad Christũ non pertinerent, ideoq; solis Israelitis cõuertendis operã dabant. Paulus contrà, sciens Euangeliũ regni Dei omnibus esse hominibus diuinitùs destinatum, & prædicationẽ illius impositam sibi esse à Dño, neminẽ mortaliũ à gratia & salute, quæ est in Christo, excludebat: sed in uniuersum illam omnib. omniũ nationũ hominibus proponebat. Et hoc est quod dicit: Admonentes omnẽ hominẽ, & docentes omnem hominẽ, &c. Tertiò inculcat illud, Omnem hominem: quo gratiam Dei omnibus hominibus per Euangelium destinatam, commendet.

Non est aũt ociosum, quòd nõ simpliciter dicit, Quem nos annunciamus omnib. hominibus: sed, Quem nos annunciamus, admonentes omnem hominem, & docentes omnẽ hominem, in omni sapiẽtia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu. Quoniã immundis gentibus, quales erant non modò in oculis Iudæorum, sed & reipsa, absq; omni discrimine Christũ annunciabat: uidebatur gratiã regni Dei prophanare, & immũdos homines Christo cõiungere. Et id illi dubio procul à pseudapostolis exprobrabatur, qui se nonnisi puros & legis Dei obseruantes ad communicationem regni Dei uocare & adducere iactabant. Hanc itaq; calumniam reprimens, dicit se nõ temerè quosuis Christo coniungere: sed sedulò in id incumbere, ut omnem hominem in omni sapientia admonendo & docẽdo perfectum exhibeat in Christo. Prædicabat quidẽ Christum peccatoribus, impijs, prophanis, impuris, idololatris, inimicis & alienis à Deo, & uocabat eos ad gratiam regni Dei: uerùm non sinebat eos esse tales, sed ad resipiscentiam & uitæ innouationem docendo & admonẽdo inducebat, quò dignè Domino ambularent, & gratiam Dei non frustrà nacti essent.

Admonentes, inquit, *omnem hominem, & docentes omnem hominem.*] Duæ sunt partes ministerij Euangelici, quas hic Apostolus exprimit. Vna est, docere ignorantes & errantes: altera, admonere negligentes & delinquentes. Sub admonitione comprehendit & correptionem delinquentium. In Græco est νουθετοῦντες. Significat autem νουθετεῖν, menti aliquid cogitandum & corrigendum proponere, ἀπὸ τοῦ νοῦς καὶ θετεῖν. Fit hoc cùm admonendo placidè, tum corripiendo seuerè. Haud igitur docebat tantùm ignorantes & errantes, quid tenendum

credendumq; ipſis eſſet, quò in gratiam regni Dei initiari poſſent: ſed & initiatos, ac fidem in Chriſtum profitentes de ſanctimonia uitæ admonebat, & peccantes corripiebat. Vtrunque fideliter eſt Chriſti miniſtro præſtandum, qui ſi perpetuò uel doceat tantùm ignorantes, & non corrigat delinquentes: uel corrigat tantùm ac corripiat peccantes, non autem doceat ignorantes & imperitos, non implet miniſterium ſuum utiliter. Eſt enim tam inutilis correptio ſine doctrina, quàm eſt inutilis doctrina ſine correptione & admonitione. Inuenias, qui ad docendum quidem non ſit ineptus, ad corripiendum uerò peccantes prorſus langueſcat. Rurſus inuenias, qui plus ſatis propenſus ſit ad corripiendum, idq; acriter etiam ob quelibet minuta errata, ad docendum uerò planè frigeat. Quare ſingulare donum Dei eſt, & uerè Apoſtolicum, ſi detur miniſter talis, qui & competenter & utiliter ambas haſce miniſterij partes cùm docendo, tum admonendo & corripiendo impleat.

Illud, In omni ſapientia, ſuprà quoq; habetur, ubi de eo diximus: Videbatur ſtulticiæ magis quàm ſapientiæ eſſe, quòd requirebat fidem in crucifixum. Sapientiam ſquidem aliam neſciunt huius ſeculi filij, quàm quæ lumine & comprehenſione ratiocinationis conſtet, à qua alieniſsimum eſſe uidetur, credere ea quæ nulla poſſunt euidenti ratione demonſtrari & comprehendi. In contrarium igitur uindicat Euangelio ſuo ſapientiam, eamq; non particularem aliquam & mundanã, quę mera eſt coram Deo ſtulticia: ſed omnimodam, uerã & cœleſtem, qua uerbo & promiſsionibus Dei credimus, Chriſtum filium Dei, tanquam unicum ſeruatorem toto corde amplectimur, promiſſa bona ſperamus, uoluntati Dei nos in omnibus accommodamus, in nouitate uitæ ambulamus, & à ueritatis luce nullis nos afflictionibus abduci ſinimus. In his eſt demùm uera & incomparabilis ſapientia, quia finis illorũ eſt ſalus, uita ac felicitas ſempiterna. Cùm de his itaq; doceret admoneretq; omnem hominem, utiq; omnem hominem in omni uera ſapientia docebat & admonebat. Sapientia eſt, credere Euãgelio regni Dei, ſapientia eſt non reſpuere, ſed toto corde amplecti conſilium Dei in Chriſto illius unigenito: ſapiẽtia eſt, agnoſcere propriam deprauationem & corruptionem, & gratuitam ſalutem non aſpernari: ſapientia eſt, ſyncera fiducia pendere ab unigenito Dei, unico omnium ſeruatore: ſapientia eſt, obedire Deo in omnibus, illumq; religioſè uenerari & colere, & quæ alia ad ueram pietatem pertinent, ſtudioſè præſtare. In omni huiuſmodi ſapientia inſtituuntur, qui ſecundum Euangelium Dei inſtituuntur.

Obſerua uerò, quòd ſubiungit, Vt exhibeamus omnem hominem perfectum. Non eſt hoc humanæ uirtutis ac diligentiæ, ſed omnino opus ac donum Dei: unde & ſuprà orare ſe dixit ad Deum pro ipſis, ut implerentur agnitione uoluntatis eius, in omni ſapientia & intelligentia ſpirituali. Et tamen uidetur hoc tribuere ſuo miniſterio. Reſpondeo: Non dicit, ſe omnem hominem exhibere uel ſiſtere perfectum in Chriſto Ieſu: ſed admonere & docere omnẽ hominem, ut exhibeat omnem hominem perfectum. Sibi tribuit doctrinam & admonitionem, quam utramq; ad eum finem dirigebat, ut exhibere poſſet omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu. Hic erat ipſius conatus, & ſcopus quem petebat: uerùm ut uoti compos euaderet, in manu & uoluntate Dei ſitum erat.

Habent hic miniſtri uerbi quæ tãquam ad munus ipſorum pertinentia conſiderent, ac pro uiribus imitentur. Sunt ea duplicis generis. Vnum eorũ eſt, quæ præſtare debent ex officio, quorum nihil ſine culpa omittere poſſunt. Ea ſunt, quę docenda ſunt docere, & quæ amonẽda corrigendaq;, admonere & corrigere: idq; in omni homine, tanquam communis mortaliũ omnium ſalutis miniſtri: quo uoluntati eius ſubſeruiant, qui uult omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem ueritatis uenire. Alterum eorũ eſt, quæ debent habere in uotis, & ad ea conſequenda docendo & admonendo ſpectare, contendere & collimare. Ea ſunt quæ pendent à uoluntate Dei, & fide obedientiaq; eorum qui docentur & admonentur, & non ab ipſorum labore ac diligentia: utpote, ut ij quos docent & admonent, uerè credant, ex animo obediant, omni ſapientia impleantur, perfecti in Chriſto, ac ſalui fiant. Hæc ipſi præſtare non poſſunt: etſi non fiant, ipſis imputari non poteſt, ſi quæ ad officium ipſorum pertinent, fideliter impleuerint. Interim tamen ut fiant, in uotis habere, & in omnibus modis contendere debent.

Dixerit quiſquã: Et quomodo fieri poteſt, ut perfecti reddamur? Deinde quomodo conabatur Apoſtolus omnem hominẽ reddere perfectũ, cùm Phil. 3. palàm ac diſertè perfectum ſe eſſe neget. Reſpõdeo: Quod nobis impoſsibile eſt, uolẽte & operãte Deo, fit poſsibile. Quare de conſequenda in Chriſto perfectione deſperare debet nemo, ſed ad illam tanquã ad præfixã metã contendere omnes: ad id uerò quod ipſe Apoſtolus nondũ pfectus omnẽ hominẽ docẽdo & admonẽdo pfectum in Chriſto reddere ſategit, reſpondebimus loco iam citato.

Admonemor itaq; oẽs, quotquot in Chriſto ſumus, quales fieri debeamus, & quorſũ dati ſint Eccleſijs à Deo uerbi miniſtri. Qualẽ Apoſtolus omnẽ hominẽ in Chriſto reddere ſatagebat, tales utiq; omnes qui in Chriſto ſunt, fieri debent. Quemadmodũ. n. idẽ & nobis & illis q̃tum erant Eccleſijs eſt Chriſtus, idemq; Euangelium & eadem ſalutis ratio: ita & eadem eſt nobis quæ illis cõditio propoſita, ad quã fingamur. Satagebat autem omnẽ hominẽ perfectũ

reddere

reddere in Christo. Requiritur ergo ab omnibus qui in Christo sunt, ut perfecti reddantur. Quid igitur est quòd monachi statũ sibi pfectionis uindicant, cum is sit Christianorũ omniũ?

In Christo Iesu, inquit.] Non requiritur à nobis omnis generis perfectio: sed ea tãtùm quæ est in Christo Iesu. Sicut enim uniuscuiusq; membri hæc est in corpore conditio, ut eam perfectionis mensuram habeat, quæ ipsi est ad complementum corporis destinata, inq; illa unà cũ corpore crescat: ita & nostra qui in corpore Christi sumus, conditio hæc est, ut omnes, unusquisq; secundum suam mensuram, perfecti reddamur in Christo Iesu, hoc est, in omni sapientia quæ est in Christo Iesu: de qua suprà quædam attigimus.

Pseudapostoli perfectionem docebant & ipsi, & illius prætextu diffamabant Apostoli doctrinam, quòd esset nõ plena, sed dimidiata & imperfecta: ipsorum uerò hoc nomine extollebant, quòd esset plena & perfecta. Quare? Quia ille nihil prædicabat aliud quàm unum Christum, ipsi uerò Christo Mosen, & Euangelio circumcisionem ac legem coniũgebant. In obseruantia legis pfectionẽ iusticiæ sic collocabant, ut doctrina Euangelij de Christo Dño, uix dimidium pietatis, iusticiæ, adeoq; & salutis continere uideretur. Ab hac se Euangelij corruptione, ubiq; alienum esse demonstrans, constanter Christum inculcat, inq; illum omnẽ uerę pietatis, iusticiæ & salutis perfectionẽ refert: quod & hoc præsenti loco facit. Quanto, quęso, pestilentiores sunt pseudapostolis, qui in professione perfectionis non Mosen, insignẽ Dei ministrum, non legem à Deo traditam, sed nescio quos patres, & nescio quæ cõmenta & statuta hominũ, sic Christo coniungunt, ut sine illis neminem ad perfectionem uenire posse sentiant. Christianus non est in statu perfectionis, illorum iudicio: est uerò Franciscanus, Dominicaster, & alij eiusdem sectarum professores. In Euangelio Christi non est pfectio, est uerò in regulis ac statutis monasticis. Est tamen per gratiam Dei sic illorum detecta hypocrisis, & uita corrupta, & impudentia in immensum aucta, ut putẽ paucos inter eos esse, qui uel uerbulo de perfectione glorientur.

Ad quod etiam enitor, inquit, *decertans secundum efficaciam eius agentem in me per uirtutem.*] Græcè est, ἐτ ὃ καὶ κοπιῶ. Vulgata Latina habet: In quo & laboro, quasi sit ἐν ᾧ, cũ sit εἰς ὅ. Et illud, Secũdũ efficaciá eius agentẽ in me per uirtutẽ, in Græco est, κατὰ τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἐμοὶ ἐν δυνάμει: id est, secundũ operationẽ eius q̃ operatur in me in potentia: uel potenter, aut cum potentia. Vulgata Latina habet: Quam operatur in me in uirtute.

Dixit se admonere ac docere omnem hominem, ut perfectum in Christo reddat omnem hominem. Quoniam autẽ id nec perficiebatur re ipsa, nec perfici ab ipso poterat: adijcit ista, ad exprimendum conatus ac labores suos: quibus ad hoc connitebatur, ut quantum in ipso erat, omnem hominem perfectum redderet in Christo. Certè maiori ex parte non succedebat, quod sedulò agebat. Etiam in discipulis suis quos secum habebat, qui non quæ Christi, sed quæ ipsorum erant, quærebant, frustrà laborauerat. Interim tamen, etiam si nõ in omnibus labori respondebat successus: conatus tamen laudandus erat, & conueniens Apostolico muneri.

Ad quod etiam enitor, inquit.] Non dicit, Quod etiam perficio: sed, Ad quod etiam enitor. Illud non poterat, hoc poterat. Et tamen ad hoc quod præstare nõ poterat, cõnitebatur, faciẽs quod poterat. Non erat hoc temeritatis, sed Apostolici zeli, quo omnium mortalium salutem q̃rebat. Conatus hic immensi laboris est, id quod non dissimulat, cùm dicit: Ad quod κοπιῶ, id est, cum labore cõtendo. deinde & cum periculo frequenter coniunctum est, unde addit ἀγωνιζόμενος, id est decertãs, quod cum periculo fieri solet. Huiusmodi labores & certamina fugiũt magni prælati in Ecclesijs, ideoq; loco illorum usurparunt imperium ac dominatum, in quo nihil est subeũdum laboris. Neq; enim κοπιᾶν est imperare ac dominari pro libidine, sed admodum gratum & acceptum carni, ac magnificium in hoc seculo.

Decertans secundum efficaciam eius, inquit.] Græca uox ἐνέργεια, inoperationem significat. Quid aũt discriminis sit inter operationem & efficaciam, facilè intelligitur. Quemadmodum efficere, non est facere tantùm, sed quod facis perficere: ita est & efficacia, uis & facultas non faciendi tantùm aliquid, sed & perficiendi. Quare omnis quidem efficacia operationem: non autem omnis operatio efficaciam includit. Nam multa operamur, quę tamen haudquaquam perficimus. Quare satius erat reddere, Secũdum operationem, quàm secundum efficaciam. Loquitur enim non de efficacia omnẽ hominem perfectum reddendi, sed de operatione admonendi ac docendi: qua ad hoc connitebatur, ut omnem hominem perfectum redderet in Christo, quamuis effectus conatui isto non responderet ubiq;.

Operationem autem hanc non tribuit sibijpsi, sed Christo. Neque enim dicit, Secundum operationem meam: sed, Secundum operationem eius, id est Iesu Christi: cuius meminerat, dicens, Vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu. Laborabat & decertabat, sed non suisipsius uiribus. Labores ac certamina sibijpsi: operationem uerò, secundum quam laborabat ac decertabat non sibi, sed Christo tribuit. Et reuera non erat humanarum uirium, noctes ac dies unumquẽq; monere cum lachrymis, & totum in eo esse, ut omnẽ hominem perfectum redderet in Christo: ut pericula & discrimina taceam quæ huius gratia magna & multa perferebat.

Agentem

Agentem in me, inquit.] Operatio Christi, quam in Euangelio suo operatur, gemina est. Vna, qua operatur in ipso Apostolo suo & ministro: altera, qua operatur in cordibus auditorum. In Apostolo operatur, mouens ac dirigens cor ac linguam illius ad docendum & admonendum quosuis. De hac loquitur hic Paulus, cum dicit: Secundũ operationẽ eius, quam operatur in me. Promisit illam Apostolis suis Christus, dicens: Vos non estis qui loquamini, sed spiritus patris uestri loquetur in uobis. Et: Dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij uestri. Et Apostolus alicubi: An experimentum quæritis (inquit) eius qui loquitur in me Christus? Per hanc operationẽ fiebat, ut posset admonere omnẽ hominẽ, ac docere omnẽ hominẽ, eoq; cõniti, ut omnẽ hominem perfectum redderet in Christo. Alterius operationis exẽplũ habetur Actor. 16. in Lydia purpurissa, cuius cor aperuit Dominus, ut non auribus tantùm, sed & corde attenderet ad uerba euangelizantis Pauli, & crederet. Vtraq; operatio necessaria est in causa Euangelij Dei, ac nostræ salutis. Sine illa namq; neq; os hominis ad loquendum, neque cor ad credendum quicquam ualet.

Per uirtutem, inquit.] Propter hanc particulam nonnulli uerba hæc Apostoli de operatione signorum ac miraculorum exponunt: & illud ἐν ἐμοί, id est, In me, accipiũt pro δι' ἐμοῦ, id est, Per me. Sic Lyranus exponit post Ambrosium. Hunc sensum, si cui placuerit, per me licet sequatur. Ephes. 3. meminit huius potentiæ Dei, ubi de illa diximus.

CAPVT SECVNDVM

ARGVMENTVM CAPITIS.

Significat Colossensibus, quàm sit pro ipsorum ac Laodicensium salute sollicitus. Deinde hortatur ut maneant & ambulent in Christo, secundum doctrinam quam acceperant: monetq; ut caueant, ne per inanẽ philosophiam, & doctores circumcisionis ac legalium umbrarũ, perq; superstitionem angelorum decipiãtur: atq; hac occasione iterum opus redemptionis per Christum factæ exponit, et circa calcem ab elementalibus decretis, præceptisq; ac doctrinis hominum dehortatur.

NAm uolo uos scire, quantam sollicitudinẽ habeam de uobis, & his qui sunt Laodiceæ, & quotquot non uiderunt faciem meam in carne, ut consolationem accipiant corda illorum, cùm fuerint compacti in charitate, & in omnem opulentiam certæ persuasionis intelligentiæ, in agnitionẽ mysterij Dei, & patris & Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ reconditi.

Sollicitudo omnium Ecclesiarum, quæ erat in corde Apostoli, bipartita erat. Partim enim sollicitus erat pro illis quibus ipse Christum uel prædicabat uel prædicauerat: partim pro illis etiam quib. non ipse, sed alij euangelizaruerãt. Ex hisce posterioribus erant Colossenses, Laodicenses & Hierapolitæ. Cùm itaque in calce præcedentis Capitis ad hoc se contendere ac decertare dixisset, ut omnem hominem perfectum in Christo docendo & admonẽdo redderet: iam subijcit rationẽ, ob quam id dixerit. Non dicit simpliciter, Volo uos scire: sed, Volo enim uos scire. Q. d. Hanc ob causam commemoro & expono uobis, quanto cum labore decertem, ut omnem hominem perfectum reddam in Christo, quòd scire uos uelim, quãtum mihi sit certaminis de uobis quoq;, & Laodicensibus, & omnibus illis qui non uiderunt faciem meam in carne: ne putetis me, propterea quòd faciem meam non uidistis, nulla de salute uestra sollicitudine affici. Nemo mortalium est, quem non obnixè cupiam perfectũ ac saluum reddere in Christo: quãto magis uos & Laodicenses, & Hierapolitanos, de quorum fide tam multa ac præclara audio?

Volo enim uos scire, inquit.] Plurimùm prodest fidelibus, si sciant quàm fideliter salus ipsorũ à ministris uerbi quæratur. In ijs beneficijs q̃ perfici nõ possunt, nisi & ij quibus beneficiendum est, sic se accõmodent ac morigeros exhibeant, ut possit ipsis benefieri: multum prodest ut sciant illi, qua in re & quomodo salus ipsorũ quæratur. In reliquis id necesse non est, quandoquidem etiam inscijs benefieri potest, quales sunt omnes qui usum rationis non habent. Studendũ itaq; est fideli ac prudenti ministro, ut non contentus suaipsius conscientia, sciens quàm fideliter agat in Ecclesia Dei: in id etiam incumbat, ut eius studij sui alios quoq; reddat conscios. Id autem non uerbis tantùm, sed & sedulitate docendi, admonendi, & quacunque poterit ratione benefaciendi, testatum de se facere debet.

Quantam sollicitudinem habeam de uobis, inquit.] Græcè est, ἡλίκην ἀγῶνα ἔχω: id est, Quantũ certamẽ habeam. ut respondeat ei quod suprà in calce præcedentis Capitis dixit, ἀγωνιζόμενος, id est de certans secundũ operationẽ, &c. Quòd autẽ certamẽ de illlis habere potuerit, cùm nõ modò pʃens apud eos nõ esset, sed ne uidisset quidẽ eos, facilè cogitari potest. Erat pro salute illorũ sollicitus, adeoq; iã sup fide illorũ gaudebat: iã ne seducerẽtur metuebat, iã ut in cognitione Christi, & charitate mutua crescerent optabat, & in precationibus suis à Deo petebat. Hæ

uices

uices affectuum inter se certabant in ipsius animo indesinenter. Significans hoc, dicit: Nam scire uos uolo, quantum mihi sit certamen de uobis.

De uobis, inquit, *& his qui sunt Laodiceæ, & quotquot non uiderunt faciem meam in carne.*] Quoniam Epistolam hanc non à Colossensibus tantùm, sed & à Laodicensibus legi uolebat, sicut infrà in calce patet: consultò hic illorum quoq; nominatim mentionẽ facit, quò non solùm Epistolã hanc ad se quoq; pertinere scirent, sed & intelligerent quàm esset pro ipsorũ etiam salute sollicitus, ne se ex eo quòd Colossensibus Epistolã hanc inscripsit, & non ipsis, minoris æstimari putarent. Eodem consilio adijcit etiam in genere de reliquis, ad quos non uenerat. Id enim intelligit, cùm dicit: Et quotquot non uiderunt faciem meam in carne. Eodem sensu Act. 20. ad Ephesiorum seniores dixit: Non uidebitis amplius faciẽ meam: hoc est, Non sum amplius ad uos uenturus. Et illud Galat. 1. Facie eram ignotus Ecclesijs Iudææ: idem est quod, Non ueneram ad Ecclesias Iudææ.

Non est autẽ ociosum, quòd adijcit, In carne. Carne nõ uenerat ad eos, uenerat uerò, ac uiuebat in spiritu. qua de re paulo infrà memorabit. Huius ob id admoneo, ne quis superstitiosum quid de facie Apostoli comminiscatur. Græca uox πρόσωπον, nõ uultus tantùm, sed totius corporis & personæ aspectum significat, unde & frequenter pro persona ponitur. Personam Pauli, quæ humilis erat secundum carnem, imò & personam ipsius Christi multi inutiliter uiderũt: doctrinã uerò innumeri magno cum fructu & audiuerunt, & hodie quoq; audiunt. De fabuloso quodã Christophoro sic sentiunt nonnulli, ut imagini illius uersus hosce adscribãt:

Christophore sancte, uirtutes sunt tibi tantæ:
Qui te manè uidet, nocturno tempore uidet.

Sic supstitiosa uetustas externo sanctorũ, idq; mortuorũ aspectui, plurimũ uirtutis tribuit.

Vt consolationem accipiant corda illorum, inquit.] Qui sollicitus est ac certat, certi aliquid uel auersatur uel appetit. Cùm itaq; admodũ se de Colossensib. & Laodicẽsib. & reliquis, ad quos nõ uenerat, certare dixisset: iam consequenter subijcit, quam ob causam de illis tantopere decertet. Vt cõsolationem (inquit) accipiant corda illorũ. Metuebat igitur, ne mole tentationũ pressi, animum desponderent & deficerẽt: id quod accidere illis solet, qui se negligi ab ijs putant, quos prodesse sibi plurimùm posse iudicant, modò uelint. Sic animatus sedulò connitebatur ad hoc, ut aliqua ratione corda illorum cõsolaretur, & in fide ac cognitione Christi cõfirmaret. Verbũ παρακαλέομαι, quòd hic est in Græco consoládi sensu positũ, significat animum laborantẽ & afflictũ, p acclamationẽ & adhortationẽ amicorum erigi ac recreari, ne ipsus cõcidat. Hoc spectãs Apostolus, quos coràm nõ poterat, p literas alloquebatur, & ad cõstãtiã in Christo adhortabatur, quò consolatione accepta corda illorũ erigerentur & confirmarẽtur.

Cùm fuerint cõpacti, inquit, *in charitate.*] Græcè est συμβιβασθέντων ἐν ἀγάπῃ. Vsus est hac uoce Eph. 4. per metaphorã, à similitudine membrorũ corporis sumptã. Significat, fieri nõ posse, ut corda eorũ consolationẽ hãc accipiãt, nisi sint instar membrorũ corporis in uera dilectione inter se coadunati & cõpacti. Etenim ubi diuulsio est ac dissidiũ animorũ, ibi Christiana cõsolatio, q̃ nõ uerbo tantũ, sed & spiritu Christi perficitur, locũ habere nõ potest: quemadmodũ nec mẽbra corporis refici recreariq; possunt, nisi sint inter se cõpetenti compactione coadunata.

Diligenter autem obseruandum est, quòd compactionẽ hanc tribuit dilectioni, & nõ sciẽtiæ & intelligentiæ. Dilectio uinculum est & glutinũ, quo animi fideliũ inter se compingũtur. Vbi illa est, ibi quod infirmum est & imperfectum, non contẽnitur & abijcitur, sed fouetur ac prouehitur. Si hoc faceret scientia, nullo unquã seculo coniunctiores fuissemus in Ecclesijs Christi, quàm hoc præsenti, in quo scientia regnat. Verùm quoniam charitas passim prostrata iacet, ideo omnia dissidijs sunt omnium odiosissimis lacera ac diuulsa.

Et in omnem opulentiam, inquit, *certæ persuasionis intelligentiæ.*] Præmissæ dilectioni subiungit σύνεσιν, id est intelligentiã, eamq; non uulgarẽ & incertã, sed q̃ sit opulẽta & certa persuasione cõfirmata. Etenim quemadmodum sine charitate inutilis est scientia: ita & charitas sine scientia ueritatis non modò nihil prodest, sed & multis errorib. obnoxia redditur. Quare summopere necessarium est, ut utrẽque in nobis dono Dei coniungantur, quandoquidem neutra sola ad hoc sufficit, ut corda nostra in Christo efficaci consolatione confirmentur.

Non est autem ociosum, quòd de omni opulentia & plerophoria intelligẽtiæ loquitur. Sic enim mysterium Christi duobus prædicatis omnium conuenientissimis commendare uoluit. Vnum est, quòd tribuit illi omnem opulentiam: propterea uidelicet, quòd omnia illius copiosissima sunt & inexhausta: alterum, quòd tribuit illi summam certitudinem, de qua mẽtes nostræ luculenta, plena, indubitata & copiosa persuasione certificari possunt. Talem nãq; Græca uox πληροφορίαν sonat. Sic est comparatum mysterium Christi, ut ista de illo omnium ueracissimè prædicentur ab Apostolo. Quod uerò in oculis mundi humile & incertum esse apparet, partim carnis nostræ uitio accidit, partim satanę debetur, qui mentes infidelium occæcat, ne affulgeat illis lux ueritatis Dei. Quid autem conuenientius Christianis competere potest, quàm ista plerophoria, quadoquidẽ in illo sunt, qui est ipsissima ueritas? Hãc ob causã Apostolus nõ modò mẽtis Rom. 14. & intelligẽtiæ, hoc p̃senti loco, sed & prædi-

prædicationis & miniſterij Epiſtola ſecunda ad Timotheum, capite quarto: & ſpei & fidei, in ea quæ eſt ad Ebręos plerophoriam â nobis requirit, longè diuerſus ab illis qui dubitationis, quàm plerophoriæ huius doctores eſſe malunt.

In agnitionem, inquit, *myſterij Dei, & patris, & Chriſti.*] Specificat, de qua nam intelligentia loquatur. Ethnici omnem opulentiam philoſophicæ intelligentiæ, & plerophoriam euidentibus demonſtrationib. tribuebant, ſine quibus omnia pro incertis habebãt. Sic humana ratio plurimùm tribuit ſyllogiſticis argutijs. Exiſtimat enim, ſtultũ eſſe, ac leuis animi indicium, ſine illis aliquid pro uero amplecti, cuius ueritas fide ſit tenenda, quandoquidem ad oculum demonſtrari nequeat. Apoſtolus uerò, ne de eiuſmodi opulentia & plerophoria mundanæ ſcientiæ loqui exiſtimetur, ſpecificationem hanc præcedentibus ſubijcit, dicens: In agnitionem myſterij Dei & patris & Chriſti. Intelligit aũt per myſteriũ Dei, nihil aliud quàm Euãgeliũ de Chriſto filio Dei: unde nõ cõtentus eo quod dixit, In agnitionem myſterij Dei: addit, Et patris, & Chriſti. quib. uerbis de Deo ut patre Chriſti, & de Chriſto ut filio Dei loquitur, p quem ſibi Deus humanum genus reconciliauit. Agnoſcunt & Iudęi & Turci, multa eſſe myſteria Dei: interea tamen quod pręcipuum ac ſummum eſt ex omnibus, non modò non agnoſcunt, ſed & ſtulticiæ damnant, & illius nomine Chriſtianos ,p impijs ac ſuperſtitioſis habẽt.

In quo ſunt omnes, inquit, *theſauri ſapientiæ reconditi.*] Illud, In quo, ſic eſt poſitũ, ut referri poſsit tam ad myſterium Dei, quàm ad Chriſtum. Vtrolibet referas, idem eſt ſenſus. Eſt enim Chriſtus myſterium Dei. Quod ineſt myſterio Dei, ineſt Chriſto. In quo ſunt omnes (inquit) theſauri ſapientiæ ac ſcientiæ reconditi. Reſpicit ad id quòd dixit: Et in omnem opulentiam certæ perſuaſionis intelligentiæ. Id declarãs, omnes theſauros ſapientię & ſcientiæ in myſterio Chriſti reconditos eſſe dicit. Per omnes theſauros, infinitam & inexhauſtam copiam exprimit. Ergo quicquid eſt ueræ ſapientiæ & ſcientiæ, in Chriſto eſt abſconditum, ſiue quod attinet diuinam eſſentiam, naturam, maieſtatem, potentiam, iuſticiam, bonitatem, dilectionem & miſericordiam: ſiue quod opus creationis, gubernationis & conſeruationis omnium quæ in cœlo ſunt & in terra concernit: ſiue quod ad reconciliationem, redemptionem & ſalutem mundi, ac reſtitutionem omnium, futuramq; æternæ uitæ gloriam pertinet. Extra Chriſtum non eſt ulla uera ſapientia ac ſcientia. Et quę in Chriſto eſt, non eſt imperfecta & inſufficiens, ſicuti pſeudapoſtoli tradebant, quo legem Euangelio coniungerent: ſed eſt perfectiſsima & inexhauſta.

In eo autem, quòd theſauros omnes ſapientiæ ac ſcientiæ in Chriſto dicit eſſe abſcõditos: admonemur, quàm non ſit ullus ad eos aditus humanæ rationi: unde & euenire uidemus, ut quo magis illa de rebus diuinis iudicare præſumit, hoc magis hallucinetur & deſipiat. Sic factum eſt, ut commentis ac nugis ſapiẽtum uera cognitio ac religio Dei obſcurata ſit ubique terrarũ, & omnia teterrimis erroribus, ſuperſtitionibus & idolomanijs referta: aq; ita diſſenſione ſapientum, dum alius aliud nugatur, cogatur mundus ignorare, quis ſit uerus Deus, & uerus illius cultus, & quæ ſit uia ſalutis ac uitę. Huius rei manifeſta ſunt experimenta, non in ijs modò quæ gentibus uniuerſis, ſed & quæ Iudæis, imò & Chriſtianis extra Chriſtum ſapere uolentibus acciderunt.

Hoc autem dico, ne quis uobis imponat probabilitate ſermonis. Etenim quamuis carne ſim abſens, tamen ſpiritu uobiſcum ſum, gaudens ac uidens ueſtrum ordinem, & ſoliditatem ueſtræ in Chriſtum fidei.

Reddit rationem, quorſum uelit eos ſcire, quantum de ipſis & Laodicẽſibus, & quotquot faciem ipſius in carne nõ uiderant, ſollicitus ſit ac decertet, quo conſolationem corda ipſorũ accipiant. Hoc autem dico (inquit) ne quis uobis imponat probabilitate ſermonis. Quaſi dicat: Timeo uobis, ne quo pacto p impoſtores ſeducamini. Ideo commemoro ſollicitudinem meam, qua cupio uos in ſapientia ac intelligentia myſterij Chriſti & in uera charitate inſtructos eſſe & compactos, quo contra ſeductores firmi perſiſtatis. Locus hic monet, uitandos eſſe impoſtores, à quibus ſemper multum fuit periculi Chriſti fidelibus. Eſt enim artificium fallendi ac decipiendi incautos & imperitos ipſiſsimi ſatanæ inuentum, quo indeſinenter miniſtros ſuos reddit inſtructos.

Ne quis uobis imponat, inquit.] Græcè eſt, *μή τις ὑμᾶς παραλογίσηται. παραλογίζεσθαι* ſignificat falſis argumentationibus circumuenire imperitos. Eiuſmodi argumentationes uocantur paralogiſmi, quibus facilè ſeducuntur homines ſimplices, & minimè mali, propterea quòd procliuiores ſunt ad aſſentiendum, quàm inſtructi ad iudicandum diſcernendumq; inter uera & falſa, præſertim ubi quę falſa ſunt, aliqua ſunt ueritatis ſpecie obducta, ut appareant eſſe uera, cùm ſint falſa: bona, cùm ſint mala: pia, cùm ſint impia: placere Deo, cùm illum uehementer offendant. Huiuſmodi paralogiſmi naſcuntur alij ex ignorantia, alij ex malicia. Ex ignorantia erat paralogiſmus ille, quo mulier Samaritana utebatur, ad Chriſtum dicens: Patres noſtri in mõte hoc adorauerũt, & uos dicitis, Hieroſolymis eſſe locũ, ubi oporteat adorare. Argumẽtabatur ab exemplo patrũ, in monte illo, non Hieroſoymlis adorandũ eſſe Deũ. Vbi patres noſtri Deũ adorarunt, ibi & nos illum adorare debemus. Adorarunt aũt illũ non Hieroſolymis, ſed

in

in hoc mõte adorare debemus. Non intelligebat maiorem esse falsam. Putabat se ἐμπαγίζεσθαι, cùm uteretur paralogismo. Et hoc frequenter accidit imperitis, non modò in rebus secularibus, sed & in causa religionis.

Quicquid bono fit animo (inquiunt) Deo placet. Bono aũt animo abstinemus à certis cibis, colimus diuos, ueneramur illorũ imagines, missas frequentamus, &c. Ergo hæc Deo placent, quæ tamen Lutherani reprehendunt. Paralogismus est. Etenim etsi concedamus maiorem, error tamen est in minore, in qua animus non bonus pro bono ponitur. Bonus animus est, ea facere quæ nobis ex uoluntate Dei in uerbo illius præscribuntur, non quæ à uel nobis, uel ab alijs sine uerbo Dei, imò cõtra uerbum Dei excogitantur ac præsumuntur, quare nemo Christianus bono potest animo conscientiam suam traditionibus humanis mancipare, diuos colere, simulacra illorum uenerari, & missas frequentare. Sunt enim hæc omnia cum uerbo Dei pugnantia. Si hoc intelligerent, intelligerent minorem esse falsam, & corrigẽ dam ad hunc modum: Quæ facimus, Deo placent. facimus enim bono animo, non quæ nobis, sed quæ ipsi placent, idq; iuxta ipsius uoluntatem ac uerbum.

Paralogismi uerò qui ex malicia nascuntur, omnium sunt nocentissimi, & authorem habẽt diabolum, summum omnis impostur̃ artificem, præsertim qui ex sacris Scripturis malè usurpatis construuntur. Abundat illis Papistica doctrina. Et pseudapostoli, de quibus hic Apostolus loquitur, paralogizando seducebant imperitiores Christianos, dum urgebant & inculcabant legem non extingui per Christum, eo quòd lex non minus à Deo sit data quàm Euãgelium, eamq; ob causam retinendam esse circumcisionem & legem. Verũ est, non extinguitur lex, sed impletur per Christum. Quę implentur, non extinguuntur. Hinc tamen non sequitur, retinendam esse illius literam, posteaquam impleta est per Christum, & absoluto ueteri nouũ testamentũ institutũ. Monet igitur Apostolus Colossenses, ut caueãt ne paralogismis pseudapostolorũ seducantur, quos hoc sciebat esse ad impostur̃ efficaciores, quo Christiani magna sunt ex parte simpliciores. Nam, ut ille ait, ἀφύλακτον ἡ ἀπλότης, πρὸς ὃ μισητὰ κακίαν ὑφορᾶται τὸ κακίας ἀνέπαφον, ibi potissimum regnant paralogismi, ubi zelus quidem Dei est in Ecclesijs, uerùm sine scientia sacrarum Scripturarum. Hic magno dolo citantur testimonia Scripturarum, & ex illis inferuntur omnis generis falsa dogmata, quæ & pro ueris acceptantur, quandoquidem paralogismorum impostura ab imperitis non intelligitur. Necessarium igitur est, ut fallacias paralogismorum probè obseruentur ac detegantur ab Ecclesiarum doctoribus: quod tum ritè faciunt, quando partes illorum, unde constructi sunt, in lucem protrahunt, & imperitis exponunt, quo fraudem intelligere & auersari queant.

Sunt autẽ tres paralogismi partes, ex quibus fabricantur. Prima est, qua à ueritate: secũda, qua ad mendacium & ad peccatum abducimur: tertia, qua specie aliqua ueri, recti & boni quod falsum est, obtegitur & insinuatur. Vsus est illis uaferrimè primus paralogistes, serpẽs ille antiquus. Veritas, à qua primos nostros parentes abducere, ne illam crederent, molie-batur, erat: morituros ipsos esse, si de uetito ligno ederent. Ab hac abducẽs, dicebat: Nequaquã moriemini. Peccatum erat quod suadebat, esus ligni uetiti, transgressio uidelicet præcepti Dei. Species, qua malum hoc uelabat, erat in eo quòd dicebat: Nouit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi uestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Videbatur polliceri ipsis, quæ essent è re ipsorum, quo incautos ac deceptos seduceret.

Consimili artificio, cùm Christum Dominum tentaret, usus est. Veritas à qua abducere conabatur, erat, non esse tentandum Deum, sed bona ab illo fiducia pendendum. Peccatum quod suadebat, erat, tẽtatio Dei, per temerariam præcipitationem. Species boni ac recti, qua peccatum hoc obtegebat, in eo erat quòd dicebat: Nam scriptum est, Angelis suis mandaturus est de te, ac manibus tollent te, ne quando impingas in lapidem pedem tuum. Hæ tres paralogismorum partes diligenter sunt obseruandę, quo intelligamus, à quo recto, iusto ac bono abducamur: deinde in quod malum, peccatum & mendacium inducamur, & qua specie boni ac recti fallamur.

Ne quis uobis imponat, inquit, *probabilitate sermonis.*] Grę. est ἐν πιθανολογίᾳ. πίθανον dicitur, quod est credibile, uerosimile & probabile. Vnde est, πιθανολογία, persuasio argumentis in speciem probabilibus facta. Et pertinet illa ad tertiam paralogismi partem, de qua iam diximus. Similis est escæ laqueo uel hamo ad alliciendum appositæ: uel fistulæ dulce canenti, uolucrem qua decipit auceps. Veteres uocarunt eam Suadam & Flexanimam, persuadendi deam. Quòd si usurpata fuerit in causa bona & iusta, plurimùm confert utilitatis, dum per eam homines simplices, idiotæ & inidonei ad iudicandum de eo quod uerum est, ab errore ad rectam sententiam perducũtur. Conuenit illa potissimùm medicis, quibus cura infirmorum commissa est: & unicus hic scopus propositus, ut obedire recusantes, quibus poterunt persuasionibus inducant, ut morem gerentes curẽtur. qua de re nobile fertur medici cuiusdam exemplum, qui ægrotum curaturus, omnẽ escam repudiantem, eo quòd se putabat esse mortuum, mortuos uerò non edere dictitabat: primùm se illi coniunxit, persuasitq; perinde se atque ipsum esse

mortuum. Deinde prandendi tempore curauit adferri sibi cibum, cœpitq; coram illo ędere, & simul hortari, ut ederet & ipse: quo recusante ac dicente, Tu nō es mortuus sicut ego. nam mortui non edunt. respondit: Quàm es obsecro, stolidus? An nescis mortuos etiam edere? Edunt utiq; & illi. Et tu, si uerè mortuus esses, ederes mecū, mortuus cum mortuo. Huismodi commento induxit ægrotum ut secū ederet, atq; ita alioqui periturū seruauit. Sic cùm esset astutus in bono, uel dolo induxit ęgrotū, ut curari se sineret. Huiusmodi pithanologia κ) πιθανῶν πειθοῦς pulchrè instructus fuit Apostolus, cū omnibus oĩa fieret, quò aliquos saltē lucrifaceret.

Si uerò pithanologia instructus fuerit homo malus, uersutus & impostor, incredibile est, quantum possit ad seducendum imperitos. cuius rei experientia nostra quoq; ętate ualde est manifesta. Quo namq; plus lucis nostris temporibus in causa religionis illuxit, hoc minus loci conueniebat esse pithanologis impostoribus. Verùm tanta est mali huius uis, ut plurimos adhuc, eosq; nō ignobiles, usq; adeò dementet, ut manifestam ueritatis lucem uidere ac sequi nequeant. Modico negocio maiores nostri per impostores, non solùm πιθανολόγους, sed & πιθανοπαθεῖς, hypocritas uidelicet, seduci potuerunt. Erant enim tenebris immersi. Iam uerò ubi sapientia Dei clamitat in plateis, & ueritas est patefacta, ac lux sacrarum Scripturarum supra candelabrum posita, hypocrisis q; impostorum in summam impudentiam mutata: an nō miram oportet esse πιθανολογίαν uim, qua tam multos impedire uidemus, ne relictis manifestis erroribus, ab Antichristo ad Christum tranieant?

Obserua uerò quòd non dicit: Ne quis uobis uim inferat per tyrannidem: sed, Ne quis uobis imponat probabilitate sermonis. Vtrinq; quidem multum est periculi fidelibus Christi. Est enim satan non modò artificio seducendi, sed & potentia terrendi & cogendi instructus, ac uelut à sinistris & à dextris armatus: uerùm multis modis nocentius malum est per impostūram circumueniri, quàm manifesta tyrannide impeti. Et præterea uim iniustam nō potest Apostolus ullis doctrinis & admonitionibus auertere: potest uerò contra impostūram paralogismorum corda & mentes fidelium præmunire. Quare in hanc partem magna ratione ac sollicitudine in omnibus ferè Epistolis incumbit. Sciebat fieri posse, ut qui non frangitur afflictionibus, impostūris circumueniatur ac seducatur, ut à ueritate Euāgelij Christi deficiat: contrà uerò non facilè cedere afflictionibus eum, qui in fide & cognitione Christi sic est instructus & obfirmatus, ut nulla pithanologia à cognita ueritate abduci se sinat.

Inuenias qui zelum Dei habeat, scientiam non habeat. Ad subuertendum hunc nihil potest uiolentia, potest uerò plurimùm pithanologia. Rursus inuenias, qui probè instructus in scientia Dei, parum habeat zeli. Hic non facilè seducitur, facilè uerò afflictionibus frangitur. Adhuc inuenias, qui & zelo & sciētia Dei probè communitus, nec uiolentiæ, nec pithanologię cedat. Sic opus est homini Christiano, ut & zelo & sciētia Dei probè instructus reddatur. Interea tamen plus est periculi à seductione, quàm à uiolenta coactione. Qui præter animi sui sententiam uiolenter cogitur, ut cognitam ueritatem terroribus afflictionum superatus abneget, grauiter quidem peccat: uerùm interea scientiam ueritatis retinere, & aliquando resurgere potest, ut illam confiteatur. Qui uerò seducitur, non solùm à confessione ueritatis deficit, sed & scientiam illius amittit, & quod falsum est pro uero amplectitur: atque eò tandem prolabitur, ut quam antea ueritatem amauerat & confessus fuerat, in hostem mutatus odio prosequatur, & acerbè impugnet. Huius rei exempla non erant Apostolo incognita, non modò in Hymeneo, Phileto, Hermogene & Alexādro ærario: sed & in alijs multis. Ex ijs qui afflictionibus superati sunt, multi ad Ecclesiam resipiscentes ac pœnitentes reuersi sunt: ex illis uerò, qui à semel cognita ueritate per impostūram seductorum abducti defecerūt, nescio an aliqui ex animo resipuerunt unquam: certè non facilè demonstrari poterit, resipuisse ex illis multos. De talibus loquitur Apostolus ad Ebræos 10. cùm dicit: Voluntate enim peccantibus nobis post acceptam noticiam ueritatis, iam non est residua pro peccatis hostia. quò & ea pertinent, quæ Ebr. 6. paulo post initium leguntur.

Etenim quamuis carne sim absens, inquit, *tamen spiritu uobiscum sum, gaudens ac uidens uestrum ordinem, & soliditatem uestræ in Christum fidei.*] Nō simpliciter dicit, Quamuis carne sim absens: sed, Etenim quamuis carne sim absens, spiritu tamen uobiscum sum. Reddit igitur rationem curæ ac sollicitudinis suæ. Quasi dicat: Mirum uideri non debet, quomodo rebus uestris afficiar, & intelligam, quid cauere debeatis, cùm sim à uobis absens. Etenim licet absens sim à uobis, absens tamen sum non nisi carne, spiritu uerò prędens. Quare non impedit me carnalis absentia, quo minus de rebus uestris cognoscam, simq; pro salute uestra sollicitus.

Sic diuidit seipsum in carnem & spiritum, hominem uidelicet externum & internum. Idē ac totus Paulus absens erat à Colossensibus, sed non totaliter: & præsens illis erat totus, uerùm non totaliter. Non dicit, Caro mea est absens, spiritus uerò uobiscum: sed, Quamuis carne sum absens, spiritu tamen uobiscum sum. Vtrunque de se prædicat, & quòd absens sit, & quòd sit cum ipsis præsens. Neutrum tamen erat totaliter, quia nec absens erat carne simul & spiritu, nec præsens.

Triplex est Apostoli præsentia. Prima est corporalis, qua corpore præsens est, coramq; uidetur

uidetur & auditur. Ea præsentia illius erat in facie humilis. 2. Cor. 10. Sic tũ erat Romæ in carcere cõstitutus, cùm hæc scriberet. Secũda est spiritualis, qua cum corpore abesset, aderat Ecclesijs Christi per spiritũ. de qua pręsentia & 1. Cor. 5. meminit, dicens: Ego quidẽ absens corpore, præsens aũt spiritu, iam iudicaui eũ ut præsens, &c. quo loco de spirituali hac præsentia diximus. Tertia est, qua præsentem se reddebat Ecclesijs per literas, quibus opus præsentiæ suæ, quod nec corpore nec spiritu poterat, perficiebat. Et hac præsentia, quæ per literã est & doctrinam, hodie quoq; præsens est Ecclesijs Christi, haud minus utiliter, quàm si præsens esset corpore. Gloriantur Romani de corporibus Apostolorũ, & mutas illorum ostentãt imagines: quanto consultius esset Ecclesijs, si per doctrinam præsentiam illorum restituerent?

De Christo quoq; seruatore nostro, benedicto in secula, ueraciter prædicamus, quòd absens sit à nobis carne, præsens uerò spiritu: & tamen cum hoc dicimus, haudquaquam duos Christos constituimus: unum, qui sit absens: alterũ, qui sit præsens. Absit. Vnum & eundem Christum filium Dei & filium hominis, uerbum incarnatum, uerũ Deum & uerum hominẽ, carne in cœlo & spiritu, & uerbo suo nobiscum, & maiestate diuinitatis, qua patri est æqualis, ubiq; in cœlo & in terra esse ac cuncta implere, gubernare ac conseruare dicimus. Hæc est uera & inuicta Christianorũ de Christo fides, quantũuis illam labefactare moliuntur, qui nouũ dogma de ubiquitate corporis illius nostris hisce temporibus satis contentiosè spargunt.

Gaudens ac uidens, inquit, *ueſtrum ordinem, & ſoliditatem ueſtræ in Chriſtum fidei.*] Ne sola cogitatione cum illis esse, interim uerò statum ipsorũ ignorare putaretur, postquam dixit, Spiritu tamen uobiscum sum: subiecit, Gaudens & uidẽs uestrũ ordinẽ, & soliditatẽ uestræ in Christũ fidei. Hoc fieri non potuisset, si sola tantùm cogitatione apud eos fuisset: ad quẽ modum cum amicis lõgè à nobis disitis esse solemus, quorũ interim statũ & incolumitatẽ uidere ac certò scire nõ possumus. Quare consequitur, miraculosã fuisse præsentiã hanc Apostoli, qua in spiritu præsens pinde ordinẽ ac soliditatẽ fidei Colossensiũ uidit, ac si corpore corã esset cõstitutus.

Non dicit simpliciter, Gaudẽs de uestro ordine ac soliditate uestrę in Christũ fidei (potuisset enim id gaudij ex aliorũ narratione hausisse uideri) sed adijcit, Ac uidens uestrũ ordinẽ ac soliditatem uestrę in Christum fidei. Alioqui prius est uidere unde gaudeas, deinde gaudere.

Videns igitur ordinem Colossen. & quàm essent firma in Christũ fide, gaudebat: gaudens uerò reddebatur sollicitus, ne à pseudapostolis seducerentur, & tã læta primordia uerterentur sibi in luctũ. Sciebat enim nõ quiescere satanã, id quod sępenumero fuerat expertus. Quã do ergo securus esse poterit Apostolus Christi, si illum etiam rectus fideliũ status, unde gaudet, sollicitum reddit? An non hic quoq; res est solliciti plena timoris amor?

Est aũt diligenter obseruandũ, quòd non dicit, Anxius & uidẽs impostura eorum qui uos seducere conãtur, cùm id præcedẽtia poscere uiderentur: sed, Gaudens & uidens ordinẽ uestrum. Maluit uidelicet causam exprimere, unde futurũ timebat, ut impeterẽtur ab impostoribus, satanę ministris. Ea erat status Ecclesiæ rectè cõstitutus, & soliditas fidei in Christum. Voluit illos admonere, ut hoc uigilantius ordinẽ quem habebant custodirent, quo plus insidiarum imminebat illi à satana. Vbi rectè habent Ecclesiæ Christi, ibi plus est periculi, ne imposturis satanæ reddantur obnoxiæ. Sciendũ hoc est non ministris modò, sed & omnibus fidelibus, ne securè agentes circumueniantur ac subuertantur.

Et uidens ordinem ueſtrum, inquit.] Græcè est, Βλέπων ὑμῶν τὸν τάξιν. Significat aũt τάξις non solùm ordinẽ, sed & aciẽ, exercitũ & stationem militarẽ. Dicit se uidere illorũ aciẽ, probè aduersus hostẽ instructã, sicq; in fide Christi solidã ac cõdensatam, ut non facilè possit ab hostib. interrumpi & cõfundi. Hoc sensu particulam istã Chrysostomus exponit, dicens: τὸν τάξιν τὸν ὑπὲρ ἡμῶν φησί. τὸν δὲ ὅπλων τὸν πίστιν, ἀλλὰ τὸ στρῶμα, καθάπερ οἱ στρατιῶται ὑπάντων ἑστῶτες καὶ βεβαίως. Erant tum Christiani, & hodie quoq; sunt, instar militũ, non modò in castris agentiũ, sed & in acie & cõflictu stantium. Vbi plurimùm refert, quomodo instructi & quàm firmi stent in acie. Alij referunt ad ordinẽ conuersationis uitæ, alij ad ordinationes Ecclesiasticorũ rituum. Sanè & utile est & honestũ, si & conuersatio uitæ & ritus Ecclesiastici cõpetenti ordinatione disponantur. Verùm Apostolus (meo iudicio) loquitur hic de pugna fidei, & utitur metaphora militaris aciei, cuius τάξις & στρῶμα plurimum spei de obtinenda uictoria conferunt.

Et ſoliditatem, inquit, *ueſtræ in Chriſtum fidei.*] Soliditate seruatur militaris acies. Illa fit, quando milites infracta condensatione ac firma statione inter se indiuulsæ cohærent, sic ut hosti non sit facilè in eiusmodi solidã aciem irruptionem facere, & confusionem stragemq; inferre. Sic consolidatur acies militũ, quando fide, qua regi sui obstricti sunt, ad pugnandũ aduersus hostem probè sunt animati. Consimilis est & Christianorum conditio: fidei in Christum soliditas reddit Ecclesiam instar aciei firmam, & probè conglobatã. Vnde & Apostolus hic cùm dixisset, Videṡ aciẽ uestram: subiecit, Et soliditatem uestræ in Christum fidei. Significat, posse eos stare aduersus hostẽ, & uictores euadere, si soliditatem, quę in Christũ est fidei, infractam retinuerint. Omnis namq; conatus satanæ ad hoc intenditur, ut fides nostra uincatur ac destruatur, qua toti à Christo pẽdemus. Quare curandum nobis est cum primis, ut fidei huius integritatem ac soliditatẽ seruemus, quo quisque nostrũm cum Apostolo aliquandò dicere possimus: Certamen bonum decertaui, cursum consummaui, fidem seruaui, &c.

Quemadmodum igitur accepistis Christũ Iesum Dominũ, ita & in eo ambulato, sic ut radices habeatis in illo fixas, & in illo superstruamini cõfirmeminiq; per fidem, sicut edocti estis, exuberantes in ea cum gratiarum actione.

Commendauit illorum ordinem, ac fidei soliditatem: commendationi huic iam subiungit paræneſim, hortans eos ad constantiam in fide Christi seruandam. Non dicit aũt simpliciter, Ambulate in Christo: sed, Quemadmodũ accepistis Christum Iesum Dominum, ita in eo ambulate. Multum refert quomodo ambulemus in Christo Iesu. Non est satis, uteũq; & quomodolibet ambulare in Christo: sed ambulandum in eo est, perinde atq; in uia uitæ, per quam solam peruenitur ad patrẽ, quemadmodũ illum per Euãgelij doctrinam accepimus. Acceperãt Christum Colossenses prędicatũ ab Epaphra, tanquã seruatorẽ ac Dominum unicum. Hoc significans, non simpliciter dicit, Quemadmodum accepistis Christũ Iesum: sed addit cum articulo, τὸν κύριον, id est Dominum, qui Dominus est, tanquam Dominum. Hac unica uoce distinguit Euangelium uerũ, quod prædicabat Epaphras, ab eo quod prædicabant pseudapostoli, qui Christum Iesum prędicabant & ipsi: uerùm non ut Dominum, sed ut Christum filiũ Dauidis, illiq; Mosen, & Euangelio illius circumcisionẽ & legem coniungebant. Talem Christum non acceperant Colossenses ab Epaphra, sed qualem prædicabat Euangelica doctrina, unicum omnium Dominum & saluatorem.

Etiam illud obseruandum est, quòd nõ simpliciter dicit, Quemadmodum accepistis: sed, Quemadmodum igitur accepistis. Per uocũlam οὖν, id est Igitur, significat se paræneſim hanc inferre ex præcedentibus: ut quandoquidem per gratiam Dei tam probè sint in fide Christi secundum Euangelium illius instructi, in illo etiam sic ambulent, quemadmodum eum acceperunt, atq; ita caueant, ne quem aliter docentem audiant.

Cauendum tamen est, ne generalem hinc regulam constituamus, secũdum quam indiscriminatim omnes in eo quod accepimus ambulare iubeamur. Absit. Non loquitur Apostolus hoc loco in uniuersum omnibus mortalibus, sed Christianis probè pe- Euangelij doctrinam in fide Christi institutis, quorum ordinẽ ac fidei soliditatem in spiritu cum gaudio uidebat. Illis utiq; cõueniebat, ut quemadmodum Christum acceperant, ita in eo ambularẽt, & diuersa docentes uitarent. Quòd si primùm per Apostolos perperam instituti fuissent, haudquaquam dixisset: In eo quod accepistis, & sicut accepistis ambulate. Quare non est ut locũ hunc Papistæ contra nos usurpent, eo quòd non ambulamus in religione, sicut accepimus in Papatu: nec est ut suos ex illo in auitis superstitionibus retineant, sed curandum hoc ipsis cum primis est, ut comprobent ea quę tradita nobis sunt in Papatu, conformia esse doctrinæ Apostolicę, quam Colossenses initiò acceperunt.

Præterea obserua, quòd non dicit, Quemadmodũ traditus est uobis Christus: sed, Quemadmodum accepistis Christum. Accipere Christum, est nõ solùm audire de Christo: sed quæ de illo prædicantur, per fidem amplecti, atq; ita illum tanquam Dominum ac seruatorẽ corde accipere. Sic acceperant illum Colossenses. Fecissent igitur contra suasipsorũ cõscientias, si diuersam de illo doctrinam audire & acceptare uoluissent. Huius igitur eos admonet, quo cautiores contra pseudapostolorum impostura reddat.

Ita in eo ambulate, inquit.] Verbum ambulãdi metaphoricè pro uiuere posuit. Cùm iubet igitur eos sic ambulare in Christo Iesu, sicut illum acceperant: nihil aliud iubet, quàm ut omnẽ pietatẽ ac religionem, uitæq; suæ sanctimoniam nõ aliter quàm secundnm Euangeliũ quod acceperant instituant, & in unum Christum dirigant. Iudæus ambulat in Mose, dum fidẽ ac religionem suam omnẽ ad præscriptũ Mosaicę legis instituit, & secundum illam uiuit. Turci ambulãt in Mahomete, dum secundum legẽ illius quã acceperunt, uiuunt. Ambulant in Antichristo, qui omnem suam religionem placitis ac statutis illius conformant. Franciscanus ambulat in suo Francisco, cuius regulam sequitur.

Sic ut radices habeatis in illo fixas, inquit, *& superstruamini in illo, confirmeminiq; per fidẽ.*] Ne hoc quidem satis est ad resistendum impostoris satanæ, si utcunq; ambulemus in Christo secundum doctrinam, quam de illo accepimus: nisi corda nostra in fide illius sic sint obfirmata, ut nullis tentationibus & afflictionibus ab illo possimus auelli. Hoc significans, postquã dixit, Ita ambulate in eo: subijcit, Sic ut radices habeatis in illo fixas, & in illo superstruamini, confirmeminiq́ue per fidem. Vtitur duabus metaphoris radicationis ac superstructionis, sumptis à plantis & ædificijs. Recentibus plantis facilè incommodatur. nõdum enim uim uel frigoris uel æstus ferre possunt, quia radices nondum satis altè egerunt. qua similitudine & Christus Matth. 13. utitur, dicens: Cùm autem exortus esset sol, exusta sunt: & quia non habebant radicem, exaruerunt. Sic & ędificia quę nõ sunt cõpetenter solido superstructa fundamento, uim uentorum sustinere nequeunt: qualia sunt quę super arenam ædificantur. uide Matth. 7. Consimili modo & nostra est comparata conditio.

Obserua uerò, quòd nõ simpliciter dicit, ἐῤῥιζωμένοι, id est Radicati: & ἐποικοδομούμενοι, id est Superstructi: sed addit, ἐν αὐτῷ, id est, In ipso. Ipse solus est, ex quo uno nobis est accipiendum uerę salutis ac uitę incrementũ & robur, per illius uidelicet gratiam & spiritũ. Pseudochristiani superficie-

ſuperficietenus quidem præferunt Chriſtum, dum Chriſtiani uocari uolunt: uerùm radices illorum non ſunt fixæ in Chriſto, ſed in idolis cordium ſuorũ, quæ ſibijpſi fabricant, & in quę ſpem ac fiduciam omnem collocant. Imò qui præ cæteris religioſi appellari gaudent, ne ſuperficiem quidem, nedum radices in Chriſto habent, dum neq; Chriſtiani, ſed Franciſcani, uel Dominicani, &c. uocari uolunt: neq; ſpem ſalutis in Chriſto, ſed in ſuis idolis & ipſi reponũt. Veri autẽ Chriſtiani, nec profeſſeſsione nec uita aliud eſſe uolũt quàm Chriſtiani, nec aliunde ſibi ſalutem ac uitã, quàm ex uno Chriſto pollicentur, cui toto ſunt pectore addicti.

Confirmemini; per fidem, inquit.] Græcè eſt, ἐν τῇ πίστει, id eſt, In fide. Quod metaphoricè dixit, id iam proprijs uerbis exprimit. Nihil enim aliud eſt radicatũ eſſe in Chriſto, & ſuperſtructũ, quàm confirmatum eſſe in fide Chriſti. Papiſtarum ſuffraganei confirmant puerilem ætatem oleo, cruce fronti infixa, & alapa: & fingunt ſacramentum confirmationis. Hoc genus confirmationis ignorarunt Apoſtoli. Illis curæ fuit, quõ Chriſtiani in fide Chriſti confirmarentur.

Sicut edocti eſtis, inquit.] Iterũ monet, cauẽdam eſſe fidem omnem, quę diuerſa ſit à doctrina Euangelij, quam acceperant: ut ſignificet, multum illis hinc fore periculi, ſi non manſerint cõſtanter in eo quod acceperunt. Obſerua uerò, quomodo doctrinam mentioni fidei ſubijciat. Secundum qualitatem doctrinæ: qualitas eſt fidei, quæ eſt ex auditu doctrinæ. Euangelica doctrina, Euangelicam fidem gignit. Quòd in Papatu credunt in ſanctos mortuos, illosq; inuocant & colũt, ex doctrina eſt quam audiunt. Quemadmodum edocti ſunt à ſeductoribus, ita credunt: ſicuti ducuntur, ita cæci in religione ambulant.

Exuberantes, inquit, *in ea cum gratiarum actione.*] Vulgata Latina editio habet, Abundantes in illo, quaſi ſit in Græco ἐν αὐτῷ: cùm ſit ἐν αὐτῇ, id eſt, In ea, fide uidelicet. Requirit à fidelibus, ut uſque adeò non deficiant à fide, quam acceperunt, ut in illa abundent etiam. Chryſoſtomus exponit, πλείων ὢ ἐμάθετε, id eſt, Amplius quàm edocti eſtis. Perinde atq; diligens diſcipulus haud diuerſa ab ijs quæ à præceptore ſuo accepit, amplectitur: pro diligentia tamen ſua, & ingenij felicitate, in ea ſcientia, in qua inſtituitur, ſic abundat, ut plura intelligat, quàm à præceptore accepit. Ad eum modum & Chriſtianus abundare debet in ſcientia & fide Chriſti, conuerſationeq; uitæ, ut plura intelligat & faciat quàm à doctore, ſi ſpecies ſcientiæ ac fidei Chriſti reſpicias, acceperit. Sit Chriſtianus inſtar fertilis agri, qui ſic abundat fructificando, ut multo plura reddat in meſſe quàm acceperat in ſatione: quãdoquidem & Euangelicus doctor ſimilis eſt agricolæ, agrum ſuum ſeminanti: & uerbum Euangelij, ſemini quod in tellurẽ fructificandi gratia ſeminatur. Quemadmodum agricola ad certam menſuram ſemen ſuum telluri concredit, & abũdantiam à Deo expectat, per quam plura quàm ſeminauit in meſſe accipiat: ita & miniſter uerbi ad certum Euangelicæ doctrinæ præſcriptum docet, quid uidelicet, & in quem ſit credendum, quid ſperandum, quidq; faciendum, & quid uitandum: cum quanta uerò copia crediturus, ſperaturus, & quæ facienda ſunt facturus ſit qui ipſum audit, id demùm præſcribere non poteſt: ſed de abundantia oſtendenda in fide, ſpe, dilectione, patientia, &c. quàm poteſt ſedulò admonet.

Cum gratiarum actione, inquit.] Græcè eſt, ἐν εὐχαριστίᾳ: id eſt, In gratiarum actione. Rectè tamẽ uertit Eraſmus: Cum gratiarum actione. Reijcit hac particula animum impatientem & inuoluntarium, & requirit hilarem, gratiam Chriſti plurimi facientem, deq; illa ex animo gratias agentem. Qui reddit quod mutuò accepit, ſi ſit εὐγνώμων, reddit non ægrè, non parcè, non inuitus: ſed ex animo, abundanter, plura quàm acceperat, & cum gratiarum actione, agnoſcẽs ac prædicãs acceptum beneficium. Cùm puer eſſem, ſic à maioribus meis inſtituebar, ut ſi quid mutuò acciperem à proximo, redderem cum abundantia, & cum gratiarum actione. Conſimili modo & homini Chriſtiano faciendum eſt. Dum credendo & uiuendo reddit quæ in Euangenlio Chriſti accipit, reddat copioſè, & gratias agat Deo, etiam in tribulationibus & afflictionibus conſtitutus. Qui dũ propter Euangelium Chriſti affligitur, impatiens eſt, & murmurat: reuera declarat, quàm non agnoſcat incomparabilem gratiam, ad quam uocatus eſt, quamq; ſit erga cœleſte beneficium ingratus. Huc reſpiciens Apoſtolus requirit à Chriſtianis, quãtumuis in diſcrimine conſtitutis, gratiarum actionem: ad quem modum alibi requirit, ut in Domino gaudeant.

Videte ne quis ſit qui uos deprędetur per philoſophiam, & inanẽ deceptionem, iuxta conſtitutionẽ hominum, iuxta elementa mundi, & non iuxta Chriſtũ.

Suprà dixit, Hoc autem dico, ne quis uobis imponat probabilitate ſermonis: iam manifeſtam admonitionem ſubijcit: admonens eos, ut ſedulò caueant, ne quis ipſos ſeducat ac deprædetur. Et ſimul exprimit ſpecies ſeductionis, quas uitare debeant. Prior eſt, quæ fit per philoſophiam: poſterior, quę erat ex obſeruantia legis ac circumciſionis. De priore loquitur hoc loco: de poſteriore in ſequentibus.

Videte, inquit.] Monet ut circumſpiciant, & conſiderent eos, qui circũeuntes aliud doctrinę genus adferunt, quàm quod acceperant. Q. d. Non eſt ut quoſuis audiatis, qui uos docere præſumunt. Vigilantia opus eſt. Sunt enim nonnulli ſeductores qui ſub nomine philoſophiæ imperitioribus fucum faciunt.

Ne quis sit qui uos deprædetur, inquit, *per philosophiam.*] Græcè est, μή τις ἔσται ὁ συλαγωγῶν ὑμᾶς: id est, Ne quis futurus sit, qui uos deprædetur. Ergo non solùm præsens, sed & futurum, si quod sit periculum uitandum ac præcauendũ esse monet. Ne quis uobis deprædaturus sit, inquit. hoc est: Sic uos gerite in fide Christi, sic in illa ambulate, sic radicati & confirmati estote, ut nemo sit ullam habiturus occasionem, per quam uos deprædari se posse confidat.

Græcè est συλαγωγῶν. Significat autem συλαγωγῶ, prædam abduco. Scitissima metaphora cõparat seductores, tam philosophos quàm pseudapostolos, prædonibus illis qui alienas pecudes deprædantur & abducunt. Christiani pro simplicitate sua similes sunt ouibus, quæ nisi fideliter custodiantur, expositę sunt insidijs prędonum, ac facilè prędа cùm illorum, tum luporum fiunt. An non Corinthij prędа facti erant pseudapostolorum, cùm in seruitutem adigi se sustinerent, & ferrent eos qui rapiebant ac uorabant ipsos? 2. Cor. 11. Quid aliud hodie sunt Ecclesiæ Christi quàm prædа episcoporum, συλαγωγιώτιν ouiculas Christi? Gloriantur de Ecclesia, & disputant quatenus illa præstantior sit quàm συναγωγὴ. Verùm obsecro, an non rectius uocaueris Ecclesiam hodie συλαγωγὴν, id est abductam prædam, quàm Ecclesiam, nedum συναγωγὴν? Simulant studium σωσάγωγῶν, quo sub hoc prætextu, quemadmodum hactenus, ita & deinceps securè possint συλαγωγῆν.

Per philosophiam, inquit.] Laborãt hoc loco nonnulli tam ueteres quàm recentiores, quomodo saluent philosophiã, ne illa damnari ab Apostolo Christi uideatur. Augustinus libro 1. de Ordine, cap. 11. Diuinę Scripturę (inquit) nõ omnino philosophos, sed philosophos huius mundi uitandos esse præcipiunt. Item: Nam quisquis omnem philosophiam fugiendam putat, nihil nos uult aliud quàm non amare sapientiam. Ambrosius hoc loco sic dicit: Philosophiam dicit terrenam, per quam solent seduci, qui prudentes cupiunt iudicari in mundo. Hæc argumentis & subtilitate minutorum quorundam componitur, quasi physicas inuestigauerit rationes, quædam habens admixta, quæ hortamenta sunt bonæ uitæ, uel documenta: aliquando de mensuris, nec nõ de numeris, aliquando de elementorũ qualitatibus & quãtitatib. ordinata. In cuius disputationes qui inciderit, uix & raro euadet. Detinetur enim uerisimilibus causis, & commenticijs rebus, nihil tam uerum existimans quàm conspicitur & intelligitur in elementis, &c. hæc ille, Quibus sanè non cœlestem ac ueram, sed terrenã & inanem philosophiam perstringit. quemadmodum & Tertullianus in libro de Prescriptionibus hæreticorum, cùm ad hunc modũ dicit: Ipse deniq; hæreses à philosophia subornantur. Indeæones & formę, nescio quæ: & trinitas hominis apud Valentinum, Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate, à Stoicis uenerat. Et uti animam interire dicatur, ab Epicuris obseruatur: & ut carnis restitutio negetur, de una omnium philosophorũ schola sumitur. Et ubi materia cũ Deo æquatur, Zenonis disciplina est: & ubi aliquid deigneo Deo alligatur, Hieraclitus interuenit. Eædem materiæ apud hæreticos & philosophos uolutantur, ijdem retractatus implicantur. Vnde malum, & quare? Et unde homo, & quomodo? Et quod proximè Valentinus proposuit, unde Deus? scilicet & de Enthymesi & Ectromate. Sequitur Aristotelem, qui illis dialecticam instituit, artificem struendi & destruẽdi uersipellem, in sententijs coactam, in coniecturis duram: in argumentis operariam, contentione molestam, etiam sibijpsi omnia tractantẽ, ne quid omnino tractauerit. Hinc illæ fabulæ & genealogiæ indeterminabiles, & quæstiones infructuosæ, & sermones serpẽtes uelut cancer, à quibus nos Apostolus refrenans, nominatim philosophiam & inanem seductionem cõtestatus, cauere oportere scribens ad Colossenses: Videte ne quis sit circumueniens uos per philosophiam & inanem seductionem, secundum traditionem hominum, præter prouidentiam Spiritussancti. Fuerat Athenis, & istam sapientiam humanam affectatricẽ & interpolatricem ueritatis de congressibus nouerat, ipsam quoq; in suas hæreses multipartitam uarietatis sectarum inuicẽ repugnãtium. Quid ergo Athenis & Hierosolymis? quid Academiæ & Ecclesiæ? quid hæreticis & Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat Dñm in simplicitate cordis esse quęrẽdũ. Viderint qui Stoicũ & Platonicũ, & Dialecticũ Christianismo prætulerũt. Nobis curiositate opus nõ est post Christũ Iesum, nec inquisitione post Euangeliũ. Cùm credimus, nihil desideramus ultrà credere. Hoc enim prius credimus nõ esse, quod ultrà credere debemus. hæc ille. Qui & ipse philosophiã tanquã humanã sapientiã ex traditione hominũ natã hactenus reijcit: quatenus illa à nõnullis cũ Euãgelio confunditur, imò nõnũq; illa etiã prefertur. Sanè qualis qualis sit in seipsa, hoc nomine uehemẽter est homini Christiano auersanda, quod à doctis & sapiẽtib. huius seculi ad turbandã Christianæ fidei puritatẽ, in religionẽ nostrã infertur, & quasi Magistra ad gubernacula illius collocatur. Cùm adhuc in Papatu essem, omnes cõciones sonabãt philosophũ. Et scripta Scholasticorũ unde pmanarũt, nisi ex nimio Aristotelicæ philosophiæ studio, idq; absq; ulla dissimulatione? Sit aliquis illius usus in reb. mũdanis, nõ repugno. In articulis uerò fidei ac religionis nostrę quasi quędã pestis fugienda est. Hic sequẽda est admonitio hæc Apostoli, qua dicit: Videte, ne quis sit qui uos deprædetur per philosophiã, & inanem seductionẽ, iuxta cõstitutionẽ hominum, iuxta elementa mundi, & non iuxta Christum.

Quod

Quod aũt ipsum nomẽ attinet, sonat Philosophia amorẽ ac studiũ sapientię. In seipso quidem malum nõ est, si tenearis amore ac studio sapientiæ: uerùm multũ refert, cuius nam sapientiæ uelis esse discipulus. Si eius cuius principium est timor Dñi, q̃ dat intellectũ paruulis, & uiam mõstrat ad lignũ uitę, ad illius nos amorem ac studiũ sacrę literę inuitãt & adhortantur: si uerò non huius, sed eius quæ est mundana, est illa inimica Deo, & fugienda: quia legi Dei non est subdita, ideoq; & studium illius uehementer est noxium.

Ad curiosam sapientiã, qua scrutamur ea q̃ ad nostrã cognitionẽ nõ pertinẽt, procliuiores sumus, quàm ad uerã illã, ad quã ex uerbo Dei instruimur. Non Euæ tantùm primæ nostrę parenti, sed & nobis diuinũ quid uidetur, esse sapientem ac scientem boni & mali: placetq; nobis uetitus fructus arboris scientię boni & mali, magis quàm fides & obediẽtia Deo debita. Sunt quidẽ omnia quę in cœlo sunt & in terra, opera Dei, à quo sunt cõdita: uerùm nõ ideo conuenit nobis, ut scientiã illorũ omniũ, ultrà quàm ipsa uitæ nostræ necessitas requirit, affectemus: non quòd malũ sit scire & intelligere ea q̃ Deus & fecit & cõseruat: sed quòd cohibẽda est humanarũ gentiũ curiositas, ne relictis necessarijs, quorũ nos cognitio cõcernit, occupemur in ijs quæ ad nos nõ pertinẽt. Pręuidit hoc malũ diuina prouidẽtia, eãq; ob causam, ut admoneret primos nostros parentes in eo saluũ fore genus humanũ, si in fide & obedientia persisterent, perituros uerò, si suapte uellent uti sciẽtia, & ad diuinitatẽ aspirare: prohibuit ne de arbore scientiæ boni & mali ederent, à qua ne nunc quidem illorum posteri, post tam horribilem generis nostri lapsum abstinendum sibi esse intelligunt.

Et inanem deceptionem, inquit.] Græcè est, κενῆς ἀπάτης. Sonat aũt ἀπατέω, unde est ἀπάτη, à uia discedo, uel à uia seduco. Quare ἀπάτη aliquando significat errorẽ, quo à recta uia discedimus, & per inuia ambulamus: aliquando uerò accipitur pro seductione, qua seducimur à uia qua erat ambulandũ. Pulchrè aũt post metaphorã deprædicationis, subiungit hanc quę est seductionis, sumpta ab illis qui à trita ac regia uia seductos deprędantur ac spoliant. Sic ἡ ἀπάτη seruit τῇ συλαγωγίᾳ etiã in rebus fidei ac religionis. Quemadmodum seductor incautũ & imperitũ itineris in auia abducit, ut illũ spoliet: ita & impostores in religione homines imperitos primùm à recta ueritatis uia in deuia errorum seducũt, deinde spoliãt, & seruituti subijciunt.

Ergo philosophia, seductio est: eaq; inanis. κενὸν est, quicquid uacuũ est, & inane. Est igitur illa seductio, quatenus inanis, nihil habens solidi ac ueri. Talis aũt est, quatenus religionis cõstituitur magistra, ut per ipsam doceatur, quid sentiendum sit de Deo, deq; uero cultu Dei, de uera pietate, de summo hominis bono, & quæ alia sunt huiusmodi, de quibus humana sapientia statuere nõ potest: quia non rationis acumine, sed sola fide, quę sit ex uerbo Dei, capi possunt. Quærit illa summũ bonũ, & non inuenit: quia in diuinis ac spiritualibus rebus cæca est: atq; ita fit, ut docendo ac statuẽdo seducat, & affectatores suos sub titulo philosophię μωρους faciat: ac dum summum bonum promittit, in ipsissimum exitium abducat.

Secundum traditionem hominum, inquit.] Quoniam uera ac cœlestis philosophia ueritate ac certitudine uerbi Dei nititur: specificandi gratia adijcit, loqui se non de illa, sed de ea quæ traditione hominum constat, & circa elemẽta mundi uersatur, nõ secundum Christum. Particula hæc diligentissimè obseruanda est, & omnibus illis opponenda, quæ sine uerbo Dei per homines qualescunq; credenda & seruãda in causa religionis traduntur. Non dicit, Secundum traditionem seductorum, stultorum, cæcorum: neq; dicit, Sapiẽtum uel philosophorum: sed quod generale est & commune tam sapientibus quàm insipientibus, Secũdum traditionem hominum, inquit. Qualescunq; habeantur in hoc mundo philosophi, docti, illuminati, seraphici, subtiles, sancti, &c. homines tamen sunt: nec intelligunt ea quæ Dei sunt, nisi de illis spiritu Dei instruantur. Quare quicquid in causa Dei, religionis ac salutis nostræ ut homines, secundum rationis humanæ captũ, docent & præscribunt, decernunt, statuunt & imperant, nihil est aliud quàm κενὴ ἀπάτη, id est inanis seductio. Hoc significans Apostolus postquam dixit, Videte ne quis sit qui uos prædetur per philosophiam & inanẽ seductionẽ: consultò subiecit, Secũdum traditionẽ hominũ. De traditionib. humanis uerò diximus in Locis nostris.

Secundum elementa mundi, inquit.] De Græca noce στοιχεῖον diximus in Cõmentarijs nostris sup Epist. ad Gal. ca. 4. paulo post initiũ Capitis. Quod pręsentẽ locũ attinet, prsus specificat Apostol, de qua'nã philosophica hominũ traditione loquatur. Sũt. n. uarię traditiones philosophorũ, quarũ alię sunt physicę, aliæ ethicæ: aliæ politicę, aliæ religionẽ ac cultũ diuinitatis cõcernẽtes. De postremis se loq; significãs, dicit: Secũdũ elemẽta mũdi, id quod tũ gẽtib. notio erat, quàm modò Christianis. Partiebãtur philosophi unius Dei potentiã in particulares elemẽtorũ & creaturarũ uirtutes & operationes, ac singulis diuinitatis portionẽ & honorẽ, adeoq; & culturã assignabãt, atq; ita seducebãt imperitã multitudinẽ: ut existimarẽt se Deũ colere, dũ solem, lunã, stellas, ignẽ, aerẽ, fontes, fluuios, mare, quasi partes diuinitatis colerẽt. Et Augustinus in Epistolam ad Galatas hoc respectu elemẽta mundi deos gẽtium uocat. Et Ambrosius hoc loco sic annotat: Hanc ergo traditionem uel philosophiam fallacem & inanem appellat: quia non à potentia Dei ordinata est, sed ab imbecillitate ratiocinationis humanæ, quę potentiam Dei intra scientiam suam coarctat, ne aliter credatur facere, quàm

carnalis se continet ratio, qua singulis elementis diuinitatis diuersitatem deputant ad cultu-
ram, ut obligent animos imperitorum, ne se ad uerum Deum extendant. Hæc ille. Scio ex
recentioribus esse qui particulam hanc aliter exponant. Liberum esto Lectori, quam uelit
sententiam tenere.

Et *non iuxta Christum*, inquit.] Ergo qualiscunq; sit traditio hominum in religione, si non sit
secundum fidem ac doctrinam Christi, duplici nomine repudiãda est Christianis: cum quòd
est non ex Deo, sed ex hominibus, tum quòd non est secundum Christum. Secundum Chri-
stum autem non esse, est non esse secundum Euangelium Christi, adeoq; nec facere ad cogni
tionem, fidem & gloriam Christi. Quæcunque traditio talis est, authoritatem inter Christia-
nos habere non debet.

Quoniam in illo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, & estis in illo completi, qui est caput omnis principatus ac potestatis.

Reddit rationem, quare cauere debeant, ne quis ipsos per philosophiam & inanem decep-
tionem secundum traditionem hominum, secundum elemẽta mundi, & non secundũ Chri
stum, deprædetur. Propterea (inquit) quòd in Christo inhabitat non pars tantùm aliqua, si-
cuti nugantur de elementis mundi, quibus diuinum honorem tribuunt: sed omnis plenitu-
do deitatis. Quare fugiendi sunt qui uos ad cultum elementorum mũdi à Christo abstrahe-
re conantur, quum illa sint creaturæ infirmæ: Christus uerò unigenitus Dei & conditor om-
nium, in quo, ut uero Deo, non modò est utcunq;: sed inhabitat non solùm deitas, sed plenitu
do, imò omnis plenitudo deitatis, idq; corporaliter. De plenitudine hac suprà diximus. cap. 1.

Corporaliter adiecit, ut asserat, non solùm uirtutem aliquam diuinitatis esse, sed ipsissimã
& perfectam deitatem inhabitare in Christo. Corpus nõ habet deitas, ideoq; corporaliter es-
se alicubi non potest: sic tamen loquitur, ut sciamus Christum esse uerum Deum, habentem
in se ipsissimam deitatem plenè & perfectè inhabitãtem. Consimili sensu aduerbio hoc, Cor-
poraliter utimur, cùm dicimus, *Der teufel ist leibhafftig in dem menschen*: significare uolentes, esse
eum de quo sic loquimur, prorsus diabolicum, cùm tamen diabolus spiritus sit incorporeus.
Et, *Er ist der leibhafftig teufel*: hoc est, non est homo tantùm, sed & ipsissimus diabolus. Ad hunc
modum Apostolus cùm uellet inter elementa mundi & Christum discernere, prædicat de il-
lo habitare in ipso omnem plenitudinem deitatis corporaliter: hoc est, esse eum non hominẽ
tantùm, sed & ipsissimum Deum, omnem deitatis plenitudinem in se habentem. De nullis
hoc potest creaturis, quamuis præstantibus, prædicari. Nam etiamsi uirtutibus quibusdã ac
dotibus præditæ sint, sunt tamen illæ particulares, & acceperunt eas, non ut habeantur pro
dijs: sed ut uoluntati Dei seruiant, siue sint cœlestes siue terrestres, siue spirituales siue corpo
reæ. In sole maxima uis est tam caloris quàm splendoris, quam accepit à Deo: nõ ut sit Deus,
sed ut sit organum Dei ad illuminandum & calefaciendum hunc mundum. Cœlestibus ange
lis præstantes sunt uirtutes concessæ, non ut habeantur pro dijs, sed ut sint nuncij Dei, ac
ministri electorum. Sic consequenter de omnibus est reliquis creaturis sentiẽdum: Christus
uerò, uerbum incarnatũ, unigenitus Dei, uerus Deus & uerus homo, non sic est deitatis par-
ticeps, ut partem illius tantùm consequutus sit, sed tanquam uerus & unigenitus Dei filius,
plenam habet habitantem in se totam & ipsissimam deitatem.

Interea tamen cauendum est, ne quis in aduerbio Corporaliter, causas ultra filum sacræ
Scripturę de corpore Christi philosophandi quærat: quasi dicat Apostolus, plenitudinẽ dei-
tatis sic esse corporaliter in Christo, ut corpus illius prorsus deificet, ne sit amplius humanũ
corpus, nostrisq; corporibus ὁμοούσιον: sed omnino diuinum, ideoq; possit esse perinde ubique
præsens, atq; præsens est ipsius diuinitas. Absit. Non mox est habitaculum, ubicunq; illius est
habitator. Scriptura sacra Deum cœlos inhabitare dicit, Psalm. 2. Haud tamen cœlum est, ubi
cunq; Deus est. Diuinitas habitat in homine Christo: inde tamen non consequitur, ubiq; es-
se hominem Christum corporaliter, sicut ubiq; inhabitatrix illius est diuinitas.

Et *estis in illo completi*, inquit, *qui est caput omnis principatus ac potestatis*.] Ne non satis ad propositũ
faceret, quòd omnem deitatis plenitudinẽ in Christo corporaliter inhabitare dixit: cõfestim
subiecit, Et estis in illo completi. Poterant enim dicere: Quid ad uos, quòd omnis plenitudo
deitatis corporaliter habitat in Christo? Nobis interim opus est ut uirtutibus, quas creaturis
suis dedit Deus, adiuuemur. & impleamur. Non est opus uobis (inquit) ut defectus uestri sar
ciantur ex creaturis, cùm Christum habeatis, in quo omnis est plenitudo deitatis. Estis enim
in illo completi omnibus necessarijs bonis ac dotibus, perinde atq; membra corporis de ple
nitudine capitis ipsorum sic replentur, ut nullum ipsorum sit, quod non sit sufficienti mensu
ra competentium sibi donorum ad sustentationem & conseruationem corporis instructum.
Nam ipse est caput, unde in uos omnis generis bona descẽdunt. Haud igitur proponit nobis
talem Christum, cuius diuinitas ipsi duntaxat sufficiat: sed talem qui nostro bono plenitudi-
nem in se diuinitatis habeat, eo quòd caput sit, cuius plenitudo redundet in omnia corporis
membra. Nobis plenus est deitate, bonitate uidelicet, iusticia, potentia, sapientia, &c.

Obserua

Obserua uerò quòd non dicit, Et estis ex illo: sed, Et estis in illo completi. Est quidem plenitudo deitatis in Christo instar fontis, omnium abundantissimi, unde indesinenter aquarũ uiuentium copia promanans bibẽtes ex ipso recreat, sicut & Ioan. 7. clamat, dicens: Qui sitit, ueniat ad me, & bibat. Verùm hoc discrimis obseruandum est, quòd extra fontem quidẽ constitutis bibere ac recreari licet: hic uerò impleri non licet, nisi illis qui sunt in Christo, sicuti palmites sunt in uite, quib. extra uitẽ nulla est succi ac uirtutis illius cõmunicatio. Vnde Apostolus admodum cõpetenter hic dicit: Et estis in illo completi. Quare hic locus non pertinet nisi ad eos qui sunt in Christo. Cogita hic quàm sint alieni à plenitudine Christi, qui aliunde accipiunt, quod ad cõplementum iusticiæ ac salutis ipsorum faciat, quasi nõ sufficiat ipsis ad iusticiã & salutem gratia & iusticia Christi: quod perinde est, ac si membra corporis nostri nõ cõtenta alimẽto quod est ex ipso corpore, q̃rant aliunde quo saturentur ac nutriantur: quod prsus est impossibile. Si membrũ sit extra corpus, uiuere & ali nõ potest: si uerò sit in corpore, ne sic quidẽ nutriri ac uegetari potest, nisi alimẽto ex corpore sumpto. Quicquid aliunde adhibetur, frustra adhibetur. Sumat manus cibum ex quacũq; uelit coquina, frustrà sumit, nisi coctum in stomacho corporis, ac digestum in membra sumat. Sic Galatę stultissimè faciebant, quòd cùm essent Christiani, complementum iusticiæ quærebant extra Christũ in Mose. Vbi quærant Papistæ, notum est omnibus. galat. 3.

Qui est caput, inquit, *omnis principatus & potestatis.*] Quare nõ dicit, Qui est caput uestrum? sed, Qui est caput omnis principatus ac potestatis. De eo quòd sit caput corporis Ecclesiæ, Cap. præcedenti dixit: quoniam uerò in eo iam est, ut reprimat impostoras seductorum, quorum alij ad elementa mundi, alij ad superstitionem & cultum angelorum fideles abducere moliebantur: consultò non dicit, Qui est caput uestrũ? sed, Qui est caput omnis principatus ac potestatis. Garriebant multa de principatibus & potestatibus angelorũ, quo imperitos ad cultus illorum pellicerent: quemadmodum in Papatu multa garriunt de prærogatiuis ac uirtutibus mortuorum sanctorum, unde cultus illorum introducti sunt in Ecclesias. Dicit igitur, omnes principatus ac potestates subesse Christo tanquam ipsorum capiti, nec habere quicquam, nisi ab illo: unde facilè colligi potest, admodum esse absurdum, inuocare & colere eos qui eidem nobiscum sunt capiti subiecti, ex quo & in quo abundè nobis suppetunt omnia quæ ad salutem sunt necessaria.

Per quẽ & circũcisi estis circũcisione quę fit sine manibus, dum exuistis corpus peccatorũ carnis per circumcisionem Christi, cõsepulti simul cũ illo per baptismum, in quo simul etiã cum illo resurrexistis per fidẽ operationis Dei, qui excitauit illum ex mortuis. Et uos cùm essetis mortui per delicta & per præputium carnis uestræ, simul cum illo uiuificauit, condonans nobis omnia delicta, deleto quod aduersus nos erat chirographo, quod erat contrarium nobis per decreta: & illud sustulit è medio, affixũ cruci, expoliatosq; principatus & potestates ostentauit palàm, triumphans de illis per semetipsum.

Duo potissima tum temporis fugiẽda Christianis erant seductionum genera. Vnum, erat à philosophia ethnica: alterum, ab adulterina pseudapostolorũ doctrina, quã Ecclesijs Christi obtrudebant. De priori hactenus, de posteriori iam consequenter subijcit. Est aũt hæc bimembris. Nam primo loco tradebant Christianis aliud signũ initiationis, altero & aliam religionis obseruantiam: quibus duabus partibus & Christiana religio constat. iuxta illud Christi seruatoris: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen patris & filij & Spiritussancti, docentes eos seruare, quæcunq; ego præcepi uobis. in quibus uerbis de signo initiationis, & de doctrina obedientiæ pręcipitur. Consimili modo & illi primò tradebant circũcisionem, tanquam signum initiationis: deinde annectebãt etiam Mosaicę legis obseruantiã, cuius seruandę debitores reddebantur qui circũcidebantur. Et ab illorũ itaq; seductione pręmuniens Colossenses, primo loco monet, cauendã ipsis esse Iudaicã circumcisionẽ, dicens, ἐν ᾧ καὶ περιετμήθητε, id est, In quo (Christo uidelicet) etiam circũcisi estis. Dixerat eos esse cõpletos in Christo: hoc est, nihil deesse ipsis ex omnib. ad salutẽ ac uerã fidẽ pietatẽq; necessarijs. Hic nascebatur q̃stio de circumcisione & obseruantia legis. Dicebãt enim pseudapostoli non esse iusticiæ ac salutis plenitudinem in Christo, ideoq; non esse eos qui in Christo sunt cõpletos: quandoquidẽ nec circũcisi essent, nec legẽ seruarẽt. Illis cõtradicẽs Apostolus, asserit eos cõpletos esse in Christo, nec opus habere Iudaica circumcisione, & legis obseruantia. De circumcisione itaq; sic dicit:

In quo et circũcisi estis.] Nõ simpliciter dicit, In quo circũcisi estis: sed, In quo & circũcisi estis. Q. d. In quo nõ solùm baptismũ habetis, quẽ pseudapostoli floccifaciunt: sed & circũcisionẽ. Quare cũ nõ sitis incircũcisi in Christo, nõ est ut circũcisionẽ uobis à pseudapostolis obtrudi sinatis. Alia est uestra cõditio q̃ sit incicũcisorũ, quib. uos nõ sine grandi iniuria coniungunt.

Circumcisione, inquit, *non manufacta.*] Carnaliter circumcisi non erant. Neq; enim Iudaico more circumcidebantur in Christo, qui in illum credebant. Necessarium igitur erat, ut ad euitãdum impudentis mendacij calumniã exponeret, quomodo dicat eos esse in Christo circumcisos.

cisos. Id faciens, adijcit, Circumcisione ἀχειροποιήτῳ, id est, quæ manu fieri non potest: ne de carnali circumcisione loqui uideatur.

Est ergo duplex circumcisio. χειροποίητος una, ἀχειροποίητος altera. Prior carnalis est, & manibus hominum in carne: posterior uerò spiritualis, & operatione spiritus Christi in spiritu credentium perficitur. Hac Colossenses in Christo circũcisos, ideoq; nihil minus quàm incircũcisos & immundos esse dicit, ne sibi fucum per doctores circumcisionis fieri sinant.

Verùm dixerit aliquis, non ualere Apostoli argumentum, eo quòd non manet in termino. Quæstio erat de circumcisione non spiritus, sed carnis: quę utiq; manu hominum secundum legem à Deo datá fiebat, ipse uerò argumẽtatur de ea quę manu fieri nõ potest. Qui semel circũcisus est, circũcidendus amplius nõ est. Agnoscũt hoc etiá pseudapostoli, sed de circũcisione carnis. Vos Colossẽses (inquit Apostolus) circũcisi estis: uerùm intelligit de circũcisione spiritus. At de hac nulla erat quæstio. Quod igitur hinc colligit, ergo nõ debetis susc̃ipere circumcisionem: rectè à pseudapostolis reijcitur tãquam argumentũ non eodem termino constans, sed alio atq; alio concidens. Deniq; quemadmodũ nõ poterit esse firmum, si dicas: Qui baptizatus est in spiritu, non debet baptizari carne. nam diuersum factum est in domo Cornelij, Act. 10. ita & hic non ualet consequentia, quòd Apostolus dicit: Colossenses circumcisi sunt circumcisione non manufacta. Ergo non debent circumcidi circumcisione quę fit manibus hominũ. Sicut igitur etiá qui spiritualissimus est, non debet cõtemnere baptismũ à Christo institutũ: sic nemo pius debet cõtemnere circumcisionẽ à Deo datam, sed ad omnẽ iustitiam adimplendá paratus esse cum Christo. Respondeo: Eiusmodi argumentatio in populo circumcisionis tẽpore ueteris Testamenti admodũ fuisset infirma: uerùm in nouo Testamẽto nõ ita, in quo abrogata lege circumcisionis quoq;, quæ fiebat in carne, facta est abrogatio: idq; in Israele quoq;, nedum populis gentium, ad quos illa nunquam pertinuit. Neque sic argumẽtatur Apostolus, ut nisi circũcisi Colossenses fuissent spiritu, necessarium fuerit eos circumcidi carne: sed in eo consistit, ut declaret esse eos qui sunt in Christo, non immundos ac prophanos, quasi sint prorsus incircumcisi, sicuti pseudapostoli tradebãt: sed ueram circumcisionem, quá Deus requirit, etiam per Mosen dicens, Circumcidite corda uestra, &c. & manus hominũ præstare non possunt, cõsequutos. Deinde quod de Baptismate obijcitur, locũ hic non habet. Neq; enim circũcisio carnis p̃cepta est ac tradita à Christo, sicuti baptismus. Quapropter etiã illi qui baptismũ spiritus acceperant, rectè sunt, iussu Petri apostoli, secundum institutionem Dominicam, externo baptismate, tanquam initiationis sacramento loti.

Circumcisione, inquit, *non manu facta*.] Respectu carnalis circũcisionis quę manu fiebat, appellat hanc ἀχειροποίητον. Ergo p̃fert istam in eo, quòd non sit manufacta sicut illa. Quæ manibus hominum fieri possunt ac fiunt, egena sunt & infirma, nisi accedat digitus Dei, id est uirtus & operatio Spiritussancti, etiamsi sint à Deo p̃cepta: sicuti erant in ueteri Testamento circumcisio, phase, lotiones corporales, sacrificia, & reliquæ externæ cerimoniæ: & in Nouo baptismus ac cœna Domini, nedũ si sint humana tantùm uoluntate ac traditione præsumpta. Hinc tamen nemo pius ansam sumat contemnẽdi sacramẽtalia signa, q̃ Dominica nobis sunt traditione & institutione cõmẽdata. Nam etiamsi manibus hominũ administrãtur, & hactenus infirma sunt & egena: ꝓpter authoritatẽ tamẽ Dominicę institutiõis religiosè sunt obseruánda, & orandũ, ut per gratiam & operationem spiritus Christi, efficacia in nobis reddantur.

Dum exuistis, inquit. *corpus peccatorũ carnis per circũcisionẽ Christi*.] Exponit quõ circũcisi sint circũcisiõe nõ manufacta, idq; multo efficacius q̃ si carne essẽt circũcisi. Qui manu circũcidũtur pelliculá p̃putij exuũt. At uos (inq̃t) ipsũ peccatorũ carnis corpus p̃ circũcisionẽ Christi exuistis. Peccata p̃ circũcisionẽ exuere, nõ est carnalis circũcisionis opus: sed eius q̃ fit in Christo.

Non dicit aũt simpliciter, Dũ exuistis peccata carnis: sed, Dũ exuistis corpus peccatorũ carnis. Dat peccatis corpus. Sunt. n. instar mẽbrorũ, unde corpus cõponitur. quo simili & infrà Cap. sequẽti utitur, cùm dicit: Mortificate ergo mẽbra uestra, q̃ sũt sup̃ terrá, fornicationẽ, immundiciã, libidinẽ, &c. Non unum & alterũ dũtaxat peccatũ, sed ipsum totũ corpus peccatorum exuẽdũ est homini Christiano. Quòd hic uocat corpus peccatorũ carnis, ibi paulo pòst uocat ueterẽ hominẽ cũ actibus suis. Nec dicit, Dum exuistis corpus carnis: sed, Dũ exuistis corpus peccatorũ carnis. Aliud est exuere corpus carnis, quod fit morte: & aliud exuere corpus peccatorũ carnis, quod fit spirituali circũcisione & mortificatione ueteris Adę. Per carnẽ uerò intelligit non materiã ac substãtiam carnis nostrę: sed naturæ corruptionem, quæ est per uenenum serpentis. Sic ad Gal. 5. opera corruptæ nostræ naturæ uocat opera carnis: & ad Romanos 8. eodem sensu uocabulum carnis usurpat.

Per circũcisionẽ Christi, inquit.] Spiritualẽ hãc circũcisionẽ, Christi circũcisionẽ uocat, nõ qua Christus circũcisus fuit secundũ legẽ die octauo, sed qua nos in illo p̃ ipsius spiritũ circũcidimur: & opponit illá circũcisiõi q̃ fiebat in Mose, p̃ q̃ corpus peccatorũ carnis exui nõ potuit.

Consepulti simul cum illo, inquit, *per Baptismum*.] Ergo baptismus est circumcisio Christi. Quòd circũcisio fuit sub Mose, id iam baptismus est sub Christo, quod sacramentũ initiationis attinet. In Mosaica circumcisione amputabatur præputiũ carnis: in ea quę Christi est, baptismo uidelicet, non modò exuitur, sed & sepelitur corpus peccatorum carnis. Quomodo id fiat,

Rom.

Rom. 6. expreſsius ponitur ad hunc modum: An ignorantis fratris (inquit) quòd quicunq; baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in mortem ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus unà cum illo per baptiſmum in mortem, ut quemadmodum Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Item: Hoc ſcientes quòd uetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, nec ultrà ſeruiamus peccato.

Itaq; uetus homo noſter, corpus peccatorum carnis unà cum Chriſto crucifigitur, moritur, exuitur, ſepelitur & deſtruitur. Quomodo? Bafariâ. Primò, in perſona Chriſti: deinde, in nobiſipſis. In perſona Chriſti, cùm ille penderet ac moretur in cruce, ac mortuus ſepeliretur, unà cum illo & in illo corpus peccatorum carnis noſtrę crucifixum eſt, mortuum & ſepultũ, propterea quòd peccata noſtra in corpore carnis ſuæ portauit, ac ſanguine ſuo deleuit. In nobiſipſis dupliciter. Primò per baptiſmum ſacramentaliter, deinde per operationẽ Spiritus ſancti realiter. Sacramentalem modum exprimere uidetur in eo quòd non dicit, In quo & circũcidimini: ſed in præterito, In quo & circumciſi eſtis: item, Dum exuiſtis corpus peccatorum carnis. &: Conſepulti ſimul cum illo per baptiſmum. Reipſa nondum exuerant corpus peccatorum carnis, ſed adhuc in eo laborabant, ut illud exuerẽt: ſacramentaliter uerò exuerant in baptiſmate, iuxta quod in mortẽ Chriſti baptizati erant, & ſacramento mortificationis ac uiuificationis initiati. Conſimili loquutione & Corinthios uocat ablutos à peccatis, ſanctificatos & iuſtificatos. 1. Corinth. 6.

In quo ſimul etiam cum illo reſurrexiſtis, inquit, *per fidem operationis Dei, qui excitauit illum ex mortuis.*] Quemadmodum opus redemptionis noſtræ, morte ac reſurrectione Chriſti completum eſt: ita & nos in uera pietate ac iuſticia ad ſalutẽ noſtrã cõplemur, ubi morti ac reſurrectioni Chriſti conformamur. Et quoniam utrunq; hoc ſacramentaliter in baptiſmate geritur, manifeſtũ eſt, quod ſacramentalis iuſticiæ plenitudinem attinet, ſufficere nobis baptiſmum in Chriſto, ut ſine grandi illius iniuria nequeat illi ſuperaddi Moſaica circumciſio. Cùm igitur Coloſſenſes fideles unà cum Chriſto per baptiſmum ſepultos eſſe dixiſſet, confeſtim & alteram partẽ reſtitutionis noſtræ in baptiſmo contineri ſignificans, ſubiecit, dicens: In quo, id eſt, baptiſmo etiam reſurrexiſtis cum illo.

Per fidem operationis Dei, inquit, *qui excitauit illum ex mortuis.*] Ne hæreamus in baptiſmate, tanquam in externo ſigno, addit illi fidem, per quam quod in illo ſacramẽtaliter geritur, ſpiritualiter quoq; perficitur. Per hanc enim corda noſtra ut purificantur & iuſtificantur: ita etiam à morte peccatorum excitantur.

Deinde, ne de quauis fide loqui uideatur, annectit ſpecificationem, cùm dicit: Per fidem operationis Dei, qui excitauit illum ex mortuis: hoc eſt, Per fidẽ, qua creditis in Deum, qui excitauit Ieſum Dominum noſtrum à mortuis. Quòd hæc fides imputetur ad iuſticiam, uidere eſt Rom. 4. circa calcem capitis. Eos qui credunt, potentia ſua Deum excitaſſe Chriſtum filium ſuum ex mortuis: eadem ille potentia à morte peccatorum excitat, ideoq; per fidem hanc excitare eos dicitur. Ad Epheſ. cap. 1 ſic legitur: Et quæ ſit excellens magnitudo potentiæ illius in nos qui credimus ſecundum operationem roboris fortitudinis eius, quam exercuit in Chriſto, cùm ſuſcitaret eum ex mortuis: ubi annotauimus quæ de excitatione Chriſti ſint obſeruanda.

Et uos, inquit, *cùm eſſetis mortui, &c. ſimul cum illo uiuificauit.*] Exponit, quòd dixit eos unà cum Chriſto ſepultos eſſe, ſimulq; cum illo reſurrexiſſe. Carnali homini mirũ uidetur, quomodo ſepulti & excitati dicantur, qui nondum ſunt mortui. De Chriſto quidem liquet, fuiſſe illum mortuum ac ſepultum: de ijs autem qui adhuc in carne uiuunt, non ita. Primum igitur, dicit ipſos quoq; mortuos fuiſſe, & ſimul eſſe cum Chriſto uiuificatos. deinde utrunq; exponit.

Et uos, inquit, *cùm eſſetis mortui, &c. ſimul cum illo uiuificauit.*] Q. d. Non modò Chriſtum filium ſuũ Deus, cùm mortuus eſſet pro peccatis noſtris, excitauit: ſed & uos cùm eſſetis mortui, eadẽ potentiæ ſuæ operatione ſimul cum illo uiuificauit: hoc eſt, Illũ uiuificando, unà cum eo uos quoq; uiuificauit.

Quomodo aũt mortui fuerant? Id exponit, dicẽs: Per delicta, & p̃ pręputium carnis ueſtrę. Grę. eſt, τοῖς παραπτώμασι καὶ τῇ ἀκροβυστίᾳ τῆς σαρκὸς ὑμῶν: id eſt, delictis & p̃putio carnis ueſtræ. Vulgata Latina habet: In delictis & pręputio carnis ueſtræ. Epheſ. 2. initio capitis hac de re fuſius loquitur ad hunc modum: Et uos, cùm eſſetis mortui delictis ac peccatis, in quibus aliquãdo ambulaſtis, iuxta ſeculum mundi huius, iuxta principẽ, cui poteſtas eſt aeris, qui eſt ſpiritus nunc agẽs in filijs contumacib. inter quos & nos omnes cõuerſabamur aliquando in concupiſcentijs carnis noſtræ, facientes q̃ carni ac menti lubebant, & eramus naturâ filij irę, quemadmodũ & cęteri, &c. Vbi de hac materia pleraq; annotauimus. Quemadmodũ Epheſij mortui, id eſt, rei mortis, propter delicta & peccata fuerant, in quibus ambulauerant: ita & Coloſſenſes eodẽ planè modo in peccatis & delictis uiuentes mortui erant, priuſquam in Chriſtũ crederent. Quare amplior præſentis loci expoſitio illinc eſt petenda.

Et p̃ præputiũ, inqt, *carnis ueſtræ*] Dixerit hic aliq̃s: Ergo p̃putiũ carnis noſtræ reddit nos pinde atq; peccatũ morti obnoxios. Nõ debebat igitur Apoſtolus p̃hibere, quo minus etiá illi q̃ ex

gentibus

gentibus in Christum credunt circumcidantur, quo à præputio mortifero liberentur.

Respondeo: Non loquitur de præputio simpliciter, quatenus membri corporis nostri, à Deo conditi & necessarij, pars est: sed per illud immundum ethnicismum, nullo pacto, ne sacramentali quidem, Deo coniunctum, imò prorsus ab illo & Ecclesia eius abalienatum, intelligit. qua de re uidere est ad Eph. 2. Pro suo more: quemadmodũ Iudaismũ circumcisionẽ, ita gentilismum præputiũ uocare solet. Hactenus igitur Colossenses propter delicta & præputium carnis ipsorum mortuos fuisse dicit, quatenus tanquam immundæ gentes impij & alieni à Deo fuerant, priusquam in Christum credentes per fidem ac spiritum illius in baptismate circumciderentur, iustificarentur, sanctificarentur, ac domestici Dei cõstituerentur. Aliàs pręputium carnis per se neminem damnat, damnat uerò corruptio naturæ, quę generatione carnali propagatur, ac totum genus humanum immundum ac mortis reum constituit. Hac de re Ephes. 2. sic dicit: Quapropter mementote, quòd uos quõdam gentes in carne, uocabamini præputium, ab ea quæ uocatur circumcisio in carne, quę circumcisio manibus fit: quòd eratis (inquam) in tempore illo sine Christo, abalienati à republica Israelis, & extranei à testamentis promissionis, spem non habentes, Deoq; carentes in mundo, &c.

Ergo præputium carnis nostræ, in quo nullum est actuale nostrum peccatum, reddit nos morti obnoxios, propter originalem naturæ nostræ corruptionem: quare non modò dum sumus adulti, & in peccatis ambulamus, sed & dũ adhuc infantes sumus, natura sumus filij iræ, & mortis rei.

Simul, inquit, *cum illo uiuificauit, condonans nobis omnia delicta, &c.*] Pertinent hæc cum sequentibus ad alteram partem, qua nos cùm mortui essemus propter peccata & præputium carnis nostræ, uiuificatos esse à Deo, dicit: deinde & modum uiuificationis huius exponit. De priori ad Ephesios capite secundo sic legimus: Sed Deus qui diues est in misericordia, propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, etiam cùm essemus mortui per delicta, conuiuificauit nos unà cum Christo, &c.

Condonans nobis, inquit, *omnia delicta.*] Quo præcedentibus responderent sequentia, dicẽdum fuisse uidetur in secunda persona, Condonans uobis omnia delicta. Nam in secunda persona dixerat: Et uos cùm essetis mortui per delicta, & per præputium carnis uestræ simul cum illo uiuifícauit: & iam modum subijcit, quo fuerant cum Christo uiuificati: Per remissionem uidelicet peccatorum. Verùm non sine ratione personam mutat. qua de re & ad Ephes. cap. 2. initio Capitis diximus. Qui ex Iudæis in Christum credebant, ægrè ferebant quòd gentes in consortium fidei & gratię Christi assumebantur. Existimabant enim, regnum & gratiã Christi, ac totum redemptionis opus ad solos pertinere Iudæos. Vt igitur errorem illorum reijceret, & fideles ex gentibus in fide Christi confirmaret, disertè affirmat, illos quoque consortes esse gratiæ Dei in Christo. Sic dixit, Et uos quoq;. Quasi dicat: Qui ex gentibus estis, cùm essetis mortui, &c. simul cum illo uiuificauit, dum nobis qui sumus ex Iudæis, omnia delicta cõdonauit: & chirographum, quod aduersum nos & contrarium nobis erat, per decreta deleuit ac sustulit è medio.

Quomodo igitur uiuificauit gentes Deus unà cum Christo? Haud alio modo, quàm quo populum legis uiuificauit, dum illis omnia delicta, etiam quæ aduersus legem suam admiserant, condonauit. Miserat filium suum, ut non Israelis tãtum, sed & totius mundi peccata tolleret ac deleret in cruce. Quare eadem uictima qua peccata Israelis expiauit, simul etiam omnium aliarum gentium peccata deleuit.

Condonans nobis, inquit, *omnia delicta.*] Ergo quemadmodũ mortui sumus, dum corã Deo propter peccata nostra rei mortis habemur: ita uiuificamur, quãdo nobis peccata in Christo cõdonantur. Loquitur ad similitudinem eorum qui sic peccarunt, ut propter malefacta sistẽdi sint iudici, ac mortis sententia condemnandi. Illi uiuificari alia ratione non possunt, quàm si condonentur ipsis à iudice omnia flagitia quæ admiserunt. Sic planè & nostra causa est coram Deo comparata.

Græcè est χαρισάμενος. Significat χαρίζεσθαι, gratis aliquid largiri: à uoce χάρις, quæ gratiam sonat. Hic uerò ponitur pro cõdonare, ut sit χαρίζεσθαι delicta, gratis, absq; ulla satisfactione, quod peccatum est, remittere: quod Latini quoque peccatum, id est culpam, reatum & pœnam peccati, condonare uocant. Nam aliàs peccatum non est tale quid, quod dono dari possit. Hac itaq; uoce excluditur omne genus satisfactionis, meritorum ac propriæ iusticiæ, & asseritur gratuita peccatorum remissio, ut gentes cogitarent Israeli profuisse aliquam proprię iusticię prærogatiuam, quæ fuerit per obseruantiam legis.

Deinde obserua, quòd non simpliciter dicit, Condonans nobis omnia delicta: sed, Condonans nobis omnia delicta. Sanè multa, imò innumera erant Israelitici populi delicta, quæ cùm generaliter tum priuatim singuli, tam contra primam quàm contra secundam tabulam deliquerant. Consimiliter & gentiũ peccata omnem numerũ ac modum excedebant. Simul tamen omnia, nullis dẽptis, semel & in uniuersum condonauit utrisq;, atque ita conscientiæ diuexationẽ prorsus cõpescuit ac sustulit ex animis eorum, qui uerè in Christum credũt. De

hac

hac autem materia uide in Locis noſtris, loco de Remiſsione peccatorum.

Deleto, inquit, *quod aduerſus nos erat chirographo, quod erat contrarium nobis per decreta, & illud ſuſtulit è medio affixum cruci.*] Chirographum ſcriptura eſt, qua quis propria manu, uel de debito ſuo, uel de uoluntate & ſententia animi ſui teſtatur. Quod præſentem locum attinet, accipiunt alij hanc uocē generaliter de conſcientia noſtra, quæ aduerſum nos teſtatur, nosq; peccatorum irrefragabiliter accuſat: alij uerò ſpecialiter de lege Iſraeli per Moſen data, quam ſentētiam & nos tenemus. Loquitur enim Apoſtolus, quemadmodū & ſuprà memini, de gratia Dei quæ Iſraeli per Chriſtum cōtigit, cui etiam legis abrogationē tribuit. Hanc Eph. 2. interſtitiū macerię uocat, propterea quòd diuideret inter Iudęos & gētes: & de abrogatione illius ſic ſcribit: Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit ex utriſq; unum, & interſticium maceriæ diruit, ſimultatem per carnem ſuam, legem mandatorum in decretis ſitam abrogās. hic uocat eam chirographū decretorium. Vnde ſatis liquet (meo iudicio) pertinere iſta ad abrogationem Moſaicæ legis, quæ ſita eſt in decretis.

Vos autem eam chirographū, neq; Moſis uidelicet, neq; Iſraelis: ſed Dei, propterea quòd manū Dei lapideis erat tabulis inſcripta: ac tribuit illi, quòd fuerit ipſis contraria ſuis decretis, quibus uidelicet tranſgreſsionis & impietatis arguebantur & condemnabantur. Erant enim illa ſancta, ſpiritualia & iuſta: ipſi uerò prophani, carnales & iniuſti, ſubq; peccatum uenundati, & requirebant obedientiam plenam & perfectam, quam ipſi præſtare non poterāt. Erat igitur abrogatio legis huius neceſſaria. Nam alioqui haudquaquam profuiſſet ei genti condonatio præteritorum peccatorum, ſi legis huius authoritas, uigor & exactio porrò manſiſſet: ſimul enim manſiſſent tranſgreſsio & condemnatio, per quas perinde atq; antea in reatu mortis permanſiſſent. Quo itaq; plena eſſet redemptio ac ſalus, non ſolùm præcedentia delicta condonata ſunt, ſed & lex accuſans & condemnans in poſterum abrogatata.

Deleto, inquit, *quod aduerſus nos erat chirographo.*] Græcè eſt ἐξαλείψας, quod propriè per uerbum Delendi redditum eſt. Significat aliquid ſic obducta litura delere, ut ne ueſtigium quidem illius ſuperſit. Quædam ſcripturæ abſterſione, quædam litura delentur. Vtroq; ſenſu uerbum hoc ponitur cùm hic, tum Act. 3. & Apoc. 21. Quæ ſic delentur, prorſus irrita redduntur.

Chirographo.] Poterat dicere, Deleta lege: uerùm ne Decalogus excipiendus eſſe uideatur, propterea quòd ille ipſius Dei chirographum eſt, data opera illum expreſſurus dixit: Deleto chirographo, ne de reliquo legis corpore dubitetur. Quatenus autem deletus ſit Decalogus, in Locis noſtris, loco de Abrogatione legis diximus.

Quod aduerſus nos erat: item, *Quod contrarium nobis erat.*] Ad uitam data erat lex, Rom. 7. quomodo igitur erat hominibus noxia & contraria? Reſpondeo: Noxia non erat per ſe, ſed per accidens, per maliciam uidelicet corruptæ naturæ, per quam fiebat ut iram & mortem operaretur. Contraria & aduerſaria erat, perinde atq; quod bonum & iuſtum eſt, contrarium eſt malo & iniuſto. Lex eſt ſancta, ſpiritualis iuſta, & bona: caro uerò noſtra prophana eſt, carnalis, iniuſta & mala. Et hoc eſt quod dicit, ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν, id eſt, Quod erat oppoſitum nobis. quibus uerbis exponit, quod præmiſit, dicens, τὸ καθ' ἡμῶν.

Addit, τοῖς δόγμασιν, id eſt, Decretis. Exponit quatenus lex contraria fuerit Iudæis. Quatenus uidelicet, decreta proponebat ingenio & morib. ipſorū contraria. Sed hæc generalis eſt omnium bonarum legum conditio. Ex malis enim moribus neceſsitas naſcitur conſtituendi decreta, quæ illis contrarietate ſua repugnēt, ac de malicia illorū teſtentur, pœnasq; tranſgreſſoribus cōminentur, quo contraria contrarijs curentur. Ergo bonæ leges de naturæ noſtræ malicia & corruptione contrarietate ſua teſtantur. Et quoniam qualitas diuinę legis de qualitate Dei tanquam bonarum legum conditores teſtatur, conſequitur non modò legem illius, ſed & ipſum legislatorem natura ſua nobis eſſe contrarium. Sancta quippe, iuſta, pia & bona nobis præcipit: quoniam ipſe ſanctus eſt iuſtus & bonus, quo nos ad imaginem ſuam reformet. Sic alicubi dicit: Sancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum.

Et illud ſuſtulit è medio, inquit.] Communi loquendi modo, è medio auferre, eſt id quod in cōtentione eſt, materiamq; diſceptandi præbet, tanquam lapidem offenſionis tollere, quo ceſſent offenſiones ac diſsidia. Cōſimili ſenſu & legē Apoſtolus è medio ſublatā eſſe dicit. Nam illa inter Deum ac populum eius iram & condemnationem operabatur, & inter Iudæos ac gentes interſtitium erat, illosq; ueluti interiecto pariete diuidebat. Quare ad faciendum pacem neceſſarium erat, ut è medio auferretur. Obſecro ab hoc conſilio Dei, qui ad faciendam pacem chirographum ſuum deleuit, & è medio ſuſtulit, quàm ſunt alieni pōtifices Romani, qui citius Chriſtianum orbem nocentiſsimis diſsidijs à ſe inuicem diſsilire, & omnia cædib. ac ſanguine miſceri ſinunt, quàm uel iota unum ab imperio ſuo & ſtatutis è medio auferri? Neq; mortalium ſalutem, neq; pacem Eccleſiarum Chriſti cum Deo, ſed primatum ac dominatum cum principe mundi huius quærunt.

Affixum cruci, inquit.] Comparat crucē Chriſti arbori, in qua amputatis ramis, eo loco ubi hoſtes uicti fuerunt, trophæa uictorialia, in ſignum ac monumentum uictoriæ ſuſpendebantur:

bantur: & ex lege facit spolium, quod fuerit cruci instar trophæi affixum. Sanè non lex tantùm, quatenus peccati fuerat, & mortis facta ministra, sed & ipsum peccatum & mors peccati stipendium, cruci affixa fuerunt, cùm in ea penderet Christus, ac morte sua peccatũ, condemnationem, mortem ac satanam ipsum debellasset.

Obserua igitur, quibus rationib. Colossenses absterreat, ne sibi legem à pseudapostolis obtrudi sinant. Primò per id quòd dicit, eam ipsis fuisse Iudæis aduersariam & contrariam: significans insanum fore, si ultrò sibi eiusmodi legem imponi sustineant, quæ ipsis quoq; uehemẽter futura sit contraria. Deinde, esse eam ab ipso Deo, à quo fuerat conscripta, deletam, & è medio sublatam: ut iam non modò insanum, sed & impium futurum sit, illam in pristinum uigorem contra uoluntatem & consilium ipsius legislatoris restituere. Tertiò, esse eam in signum trophæi cruci Christi affixam, ideoq; facturam ad detrimentũ gloriæ ac uictoriæ Christi, si inde detracta perinde atq; antea cum obligatione conscientiarum obseruetur. qua re nihil indignius à Christianis fieri poterit.

Expoliatosq; principatus ac potestates ostentauit palàm, inquit, *triumphans de illis per semetipsum.*] Non solùm peccatum, legem ac mortem Christus in cruce exauthorauit ac sustulit: sed & regnũ satanæ, imò satanam ipsum cum suis satellitibus debellauit, inq; triumpho spoliatos ac denudatos ostentauit. Græcè est, ἀπεκδυσάμενος: id est, Cum exuisset ac denudasset principatus ac potestates. Loquitur ad similitudinem triumphantium uictorum, qui deuictos hostes ac bello captos, principes ac duces, in triumpho abducturi, primùm spoliatos & exutos denudant, ac currui uictoriali manus post terga reuinctas, uel præmittunt, uel proximè subsequi faciũt, quo ostẽtui habeãtur, & publicã cõfusionẽ sustineãt, id quod ad plenã & omnimodã uictoriã ostẽtandã instituũt. Cõsimili modo Apostolus, quo plenã & absolutã uictoriã à satana tulisse Christũ doceat, dicit eũ principatus ac potestates, hostiles uidelicet, expoliasse, palã ostẽtasse, deq; illis triũphasse. Deuictis hostib. auferũtur & arma & exuuię, tela, clypeus, gladius & thorax, tã quam spolia: ipsiq; nudati ac spoliati in triumpho abducuntur. Cogitemus hic, quanta cum gratiarũ actione & fiducia uictori ac liberatori Christo adhærere, totisq; uirib. cauere debeamus, ne peccando satanæ nos rursus subijciamus, & quantũ in nobis est, adẽpta illi spolia restituamus, illumq; contra nosipsos armemus. Hoc enim facientes non modò gloriam uictoris Christi ignominia afficiemus: sed æterno nos exitio inuoluemus, unde nunquam liberari poterimus.

Expoliatosq; principatus ac potestates, inquit.] Quomodo satanæ tribuãtur principatus ac potestates, diximus in Epistola ad Ephesios, capite secundo, ibi: Iuxta principem, cui potestas est aeris. & capite sexto, ibi: Quoniam non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales astutias in cœlestibus.

Ostentauit palàm, inquit.] Græcè est, ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ. Vulgata Latina habet: Traduxit cõfidenter. Verbum δειγματίζω posuit pro παραδειγματίζω, & significat aliquid in signum uictoriæ triumphando ostentare. deinde eos qui malè fecerunt, turpi pœna ludibrio exponere, & exemplum alijs proponere, in quo uideant, quid expectandum ipsis sit, si consimiliter peccauerint.

Sed nascitur hic quæstio, quomodo Deus in Christo principes ac potestates tenebrarum ostẽtauerit palàm, deq; illis triũphauerit, cùm magis Christus ipse pendẽs in cruce, spectaculum ac ludibrium factus sit mundo, sic ut omnes ipsum uidẽtes deriserint ac ludibrio habuerint. Respondeo: Quemadmodum regnum Christi non est de hoc mundo, ita & uictoria illius, qua serpentem antiquum deuicit, spoliauit, deque illo triumphauit, non est talis quæ à mundo spectari potuerit: manifestissima tamen erat, & omnium illustrissima coram omnibus cœlestibus spiritib. quemadmodum & natiuitas illius & susceptæ redemptionis nostræ dispensatio. Deinde, quod Erasm. reddidit, Palàm: in Græco est, ἐν παῤῥησίᾳ. quod uulg. Lat. habet, Confidenter. Significat Christum cum hoste antiquo, principe mundi huius satana, quẽ nemo unquam ausus est aggredi: non dubitanter, sed confidenter, tanquam de uictoria certissimus, iniuisse certamen, illumq; prostrasse, spoliasse ac sempiterno ludibrio obnoxium reddidisse: ubi disputandum non est, quomodo sit hoc palàm factum, cùm ne discipuli quidem Christi pugnam hanc, uictoriam ac triumphum illius agnouerint, nedum reliqua incredulorum multitudo. Ambrosius quoq; legit, Palàm & manifestè: & exponit, idẽ esse, quod in cruce. Palàm quidem pepẽdit Christus in cruce: uerùm causam & efficaciam mortis illius: deinde glorioſam hanc uictoriam non sic palàm spectabant, qui aderant.

Triumphans de illis, inquit, *per semetipsum.*] Non ineptè sentiunt, qui per triumphum hũc Christi, ascẽsionem illius intelligunt, qua cum gloria uictor ad patrem redijt, deq; principatib. ac potestatib. deuictis, triumphauit. Quod autem Erasm. reddidit, Per semetipsum, & uulg. Lat. editio habet, in ipso: sic est in Græco, ut uerti possit uel In ipso, uel In semetipso. Est enim ἐν αὐτῷ. Sic cum aspiratione legas, ἐν αὑτῷ, uertendum est, In semetipso. Si uerò sine aspiratione ἐν αὐτῷ: legendum est, In ipso. Sunt qui referant ad σταυρῷ: id est, Ad crucem: & legant, In illa.

Hi

Hi mouentur, quòd incommodum sit, si dicatur Christus in ipso, de principatibus & potestatibus triumphasse. Verùm si hæc omnia, secundum seriem præcedentium, Deo patri tribuantur, quòd ea fecerit in Christo & cum Christo: rectè hic legi poterit, Triumphans de illis in ipso, Christo uidelicet. Suprà dixit: Dum exuistis corpus peccatorum carnis per circumcisionem Christi, consepulti simul cum illo per baptismum, in quo simul etiam cum illo resurrexistis, per fidem operationis Dei, qui excitauit illum ex mortuis. Et uos cùm essetis mortui per delicta, & per præputium carnis uestræ, simul cum illo uiuificauit (utique Deus cum Christo) cõdonãs nobis omnia delicta, deleto quod aduersus nos erat chirographo, quod erat contrariũ nobis per decreta: & illud sustulit (Deus uidelicet) è medio affigẽs cruci, expoliatosque principatus ac potestates ostentauit palàm, triumphans de illis in ipso. Quis in quo? Deus in Christo filio suo. Per hunc nobis omnia delicta condonauit, chirographum cõtrarium deleuit, è medio sustulit, & cruci affixit, per eundem principatus ac potestates ostentauit, deque illis triumphauit. Sic puto seriem sermonis huius requirere, ut non legamus, In semetipso, uel Per semetipsum: sed, in Ipso, uel, Per ipsum. Neque enim Deus pater ista in semetipso, sed in Christo filio suo perfecit.

Sed quæsierit quisquam hoc loco, quomodo dicat, Deum in Christo debellasse, exarmasse, spoliasse ac in triumpho ostentasse principatus ac potestates regni satanæ, cùm Ephesiorũ sexto dicat, nobis adhuc esse luctam aduersus principatus, potestates, tenebrarum seculi huius rectores, & spirituales astutias in cœlestibus, sic ut opus nobis sit armatura Dei, qua aduersus illos consistere possimus.

Verùm in promptu est quod respondeatur. Quod incredulos & impios attinet, adhuc dominatum suum obtinet princeps tenebrarum, agitque in illis pro sua malicia & uoluntate: quod uerò concernit electos & fideles, sic est per Christum dominatu ac regno exutus & spoliatus, ut nihil in illos possit, nisi ad tentandum. Quare admonemur, ut tentationibus illius in fide fortes resistamus, quæ admonitio frustrà fieret ad reprobos & incredulos, qui mãcipia sunt regni satanæ, illiusque imperio resistere nec possunt nec uolunt. Quemadmodum igitur liberatio à peccatis & condemnatione in cruce per sanguinem Christi parta, non pertinet nisi ad electos & fideles: ita & uictoria Christi, & expoliatio regni satanæ non nisi ad illos pertinet. Reliqui ut sunt alieni à Christo, ita sunt & liberationis huius à peccato, morte, ac regno satanæ expertes.

Ne quis igitur uos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbathorum, quæ sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi.

Pergit in paræneſi, quam suprà cœpit, dicens: Quemadmodum igitur accepistis Christum Iesum Dominum, ita in eo ambulate. Hanc autem illius partem infert ex præcedentibus, quibus Deum chirographum legis in decretis situm per filium suum Christum deleuisse, è medio sustulisse, ac cruci affixisse dixit. Quasi dicat: Cùm igitur legem chirographi sui Deus ipse, quod contrarium nobis esset, cum decretis illius deleuerit, è medio sustulerit, crucique affixerit, atque ita nos Iudæos, quibus lata erat, ab exactione & obseruantia illius liberauerit: quis nam mortalium id sibi authoritatis iure aliquo sumere poterit, ut eam uobis gentibus, quibus data non est, seruandam imponat? Neminem itaq; feratis, qui uos propter cibũ aut potum, aut neglectam dierum obseruantiam iudicet & condemnet, scientes illum resistere Deo, ac condẽnare, quos ille non condemnat, imò à condemnatione per sanguinem filij sui liberauit. Hic mihi Apostoli sensus in uerbis istis esse uidetur.

Ne quis igitur uos iudicet, &c.] Cum non sit in mea potestate, prohibere ne quis me iudicet & condemnet insontem, cum id euenerit & prophetis & Christo & Apostolis: qua nam ratione dicet ad me quisquam, Ne quis te iudicet? Quid igitur est quòd Colossenses Apostolus admonet, dicens: Ne quis uos iudicet in cibo aut potu, cùm id ne fieret à quoquam, prohibere nequirent? An non rectius dixisset: Ne quem igitur in cibo aut potu iudiceris?

Respondeo: Non tam monet quid uitare, quàm quid scire debeant. Vitare quidem ac prohibere non poterant, ne à pseudapostolis & reliquis legalium obseruationum æmulatoribus propter esum uetitorum in lege ciborum iudicarentur: interim tamen scire debebant, neminem id esse potestatis à Deo, ut propter cibum iudicet eum, quem Christus in gratiam assumpsit, ac liberum reddidit. Quòd itaque dicit: Ne quis igitur uos iudicet in cibo aut in potu, (id est, Propter cibũ aut potum: ut באכרלח, id est, In cibo: idem sit quod בעבור אכרלח, id est, Propter cibum) idem est quod, Nemini igitur id potestatis sit in uos ut propter cibum uos iudicet, neminem audiatis nedum recipiatis, qui conscientias uestras legalibus cibis obstrictos reddat, & si quid in lege uetitum edatis, uos iudicet & condemnet. Sic nobis quoque dici potest: Nequis uos iudicet in traditionibus humanis, in escis lege Pontificum uetitis. Esca nos nõ commendat Deo. Verùm sciendum est, liberum nobis esse omnem cibũ à Deo con-

ditum,& uſibus noſtris traditum,quòd conſcientiam erga Deum attinet,modò rationem habeamus fraternæ charitatis.qua de re uidere eſt ad Rom.14.

Aut in parte diei feſti, inquit, *aut nouilunij, aut ſabbatorum.*] Obſeruátia legalium ciborum ac dierũ apud Iudæos inſolubilis habebatur.Igitur illius coniunctim non hic tantùm, ſed & Rom.14. mentionem facit. Etenim ut ciborum, ita & dierum nobis liber eſt uſus à Domino traditus, nulli legi niſi charitatis alligatus.

Aut in parte diei feſti, inquit.] Græcè eſt, ἐν μέρει ἑορτῆς: id eſt, Aut in parte feſti: quod idem eſſe uidetur, quod In parte Iudaicę feſtiuitatis.ut ſit generaliter dictum,& quod ſequitur, ἢ νεομηνίας ἢ σαββάτων legatur,ſiue nouilunij,ſiue ſabbatorum: quòd nouilunia & ſabbata partes ſint Iudaicæ feſtiuatis:quemadmodum & ſolennes paſchatis,pentecoſtes & tabernaculorum dies qui ſemel in anno,nouilunia uerò ſingulis menſibus,& ſabbata ſingulis ſeptimanis celebrandа ueniebant.Vel,In parte,idem hic eſt quod in cauſa:ut in parte feſti,ſit idem quod in cauſa feſtorum,intellige ſolennium:& legatur conſequenter,uel nouilunij, uel ſabbatorum. Hoc ſenſu dicere poterat:Ne quis igitur uos iudicet in parte cibi aut potus, aut in parte ſolenniũ feſtorum uel nouiluniorum,uel ſabbatorum Legalium obſeruationum certæ partes erant, quarum aliæ ſacramenta legis,aliæ ſacrificia:aliæ lotiones,aliæ ferias temporum, aliæ diſcrimen ciborum concernebant.Earum hic meminit Apoſtolus,quę ad cibos ac dies feſtos pertinebant,quas Iudæi ſuperſtitioſiſsimè obſeruant,eo quòd has propè ſolas unà cum circumciſione habent reliquas,unde Iudaiſmi ſe ſeruantes eſſe oſtendant.

Quæ ſunt umbra rerum futurarum, inquit, *corpus autem Chriſti.*] Significat legalia ueteris Teſtamenti decreta non eſſe ſubſtantialia,in quibus ſita ſit uera iuſticia,uita,ſalus & felicitas:ſed adumbrationes ac figuras ſubſtantialium,quæ in Chriſto erant noui Teſtamenti tempore futuræ: ideoque admodum eſſe abſurdum,ſi qui in Chriſto corpus ſunt ac ueritatem iuſticiæ,uitæ, ſalutis ac felicitatis adepti,ad ueteres Moſaicę legis umbras reduci ſe ſinãt. Et ut abſurditatẽ hanc uelut ob oculos exponat,utitur ſimilitudine umbræ & corporis. In umbra non eſt corpus,ſed figura quędã corporis,eaq; admodũ obſcura.In umbra neq; eſt uita,neq; ſoliditas aliqua, ſed utraq; eſt in corpore.Corpus non eſt propter umbrã, ſed umbra propter corpus. Vbi corpus eſt,ibi umbrę nullus eſt uſus.Ad hũc modũ cõparatę ſunt ueteris Teſtamẽti figurę,& Noui ueritas q̃ eſt in Chriſto.Exẽpli gratia: Vmbratilia erãt exercitia in lege,q̃ ſabbata cõcernebant:corpus ac ueritas illorum eſt in Chriſto,in quo uerũ ſabbatũ ab operibus ſeruilibus cõtingit electis ac fidelibus.Circumciſio carnis umbra erat,ea uerò corpus eſt,quæ ſine manibus fit in corde fidelium Chriſti. Quàm itaque abſurdum eſt, cum adeſt corpus,amplecti umbram:tam eſt abſurdum, cùm exhibitum nobis in Chriſto ſit, ueræ iuſticiæ,uitæ, ſalutis ac felicitatis corpus,redire ad figuralia legalium obſeruationum exercitia.

Quid eſt autem quòd umbram præcedentibus ueteris,corpus uerò ſubſequentibus noui Teſtamenti temporibus tribuit,dicens: Quæ ſunt umbra rerum futurarum? Non eſt ſine ratione factum,quòd figuras & umbras præmittere,ac tandem corpus ueritatis in Chriſto ſubijcere uoluit Deus. Vmbris,quemadmodũ & promiſsionibus, animos fidelium ad futuram in Chriſto ueritatis illuſtrationem & exhibitionem pręparare uoluit,ut ex illis aliquo ſaltem uſq; animaduerterent,quid ſperare, & in futurum expectare deberent.

Poteſt uerò de hac corporis & umbræ ſimilitudine cogitari ad hunc modum. Tria ſunt in hoc ſimili concurrentia: ſol,corpus & umbra.Corpus eſt terra, umbra nox.Sol lux eſt, umbram noctis obiectu terræ,tanquam ſolidi corporis, efficiens. In conſtitutione diei primam partem nox habet.Incipit enim dies naturalis à ueſpera,ſecundum ſeriem creationis:& diurna luce,tanquam altera parte,abſoluitur.Sic umbra lucem præcedit.Conſimili modo in hac cauſa,de qua loquitur Apoſtolus,tria concurrunt:figuræ uidelicet,ueritas & Chriſtus.Figuras umbram uocat.Vmbra erat uetus Teſtamentum cum ſuis figuris,lege,cultibus,purificationibus,ſacramentis,& promiſsionibus. Veritas eſt inſtar ſolidi corporis, uera reconciliatio cum Deo,uera iuſticia,uita,ſalus & felicitas. Chriſtus lux eſt,omnia illuminans.Vetus teſtamentum erat inſtar noctis,in qua omnia ſunt obſcuriora quàm in luce diei,etiamſi luna & ſtellæ in firmamento appareant:Nouum uerò ſimile eſt diei,quam ſol exortu ſuo facit & illuſtrat.Sol autem nouum Teſtamentum efficiens, Chriſtus eſt. Quemadmodum igitur nox diem,ita ueteris Teſtamenti umbra & figuræ noui Teſtamenti lucem præceſſerunt: & ſicut exortu ſolis umbræ noctis diſpelluntur,terręque facies illuſtratur,ac dies conſtituitur:ita & per Chriſti ueri ſolisexortum, umbra & figura ueteris Teſtamenti auferuntur,& luce Noui mortalium mentes exhibita ueritate illuſtrantur. Quare quemadmodum magnæ cæcitatis indicium eſt,poſt ſolis exortum clara luce reſpicere ac redire uelle ad præteritæ noctis umbras, lunam ac ſtellas, quaſi illæ aliquid præſtare queant, quod ſplendori ſolis ac luci diurnæ augmenti loco eſſe poſsit: ita omnino ſtupendæ dementiæ indicium erat, quòd pſeudapoſtoli in tam clara noui Teſtamenti luce Euangelio Chriſti ac manifeſtatæ ueritati legis umbras adijcere conabantur,indeque abſolutiorem ueritatis ſciẽtiam,iuſticiam, pietatem ac ſalutem pollicebantur.

Ne

Ne quis uobis palmam interuertat data opera, per humilitatem & superstitionem angelorum, in ijs quæ non uidit fastuosus incedens, frustrà inflatus mẽte carnis suæ, nec obtinens caput, ex quo totum corpus per commissuras & cõpagines subministratum & compactum augescit augmento Dei.

In hoc contextu quædam aliter atq; aliter leguntur. Illud: Ne quis uobis palmam interuertat, in Græco est, μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω: quod Vulgat. Latinus interpres uertit, Nemo uos seducat. Ambrosius legit, Nemo uos deuincat. Augustinus Epistola quinquagesima nona, Nemo uos conuincat. Germanicus interpres sic, *Laßett euch niemandt das zil uerrucken.* Significat autem Græcum uerbum καταβραβευειν, præmium quod certantibus uel currentibus in stadio propositũ est, subducere, inuertere, defraudare, uel aliàs quomodolibet assequutionem illius impedire. Deinde illud, Data opera: in Græco est, θέλων, id est uolens. Et, Per humilitatem est, ἐν ταπεινοφροσύνῃ: id est, In humilitate animi. Sic legit & Ambrosius. Augustinus legit, In humilitate cordis.

Et *superstitionẽ angelorum.*] Græcè est, καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων: id est, Et religione angelorum. Sic habet Vulgata editio. Ambrosius legit: Et superstitione angelorum. Augustinus, Et cultura angelorum.

In ijs quæ non uidit.] Græcè non est, In ijs quæ nõ uidit: sed simpliciter, ἃ μὴ ἑώρακεν: id est, Quæ non uidit.

Fastuosus incedens.] Græcè simpliciter est, ἐμβατεύων: id est, Incedens. Significat autem non simpliciter ambulare: sed cum quodam grauitatis gestu, uelut in cothurno incedere. Sonat enim ἐμβὰς cothurnum, calciamentum tragicum. Vnde est ἐμβατεύειν, cum fastu quodam incedere. Ambrosius sic, Ea quæ uidet extollens. Augustinus loco suprà citato sic: Quæ nõ uidit inculcans: uel, sicut quidam codices habent, Quæ uidit inculcans. Ex recentioribus nonnulli ad hunc modum legunt: Volens in humilitate & cultu angelorum (id facere) in ea quæ non uidit, se ingerens. Cætera satis concorditer leguntur.

Ne quis uobis palmã inuertat data opera, inq;t, *per humilitatẽ & superstitionẽ angelorũ.*] Vt multiformis est malicia & astucia satanæ: ita non uno tantùm impostura genere utebãtur illius Apostoli, quo Ecclesias Christi à syncera illius fide abducerent. Sic iam obtendebant circumcisionem & obseruantiam legis, iam magnificiebant angelos Dei, extollentes illorum principatus, potestates, thronos, &c. quo mentes fidelium ad culturam illorum prouocarent, atq; ita cursum illorum à proposita in Christo palma ac meta auerterent.

Nemo uobis palmam interuertat, inquit,] Figura sermonis est eadem, qua paulo antè usus est, dicens: Ne quis uos iudicet: ut idem sit quod, Neminem audiatis, qui uobis palmã interuertat. Vtitur autem similitudine eorum, qui in stadio currunt aut certant. Laboris illorum fructus omnis in eo est, ut ad metam contendentes, uel constanter certantes, propositum βραβεῖον apprehendant. Quod si illo fraudati fuerint, omnem operam frustrà insumpserunt. Consimilis est conditio fidelium Christi. Stadium illorum, est religio Christi. In hac fide ac spe currunt. Sic autem currendum ipsis est, ut à Christi fide, nec ad dextram nec ad sinistram declinantes βραβεῖον, id est, uitam æternam credentibus in ipsum, ac perseuerantibus promissam consequãtur. Hæc illis interuertitur, qui se à Christo ad alios mediatores ac seruatores abduci sinunt, siue illi sint angeli, siue homines, siue inania quorumcunque nominum figmenta. Hoc quoque malum à Colossensibus auertere cupiens, dicit: Nemo uobis palmam interuertat uolẽs, in humilitate animi & cultura angelorum, &c.

Est autem uerbum καταβραβεύειν hoc loco diligenter obseruandum. Fit hoc uel prorsus tollendo, uel transferendo, uel obscurando metam præfixam. In stadio religionis primùm tollitur meta prorsus ab illis, qui Christum negant esse filium Dei, & unicum mediatorem ac seruatorem omnium: id quod faciunt Iudæi ac Turci. Deinde transfertur, quando à Christo ad alios abducuntur fideles, uel angelos, uel diuos, uel ad ipsum Antichristum, unde salutem quærant: uel ad monasticæ uitæ authores, quorum se præceptis facto uoto tanquam uinculo obstringunt monachi. Tertiò, quando nomen quidem Christi, & aliquot fidei illius articuli retinentur: uerùm reliqui salutem nostram ac cursum fidei concernentes, sic obscurantur, ut nihil remaneat nisi externa Christiani nominis professio. Innumera est eorum Christianorum multitudo, qui non alio loco Christum habeant, quàm quo Iudæi habent Mosen. Illis Christus non est lux, sed obscura quædam larua, cuius tamen ueritatem liquidò scire non satagunt. Totus Papatus quid nam aliud est quàm καταβράβευσις, eaque non uitius tantum, sed multarum specierum?

Data opera, inquit.] Græcè θέλων, i. Volẽs. Vocula hæc sic est posita, ut possit tam ad præcedentia quàm ad sequentia referri. Si ad præcedentia, sensus erit: Nemo uobis uolens, i. malo studio, sciens ac prudens palmam uocationis uestræ interuertat. Notat hoc sensu peruersum

ſtudium pſeudapoſtolorũ, dũ exprimit, quid quærant, & quò tendat illorũ circuitus, ad hoc uidelicet, ut palmã fideliũ Chriſti interuertant. Si uerò ad ſequẽtia, legendũ erit ad hunc modum: Volens in humilitate animi & ſuperſtitione angelorum, in ijs quæ non uidit, incedere. ut participium ἐμβατεύων, id eſt Incedens, accipiatur pro infinitiuo ἐμβατεύειν, id eſt, Incedere. Auguſtinus ſic uolens humilis, affectans humilitatem: quod intelligitur, uolens uideri humilis. Hoc enim in talibus obſeruationibus agitur, ut cor hominis uelut religione humile reddatur. Hæc ille. Parum refert quem ſenſum teneas.

In humilitate animi, inquit, *& cultura angelorum.*] Quid ſibi uult, quòd culturæ angelorum, coniungit humilitatẽ animi: cùm illa ſit uitioſa, iſta uerò inter uirtutes numeretur. ταπεινοφροσύνην plurimùm commendat ſacra Scriptura, & hic ipſe Apoſtolus: ut & reuera uirtus eſt admodũ rara & inſignis. & econtrà faſtus uitium eſt uehementer deteſtabile, ac prorſus diabolicum: ut rectè dictum ſit illud, Si quem ſuperbum uideris, filium diaboli eſſe ne dubites. Videtur itaque inconuenienter factum eſſe ab Apoſtolo, quòd humilitatem animi cum ſuperſtitione non hic modò, ſed & paulo infrà circa calcem capitis coniunxit.

Reſpondeo: Triplex eſt ταπεινοφροσύνη. Prima ficta eſt, & ad oſtentationem compoſita: ſecunda, uera quidem, ſed præpoſtera: tertia, & uera & legitima. Ficta eſt, qua ſubmiſsio animi externis geſtibus, uerbis, ueſtitu & inceſſu ſimulatur, cùm in corde ſint omnia diuerſa. Eſt hæc hypocritarum & phariſęorum, non modò eorum quos Dominus frequenter reprehẽdit, ſed & eorum qui noſtris temporibus ſimulata humilitate fucum fecerunt, & hodie quoque faciunt Eccleſijs, utpote monachorum: præſertim minorum, & eius qui ſe ſeruum ſeruorum Dei uocat, quo habeatur pro domino dominantium. De hac exponunt nonnulli præſentem Apoſtoli locum.

Præpoſtera eſt, quæ etſi non ſit ficta, ſed uera, præpoſtera tamen eſt: qua uidelicet homo in eo ſeſe humiliat ac deijcit, in quo erectus magis quàm deiectus eſſe debebat. Exempli gratia. Vbi promiſsionibus gratiæ Dei ad fiduciam erga illum animo concipiendã erigimur, ibi caro indignitatem ac uilitatem ſuam conſiderans, conuenire ſibi magis putat ut animo ſit humili & abiecto, quàm erecto ac firmo: ideoque non Deum, ſed neſcio quos interceſſores ac patronos inuocet. Ea eſt prępoſtera illa ταπεινοφροσύνη, quam docẽt ſcholaſtici, doctores dubitationis, de quorum dogmate diximus alibi. Conſimilem docebant pſeudapoſtoli, dicentes: Maioris eſt facienda nobis diuina maieſtas, quàm ut ad eam homo peccator, cinis ac puluis, per ſe accedere, opemq; illius implorare debeat, ſine interceſsione eorum qui pro puritate ſua ſunt illi coniuncti, ac plurimùm apud eum poſſunt: quales ſunt angeli in cœlis, præſertim principatus, poteſtates, &c. Quare ſi id tẽtet homo, meritò ut irreligioſus & ſuperbus condẽnatur. Eſt igitur ſeruanda hæc animi humilitas, ut deijciamus nos infra non ſolùm maieſtatem diuinam, ſed & angelicam præcellentiam: colamusque cœleſtes ſpiritus, quò illi pro nobis apud Deum intercedant, præſertim cùm ſit illis humanarum rerum cura & moderatio à Deo commendata. Hanc intelligit & damnat hiſce uerbis Apoſtolus, cùm dicit: Nemo uobis palmam interuertat, uolens in humilitate animi & cultura angelorum, &c. Voco eam ueram quidem, ſed præpoſteram. Veram, quia qui ſic animati ſunt, non fingunt aliud foris, quàm quod habent reuera in corde. Sic reuera ſentiunt eſſe ſe indignos, qui per ſe Deum in Chriſto inuocẽt, eo quòd ſint peccatores & immundi: præpoſteram uerò propterea, quòd per illum ab inuocatione gratiæ Dei impediuntur, quam ille unicè à nobis requirit, dicens: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me.

Eſt igitur huiuſmodi humilitas non uirtus Deo accepta, ſed uitiũ deteſtabile, & uehementer noxia. Primò, quia uirtutem uertit in uitium, & interim ſpecie uirtutis fallit. Deinde, quia fiduciam gratiæ ac dignationis Dei, quæ nobis per Euangelium in Chriſto prædicatur, extinguit. Tertiò, quia gloriã philanthropię ac miſericordię Dei obſcurat, illamque transfert ad creaturas, quaſi illę miſericordiores ac propenſiores ſint ad patrocinandum rebus humanis, quàm Deus ipſe, quam gloriam nobis ſacra Scriptura multis in locis commendat, præſertim pſalmo centeſimo tertio, ubi propheta canit, dicẽs: רחום וחנון יהוה ארך אפים ורב חסד &c. Hoc eſt: Miſericors & plenus gratia Dominus eſt, procul ab ira, & magna bonitate prędituſ. Non contendit in ſempiternũ, neque in ęternũ ſuccenſet. Non ſecundum peccata noſtra facit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis. Quoniam ſecundum altitudinem cœli à terra prędualet bonitas eius erga timentes ipſum. Quantum diſtat Ortus ab Occidente, elongat à nobis tranſgreſsiones noſtras. Quemadmodum miſeretur pater filiorum, ſic miſeretur Dominus timentiũ ſe. Gloriam hanc bonitatis, philanthropię, gratiæ ac miſericordiæ Dei, transfert iſta ταπεινοφροσύνη ad creaturas. Quartò, abducit à uero cultu Dei ad culturam angelorũ, quam ipſi angeli ferre nõ poſſunt, ſicuti uidere eſt in Apocalypſi. Hac de re uide in Locis noſtris, loco de Cultu Dei. Quintò, dignitatem filiorum Dei conceſſam nobis in Chriſto, infra angelos, miniſtratorios ſpiritus, abijcit: cùm illorum naturam non aſſumpſerit unigenitus Dei, aſſumpſerit uerò noſtram: nec uocetur Deus φιλάγγε-

λων,

νη, uocetur uerò φιλάνθρωπος: nec conditus sit ad imaginem ac similitudinem Dei angelus, sed homo.

Vera ac legitima est ταπεινοφροσύνη, qua & animi non modò in conspectu Dei, sed & coram hominibus humiliantur: & interim neq; à fiducia misericordiæ & gratię Dei, neq; ab officio, quo quisq; proximo suo uel præpositus uel aliàs obstrictus est, disceditur. Vera humilitas ut non excludit fidē & inuocationē gratiæ Dei, ita nec impedit, quo minus pater liberis, maritus uxori, magistratus subditis, Dominus seruo, præceptor discipulis suis legitima authoritate præsit.

In ijs quæ non uidit, fastuosus incedens, inquit.] Quod in Græco legitur, ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων, i. Quæ non uidit incedens: impleri posse puto, si legamus, κατὰ ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων, i. Secūdum ea quæ non uidit incedens. Sic asseueranter de rebus quas non uiderant, loquebantur, ac si eas uidissent. Hanc illorum temeritatem sic reprehendit, ut fugiendam esse moneat. Q.d. Quantumuis glorientur de cultura angelorum, gloriātur de rebus quas non uiderunt, sed ipsi in cordi- Ebr. 11.
bus suis excogitarunt.

Sed dixerit hic quisquam: Atqui Christiana fides earum rerum est, quæ non apparent: & ut non apparent, ita & non uidentur. Et Christus ipse dixit: Quia uides me Thoma, credis: Beati qui non uiderunt, & crediderunt. Quid igitur est, quod Apostolus hic dicit, In ijs quæ non uidit incedens, reprehendens id quod & ipse & reliqui Apostoli fecerunt, dum Euangelium in orbe prædicarunt? Respondeo: Aliud est credere ea quæ licet non uideantur, authoritate tamen S. Scripturæ traduntur & commendantur: & aliud, quæ nec uisa nec scripta sunt, sed sola humana ratiocinatione excogitantur, non modò credere, sed & alijs, quasi certò sint cognita, credenda, tenenda & colenda tradere. id quod fecerunt pseudapostoli, & in Ecclesijs faciunt Doctores Papistarum, dum de transsubstantiatione panis & uini in corpus ac sanguinē Domini, de purgatorio igne quo animę mortuorum à peccatis purgentur: de liberatione illarum quæ fiat per uigilias, Missas, & indulgentias pontificias: deq; intercessionibus angelorum & diuorum, & alijs consimilibus nugis Magistraliter pronunciant, de quibus tamen nullum extat nec experientiæ, nec S. Scripturæ testimonium.

Est autem & participium ἐμβατεύων obseruandum. Singulari namq; emphasi ad hoc est positum, ut perstringatur pseudapostolorum fastus & cothurnus, quo quasi insignes & eximij Doctores non sine pompa discipulorum ipsos sectantium incedebant: ad quem modum & magistri nostri magistraliter, & episcopi principaliter ac sic incedunt, ut ipso incessu ac comitatu authoritatem magisterij, Doctoratus & Episcopatus ostentent. Vade Tridētum, frater, & uide quomodo in eo conciliabulo S. patres incedant.

Inflatus, inquit, *mente carnis suæ*.] Quomodo inflatus, cum iam tribuerit illi humilitatem animi? Non erant ipsi ταπεινοφρονοῦντες, sed doctores præposteræ ταπεινοφροσύνης. Aliud est esse humilem animo, & aliud docere humilitatem, siue legitimam, siue præposteram. Licet qui discūt sint humiles, tanquā auditores imperiti: ipse tamen humilitatis doctor fastuosus incedere, & admodū inflatus esse potest. Tales erāt pseudapostoli. Mēs illorū erat mens nō spiritus Christi, sed carnis corruptæ. Scientia illorum erat carnis, per quam inflabantur. Erant inanis gloriæ cupidi, ideoq; pro singulariter illumi natis doctoribus haberi uolebāt, quorum comparatione doctrina Euangelij, quam Paulus prædicabat, prorsus despicabilis in oculis seductorum apparebat.

Addit, εἰκῇ, i. frustrà. Frustra (inquit) inflatus mente carnis suę. Frustra inflatur, qui ob id quod non habet, sed habere se putat, inflatur. Qui se putat esse iustū, cum non sit, frustra cum Pharisæo inflatur. Qui sibi uindicat insignem scientiam, cum illam non habeat, id quod legis Doctores faciebant, 1. Tim. 1. is utiq; frustra, i. sine ratione inflatur, etiamsi opinionem & existimationē scientię apud imperitos consequutus sit. Dices: Ergo non frustra inflatur, quisquis de eo quod uerè habet inflatur. Respondeo: Inflatur ille frustra, & non frustra. Frustra, quia inutiliter: non frustra, quia de re gloriatur, quam habet, non quam habere se falsò putet. Hactenus uidetur non frustra inflari, quatenus nō sine ratione inflatur, qui de eo quod uerè habet gloriatur. Et tamē ille etiā frustra inflatur, quia inutiliter inflatur. De hac uocula Frustra, diximus in Commentarijs nostris super Epistolam ad Galatas cap. 1. circa calcem, & tertiò ibi: Tanta frustra passi estis, si tamen & frustra.

Nec obtinēs caput, inquit, *ex quo totum corpus per connexiones & compagines subministratū & compactum augescit augmento Dei*] Exprimit consilium Satanæ, quod illi perpetuum est. Id est, impedire quominus Christum Seruatorem unicè sequamur. Huius ministri erant pseudapostoli, qui quemadmodum ipsi Christo capiti non adhærebāt, ita & impostura dogmatum suorum fideles ab illo abstrahere conabantur, dum pręposteram humilitatem, & angelorum cultū docebant. Hoc in illis perstringens, dicit:

Nec obtinens caput, ex quo totum corpus per commissuras & compagines, &c.] Idem reprehendit & Epheſ. 4. dicens: Vt non simus amplius pueri, qui fluctuemus & circumferamur quouis uento doctrinæ, per uersutiam hominum, per astutiam qua nos adoriuntur, ut impo-

nant nobis: sed ueritatem sectantes in charitate adolescamus in illum per omnia qui est caput, nempe Christus, ex quo totum corpus coagmentatum & compactum per omnem commissuram submin istrationis, iuxta actum in mensura uniuscuiusque membri incrementum corporis facit, in ædificationem suipsius per charitatem. Eo loco, quæ hic habentur fuse exposuimus, & quæ obseruanda sunt annotauimus. Quare non est ut illis operosius immoremur.

Nec obtinens caput, inquit.] Poterat dicere, Nec adhærens Christo. Nã hũc intelligit, quem & alibi caput Ecclesiæ uocat. Verùm ut rem ipsam quam Colossensibus inculcare uoluit, similitudine omnium notissima illustret, comparat Christum capiti, & Ecclesiam illius corpori, dicens: Nec obtinens caput, ex quo totum corpus, &c. Græcè est, κρατῶν τὴν κεφαλήν: Verbum κρατέω significat aliquando apprehendere & tenere rem aliquam. Corpus κρατῶν τὴν κεφαλὴν, dum per iuncturas ossium ac membrorum & ligacula neruorum ab ipsis pedibus ad collum usq; capiti cohæret, & ab illo per uenas influxionem eiusdem spiritus & moderaminis accipit. Sic obtinet Christum, qui uiua illi fide adhæret, etsi minister Euangelij sit, neminem alium Ecclesiæ quam Christum tanquam unicum seruatorem, & caput prædicat. Neutrum faciebant pseudapostoli, & interim alij Mosen, alij angelorum principatus & potestates prædicabant, unde nec spiritus, nec uita, nec salus esse poterat: quod perinde erat, ac si quis membra corporis à capite suo auellat, & interim illis de nescio quibus alijs rebus quàm præclarę sint, multis prædicet.

Hoc genus doctorum duplici malo perdit Ecclesias. Vno, quòd illas abducit à Christo, unico seruatore & capite, ex quo solo spiritus est & uita, Altero, quòd illas à se inuicem auellit, & solutis compagibus & commissuris, id est, Christiana fide & communicatione spiritus ac charitatis destructa, prorsus emortuas, diuulsas ac dissipatas reddit. Posterius hoc malum pendet à priori. Etiamsi uniuersa angelorum & sanctorum millia præponantur Ecclesiæ, inque Christi locum substituantur: nihil tamen inde accipi potest, quod ad uitam & salutem faciat, quia non possunt illi capitis esse loco, ex quo solo spiritus est, uita ac salus. Ei corpori quod per truncationẽ capite suo priuatur, etiamsi adhibeãtur quotquot in orbe sunt capita, spiritum tamen & uitam conferre non poterunt. Sic est omnium eorum conditio qui non obtinent Christum, quem pater Ecclesiæ suæ caput esse uoluit. Habent Papistæ caput Romanum pontificem, non uerum, sed uicarium: unde fieri non potest, ut augescant augmento Dei.

Ex quo totum corpus, inquit, *per commissuras & compagines submin istratum & compactum, augescit augmento Dei.*] Græcè est, πᾶν τὸ σῶμα: id est, Omne corpus. quod bifariam accipi potest. Primò, ut pertineat ad communem omnium corporum naturam & conditionem, qua unumquodque sic est comparatum, ut uiuere at crescere non possit, nisi suo capiti unitum & compactum per ἐπιχορηγίαν spiritum, uitam & incrementum in singulis membris ex illo accipiat. Deinde, ut idem sit quod totum corpus, referaturq; ad uniuersam Ecclesiam, quæ corpus est Christi. quem sensum interpretes expresserunt, quo & ipse Apostolus, Ephes. 4. πᾶν σῶμα pro ὅλον σῶμα de corpore Christi, quod est Ecclesia, dixit.

Obiter itaque hic obserua, quænam sit catholica Ecclesia Christi, qua de Papistæ admodum gloriantur. Non ea uidelicet, quæ Romano pontifici tanquam ipsius capiti, sed quæ Christo uero & unico capiti instar corporis coagmentata & compacta cohęret, atq; ex illo per commissuras & compagines ueræ fidei & charitatis spiritum uitæ, ac ueram salutem cum incremento Dei accipit.

Deinde illud obseruandum est, quòd totam Christi Ecclesiam uocat corpus ἐπιχορηγούμενον, quod uidelicet opus habeat suppeditatione ac submin istratione necessaria, quã ex capite Christo accipiat, non ἐπιχορηγὸν quod ex se quæ necessaria sunt alijs suppeditet. Vnde admonemur, quæ ad salutem necessaria sunt fidelibus, petenda esse non ab Ecclesia, sed à capite Christo: quandoquidem illa nihil habet, quod omnium indiga non accipiat ex Christo. Vnde Augustinus contra Ecclesiam Fundamenti libro secundo, capite 15. rectè dicit: Nec illud proculdubiò diceret, Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit illi datũ de Ecclesia. ipsa enim Ecclesia de cœlo accipit. hæc ille. Ergo omnis ἐπιχορηγία, Christi est, non Ecclesiæ.

Augescit, inquit, *augmento Dei*] Particula hæc, Ephes. 4. fusius ponitur, ubi de illa fusius etiam annotauimus. Græcè est, τὴν αὔξησιν τοῦ θεοῦ, id est, κατὰ τὴν αὔξησιν τοῦ θεοῦ, secundum incrementum Dei: quod Deus uidelicet suppeditat. Quomodo autem Ecclesia Christi crescat, dictum est alibi. Crescit, dum numerus fidelium crescit, cuius incrementi exemplum uidere est, Act. 2. 3. 4. 5 & 6. Deinde crescit, dum singula illius membra, unumquodq; pro mensura sibi data, in fide & cognitione Christi, denique & dilectione ac sanctimonia uitæ crescunt.

Itaque si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi uiuentes

in mundo

in mundo decretis tenemini? Ne tetigeris, ne gustaueris, neque contrectaris, quæ omnia ipso pereunt abusu, iuxta præcepta & doctrinas hominū: quæ uerbotenus quidem habent speciem sapientiæ per superstitionem ac humilitatem animi, & læsionem corporis, non per honorem aliquem ad expletionem carnis.

Hactenus mortis & resurrectionis Christi efficaciam sic exposuit, ut admoneret Colossenses esse ipsos unà cum Christo mortuos peccatis, sepultos, excitatosq; & uiuificatos in baptismate, atq; ita in Christo circumcisos, ut non sit ulla ratio propter quam circumcisionem carnis obtrudi sibi sinant: iam consequenter & illud inde colligit, esse admodum ἄτοπον, si sese elementis mundi addicant, cum illis sint cum Christo mortui. Sic dicit:

Si igitur mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi uiuentes in mundo decretis tenemini?] Vis argumenti hæc est: Qui mortuus est mundo, liber est à legibus & decretis mundi: Vos estis mortui mundo: Ergo liberi estis à decretis mundi. Suprà, quod minorem attinet, affirmatiuè dixit: Circumcisi estis, dum exuistis corpus peccatorum carnis per circumcisionem Christi, consepulti simul cum illo per baptismum, in quo simul etiam cum illo resurrexistis per fidem operationis Dei, qui excitauit illum ex mortuis, &c. Inde iam colligit dicens: Itaque si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi uiuentes mundo decretis tenemini? Sic maiorem non exprimit, eo quòd illa usqueadeò sit nota & irrefragabilis, ut nemo sit, qui ueritatem illius ignoret, aut negare præsumat. Communi omnium sensu stultissimum fuerit, leges imponere mortuis, & tributa ab illis exigere, ac præcipere de rebus huius mundi, quarum ipsis nullus est amplius, nec esse potest usus. Consimilis est & fidelium conditio, qui mortui sunt cum Christo ab elementis mundi. Eiusmodi argumento usi sunt & monachi, qui se mortuos esse à possessionibus bonorum & pecuniæ in hoc mundo fingentes, immunitatem consequuti sunt à Regibus huius mundi. Qui pecuniæ usqueadeò mortuus est, inquiunt, ut eam ne tangere quidem sustineat, unde tributum ac censum dare poterit? uerùm hoc prætextu factum est, ut tandem omnium facti sint opulentissimi in mundo, nec sint, qui minus mundo sint mortui.

Itaq; si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, inquit.] Non simpliciter dicit, τεθνήκατε, i. Mortui estis: sed ἀπεθάνετε, qd reddi potest, Demortui estis. Græci sic distinguūt inter θνήσκειν & ἀποθνήσκειν, ut Ammonius dicat: ἀπέθανε μὲν νῦν, τέθνηκε δὲ πάλαι. uerum simplicius est, ut ἀποθνήσκειν nō simpliciter pro mori, sed p demori, i. **Absterbē** accipiamus. unde & Germanicus interpres uertit: **Sind ihr dann abgestorben.** Aliud est simpliciter mori, & aliud à re aliqua per mortem sic liberari, ut nihil amplius cum ea possit tibi esse negocij. Hunc sensum exprimens Apostolus non simpliciter dicit: Si mortui estis cum Christo: sed addit, Ab elementis mundi. Seruus cum moritur, moritur à seruitute, cui uiuus fuerat obnoxius: & uxor moriens, moritur à lege coniugij, qua marito suo fuerat deuincta. Sic Christianus cum in Baptismate moritur, unà cum Christo moritur, id est: Ea morte liberatur, ab elementis mundi, ut illa nihil in eo loci habeant amplius. Mortuum esse cum Christo ab elementis mundi, nihil est aliud, quàm talem esse per communicationem mortis Christi factum, ut nihilo plus in te iuris habeant elementa & decreta mundi, quàm in eo qui morte ex hac uita decessit.

Elementorum autem mundi & suprà in hoc capite mētionem fecit. Non sunt ea eiusdem generis. Nam alia cultum deorum, alia decreta & præcepta hominum concernunt, ad quæ posteriora referendum esse quod hic dicit, ex eo patet quod subiungit, dicens: Quid quasi uiuentes in mundo decretis tenemini? Ne tetigeris, ne gustaris, &c. Eiusmodi decreta sunt elementa mundana: hoc est, mundanæ iusticiæ ac sapientiæ, de rebus ad mundum hunc pertinentibus præcipientia. Hoc sensu uocat ea elementa mundi, quantumuis authores illorum pro spiritualissimis haberi uelint.

Quid quasi uiuentes in mundo decretis tenemini, inquit.] Illatio est. Poterat dicere, Non debetis decretis mundi teneri: uerùm ut exprobret illis quòd decretis eiusmodi sese submittebant, & simul absurditatem eius rei exprimat, hac sermonis figura utitur, dicens: Quid quasi uiuentes in mundo, decretis tenemini? Græcè est, δογματίζεσθε: quod Vulgatus Latinus interpres actiuo sensu reddidit, Decernitis. ad quem modum & Ambrosius legit & exponit, dicens: Qui post baptismum ambigit de aliquibus, putans quædam de ueteribus ueneranda, uiuere se ostendit elementis, quæ decernit colenda, aut dubitat contemnenda: hic remanebit intra circulos mundi, alienus à Deo, &c. Legisse uidentur non δογματίζεσθε in passiuo, sed δογματίζετε in actiuo. Chrysostomus tamen legit δογματίζεσθε, & in passiuo exponit, dicens: οὐκ ἐφ' ἑαυτῷ τῷ κόσμῳ φησί, πῶς τοῖς στοιχείοις ὑπόκεισθε; πῶς τῇ τοῦ κόσμου παρατηρήσει; Hoc est: Non estis in mundo, inquit, quomodo elementis subiecti estis? quomodo obseruationibus mundi?

Non simpliciter autem dicit, Quid decretis mundi tenemini? sed, Quid quasi uiuentes in mundo decretis tenemini? Nec dicit, Quid uiuentes in mūdo? sed, Quid quasi uiuentes in

mundo

mundo decretis tenemini. Aliud est uiuere in mundo, ideoq; decretis mundi subijci: & aliud haudquidem uiuere in mundo, interim tamen decretis illius sese subijcere. Exprobrat illis non prius, sed posterius. Non dicit, eos uiuere in mundo: sed quasi uiuant in mundo, decretis mundi subijci: quo magis quod faciebant, absurdum esse significet. Etenim eum qui uiuit in mundo, decretis mundi teneri nihil habet absurdi: habet uerò plurimum, si is qui in mundo non uiuit, mundi sese decretis subijciat, perinde atq; si qui in Turcia non uiuit, Turcicis legibus obstrictus esse uelit. Vulgò dicitur: Si fueris Romæ, Romano uiuito more. Meritò. Econtrario rectè dixero: Cum non sim Romæ, cur Romæ legibus utar? Audite Germani, Galli, Hispani, Angli, Hungari, Bohemi, Poloni, quid quasi uiuentes Romæ, Romanis decretis tenemini? Vt mundana decreta in mundo ualent, ita finite ut Romanorum pontificum decreta non apud uos, sed Romæ ualeant.

Quæsierit quisquam, an Colossenses, cum ista ad ipsos scriberet Apostolus, nõ uixerint in mundo? Respondeo: Videndum est, quid Apostolo hic sit uiuere in mundo.

Primùm, in mundo uiuere, est in hac terra, inter homines mundi incolas, uitam hanc fragilem & caducam ducere, donec hinc mortis necessitate auferamur. Hoc genus uiuendi in mũdo, commune est mortalibus omnibus tam Christianis quàm nõ Christianis. Sic in mundo uixit ipse Apostolus, quemadmodum & Prophetæ & Patriarchæ, & ipse Christus, qui redemptionis nostræ gratia uenit in hunc mundum. Sic utique & Colossenses uiuebant in mundo.

Deinde, uiuere in mundo, est uiuere κατὰ τὸν κόσμον τοῦτον: uel, ut est Ephes. 2. iuxta seculum mundi huius, diligere mundum, affici rebus mundi, illisq; sese accommodare, & esse corde ac uita mundanum, & seculi huius filium. Hoc modo uiuunt in mundo non Christiani, sed filij huius seculi. Consimilis loquutio est: qua Rom. 8. dicitur, Qui in carne sunt, Deo placere nõ possunt. Vos autem non estis in carne. Erant utiq; & uiuebant in carne, sed non secundum carnem. Si dicas, Loth non uixit in Sodomis: nihil dices aliud, quàm quòd non secundũ mores Sodomitarum uixerit, quamuis utiq; uiueret in Sodomis. Sic Colossenses uiuebant quidem in mundo, uerùm non iuxta seculum mundi huius, iuxta quod uixerant antea, cum gentes adhuc essent, & alieni à Christo.

Quid quasi uiuentes in mundo, decretis tenemini, inquit.] Ergo quemadmodũ Christianorũ nõ est, uiuere in mundo, ita illorũ non est, subijci ac teneri decretis. Decretorum autem ac decretalium, quibus subiecti sunt, qui sub Papatu uiuunt, non est numerus. Si uiuunt in mundo, meritò decretis subijciuntur: uerùm sic inter Christianos censendi non sunt. Si non uiuunt in mundo, ad quid quasi uiuentes in mundo tot decretis tenentur? Sic peccant non modò decretorum fabricatores Pontifices, sed & ij qui decretis illorum sese subijciunt.

Ne tetigeris, inquit, *ne gustaris, neq; contrectaris.*] Vulgata Latina editio habet in plurali: Ne tetigeritis, neq; gustaueritis, neq; cõtrectaueritis: cũ in Græco sit, μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς: id est, Ne tangas, neq; gustes, neq; contrectes. Interpres mentem Apostoli non perspexit. Existimauit illum hęc de suo protulisse, per modum prohibendi, cum per mimesim uerba pseudapostolorum de cibis quibusdam non edendis recitet, qui unicuiq; ista inculcabant, non simpliciter dicentes, Ne edas: sed quo uetitos in lege cibos de immundicia infamarent, non modò ne ederentur, sed & ne gustarentur, imò ne extremo quidem digitulo contingerẽtur, hac ingeminatione utebantur, dicentes: Ne tangas, neq; gustes, neq; contrectes. Peruersum hoc illorum magisterium subsannans ipsa decretalia uerba, quibus utebantur μιμητικῶς exprimit, atq; ita μιμητικῇ hac pronunciatione Colossensibus floccifacienda ac deridenda esse monet.

Dices hic: Atqui ubi quod prohibitum est, edere non licet, non est culpabilis diligentia Doctorum, qua prohibetur, non solum ne gustetur, sed & ne tangatur, quod in cibum sumere non licet. Vnde & Adam mandatum Dei de non edendo fructu arboris scientiæ boni & mali sic exposuit & inculcauit Euæ: ut non solum non ederent, sed & ne tangerent quidem
Genesis 3. illum, sicuti patet in uerbis Euæ, quibus serpenti respondit, dicens: De fructu ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comedamus, & ne tangamus illum, ne forte moriamur. Non erat igitur culpanda eorum diligentia, multo minus deridenda, qui hisce uerbis Christianos non solum ab esu, sed & à contactu uetitorum ciborum abstrahebant.

Respondeo: In lege ueteris Testamenti tempore non fuisset hoc genus diligentiæ culpandum: uerùm inter eos qui non erant sub lege, sed sub gratia & libertate Christi, non erat locus legalibus decretis, adeoq; nec isti diligentiæ. Quare non est immeritò per hanc mimesim ab Apostolo irrisa & explosa.

Poterit hic quæri, cum multæ sint species decretorum, quibus tum Ecclesiæ onerabantur, quare post generalem exprobrationem, qua dixit: Quid quasi uiuentes in mundo decretis tenemini, hanc de cibis speciem nominatim subijciat. Verùm ob id hoc fecit, quòd hoc genus decreti plurimum tum negocij faciebat fidelibus, propter

Mosaicæ

Mosaicæ legis zelum, & propter necessarium uictum quo uita nostra sustentatur. deniq; propter singularem astum satanæ, qui ubi Deus dicit, Ne comedas: ibi suadet ut edatur: ubi uerò liberum facit, edere quidlibet, ibi per ministros suos dicit: Ne tangas, ne gustes. Sciebat de cretum hoc satanæ in nouissimis temporibus uehementer prævaliturum, unde & 1. Timo. 4. nominatim de illo prædixit, ubi sic legitur: Spiritus autem certò loquitur, quòd in posterioribus temporibus desciissent quidam à fide, attendêtes spiritibus impostoribus ac doctrinis dæmoniorum per simulationem falsiloquorum cauterio notatam habentium conscientiam, prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abstinere à cibis, quos Deus creauit ad sumendum fidelibus cum gratiarum actione, & ijs qui cognouerunt ueritatem, quòd quicquid creauit Deus, bonum est, si cum gratiatum actione sumatur, &c. Hinc facilè est iudicare de Papisticis illis decretis, quibus singulis ferijs sextis à carnis esu, & per totam Quadragesimam, non à carne tantum, sed & ab ouis, butyro, caseo, & lacte fideles Christi abstinere coguntur, dum interea sacer clericorum ac prælatorum, imò & monachorum ordo à delicatissimis edulijs non abstineat.

Quæ omnia, inquit, *ipso pereunt abusu.*] Ne sola mimesi decreta pseudapostolorum subsannare uideatur, accusat ea de quibusdã uitijs, unde quàm sint reprehẽsibilia monstretur. Primũ est, qd̃ prẽcipiebãt nõnisi de reb. fluxis, caducis & ipso usu pereũtibus. Hoc notãs dicit: Quæ omnia ipso pereũt abusu. Græcè est, ἃ ἐστι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει: i. quæ sunt omnia ad interitũ per usum. Hoc est, quæ tanto serio ne tãgantur, gustẽtur ac cõtrectentur, uetãt: sic sunt omnia cõparata, ut si quis illis utatur, ipso usu absumãtur & intereãt. Hoc dicẽs, significat ea quæ terrena sunt, caduca & ipso usu intereuntia, nõ esse tãti coram Deo momenti, ut de illis præcipi debeat in regno Dei fidelib. (nõ est enim regnũ Dei, esca & potus.) sed præcipiendũ potius esse de reb. spiritualibus, de fide in Christũ, de spe, de dilectione, de patientia, de unitate & cõcordia fraterna, de mãsuetudine, de studio benefaciendi, & quæ alia sunt huiusmodi. At taliũ uel nullã, uel certè modicam rationem habebãt pseudapostoli, quemadmodum & Papistarũ pontifices, quorũ decreta maiori ex parte de rebus perituris præcipiunt, unde nemo melior in conspectu Dei, etiamsi omnia obseruet, reddi potest.

Dixerit hic quisquã: Si omnia quę ipso usu pereũt, nullius sunt in regno Christi faciẽda, ergo frustra docẽtur Christiani cibare esuriẽtes, potare sitientes, & uestire nudos. Sunt enim cibus, potus & uestitus ex ijs reb. quæ usu consumuntur ac pereunt, etiãsi qui omnium iustissimi sunt, illis utantur. Respondeo, Christum in fidelibus illius pauperib. uestire, cibare ac potare, non est opus periturũ, etiamsi cibus, potus ac uestitus ipso usu absumuntur. Charitas enim, unde opus hoc perficitur, fructũ habet æternũ, sicuti uidere est Matth. 25. Multũ interest inter ea quę in superstitionem, & ea quæ in opera Christianæ charitatis insumũtur, etiãsi usu cõsumũtur utraq;. Illic enim nullus est, hic uerò prorsus multus coram Deo respectus.

Iuxta præcepta, inquit, *& doctrinas hominum.*] Secũdum uitium erat in decretis pseudapostolorũ, quod erãt non secundũ Dei, sed secundum hominũ præcepta & doctrinas præsumpta. Atqui habebant pro se legem Dei, quæ disertè inter cibos mundos & immũdos discernit, & immundos tangere gustareq; uetat. Respondeo: Lex illa per Christum cruci erat affixa & abrogata, sic ut ne Iudęos quidem obligaret amplius, nedum gentes, quib. data non fuerat. Finita itaq; illius dispensatione, non possunt ea quæ de cibis & consimilibus alijs obseruationibus præcipit, pro Dei haberi præceptis, quæ authoritate Dei in nouo sint perinde atq; in ueteri Testamento seruanda. Annotat hoc & Chrysostomus ad hunc modum, κἂν τὸν νόμον λέγωσι, λοιπὸν Διδασκαλίαν ἀνθρώπων μετὰ τὸν σταυρὸν. Obsecro si diuinę legis præcepta de rebus perituris cibo & potu præcipientia, non sunt in Ecclesijs Christi noui Testamenti tempore alio habenda loco, quàm pro præceptis ac doctrinis hominũ, ideoq; à fidelibus auersanda: quanto magis decreta illa Pontificũ, quibus de cibis & consimilibus reb. statuitur, hoc sunt nomine fugienda, quòd nihil sunt aliud quàm præcepta & doctrinæ hominum? de quibus & Christus ipse disertè pronunciat, dicens: Frustrà colunt me, docẽtes doctrinas & mãdata hominum. Matthæi 15.

Adiecit hanc particulam Apostolus magno consilio. Nam pseudoapostoli decretis hisce suis autoritatẽ legis Dei prętexebãt, perq; illã conscientias imperitiorum constringebant, & in seruitutem legis pertrahebant. Quare necessarium erat, ut hunc illorum prætextum amputaret, admoneretq;, decreta, quæ de cibis in lege prohibitis proponebant Ecclesijs, hominum esse præcepta & doctrinas, non Dei.

Quæ uerbotenus quidem habent speciem sapientiæ, inquit.] Tertiũ hoc uitium est, quòd loco ueræ sapientiæ, cuius in Ecclesia Christi debet haberi ratio, speciem ac prætextũ habent sapiẽtiæ, unde imperitiores falluntur. Græcè est, ἅ τινά ἐστι λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας. Notum est autem, λόγον sę penumero accipi pro mendacio, & inani prætextu. Hoc prætextu communiter omnia humana decreta colorantur, quòd sint sapienter à uiris pijs ac sapientibus sancita, de quibus nemo cogitare debeat quòd tale quid decreturi fuerint, nisi singulari fuissent sapientiæ consilio permoti. Sciunt impostores, magnam & præclarã semper esse sapientiæ existimationem

usq;

uſq; adeò, ut ubi ſpecies tantum illius prætexitur, in obedientiam trahat imperitorum multitudinem: qui etſi non intelligant ueram ſapientiam, hoc tamen habent, quòd obſequẽdum eſſe ſapientum monitis, conſilijs ac ſtatutis cenſent. nec immeritò. Quid enim utilius eſſe poteſt inſipientibus, quàm ut duci ſe ſinant à ſapientibus, perinde atq; cæcis ut ſequantur ductores oculatos? Quare Chriſtianæ prudentiæ eſt, diſcernere inter ueram ſapientiam & ſpeciem ſapientiæ, ac diligenter cauere, ne ſimulatione illius decipiamur, & à uera ſapientia abducamur.

Quòd ſi legere placet cum Eraſmo, Quæ uerbotenus quidem: intelligẽdum eſt de uerbo, quo decreta ſua pſeudoapoſtoli commendare & extollere ſolent. Vbi aliquid uerbotenus eſſe dicitur, reuera non eſſe ſignificatur. Vulgata Latina editio habet: Quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ. Si ſic legeris, ratio ſapientiæ poſita eſt, pro prętextu rationis ſapientiæ.

Per ſuperſtitionẽ, inquit, *ac humilitatem animi, et læſionẽ corporis.*] In Græco eſt, ἐν ἐθελοθρησκίᾳ, καὶ ταπεινοφροσύνῃ, καὶ ἀφειδίᾳ σώματος: i. In cultu uolũtario, & humilitate animi, & imparcẽtia (ut ſic dicã) corporis. Speciẽ ſapiẽtiæ, quæ præceptis ac doctrinis hominũ prætexitur, ſuis colorib. depingit. Principiò prętexitur illi cultus ac religio Dei. Sanè primariũ eſt hoc in uera pietate, ut colatur Deus. Nemo adeò uecors eſt, q cõtradicat. Sic efficiũt doctores humanorũ decretorũ, ut q illis cõtradicit, cultũ Dei reprobare uideatur: id quod noſtra hac ętate palã experimur, dũ pro uaſtatorib. cultus Dei proclamamur ac damnamur, propterea quòd traditiones, doctrinas & ceremonias humano conſilio Eccleſijs obtruſas, & à uerbo Dei diſſidentes, luce uerbi Dei redarguimus. Verùm conſultò Apoſtolus tribuit illis ἐθελοθρησκίαν, quam rectè uerterunt ſuperſtitionem. Eſt religio humana & propria uoluntate præſumpta, quæ à uera religione differt, quemadmodum differt fumus ab igne. Vera religio pura, Deoq; grata eſt, quæ non ſecundum noſtram uoluntatem, ſed ſecundum uerbi illius præſcriptum colitur. qua de re in Locis noſtris diximus, loco de Cultu Dei. Per ἐθελοθρησκίαν nó colitur Deus, ſed cordium noſtrorum idola deificantur, quod tam eſt gratum Deo quàm fumus oculis noſtris, eſt acceptus. Religio colit, ſuperſtitio uiolat & offendit Deum. Omnis autem inanis cultus ſuperſtitio uocatur. Percurre iam uniuerſum Papatum, & uide, an non omnia illius ſtupendis ſint ſuperſtitionibus referta, quibus Chriſtiana religio coram Iudæis ac Turcis infamis redditur, & patientia Dei mirum in modũ iritatur. Interim perſuaderi ſibi non ſinunt, quàm ſit graue peccatum, humanæ traditioni nomen religionis applicare. Religionem catholicam eſſe uolunt, abſtinere ab eſu carnis ferijs ſextis, uſqueadeò ut cenſeant eum Chriſtianum eſſe non poſſe, qui illis diebus carne ueſcitur, cum non ſit Chriſtiani hominis religionis gratia abullo ciborum genere abſtinere. Notum eſt illud Spiridonis epiſcopi, ad peregrinum, carnibus in Quadrageſima, quòd Chriſtianos eſſet, ueſci detrectãtẽ: Propter hoc ipſum edere debes, inquit, quod Chriſtianus es. Vide Sozom. lib. 1. cap. 11.

Ac humilitatem animi, inquit.] Hic ſecundus color eſt, quo prætexitur humilitatem animi, præceptis maiorum ſeſe ad obediendum ſubmittentis, inſignem eſſe, ac Deo admodum acceptã uirtutem, ideoq; uel illius gratia eſſe ſeruanda maiorum & Eccleſiæ decreta, etiamſi ſint grauia & uehementer incommoda: & econtrariò deteſtabilem eſſe & hæreticam ſuperbiam, nolle ſubeſſe ſuperiorum & Eccleſiæ ſtatutis & decretis. Norunt hypocritæ humilitatis uirtutẽ communi omnium iudicio eſſe inſignem, & piorum omnium exemplis pręclaram: ac rurſus, ſuperbiam uehementer turpem & odioſam. Communi hoc ſenſu ad ſtabiliendum Magiſterium, quod uſurpant in Eccleſijs, ſic abutuntur, ut humilitatem obedientiæ plurimùm commendent, & in cœlum uſq; extollant. Plauſibile uidetur, ſi dicas, Humilitas animi hoc eſt potior, quo eſt ſubmiſſior: quemadmodũ & ſuperbia quo eſt elatior, hoc eſt deteſtabilior. Submiſſior autem & humilitas, qua ſe homo ſubijcit homini, idq; non modò inferior, ſed & æqualis, imò etiam ſuperior iuxta ſeculum, quàm qua ſe ſub potenti manu Dei humiliat: ſicuti maior eſt humilitas, ſi minimo clientulo propter regem, quàm ſi pſius regis perſonæ humiliter obedias. Deinde plus commendationis meretur humilitas, qua à licitis & liberis, quàm qua à Deo ipſo prohibitis obedienter abſtinetur. Ergo humilitas animi, qua ſe Chriſtianus præceptis Eccleſiæ, & ſuperiorum ſubijcit, plus laudis meretur quàm qua Deo obedit.

Huc acceſſit doctrina meritorum, quæ per obedientiam & humilitatem hanc coram Deo acquiri nugantur. Et quoniam nulla impoſtura perpetuò decipit, addiderunt tandem minas excommunicationis, & coactionem oppreſsionemq; obedire præceptis ipſorum detrectantium, atq; ita libertatem iudiciorum ac ſententiarum è medio ſuſtulerunt. Sunt hæc poſtremis hiſce temporibus omnium manifeſtiſsima, in quibus hypocriſi & impoſturæ Eccleſiaſticorum incorrigibilis ſucceſsit impudentia, & manifeſta tyrannis.

Quòd ſiquis particulam hanc de humilitate, qua ipſi Deo obediatur, uel hypocritæ obedire ſe illi ſimulent, intelligendam eſſe cenſent, per me licet ſic illã accipiat. Hunc tamen ſenſum quem annotaui, & uerum & ad cauſam hanc pertinentem eſſe iudico.

Et læſionem

Et laſionem corporis, inquit.] Græcè eſt, καὶ ἀφειδίᾳ σώματος. Sonat ἀφειδία imparcentiã, ut ita dicam, & accipitur pro rigore, quo non parcitur, ſed crudeliter agitur cum quopiam. Tertius hic color eſt, æquè ſpectabilis, atque duo præcedentes. Prætexũt noxiam & turpem eſſe mol liciem, qua carni indulgentur quę illi adlubeſcunt, & nihil inferũt quod ſit graue & moleſtũ: contrà, laudabilem & utilem eſſe ſeueritatem, qua libido illius refrenetur. Ad hanc autem facere plurimùm, ſi nõ ad quidlibet noſtro ipſorum feramur arbitrio, ſed maiorũ decretis per omnia ſubijciamur, meminerimusq́; ſi quid acerbi faciendum ferendum'ue ſit, eſſe id ad hoc impoſitum, ut caro noſtra humilietur & coerceatur. Sunt hæc in ſpeciem probabilia: uerùm in eo dolus eſt, quòd non manent in obedientia præceptis Dei pręſtanda, ſed trãsferunt hęc omnia ad præcepta & doctrinas hominum, quo magiſterium ſuum confirment.

Sunt autem in huius quoque coloris prætextu inferendi errores. nam primò, quòd culpabile eſt, pro uirtute uenditatur. Culpabilis eſt hæc ἀφειδία qua corpori non parcitur, ubi illi uel naturæ debito parcendum eſt. Crudele eſt, imponere onus aſino, & addere uirgam: interim uerò ſufficientem illi negare cibum, quo opus habet, ut labores perferre, imò uiuere poſſit. Eſt quidem hæc aſini conditio, ut onera portet, & quo id ſtrenuè faciat, adhibita uirga cogatur: uerùm ipſa hoc requirit æquitas, & naturæ neceſsitas, ut ſufficiens illi cibus non negetur. Cibi, inquit ille, uirga, & onus, aſino. Obſecro, an non inhumanum eſt, iniquum & crudele, negare hominem ſuoipſius corpori: quòd ſi æquitatis rationem habere uelit, non poteſt ſuo negare aſino? Quis nam adeò demens eſt, ut in tam manifeſta crudelitate uirtutis prętextum recipiat? Sic tamen olim in monaſtica ſeueritate obtinuiſſe legitur, ut quo maiore quis corporis ſui ἀφειδίᾳ uteretur, hoc perfectior in uirtute fortitudinis ac tolerantiæ haberetur. Hinc factum eſt, ut ea quæ conſtituta erant excedentes, biduum ac triduum ieiunarent, imò nonnulli ieiunium ultra quintum diem extenderent. Inuenti ſunt, qui ſeipſos ſeparatim domicilijs anguſtiſsimis includerent, quæ tam erant arcta, ut neq; corpora ſua erigere, neq; libere iacere poſſent. Alij, uiri & mulieres, in unum ueluti gregem coniuncti, ardentiſsimę ſeſe ſolitudini committebant, ac nudis corporibus immenſum pariter frigus & æſtus feruorem ferentes, calorem & algorem ex æquo contemnebant, humanamq́; eſcam prorſus recuſabant: atq; ita beſtijs ſimiles reddebantur, ſic ut & mens & aſpectus ipſorum ab humana mente pariter & forma diſsiderent. Hoc pacto ἀφειδία hæc leges ſuas naturę contrarias opponebat, atq; ita homines reddebat non uitijs tantum, ſed & ipſi naturæ inimicos. Tales erant etiam monachi illi, quos uocarunt ἀκοιμήτους: id eſt, Inſomnes, qui ſe cum primis ſpirituales eſſe exiſtimabant, ſi nihil dormirent, ſed omnem corporis quę per ſomnum eſt, recreationem excluderẽt. Siquis de inſana huiuſmodi ἀφειδίᾳ legere cupit, Vitas patrum inſpiciat.

Deinde ſecundus error eſt, quod hac ἀφειδίᾳ Deus ipſe delectari putetur, quaſi ſimilis ſit dijs gentium, quibus perplacet huiuſmodi crudelitas, qua corpora humana fœdantur & perduntur. Nota eſt hiſtoria prophetarum Baal & lucorum, qui ſe inter ſacrificandum cultris & lanceolis iuxta ritum ſuum incidebant, donec ſanguine perfunderentur. uide 1. Reg. cap. 18. Sic non Deo, ſed diabolo humanę naturæ inimico ſacrificatur. id quod Hiſpani flagellatores Auguſtæ in comitijs anno 1548. cum publica pompa & oſtentatione faciebant.

Tertius error eſt, quo imperitiores ἀφειδίας huius conſideratione perculſi ſaluos ſe fieri poſſe deſperant, ſiquidem ſalus alia ratione acquiri nequeat.

Hi tamen errores non multum habent loci noſtris hiſce temporibus, in quibus Doctores quiduis de auſteritate uitæ & coercenda carne dicant, delicijs uacant & Bacchanalia uiuunt: & plebs ipſa ubi audiuit, non morari Deum hanc ſeueritatem uitæ, Chriſtianiſmum cum Epicuriſmo commutare cœpit. Chriſtianus, qui ſyncera fide Deum in Chriſto filio ipſius colit, ueraciter humilis ſupra neminem extollitur, nec corpori ſuo ad uoluptates carnis indulget: interea tamen obedientiam quam præceptis Dei debet, non impendit præceptis hominum: neq; neceſſarium corpori ſuo cibum denegat, ſed uictum & amictum illi, quo ſubſiſtere poſſit, tanquam naturæ debitum per conſcientiam Dei impertit, ac ſimul illud ſic caſtigat, ut ad ueram pietatem paratum habere queat.

Non per honorem aliquem, inquit, *ad expletionem carnis*.] Græcè eſt, οὐκ ἐν τιμῇ τινι πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκὸς: i. Non in honore aliquo, ad expletionem carnis. Exponit quod dixit, καὶ ἀφειδίᾳ σώματος. Parcit corpori, qui non aufert illi neceſſariam alimoniam, ſciens illud durare non poſſe, ſi ea deſtituatur. Honorem autem uocat, ſi hęc illi impertiatur. Et quoniam hic honor corpori debetur, culpat ſpeciem ſapientię, per quam pſeudapoſtoli corpora docebãt non eſſe honoranda, ſed magis per ἀφειδίαν dehoneſtanda ac perdenda.

Obſeruandum eſt hoc loco, quòd corpori humano aſsignat φειδίαν & τιμὴν, φειδίαν, qua ut infirmo ac fragili parcatur, ne per neceſſarij uictus ſubtractionẽ deſtruatur. Parcimus inferioribus, ſubiectis ac fragilibus: ijs uerò, qui ſuperiores ſunt, domini ac potentes nõ parcere, ſed gratificari & obſequi dicimur. Corpora noſtra inferiora ſunt, fragilia, & noſtræ poteſtati ſubiecta. Quare ipſa illorum conditio requirit, ut ipſis parcamus.

In eo uerò quòd cũ ἀφειδίᾳ cõiungit τιμὴν, admonemur nõ debere corpora noſtra, propterea

quòd inferiora sunt, subiecta & fragilia, contemni ac dehonestari. Licet enim sint cinis, ac puluis, mortalia & corruptibilia: organa tamen sunt & habitacula spirituum nostrorum, singulaq; dignatione Dei, ad futuram gloriam condita. Sine illis non fuissemus facti homines, sine illis nó sumus integri & absoluti, nec in futuro seculo sine illis perpetua felicitate fruemur: ut taceã, quòd in hac præsenti uita templa sunt spiritussancti. Sic igitur illa honoremus, ut quo sunt fragiliora, hoc minus illis quæ necessaria sunt denegemus. Insignis contemptus est pauperis, si egenti ac petenti subsidium negaueris: consimili modo insignis dehonestatio est corporum nostrorum, si egestati illorum succurrere, siue per superstitionem, siue per nimium rigorem detrectauerimus.

Quid est autem quòd non simpliciter dicit: Non in honore: sed, Non in honore aliquo? Significat, non esse leuem quandam ἀφειδίαν, de qua loquitur, sed tam immanem, ut nullum prorsus honorem corporibus permittat. Quod enim dicit, Non in honore aliquo: nihil est aliud, quàm, in nullo honore, ut excessum uitij huius exprimat. Cum peccato quidem sic est agendum ἀφειδῶς, ut nihil illi prorsus indulgeatur: uerùm cum corporibus nostris longè est agendum aliter. Illa honoranda sunt modis competentibus ac necessarijs.

Ad expletionem carnis, inquit.] Sonat quidem πλησμονὴ adimpletionem, uerùm non est hic posita de crapula & ingurgitatione, quæ propter excessum uitiosa est & culpabilis, ac præterea noxia corporibus, & ad turpitudinem illorum magis quàm ad honorem faciens: sed de sufficienti satietate, quam destinauit nobis Deus. Satietas est necessaria, qua quæ in corporibus nostris recreationem requirunt, competenti plenitudine recreẽtur. Opponitur illi inanitio, qua uires nostræ debilitantur, ac tandẽ perduntur. In hac πλησμονὴ nihil est uitij, donec in termino sufficientiæ ac satietatis permanserit. Edit homo pius, ac bibit quantum satis est, ac sufficienter uestitur, sine ullo uitio. Hac in re nec offenditur Deus qui nos omnes alit non parcè, sed opulentè: nec in ipsam naturam peccatur, quæ non læditur satietate, sed uel excessu uel defectu. Hæc obiter attingere uolui, non ut patrocinemur Epicuræis, sed ut consulamus scrupulosis conscientijs.

Carnis, inquit.] Alibi uetat ne curam impendamus carni, uerùm quoniã addit, Ad concupiscẽtias illius: satis significat, eo se loco loqui nõ de corpore carnis nostræ, sed de illius corruptione, quam frequenter carnem uocat. Sed hac de re alibi annotauimus. Hic uerò per carnẽ totum corpus, ut est à Deo conditum intelligit, cui debetur cibus & amictus, quo nutriatur ac foueatur. Hisce illud priuare, crudele est & inhumanũ. Vbi hoc illi per ἀφειδίαν cõtingit, admonemur quàm sit φιλοφρονία uel hoc nomine detestabilis, quòd ex hominib. propriè naturę hostes reddit. Naturæ ductu sic sumus comparati omnes, ut nemo carnẽ suam odio habeat, sed enutriat eam, ac foueat. Ephes. capite quinto, communem hunc naturæ ductum, omnibus à Deo naturaliter inditum φιλοφρονίαν per ἀφειδίαν decreta & studia in immanem crudelitatem peruertit.

CAPVT TERTIVM.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Hortatur Apostolus Colossenses hoc tertio Capite, ut cœlestia quærant, membra terrestra mortificent, secundum charitatem ambulent, sermonem Christi inter se retineant, Psalmis Domino cantent, omniaq; in nomine Christi faciant, ac Deo gratias agant. Sub ista instruit uxores, uiros, filios, patres & seruos, quomodo se gerere debeant.

ITaque si resurrexistis unà cum Christo, superna quærite, ubi Christus est, ad dexteram Dei sedens: superna curate, non terrestria. Siquidem emortui estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in Deo. Quandocunq; Christus manifestatus fuerit, uita nostra, tunc & uos cum illo manifestabimini in gloria.

Adhortationis huius propositio est: Superna quærite & curate, non terrestria. Hanc primùm infert ex præcedentibus, deinde rationibus cum ex gratia, qua potiti fuerant, tum ex futura felicitate sumptis commendat. Infert eam ex ijs quę Capite præcedenti præmisit, dicens: Per quem & circumcisi estis circumcisione quæ fit sine manibus, dum exuistis corpus peccatorum carnis per circuncisionem Christi, consepulti simul cum illo per baptismum, in quo simul etiam cum illo resurrexistis per fidem operationis Dei, qui excitauit illum ex mortuis, &c. in quibus uerbis & Christum à Deo patre ex mortuis excitatum esse, & Colossenses unà cum illo resurrexisse dixit. Eò respiciens infert, ac dicit: Itaq; si resurrexistis unà cũ Christo, quemadmodum antea diximus, quærite iam & curate non amplius ea quæ sunt super terram, sed quæ sunt in supernis, ubi Christus est, &c.

Itaque si resurrexistis unà cum Christo.] Non uocat in dubium quod antea affirmauit, cum dicit: Si resur-

Si resurrexistis: sed ex eo quod facere debeant collecturus, ad hunc modũ loquitur. Nos admonemur, ut consimili modo ex certis fidei nostræ articulis ea colligamus & inferamus, quę cùm sperãda nobis, tum facienda sunt. Si Deus pater noster est, sumus illius filij, debemusq; ab eo cum fiducia filiorum, & summa reuerentia unicè pendere. Item, Si sumus filij Dei, debemus igitur tanquam fratres alius alium fraterna dilectione complecti. Pater noster cœlos inhabitat. Itaq; si patria nostra non in terris est, sed in cœlis: debemus quærere non terrena, sed cœlestia. Ad hunc modum omnia quæ nos concernunt tanquam Christianos, ex fidei nostrę articulis, irrefragabiliter inferri possunt. Quomodo autem intelligendum sit, quòd eos una cum Christo resurrexisse dicit, suprà cap. præcedenti dictum est.

Superna quærite, inquit: *item, Superna curate, non terrestria.*] Alludit ad exemplum Christi, è mortuis excitati. Ille cũ ex mortuis resurrexisset, non hæsit in rebus terrenis, nec diu substitit in hoc mundo: sed iuxta qualitatem uitę quam resurgendo acceperat, ad superna contendit, & ad dexteram patris consedit. Sic & uos (inquit) si cum Christo resurrexistis, ne quæratis terrestria, ne curate quæ huius sunt mundi ac terrenæ uitæ: sed quærite & curate cum illo superna. Hoc dicens, non prohibet usum rerum terrenarum, qui sit necessarius, sed studium, curam & sollicitudinem: id quod satis iudicat, cum uerbis quærendi & curandi utens, nõ dicit, Ne usurpate terrestria: sed, Quęrite & curate superna, non terrestria. Et Christus usus est reb. terrenis post resurrectionem: uerùm neq; quæsiuit, neq; curauit illas. Quærere & curare terrena, est in corde illis affici, illa plurimi facere, felicitatem in illa collocare, atq; ita declarare, quòd terreni adhuc simus, non cœlestes: qui affectus esse non possunt eorũ, qui unà cũ Christo resurrexerũt. Quærere, est quibuscunq; queas rationibus & modis contendere, ut quod corde appetis, reipsa consequaris: φρονεῖν uerò est appetitu rei alicuius in animo affici, illamq; plurimi facere. Prius hoc est, unde studium quęrendi sequitur. Quod autem postquam dixit, Quærite, subiungit φρονεῖτε: perinde est ac si dicat, Nõ modò non quærite terrena, sed & ne φρονεῖτε quidem: quærite uerò, imò & φρονεῖτε superna. Pulchrè uerò duo hæc uerba causę quam agit accommodauit. Sunt enim qualitati illius cõuenientia. Nam res supernas, donec in hac uita sumus, possidere non possumus: sed φρονεῖν duntaxat, & quærere.

Vbi Christus est, inquit, *ad dexteram Dei sedens.*] Particulã hanc rationis loco posuit, unde intelligerent, quærẽda esse sibi superna. Caput nostrum Christus est, cuius nos corporis membra sumus. Non debent separari membra à capite. Non est autem ille in terris secundum hominem: sed ascendit ad superna, in ipsum cœlum. Si mansisset in terris, meritò quę super terram sunt quærerent illius membra: cum uerò relictis terris ascenderit ad superna, iam non conuenit illis, ut quærant ea quæ sunt super terram, sed ut aspirent ad superna. In supernis cum illo corporaliter ac reipsa esse nondum possumus, donec in carne hac uiuimus: reliquum igitur est, ut corde, affectu & studio spiritualis uitæ conuersemur cum illo in cœlestibus. Hoc sentiens, dicit: Superna quęrite, ubi Christus est. Et hinc est quòd Ecclesia monetur, ut corda sursum erigat: & illa disertè respondet, Habemus ad Dominum. Agnoscit enim πολίτευμα suũ nõ in terris, sed in cœlis esse: ibiq; corda fidelium esse debere, ubi Christus Dominus est.

Vbi Christus est, inquit.] Vbi est Christus? τὰ ἄνω, inquit: i. Quæ sursum sunt, quærite ubi Christus est. Ergo ἐν τοῖς ἄνω, i. In ijs quæ sursum sunt, est Christus. Manifestũ est autem, quòd τὰ ἄνω opponat ijs quæ sunt ἐπὶ τῆς γῆς, i. Super terram, cum subiũgit: Quæ sursum sunt curate, nõ quę super terram. Quare quærenda nobis sunt superna? Quia Christus sursum est. Quare non ea quæ sunt super terram? Quia non est Christus super terram.

Ergo Christus quoniam in cœlo est, non potest esse super terram? Hoc non dicimus. Aliàs quomodo esset in medio eorum qui super terram in nomine ipsius congregantur, qui super terram esse non posset? Sciendum igitur est, esse Christum secũdum diuinitatem suam ubiq;, in cœlo & in terra, & implere omnia. De hac non loquitur Apostolus. Deinde spiritu & operatione gratiæ suæ esse in cordibus fidelium. Tertiò, uerbo gratiæ suæ esse in ministerio Euangelij, & Ecclesiæ suæ. Quartò, per mysteria gratiæ mortisq; suæ rememorationem esse in signis Sacramentalibus. Quintò, corpore suo secundum humanitatem esse sursum in cœlis. Sic idem Christus diuersis respectibus ubiq; est in cœlo & in terra, & non ubiq;, sed in cœlo & non super terram: & in cordibus fideliũ, & in ministerio Euangelij, & in signis Sacramentalibus.

Cum sit ergo Christus non in cœlo tantum, sed & in terris, idq; diuinitate sua, & operatione spiritus, & uerbo, & signis sacramentalibus: quid est quòd Apostolus eum in supernis esse dicit, eoq; nos mittit, ut quęramus ea quæ sunt illic?

Respondeo: Quemadmodũ multum discriminis est inter modos, quibus alicubi est Christus: ita & plurimùm differũt duo illa loca, cœlum & terra, in quorũ altero ipse, altero nos sumus. In cœlo est Christus corporaliter ac personaliter, perinde atque primogenitus regis ac dominus regni in regia sua, in qua degit, & Maiestate sua ac gloria conspicuus existit. In terris est iam post ascensionem non corporaliter, sed cùm per diuinitatem, tum per dispensa-

tionem, non ut in illis, tanquam maiestati suæ conuenientibus, perpetuò sit futurus: sed ut ad tempus fidelibus suis adhuc in mundo conuersantibus succurrat, indeque illos ad cœlestia subuehat, ut sint ubi ipse est. Quare non immeritò dicit Apostolus, esse illum in supernis: nosque monet, ut quæramus non quæ sunt super terram, in qua manentem ciuitatem non habemus: sed quæ sunt in supernis, quo cordibus nostris cum Christo agamus, donec & spiritu & corpore cum illo in cœlestibus esse queamus. Quemadmodum igitur ille in supernis est corpore, spiritu uerò nobiscum in terris: ita simus & nos cum illo in supernis spiritu, corpore in terris.

Ad dexteram Dei sedens, inquit.] Si roges, quid faciat Christus in cœlis? mox audis, Sedet ad dexteram Dei. Atqui dexteram Deus nō habet, ut homo, quemadmodum nec sinistram. Est enim incorporeus, utpote spiritus, Ioan. 4. Quomodo igitur sedet ad dexterā Dei Christus? Hac de re diximus in Commētarijs nostris super Psalmos Dauidis, Psalmo 110. & Matth. 22. & Ephes. 1.

Non est autem ut philosophetur quisquam de eo quò in Græco est ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ, i. In dextera Dei. Vsus est Apostolus hac loquutione & ad Rom. cap. 8. & Ephes. 1. & Ebr. 1. 8. 10, & 12. & apostolus Petrus, 1. Petr. 3. & Euangelicæ literæ idem significantes dicunt ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ, i. à dextris Dei. Vide Matth. 22. 26, Marci 16. Lucæ 22. Nihil aliud est sedere Christū in dextera, uel à dextris, quàm ad dexteram Dei.

Deinde, quod uerbū Sedēdi attinet, non est ut cogitemus sedere Christū in cœlis ad dexteram Dei corporali sessione. Dominus est, rex & iudex omnium, tāquam primogenitus Dei, ideoq; ad dexteram potentiæ Dei, Matth. 26. & Lucæ 22. Maiestatis Dei, Ebr. 1. Throni maiestatis Dei, Ebr. 8. Super omnem principatum, potestatem, potentiam & dominatum, Eph. 1. sedere dicitur. Hic non est disputandum de dextera Dei, esse illam ubiq;: & idcirco Christū ad dexteram Dei sedentē corporaliter, sedere ubiq;. Non cogitauit hac de re Apostolus, sed ut gloriā Christi supra omnes principatus ac potestates angelorū extolleret, de quibus pseudapostoli, quo Christum obscurarent, magnificè disserebant, cum dixisset, Vbi Christus est: ne illi mox regererent, & angelos esse in supernis: mox adiecit, Sedens ad dexteram Dei. hoc est, Regnum habens, potestatem & iudicium super omnia, quod de nullis angelis prædicari potest. Idem agens Ebr. 1. Ad quem autem, inquit, angelorum dixit unquam: Sede à dextris meis, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt administratorij spiritus, qui in ministerium emittuntur propter eos qui hæredes erunt salutis? Eodem & Petrus in priore Epistola cap. 3, respexit, dicens: Qui est ad dexteram Dei profectus in cœlum, subiectis sibi angelis & potestatibus ac uirtutibus.

Actorum 7. in historia Stephani sic legimus: Cum autem esset plenus Spiritu sancto, intentis in cœlum oculis uidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei. Et ait: Ecce uideo cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei. Ergo Christus non modò sedet, sed & stat à dextris Dei. Stare ante faciem Regis, est illius esse ministrum. Sic stare ante Deum, est ministrare Deo, in sacris Scripturis. At Christus non est simpliciter ante faciem Dei, sed à dextris illius stare uisus. Significatur hac loquutione, esse illum in cœlestibus non solum iudicem omnium, sed & defensorem Ecclesiæ suæ. Sedet ad iudicandum, & stat ad protegendum eos qui in se credunt.

Superna curate, inquit, *non terrestria*.] Per terrestria intelligunt nonnulli, neq; bona terrena, neq; uitia quibus dediti sunt homines terreni: sed decreta illa, quibus de non edendis escis in lege prohibitis præcipiebatur. Respiciunt illi ad præcedentia, ubi dixit: Itaque si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi uiuentes in mundo decretis teneminī? Ne tetigeris, ne gustaris, &c. Verùm propter sequentia existimo simplicius esse, ut in genere de omnibus terrenis intelligamus.

Siquidem emortui estis, inquit, *& uita uestra abscondita est cum Christo in Deo*.] Suprà Capite præcedenti dixit: Itaque si demortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi uiuentes in mundo, &c. Eò iam respicit dicens: Estis enim demortui. Græcè rursus est ἀπεθάνετε, de quo uerbo suprà diximus: & quid sit demortuum esse cum Christo, exposuimus. Euidenti ratione comprobat, non esse nobis curanda quæ sunt in terra, cum dicit, Estis enim demortui: intellige, ab hoc mundo, quemadmodum & comprobat quòd superna quærere debeamus, ex eo quòd unà cum Christo resurreximus. Sicuti per resurrectionem ad cœlestem uitam renascimur: ita per mortem, qua mundo sumus mortui, à studio eorum quæ sunt super terram abalienamur.

Comprobemur hac nota, quales simus Christiani. Si terrena quærimus & curamus manifestum est nec mortuos nos esse mundo, nec resurrexisse unà cum Christo: sed adhuc esse & uiuere in peccatis & concupiscentijs carnis, homines mundanos, & nihil minus quàm ueros Christianos.

Et uita uestra, inquit, *abscondita est cum Christo in Deo.*] Quoniam Capite præcedenti dixit, In quo simul etiam cum illo resurrexistis, & initio præsentis, Itaque si resurrexistis unà cum illo: quæri poterat, quomodo eos dicat esse mortuos, quos paulò antea resurrexisse dixit. Videtur enim hæc duo, Resurrexisse à mortuis, & Esse mortuum, esse inter se contraria, ut simul in eodem homine stare nequeant, sed alterum ab altero tollatur. Etenim qui mortuus adhuc est, nondum resurrexisse: & qui resurrexit, non amplius mortuus esse dici potest. Hoc cogitari posse intelligens, mox atque dixit; Mortui enim estis: subiecit, Et uita uestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum dicit, Mortui enim estis: sic eos resurrexisse cum Christo significat, ut tamen interim aliquo sint adhuc pacto mortui. Cum addit, Et uita uestra abscondita est: monet sic eos esse mortuos, ut nihilominus adhuc uiuant. Non dicit, Et uita uestra extincta est, quæ omnino est conditio mortuorum: sed, Et uita uestra abscondita est, id quod est uiuentium. Quatenus igitur resurrexerant cum Christo, hactenus & uitam Christi uiuebant: & quatenus abscondita erat hæc illorum uita, hactenus erant mundo huic mortui, à cuius oculis ac sensibus abscondita erat ipsorum uita.

De uita uiuentium iudicare non potest hic mundus, nisi eorum qui secundum carnem uiuunt, quorum uitam ob oculos habere potest: de fidelium uerò uita, qua in conspectu Dei à morte & condemnatione peccati liberati, uerè felices in fide ac spe uiuunt, nihilo plus iudicare potest, quàm de uita eorum qui secundum carnem sunt mortui, qui tamen & ipsi Deo uiuunt. Non enim est Deus mortuorum, sed uiuentium. Nam omnes illi uiuunt. Lucæ 20. Existimant namq; de illis qui carne moriuntur, nihil superesse amplius, quàm putre cadauer.

Non dicit autem simpliciter, Et uita uestra abscondita est: sed addit, Cum Christo in Deo. Quomodo cum Christo? & quomodo in Deo? Cum Christo, quatenus ille uita nostra est, sicut & dicit: Quandocunque Christus manifestatus fuerit uita nostra, & quatenus ipse quoq; est à mundo absconditus. Mundus enim eum non cognoscit, quia non cognoscit Deum, qui misit illum. Sic in Deo, qui Deus est absconditus & ignotus mundo, unà cum Christo abscondita est fidelium uita.

Dixerit aliquis: At 1. Iohan. 1. sic legimus: Et uita manifestata est, & uidimus & testificamur, & annunciamus uobis uitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. Cum hæc omnino de Christo dicantur ab Apostolo, quomodo absconditus est in Deo, si manifestatus est Apostolis? Deinde, cum ut eodem Capite legitur, lux sit Deus, & nullæ sint in eo tenebræ, quomodo abscondita est in eo uita nostra cum Christo? Etenim in luce quid potest esse absconditum? In tenebris quidem multa possunt abscondi, in luce uerò nihil.

Respondeo: Manifestatus quidem est Christus uita nostra, & apparuit in carne. uerùm non nisi Apostolis & reliquis fidelibus: mundo uerò hoc, hoc est, incredulis, nequaquam. Deinde lux quidem est Deus, nec sunt in eo tenebræ ullæ: at interim aliud est, in se, & aliud, in oculis aliorum esse obscurum quid & absconditum. Deus in seipso lux est, lux est & Christus illius unigenitus: uerùm sic est occæcatus hic mundus, & amans tenebrarum, ut lucem uidere nequeat. Vide Iohann. capite tertio. Consimili modo & de luce Euangelij loquitur Apostolus secunda Epistola Corinthiorum, capite 4, dicens: Quòd si adhuc uelatum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt uelatum est, in quibus deus huius seculi excæcauit sensus incredulorum, ne illucescat illis lumen Euangelij glorię Christi, qui est imago Dei, &c.

Quandocunq; Christus manifestatus fuerit, inquit, *uita nostra, tunc & uos cum illo manifestabimini in gloria.*] Promittit hisce uerbis manifestationem & gloriam Christi suo tempore futuram, in qua & ipsi Colossenses, tanquam Christo insiti, manifesti ac glorioſi sint futuri. Et hac promissione solatur illorum animos, & confirmat aduersus omnis generis tentationes. Carni namque uehementer acerbum est, si obnoxia sit contemptui, habeaturque pro mortua, despicabili ac perdita, cuius spes nihil sit aliud, quàm inane dementati cordis somnium. Hic admodum necessaria est ista persuasio, per quam certi simus, consequutos nos esse in Christo ueram uitam: quæ licet sit ab oculis mundi abscondita, absc̄dita tamen sit in ipso Deo, idque unà cum Christo, ac tandem cum illo manifesta futura, sempiternamq; gloriam habitura. Vita ramorum unà cum fructibus abscondita est in arbore, in qua tota latet hyeme usque ad æstatem: tandem uerò ubi manifestatur arboris uiriditas, fertilitas & fructus, tunc & ramorum uita manifestatur. Et hac de re, quoniam quotannis monstratur ab oculos, nemo est qui addubitet. Quanto magis dubitandum non est de uita fidelium, membrorum ac palmitum Christi, quæ nō est in arbore aliqua, sed in ipso Deo, qui fallere non potest abscondita, ac tandem manifestanda?

Quandocunque, inquit, *Christus manifestatus fuerit.*] Obiter cogitandum hic est, duplicem esse

manifestationem Christi. Vnam, quæ facta est, & fit etiamnum, per Euangelij prædicationẽ. Ad hanc accessit operatio signorum & prodigiorum de unigenito Dei testificantium. Huc pertinet illud, 1. Timoth. 3. Deus manifestatus est in carne. Et illud. 1. Ioan. 1. quod supra citauimus: Vita manifestata est, & uidimus, & testificamur, & annunciamus uobis uitam æternam, &c. Hæc manifestatio obscurata est in Papatu, & Maometismo per falsam doctrinam, superstitiones, eidolomanias, ἀνθρωπολατρείας, ac traditiones hominum. Alteram, quæ futura est in fine mundi, per quam gloriosus apparebit unigenitus Dei, Dominus ac Iudex omnium, ac sempiternus suorum seruator. De hac loquitur hoc loco Apostolus.

Obserua uerò, quòd non simpliciter dicit, ὅτε, quando, sed, ὅτ' ἄν, i. quandocunque Christus manifestatus fuerit, quòd haudquaquam ociosè dictum est. Seruit enim nobis contra curiositatem, ne inquiramus in tempus manifestationis huius, quod est soli Deo cognitũ: sed certò futurum credamus, quandocunque tandem sit futurum. Caro mallet hanc manifestationem & gloriam fieri, donec adhuc in hac est præsenti uita constituta, ne in ignominia & ob-
1. Tim. ult. scuritate ex hoc seculo migrare cogatur. Verùm monemur hic ab Apostolo, ne dubitemus illam omnino uenturam, inque illa nos quoque fore cum Christo manifestos ac glorioſos futuros: quandocunque tandem ille manifestabitur, siue dum sumus adhuc in corpore, siue extra corpus in morte constituti. Suis temporibus manifestabit filium suum Deus, mundoque ostendet. tum neque mors, neque corruptio impedire poterunt, ne unà cum illo manifestemur & ipsi.

Vita nostra, inquit. Appositoriè uocat Christum uitam nostram. Non simpliciter dicit, Quãdocunq; manifestatus fuerit Christus uiuus: uel, Qui uiuit: sed, Vita nostra, i. qui uita nostra est. Neque enim hoc tantum agit, ut asserat Christum uiuere in supernis, qui crucifixus ac mortuus fuit in terris: sed in eo potius est, ut animos nostros erigat in spem uitæ ac gloriæ, quam ex illo habemus. Hoc consilio dicit eum esse nostram uitam, & tandem non illum modò, sed & nos cum eo manifestandos esse in gloria.

Quomodo autem uita nostra sit Christus, dictum est alibi. uide Commentarios nostros in Ioan. cap. 14. ibi. Ego sum uia, ueritas & uita. Vita nostra est, quia nos in illo, perinde atq; palmites in uite, & per illum uiuimus, sicuti corpora nostra ex pane uiuunt, unde & panẽ se uitæ uocat, Ioan. 6. Non est uerò ociosum, quòd cum dicendum uideretur, uita uestra, sicut & Vulgat. Lat. editio habet: dicit, Vita nostra, ut est in Græco. Non solum Gentium uita Christus est, sed & Iudæorũ, quantũuis illi πρωτεῖα uidentur iusticiæ habere prærogatiuã: atq; ita rectè dicit, Vita nostra, quo significet nos omnes non Gentes modò, sed & Iudæos uiuere nõ posse nisi per unum Christum. Haud tamen dissimularim, Chrysostomum legere ὁ ζωὴ ὑμῶν, i. Vita uestra, & sic quoque exponere.

Tunc & uos cum illo, inquit, *manifestabimini in gloria.*] An' non manifestum erat, qui'nam & quales essent, Christiani uidelicet, quod fidei professionẽ: & homines, quod naturã: deniq; Phryges, quod nationẽ attinet. Quid igitur est, quòd de futura aliqua illorum manifestatione loquitur, dicens: Tunc & uos cum illo manifestabimini in gloria? Respondeo: Christiani hominis manifestatio neq; in eo est, quid sit natura, neq; in eo quis sit natione: sed in eo quis & qualis sit religione. Religione autem manifestè quidem Christianus est, & pro Christiano etiam à filijs huius seculi habetur. Neq; enim fidẽ suã dissimulat in hoc mundo: uerùm qualis sit coram Deo, qualisq; tandem in omnium sit oculis apparitus, id demũ ad finẽ usq; mundi manet à mundo absconditũ. Sunt Christiani filij Dei, at nondũ apparet esse eos tales. Sic 1. Ioan. 3. legimus. Videte qualem charitatẽ dederit nobis pater, ut filij Dei nominemur. Propter hoc mundus non nouit uos, quia non nouit eum. Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit id quod futuri sumus. Scimus autem, quòd si apparuerit, similes ei erimus, &c. Cum Christo regnabunt, tanquam hæredes Dei, & cohæredes Christi. Verùm id est absconditũ, ac in fine mundi demũ manifestabitur. Huc pertinet quod Rom. 8. dicit. Spiritus testatur unà cũ spiritu nostro, quòd sumꝰ filij Dei. Quòd si filij, igitur & hæredes. Hæredes quidẽ Dei, cohæredes aũt Christi. Siquidẽ simul cũ eo patimur, ut & unà cũ illo glorificemur. Nã reputo, nõ esse pares afflictiones præsentis tẽporis ad gloriã quæ reuelabitur erga nos. Etenim solicita creaturę expectatio reuelationẽ filiorũ Dei expectat, &c. Ante hãc reuelationẽ nõ manifestabimur. Quare dũ sumus in hoc mũdo, summa cũ patientia ferẽda est crucis & afflictionũ caligo, qua sic obscuramur, ut nihil minus quàm quod uerè sumus esse uideamur, præsertim ubi à falsis fratrib. hæreseos dãnamur, & satanę ab Antichristo deuouemur. Has tenebras oportet nos infracta spe superare, donec tẽpus manifestationis aduenerit, in quo & Christus ipse, & nos cũ illo manifestabimur in gloria: & impij quoq;, qui in hac uita tantũ nõ adorãtur, unà cũ satana, principe mũdi manifestabũtur, uerùm nẽ in gloria, sed in summa & horribili confusione ac tremore. Vidẽtes enim subitã illã rerũ omniũ mutationẽ, turbabũtur timore horribili, & mirabũtur intra se gemẽtes, præ angustia spiritus, ac pœnitudine correpti, dicẽt: Ecce hi sũt quos aliquãdo habuimus derisui. Nos insensati uitã illorũ existimabamus esse merã insaniã, & finẽ illorũ sine honore. Ecce quomodo cõputati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum

illorũ eſt,&c. Vide Sap.5.in ea manifeſtatione uidebimus eos qui iá pro catholiciſsimis habentur,duci cum ſatana in gehennam:eos uerò qui ab illis pro hęreticis proclamantur & trucidãtur, cum Chriſto in gloria coniungi & ſempiterna felicitate beari.

In gloria,inquit.] Quemadmodum Ebræis בכבודה idem nonnunquam eſt, quod, Cum gloria:ita & ἐν δόξῃ hoc loco accipi poteſt,pro, Cum gloria. Sumitur autem gloria aliquando pro honore ac laudẽ,aliquando pro maieſtate,ſplendore, opulentia & potentia. Et hoc loco referri poteſt ad maieſtatem,ſplendorem ac potentiam cœleſtem,cum qua de cœlo Chriſtus in fine mundi ad iudicium cum angelorum ſuorum exercitu deſcẽſurus eſt.qua de re uidere eſt Matthæi decimoſexto,uigeſimoquarto & uigeſimoquinto.Sic idem eſt quod dicit, In gloria:ac ſi adderet,Illius:hoc eſt,Quando ille cum gloria ſua deſcendens manifeſtabitur omnibus,tunc & uos unà cum illo manifeſtabimini. Hic tamen ſenſus non impedit,quo minus intelligamus,eius nos quoque gloriæ fore participes:id quod nobis Apoſtolicæ literæ diſertè pollicentur,ſicuti uidere eſt Philipp.tertio, ubi dicit, Nam noſtra conuerſatio in cœlo eſt,ex quo & ſeruatorem expectamus Dominum Ieſum Chriſtum,qui transfigurabit corpus noſtrum humile,ut conforme reddat corpori gloriæ ſuæ. Gloria noſtra tunc erit manifeſtatio filiorum Dei:quæ dignitas ſatis perpendi nequit,immortalitas & claritas corporum noſtrorum,in qua ſole ſplendidiores erimus,coniunctio cum Chriſto & omnibus angelis,& raptus ad cœleſtia. Rapiemur enim in nubibus obuiam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum illo erimus.

Mortificate igitur membra ueſtra terreſtria,ſtuprum,immundiciam, mollíciem,concupiſcentiam malam,& auariciam, quæ eſt ſimulacrorum cultus: ob quæ uenit e ſolet ira Dei in filios intractabiles, inter quos & uos ambulabatis quondam,cùm uiueretis in his.

Suprà Capite prędcedenti dixit,eos per circumciſionem Chriſti exuiſſe corpus peccatorũ carnis:hic uocat mẽbra,q̃ illic uocauit peccata carnis.qua de re ibi diximus. Infert aũt adhortationẽ hãc partim ex eo loco,partim ex ijs q̃ iá ab initio Capitis huius dixit. Vt ſit ſenſus:Igitur cùm corpus peccatorũ carnis in baptiſmo exueritis, & unà cũ Chriſto reſurrexeritis,ſitque uita ueſtra cum illo abſcondita in Deo: quid iam deincęps maiore uobis eſt diligentia curandum,quàm ut membra ueſtra,corporis uidelicet peccatorum, quæ ſuper terram ſunt, mortificetis?Mortificate igitur,&c.

Mortificate igitur membra ueſtra.] Græcè eſt, νεκρώσατε. Sonat autem Græcis νεκρὸν, idem quod Latinis cadauer:unde eſt uerbum νεκρόω.In cadauere ſunt adhuc quidem membra ,ſed ut ſine uita,ita & prorſus emortua & inefficacia: ſic corpus peccatorum carnis, ubi uita ueteris Adę deſtitutum eſt,ut ſit inſtar cadaueris,omnia illius membra quoque emortua ſunt & inefficacia.Monet igitur,ut mẽbra illius mortificent,ne uiuát amplius,peccatoq; ſeruiant.Quare locus hic de mortificatione carnis diligenter eſt obſeruandus.

Principiò,non ſimpliciter dicit,Ligate,uel Cohibete:ſed,Mortificate membra ueſtra. Ea mali huius uis eſt,ut niſi mortificetur,coerceri ac ſupprimi nequeat. Quod mortificatum eſt, peccare amplius non poteſt.Sic eſt corpus peccati cum membris ſuis mortificandum, ut nõ modò ſit infirmum & parum efficax,ſed & ut nihil illi uitæ ac facultatis remaneat amplius: quo etiamſi maximè ad peccandum ſollicitetur à ſatana, peccare tamen, tanquam emortuũ non poſsit,non minus quàm cadauer ad ſaltandũ ac geſticulandum excitari,etiamſi illi omnis generis muſica inſtrumenta adhibeantur.

Verùm quęſierit hic quiſquam,quomodo hortetur Coloſſenſes ut mẽbra ſua mortificent, cùm ſuprà dixerit eos eſſe mortuos ac ſepultos cum Chriſto?An non ridiculum fueri t,ſi cadaueri,idq; ſepulto dicas,Mortifica membra tua?Ad hanc quæſtionem Chryſoſtomus eleganti ſimili reſpondet ad hunc modum: Quemadmodum ſi quis ſtatuam antea ſqualidam, iam expurgatam ac ſplendidam exhibens, dicat quidem exterſam illam eſſe, ac rubiginem ſublatam:uerùm rurſus admoneat,ut diligenter tollatur illius rubigo,non is ſibijpſi contradicit.neque enim abſterſam iam rubiginem,ſed eam quæ rurſus accedit auferre hortatur:ita & Paulus hic non priorem mortificationem dicit,neq; priores ſcortationes,ſed eas quæ poſtea ſuccedunt.Hæc ille. Meo iudicio,quæ ſuprà dixit,ad eam pertinent carnis mortificationem,quæ in baptiſmo ſacramentaliter,& per remiſsionis gratiam confertur: quæ uerò hic ſubiungit,ad eam ſunt referẽda,quæ reipſa quotidiano mortificandi ſtudio,donec in hac carne ſumus,exerceri debet.

Deinde obſeruandũ eſt,quòd nõ dicit, Mortificate peccata:ſed,Mortificate mẽbra ueſtra, cùm tamen de peccatis loquatur.Nec dicit,Membra peccati:ſed , Mẽbra ueſtra: Ergo peccata ſunt mẽbra noſtra.Membra autẽ noſtra,ſunt utiq; corporis noſtri membra. Quid uerò cõiũctius nobis eſſe poteſt,quàm ipſum corpus noſtrũ,quod ſumus noſipſi? Iubemur igitur mortificare noſipſos,dũ mẽbra noſtra mortificare iubemur.Admonemur hac adhortatione, tam eſſe nobis corpus peccatorum agnatũ,quàm eſt corpus carnis neſtræ.Ipſam enim naturam noſtrã occupauit & corrupit.

Tertiò, *terrestria*, inquit.] Græcè est, τὰ ἐπὶ τῆς γῆς: id est, Quæ sunt super terram. Rectè tamẽ uertit Erasmus, Terrestria. Versantur enim membra hæc circa terrenas uoluptates, quemadmodum membra nouæ creaturæ, circa cœlestes uirtutes ac dotes. Respicit autem ad id quod paulo suprà dixit: Superna curate, non ea quæ sunt super terram. Poterat dicere, Quæ sunt ex diabolo: unde plus esset horroris, nisi cœpto argumento inhærere uoluisset.

Quartò: *Stuprum*, inquit, *immundiciam, molliciem, concupiscentiam malam, & auariciam*, &c.] Obscurum erat, quæ nam membra mortificare deberent Colossenses. Itaq; subijcit specificationem, dicens: Stuprum, immundiciam, molliciem, &c. Verùm quomodo hæc sunt membra nostra? Audi. Quadruplex corpus inuenio in homine. Tria priora in homine animali & carnali: quartum in Christiano. Et horum unumquodq; sua membra habet.

Primum, externum illud est, uisibile ac palbabile, quod corpus carnis nostræ uocamus, fragile ac caducum, constans carne, ossibus, neruis, uenis ac sanguine: cuius membra sunt, caput, oculi, aures, nares, os, lingua, dentes, guttur, collum, humeri, brachia, manus, digiti, pectus, uenter, lumbi, genua, crura, pedes, &c. De hoc corpore membrisque illius non loquitur Apostolus.

Secundum est, quod internus homo uocatur, anima uidelicet & spiritus, cum membris suis: quæ sunt intelligentia, memoria, uoluntas, odium, timor, spes, concupiscentia, gaudium, ira, & cætera. Anima corpus propriè non est, sed sic uocatur impropriè. Nec de illo loquitur Apostolus. Est enim à Deo datum non extinguendum, sed modo ordinandum.

Tertium est, quòd Capite præcedenti corpus peccatorum carnis uocatur, nihil uerò aliud est, quàm naturæ nostræ corruptio, per peccatum primorum nostrorum parentum in omnem posteritatem ipsorum sic inuecta, ut sine illa nec concipiamur, ne nascamur. Membra huius sunt, cæcitas mentis, ignorantia Dei, impietas, incredulitas, inobedientia, iniustitia, iniquitas, malicia, inuidia, philautia, superbia, fraus & dolus, perfidia, uersutia, cum omnibus immundiciæ generibus, & similibus alijs innumeris. Est enim corpus hoc πανωλέτηρον, secundum naturam mali, quod fœcundissimum esse solet. De huius corporis ac membrorum illius mortificatione loquitur hic Apostolus. Est enim creatura satanæ, Deo inimica & aduersaria, per quam inimici Dei ac iræ filij constituimur, & omnis nostra uita cum actibus suis deprauatur. Quemadmodum namque physicum & externum corpus nostrum per membra sua, quæ necessaria sunt operatur: ita & natiua hæc naturæ nostræ corruptio per sua uitia, quibus ueluti membris utitur, pro sua prauitate omnis generis mala operatur. Et sicut membra corporis nostri cognata inter se sunt, & ex ipso corpore spiritum, uitam & actum accipiunt: ita & hæc uitia inter se cognata, ex originali corruptione, tanqnam suo corpore, spiritum, maliciæ uim & actum habent. Quare Apostolus haud inconuenienter similitudine corporis & membrorum hac in re usus est.

Quartum corpus non nisi in Christiano est, nouus uidelicet homo, qui secundum Deum creatus est, quem & nouam creaturam uocat Apostolus. Membra huius sunt cognitio Dei, lux mentis, fides, spes, charitas, iusticia, pietas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, mansuetudo, temperantia, animi humilitas, ueritas, &c. Sanè & in Christiano sunt tria priora corporum genera: uerùm quoniam per spiritum Christi regeneratus est, totus in eo est noctes ac dies, ut quantum in nouo homine crescit, tantum in ueteri decrescat, & corpus peccatorum carnis cum omnibus suis membris mortificet, externumq; & animalem hominem nouo seruire faciat.

Stuprum.] Græcè πορνέια. De hac uide in Epistola prima ad Corinthios capite sexto, ad Galatas quinto, & ad Ephesios 5. Perstringit illam hoc frequentius, quo maior erat illius licentia inter Gentes.

Immundiciam.] Per hanc omnis generis uetitam libidinem notat, adulterium uidelicet, incestum, constuprationem uirginum, Sodomiam, &c. Et ad Ephesios capite quinto coniungit πορνίαν & ἀκαθαρσίαν, dicens: Cæterùm scortatio & omnis immundicia. Item: Nam hoc scitis, quòd omnis scortator aut immundus. Et scortatio immũdicia est, impurans corpus, prima ad Corinthios 6. uerùm immũdus rectè uocatur, qui non uni duntaxat est, sed omnibus immundiciæ speciebus deditus.

Molliciem.] Græcè, πάθος. Vetus interpres habet, Libidinẽ, quemadmodũ & Ambrosius. Sonat autẽ πάθος animi passionẽ, qua ille sic subijcitur omnis generis cupiditatib. uoluptatib. ac libidinibus, ut nullis possit affectionib. resistere, sed omnib. ueluti uilissimũ mancipiũ subseruiat: quod propriè est esse patheticum. Et quoniam id uitij ex mollicie animi nascitur, uisum

est

est Erasmo, reddere molliciem. Oppositum huius uitij est, esse apathen: quales esse uolebant Stoici, de quorum ἀπαθείᾳ multa in Seneca leguntur. Sapientiam esse putant, si neque dolorem animi, neque gaudium, neq; metum, neq; tristiciam, neque cupiditatem, neq; iram, immò ne misericordiam quidem in corde sentias: hoc est, si ab omnibus sis humanis affectibus alienus, ac toruitate quadam naturæ, inflexibiliq́ue duricie præditus, statuam quandam saxeam magis quàm hominem referas. Si legas Libidinem, neq; ea lectio inconueniens est uoci πάθος. Est enim libido uitium animi, quo propensi sumus ad faciendum quicquid libet, ut sit uocabulum omnis cupiditatis. Sic iram, cupiditatem ultionis, & ulciscendi libidinem definiunt.

Concupiscentiam malam, inquit.] Quid est quòd non simpliciter dicit, Concupiscentiam: sed addit, Malam? Græcè est κακὴν: id est, Vitiosam. Significat concupiscendi facultatem, quæ in homine est, non esse simpliciter & per se damnabilem ac mortificandam, nisi sit mala. Simpliciter enim non est illa corporis peccatorum carnis membrum: sed pertinet ad naturales affectus, quos ipse nobis conditor Deus, tanquam necessarios & utiles indidit. Imò ipse nouus homo concupiscit, cuius concupiscentiã Apostolus ad Galatas quinto spiritui tribuit, dicens: Spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis. Nam caro concupiscit ad uersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.

Triplex est concupiscentia: naturalis, carnalis & spiritualis. Naturalis, quæ est in homine animali, nõ est mala: carnalis, in carne corrupta, mala est: spirirualis uerò in nouo homine, bona est, ac sancta. Verùm de concupiscentia uide in Locis nostris, in ultimo præcepto Decalogi: & in Commentarijs nostris super Epistolam ad Galatas, capite quinto, loco iam suprà citato.

Et auariciam, inquit.] Græcè est, καὶ τὴν πλεονεξίαν. Est autem pleonexia uitium animi insaturabilis, perpetuò plura appetentis. Et quoniam auari sic sunt animati, ut quo plus habeãt, hoc plus habere cupiant: is illorum morbus πλεονεξία Græcis uocatur, Latinis uerò auaricia, ab aui ditate habendi. Auarum uolunt esse idem, quod auidum æris. Verùm auaricia non ad pecunias tantùm, sed & ad reliqua terrena bona extenditur.

Quæ est simulacrorum cultus, inquit.] De auaricia non hoc tantùm loco, sed & ad Ephesios cap. quinto prædicat, quòd sit idololatria, id est, simulacrorum cultus: qua de re eo loco annotauimus. Non est autem præter rationem, quòd uitium hoc auaricię singulari prædicato exaggerat, & abominabile reddit: id quod & 1. Timoth. 6. facit, cùm dicit: Siquidem radix omniũ malorum est φιλαργυρία, id est, studium pecuniæ. Vix enim ullum est aliud uitium, quod magis pugnet cum fide prouidentiæ Dei, hominemq́; à ueræ pietatis ac iusticiæ studio magis auocet, ac cor illius terrenis rebus mancipatum reddat.

Ob quæ uenire solet ira Dei, inquit, *in filios intractabiles*.] Verbum Solet, non est in textu: sed simpliciter, Ob quæ uenit, ἔρχεται, in præsenti. Et illud, In filios intractabiles: in Græco est, ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας: quod uetus uersio habet, Super filios incredulitatis. Significat autem ἀπείθεια uitium animi, per quod fit ut persuaderi sibi non sinat. Habent hæc Apostoli uerba exaggerationem istorum uitiorum, quæ breuiter recensuit: per quam fideles admonet, quàm ea fugere debeant: siquidem in gratia Dei, cuius facti sunt participes, permanere cupiãt. Irascitur (inquit) talibus Deus, & pœnas de illis sumit. Est autẽ ira opposita & contraria gratiæ. Quare qui hæc faciunt, in gratia Dei consistere non possunt. Sed de hisce uerbis uide Ephes. 5. ubi illa perinde atq; hic leguntur.

Obiter autem hic de ira Dei obserua. Primò, quòd illam Apostolus pro merita uindicta & ultione ponit. Admonemur, ut ubi pœnas de reprobis sumi uiderimus, iram Dei agnoscamus. Econtrà, ubi pijs hominibus benefieri cernimus, gratiam illius agnoscere debemus. Deinde, quòd iram Dei uenire dicit: Quæ ueniunt, non impediuntur ne ueniant. aliàs non uenirent. Cogitemus itaq;, ultionem reproborum non posse impediri, ne ueniat. Non tardat illa, sed ueniendo uenit. Tertiò, propter quæ peccata ueniat ira Dei. Propter scortationem, omnis generis immundiciam, molliciem, malam concupiscentiam, & auariciam. Sunt & alia uel grauiora, uel æqualia, quibus diuina maiestas irritatur: uerùm ex his facilè intelligimus, quibus nam illa offendatur. Quartò, super quos ira Dei ueniat. Super filios inobedientiæ (inquit) quibus ut Deum timeant, colant & obseruent, persuaderi nequit. Intellige notari incorrigibiles. In omni peccatorum genere non tam iritat Deum, quod semel atq; iterũ peccatum est: quàm, si ἀπείθεια ista accesserit, ut nullus sit pœnitentiæ locus.

Inter quos, inquit, *et uos ambulabatis quodam, cùm uiueretis in his*.] Græcè est, ἐν οἷς καὶ ὑμεῖς περιεπατήσατέ ποτε, ὅτε ἐζῆτε ἐν αὐτοῖς: id est, In quibus & uos aliquando ambulabatis, cùm uiuereris in ipsis: uel, In ijsdem. Sic sunt hæc posita, ut referri queant uel ad filios inobedientiæ, ad quos refert Erasmus cum legit, Inter quos: uel ad uitia, quorum mentionem fecit, propter quæ ira Dei uenire solet in filios inobedientiæ. Si diceret, In quibus & uos aliquando fuistis: non esset inconueniens Erasmi uersio. Nolim tamen Erasmi uersionem prorsus reijcere.

Nam

Nam uerus est uterq; sensus, cùm quod in uitijs illis, quæ hic recensentur, tum quod inter filios inobedientes uixerint aliquando, qui tum in Christo credebant, non modò gentes, sed & Iudæi: id quod Ephes. 2. uidere licet, ubi mox initio Capitis sic legitur: Et uos cùm essetis mortui delictis & peccatis, in quib. aliquando ambulastis. Vbi non rectè uerteris, Inter quos (est enim in Græco, ἐν οἷς, id est, ἁμαρτίαις.)

Deinde subijcitur, Secundum seculum mundi huius, iuxta principem potestatis aeris, spiritus eius qui nunc operatur in filijs inobedientiæ, ἐν οἷς ποτὲ ἡμεῖς πάντες ἀνεστράφημέν ποτε: ubi omnino illud, ἐν οἷς, non est ad uitia, sed ad filios inobedientiæ referendum: ut rectè uertas, Inter quos & nos omnes aliquando ambulauimus.

Illud, Cùm uiueretis in ipsis, si referatur ad uitia, manifestum sensum habet: si uerò referas ad filios inobedientiæ, queri potest, quomodo dicat eos aliquando inter filios inobedientiæ uixisse, cùm tum quoque adhuc inter eos uiuerent. Verùm facilis est responsio. Quatenus adhuc uiuebant in mundo, hactenus adhuc inter filios inobedientiæ uiuebant. Quomodo autem qui Christi sunt, uiuant adhuc in mundo, & tamen non uiuant amplius in mundo, dictū est suprà Capite præcedenti, ibi: Quid quasi uiuentes in mundo, decretis tenemini? Vnde ad hanc quæstionem petenda est responsio.

Quæ uerò obseruanda sint hoc loco, uide in Commentarijs nostris super Epistolam ad Ephesios, capite 2. loco suprà citato.

Nūc autem deponite & uos omnia, iram, indignationem, maliciam, maledicentiam, turpiloquentiam ab ore uestro. Ne mentiamini alius aduersus alium, postea quam exuistis ueterem hominem cum factis suis, & induistis nouū, qui renouatur ad agnitionem & imaginē eius, qui condidit illum: ubi non est Græcus & Iudæus, circumcisio & præputiū, Barbarus, Scytha, seruus, liber: sed omnia in omnibus Christus.

Galat. 3. 6.

Olim, inquit, uiuebatis inter filios inobedientiæ, impios & impuros, & ambulabatis in scortatione, immunditia, concupiscentia mala, & auaritia, perinde atq; illi: nunc uerò, postquam unà cum Christo mortui estis, non conuenit ut cum illis amplius in peccatis ambuletis. Deponite igitur & uos omnia quæ sunt eiusmodi, iram, indignationem, maliciam, &c.] Cœperat adhortari eos ad mortificationem ueteris hominis ac membrorum illius, ei adhortationi immiscuit recordationem prioris uitæ, qua per ignorantiam Dei secundum corruptionem carnis in peccatis inter reprobos uixerant, id quod non exprobrationis gratia fecit: sed ut argumento disconuenientiæ admoneret eos, quàm non conueniat tempore lucis, ea facere quæ facta fuerant tempore tenebrarum. Diuersorum quippe temporum diuersi solent esse mores. Deinde, quam sit reprehensibile, si quis eandem uitam inter filios lucis & obedientię ducat, quam olim duxerat inter filios tenebrarum & inobedientiæ, & cùm sub gratia uiuat, iram in se Dei prouocet. Horum eos admonens, cùm dixisset: Mortificate igitur membra uestra, stuprum, &c. subiecit: Ob quæ uenire solet ira Dei in filios inobedientię, inter quos ambulabatis quondā, cùm in hisce uiueretis: nunc uerò (cùm non sitis amplius inter filios inobedientiæ, sed inter fideles Christi) deponite & uos omnia: atque ita rediens ad membra corporis peccatorum carnis, quæ mortificare debeant, catalogum illorum prosequitur.

Nunc autem, inquit.] Argumentum hoc de diuersitate temporum obiter annotandum est, propter eos: qui licet tempora mutentur, ipsi tamen non mutantur, sed in eodem malicię suæ tenore pergunt: quorum incorrigibilem dementiam notantes dicere solemus, Ioannes in eodem: &, Nunc ut tūc: & Germanicus, *Heur als uern, Heut wie gestern.* Alij sunt mores noctes, & alij diei. Nox ignorantiæ Dei, in qua inter filios tenebrarum præteritis temporibus uiximus, singulari gratia ac uoluntate Dei, inducta ueritatis luce, præterijt: ut iam qui lucis sunt, appetentes non sint amplius in nocte, sed in die. Cùm igitur per fidem Euangelij Dei facti simus filij lucis, nullo modo conuenit, ut nunc ambulemus in operibus tenebrarum, in quibus tunc cùm adhuc essemus in nocte, ambulauimus. Verùm, ubi uitam nostram inspicimus, non sine gemitu fateri cogimur, admodum esse paucos, quibus illud, Nunc autem, cordi esse deprehendatur.

Deponite & uos, inquit.] Græcè est, ἀπόθεσθε. Significat autem uerbum hoc aliquando reponere aliquid in futuros usus, aliquando ad tempus suspendere, aliquando abijcere, nonnunquā abdicare: ut, πλὼν ἀρχὴν ἀποτίθεσθαι: id est, magistratum abdicare. qui posterior sensus pulchrè ad hanc causam facere uidetur. Hortatur itaq;, ut membra sua nunc abdicent, quibus antea peccando usi fuerant. Suprà dixit, Mortificate igitur membra uestra: iam mutato quidem uerbo, sed non mutato sensu dicit, Nunc uerò abdicate, & uos omnia, iram, indignationem, &c. ut uideas, mortificare membra ueteris hominis nihil esse aliud quàm abdicare, & reijcere ea prorsus, perinde atque pater filium immorigerum ac rebellem abdicat & domo expellit, ut nihil amplius in illa habeat commercij. Sic uerbū hoc Abdicare, propriè pertinet ad ea quæ

nobis

nobis antea fuerant coniuncta & familiaria: ſicuti ſunt membra peccati, quibus in peccatis uiuentes utimur. Quæ ſic abdicantur, ſatis ſunt mortificata, dum nihil amplius nobiſcum habent commercij, ſed ab omni noſtro ſunt conuictu longè reiecta.

Significat uerbum ἀποτίθεσθαι etiam ſeponere, quomodo corpora mortuorum cum membris ſuis ſeponuntur, dum ſepeliuntur. Et hic quoque ſenſus non abludit à ſimili mortificatorum membrorum, quo hic Apoſtolus utitur. Admonemur enim, non mortificanda tantùm, ſed & ſeponenda ac ſepelienda eſſe membra corporis peccatorum, ut ſicuti per ſepulturam cadauera non modò à conuictu, ſed & ab aſpectu noſtro auferuntur: ita & uitia noſtra nõ ſolùm mortificentur in ſe, ſed & prorſus auferantur, ut ne ueſtigium quidem ac memoria illorum ſuperſit amplius.

Et uos, inquit.] Non ſimpliciter, Abdicate igitur omnia: ſed, Abdicate igitur & uos (inquit) omnia. quaſi dicat: Quemadmodum faciũt & alij. Qui alij? Vtique fideles ac ueri Chriſtiani, qui carnẽ ſuã crucifigũt cũ cõcupiſcẽtijs. Quare & ipſi ſicut alij? Quia & ipſi Chriſtiani erãt, & non amplius inter incredulos, ſed inter Chriſtianos uiuebant. Chriſtiani ſiquidẽ hominis eſt, nulla in reque ad cõmunẽ religionẽ ptineat, à ceteris fidelib. diſcrepare: ſed in omnib. ſeſe conformiter cũ illis gerere, ut qui ſciat ad ſe quoq; pertinere, q̃ pertinent ad Chriſtianos omnes. Huiꝰ eos admonet Apoſtolus, dicẽs: Abdicate igitur & uos omnia. Admonemur & nos, ut in cõmuni cauſa, qua cũ alijs eiuſdẽ fidei conſortibus coniungimur, & facienda, & ferenda eſſe omnia, quæ communiter omnes concernunt, cogitemus. Cogitet quiſque in corde ſuo: Chriſtianus ſum & ego: Chriſtiani mortui ſunt mundo: ſim igitur & ego. Chriſtiani carnem ſuam cum concupiſcentijs crucifigunt: crucifigã igitur meam carnem & ego. Chriſtiani non quærunt ea quæ ſunt ſuper terrram: quæram ea nec ego. Chriſtiani diligunt ſeſe mutuò: diligam fratres & ego. Chriſtiani quæuis aduerſa patienter propter Chriſtum perferunt: perferam ea & ego. Sic animatus erat Vrias Etheus, qui quoniam arca Dei & exercitus Iſraelis, cuius ipſe membrum erat, in caſtris agebat, cùm eſſet domum à rege Dauid uocatus, nolebat domeſtica refocillatione frui, ne exors eſſet à laboribus ac moleſtijs, quibus cæteri commilitones ipſius in militia communiter afficiebantur. 2. Sam. 11.

Omnia, inquit.] Quæ omnia? Vtique membra corporis peccatorum. Non ea modò quæ iam recẽſuit, ſed & reliqua omnia abdicanda eſſe monet. Quare omnia? Quia fruſtrà abdicantur aliqua, ſi nonnulla in familiaritate & conuictu retinentur. Sufficit enim uel unum ex illis ad perdendum. Quemadmodum non minus moritur, qui uno morbi genere, quàm qui multis enecatur: ita nõ minus perit, qui uno aliquo uitio perit, quàm qui multis ſalutẽ ſuam perdit. Qui ſanus eſſe ac permanere cupit, non unius aut alterius tantùm, ſed omnis generis morbos uitat, quibus ſanitas ipſius lædi poteſt. Conſimiliter magno ſerio ac perfecto ſtudio uitanda, immò abdicanda ſunt omnia quæ Deum offendere, ac ſaluti noſtræ incommodare poterunt. Etenim qui in uno offendit, omnium reus eſt.

Et illud obſerua. Si abdicanda nobis ſunt omnia uitia, ergo inſunt omnia uitia in carne noſtra. Nullum eſt tam enorme malum, ad quod non ſit caro noſtra procliuis. Aliud eſt, uitare ea quæ ſunt extra nos, & aliud, abdicare ea quę ſunt in nobiſipſis. Abdicari non poſſunt, quæ ſunt à nobis extranea.

Iram, inquit, *indignationem, maliciam, maledicentiam, turpiloquium ab ore uestro, ne mentiamini alius aduersus alium.*] Catalogum uitiorum proſequitur, quæ abdicare debeant. Recenſet autem non omnia, ſed communiora tantùm, de quibus & ad Epheſios capite quarto mentionem fecit. Apparet uerò, inter hæc & ea quæ præmiſit, hoc eſſe diſcriminis, quòd illa propter infamem impuritatẽ, & turpitudinem cum primis dedecoroſa ſunt Chriſtiano nomini: iſta uerò quoniã excuſationis aliquid admittũt, pleriſq; nõ uidentur eſſe uitia, cùm tamen διὰ διὰ παντὸς cum fraterna dilectione pugnent, ideoq; procul ſint à conuerſatione Chriſtianorum reijcienda.

Iram, inquit, *indignationem, maliciam.*] Sunt hæc interiora, & damnabilia, etiamſi non prorumpant in apertum. De ira ad Epheſios capite quarto ſic admonet: Iraſcimini, & non peccetis. Sol non occidat ſuper iracundiam ueſtram. Item: Omnis amarulentia, & tumor, & ira, &c. tollatur à uobis. Quid autem ſit ira, notius eſt quàm ut definitionem requirat. De eo uerò, quòd illa non ſit ex ijs affectibus, qui per ſe ſunt mali, diximus loco iam ſuprà citato.

Indignationem.] Græcè eſt, θυμὸν, quam uocem nonnulli uertunt, excandeſcentiam. Eraſmus in Epiſtola ad Epheſios capite quarto reddidit Tumorem. Refert, in qua materia ponatur. Secundum qualitatem quippe materiæ, in qua uſurpatur, accipiendus eſt illius ſenſus. Nam aliquando ſonat animum ſimpliciter, aliquando tumorem, aliquando confidentiam, Latini appellant animos: nonnunquam iram & commoti animi uehementiam, excandeſcentiam, impetum ac ferociam, qui ſenſus præſenti huic loco non eſt incommodus, propter præcedentem uocem ὀργὴν.

Maliciam, inquit.] Græcè eſt, κακίαν, quæ uox propriè ſonat uitioſitatem illam, qua in animis

noſtris

noſtris uitiantur naturales affectus, ut cùm in ſe non ſint mali, per hanc reddantur mali. Sic ira redditur mala, ſi κακία acceſſerit. Sic θυμὸς quoq; malus non eſt in ſe, niſi per κακίαν uitietur. Rectè igitur cùm monet abdicandam eſſe iram, & θυμὸν, ſubiecit κακίαν: ut admoneat, loqui ſe non de naturalibus, ſed corruptis ac uitiatis affectibus iræ & θυμοῦ.

Maledicentiam, inquit.] Subiungit de uitijs oris, quæ ex corruptis affectibus cordis promanant, qualia ſunt, maledicentia, turpiloquentia, & mendacium. Maledicentia eſt Græcè βλασφημία, quæ maledicẽdi & conuiciandi libidinem ſonat, qualis eſt eorum qui uel ira rapiũtur, uel odio ſunt infecti.

Turpiloquentiam.] De hac Epheſ. 4. ſic monet: Omnis ſermo ſpurcus ex ore ueſtro ne procedat. Et capite quinto: Aut obſcœnitas, aut ſtultiloquium, aut urbanitas, quæ non conueniũt. Hic addit, Ab ore ueſtro: qua particula idem dicit, quod Epheſ. 4. cùm inquit, Ex ore ueſtro ne procedat. Referendum eſt autem quod dicit, Ab ore ueſtro, non ſolùm ad turpiloquentiã, ſed & ad maledicentiam. Sanè multum refert, quid ab incredulis ex ore noſtro audiatur. Sed ea de re diximus Epheſ. 4. Turpiloquentia deſtruit, non ædificat, quemadmodum & maledicentia.

Ne mentiamini, inquit, *alius aduerſus alium.*] Hac de re Epheſ. 4. ſic dicit: Quapropter abdicato mendacio, loquamini ueritatem quiſq; proximo ſuo, quoniam ſumus inuicem membra. Hic dicit, Ne mentiamini: illic, Abdicato mendacio loquamini ueritatem. Idem eſt igitur, abdicato mendacio loqui ueritatem, quod non mentiri. Non mentitur & ille, qui prorſus nihil loquitur. Verùm de illo dici non poteſt, quòd ueritatem loquendo non mentiatur, id quod requiritur à ueris Chriſtianis. Qui tacendo non mentitur, ſimilis eſt arbori, quæ ſteril eſcendo non fert malos fructus: qui uerò loquendo ueritatem non mentitur, is demũ ueracis hominis, perinde atq; arbor quæ fructificando nõ malos, ſed bonos fert fructus, fertilitatis laudem meretur.

Ne mentiamini, inquit, *alius aduerſus alium.*] Græcè eſt, εἰς ἀλλήλους. Vulgat. Latina habet, Inuicem. Eraſmus uertit, Alius aduerſus alium. Poteſt fieri, ut uiciſsim alius alij mendacium dicat, & tamen neuter hoc aduerſus alterum faciat. Refert igitur, quomodo præpoſitio εἰς uertatur, an per In & aduerſus, uel per Ad: ut idem ſit quod πρὸς ἀλλήλους, id eſt, alius ad alium. Gradus ſunt in mendacio, quibus exaggeratur. Habet in ſe primò leuitatem ac uanitatem animi, ad dicendum quiduis, ſiue uerum ſit, ſiue falſum, perinde procliuis, in cuius uerbis nihil eſt ſolidi. Deinde, per mendacium adulteratur ueritas, proq; illa inducitur falſitas. Tertiò fallitur ac ſeducitur mendacio proximus, ut quod falſum eſt, uerum: & quòd uerum, falſum eſſe putet. Quartò, per mantiendi conſuetudinem labefactatur fides, qua conuictus mortalium carere non poteſt. Quintò, per mendacium iniuria infertur innocenti, cuius fama lædituir ac denigratur. Sextò, damno afficitur proximus per mendacium, dum promiſsis fidẽ adhibet, illa uerò non ſeruantur. Septimò, ad exitium proximi facit mendacium, aliquando per delationem, aliquando per falſum teſtimonium. Hoc genere mendacij mentitur delator ac falſus teſtis aduerſus proximum ſuum. Poſtremò omnes mendacij ſpecies ſuperat falſitas illa, qua contra Deum mentiuntur homines impij non ſolum peierando ac uouendo: ſed & quæ falſa ſunt de illo prædicando ac docendo. Verùm de hoc ſupremo mendacij genere non loquitur Apoſtolus: ſed de illis tantum, quæ erga uel contra proximũ dicuntur.

Poſteaquam exuiſtis ueterem hominem cum factis ſuis, inquit, *& induiſtis nouum.*] Vulgata Latina editio habet: Expoliantes uos ueterem hominẽ cum actibus ſuis, & induentes nouum. Et Ambroſ. Exuite uos ueterem hominem cum actibus eius, & induite nouum. Græcè eſt, ἀπεκδυσάμενοι, & ἐνδυσάμενοι: quæ præteriti ſunt temporis. Si legas in præſenti, Exuentes & induentes: ſenſus erit, Sic mortificate & abdicate omnia corporis peccatorũ mẽbra, ut ueterẽ hominẽ cũ factis ipſius exuatis, & nouũ induatis. Si uerò Eraſmi uerſio placet, illius iſte ſenſus erit: Quoniam in baptiſmate Chriſti ueterem hominem exuiſtis, ac nouum induiſtis: reliquũ iam eſt, ut omnia membra corporis peccatorum mortificetis & abdicetis. Prior lectio modũ exprimit, quo uitia quæ recenſuit, mortificari & abdicari debeant: poſterior uerò admonet acceptæ in Chriſto gratiæ, & ex illa rationem infert, ob quam illa ſint mortificanda & abdicanda.

Poſteaquam, inquit, *exuiſtis ueterem hominem cum factis ſuis.*] Quid ſit uetus homo, & quid ſit ueterem hominem exuere: deinde quid ſit nouus homo, & quid nouum hominem induere, diximus Epheſ. 4. ubi ſic legitur: Deponere iuxta priorem conuerſationem, ueterem hominem, qui corrumpitur iuxta concupiſcẽtias erroris: renouari uerò ſpiritu mentis ueſtræ, & induere nouum hominem, qui iuxta Deum conditus eſt, &c. Quòd hic dicit, Cum factis ſuis: id illic uocat priorem conuerſationem. Secundum qualitatem hominis, qualitas eſt conuerſationis & factorum. Vetus homo, corrupta & deprauata natura eſt antiqui ſerpentis ueneno infecta. Facta huius ſunt mala, tanquam mali arboris mali fructus. Illorum mentionem facit, quoniam de abdicatione eorum loqui cœpit, ac nonnulla recenſuit. Neq; præter rationem hoc facit. Etenim quomodo ueterem hominẽ exuerimus, ex eo liquidò conſtat, ſi facta illius

conſide-

considerentur. Vbi mali fructus adhuc proferuntur, ibi facilè patet, natiuam adhuc arbori inesse maliciam. Consimilis est & nostra conditio. Facta nostra de qualitate interni nostri hominis testificantur, uetus ne adhuc sit, uel nouus? Quicquid simulet caro, ut mala arbor bonos fructus ferre non potest: ita uetus homo synceritatem nouæ creaturæ ueraciter exprimere non potest.

Et induistis nouum, inquit.] Non est satis ad salutem, liberum esse à ueteri homine, nisi induamus & nouum. Per mortem corporis exuimus ueterem hominem, quatenus à seruitute peccati moriendo liberamur: interea tamen nouum haudquaquam induimus, ideoq; nec salutē consequimur. Rectè itaq; Apostolus ubi dixit, Posteaquam exuistis ueterem hominem cum factis suis: mox subiecit, Et induistis nouum. Etiamsi uetus homo sic posset exui in hac uita, ut non induatur nouus, ne tamen sic quidē saluaremur: uerùm, dū sumus in hac carne, fieri nō potest, ut ueterem hominem exuamus, nisi nouum induamus. Per nouum namq; uetus exuitur. Nō possunt ambo simul cōsistere. Sunt enim sibi inuicē cōtrarij, non minus quàm lux & tenebræ, iusticia & iniusticia: & quantum nouus augescit, tantum uetus in nobis decrescit, donec tandem unà cum corpore carnis nostræ prorsus emoriatur.

Qui renouatur, inquit, *ad agnitionem & imaginem eius qui condidit illum.*] Græcè est, τὸν ἀνακαινούμενον εἰς ἐπίγνωσιν κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτόν: id est, Qui renouatur ad agnitionem, secūdum imaginem eius qui creauit illum. Copula Et, non est in Græco: sed pro illa est prępositio κατὰ, i. secundum. Habent ista declarationem, de quo nouo homine dicat. Sunt enim uarię mutationes humanę uitę, secundum quas illa sic mutatur, ut nouum hominem factum esse dicamus. Quare necessarium erat, ut declarationē hanc adijceret, quemadmodū & Ephes. 4. fecit, ubi dicit: Renouari uerò spiritu mentis uestræ, & induere nouum hominem, qui secundum Deum cōditus est in iusticia & sanctitate ueritatis.

Qui renouatur, inquit.] Quomodo nouus homo renouari potest? Etenim quid est renouare aliud, quàm quod antiquatum & uetustate labefactatum fuerat, ad pristinam integritatem ac synceritatem restituere? quem sensum tam Græca uox ἀνακαινίμενον, quàm Latina, Renouatur, exposcit. Cùm ergo dixisset, Et induistis nouum: uidetur non fuisse adijciendum, Qui renouatur: sed, Qui creatus est, uel, factus. Verùm cùm dicit, Qui renouatur: satis indicat, se non ioqui simpliciter de nouo aliquo, sed potius de renouatō homine: hoc est, de ueteri, in quo uetustas peccati exuitur, & pristina synceritas imaginis à Deo acceptę, renouatur. Aliàs namq; quod nouum est, ut nouum renouari non potest. Non est autem inusitatum, id quod non est simpliciter nouum, sed renouatum, uocare nouum. Sic in hac quoq; causa fieri uidemus. Nec immeritò. Etenim dum uetus Adam in nobis renouatur, nascitur nouus homo, qui antea in nobis non fuerat. Nam in ueteri secūdum carnem concipimur & nascimur, unde & natura filij iræ sumus omnes, donec in Christo noua creatura reddamur.

Qui renouatur ad agnitionem, inquit, *secundum imaginem eius qui condidit illum.*] Renouatio nostri, opus Dei est, Renouat ille interiorem nostrum hominem, spiritum uidelicet, primùm illuminando, deinde ad imaginem suam reformando. Et hoc illius opus noua creatura uocatur. Ad illuminationem pertinet, quod hic dicit: Ad agnitionem. Intelligit autem de ea, qua, sublata cæcitate mentis, & ignorantia Dei, cognitio & scientia Dei confertur. qua de uide Ephes. 1. ibi: Vt Deus pater gloriæ det uobis spiritum sapientiæ & reuelationis per agnitionem sui, illuminatos oculos mentis uestrę, &c. Ad imaginem uerò Dei referendum est, quod subiungit, Secundum imaginem eius qui condidit illum. Particula hęc ad Ephesios quarto sic ponitur: Qui secundum Deum conditus est, in iusticia & sanctitate ueritatis. Secundum Deum conditum esse, nihil est aliud, quàm secundum imaginem Dei renouatū esse. Est autem imago Dei ad quam renouamur, ipse Christus, prototypus omnium filiorum ac regeneratorum Dei. Illi conformamur in hac renouatione interni nostri hominis, ut & mente & corde illi respondeamus, cui etiam per resurrectionem cœlestemque renouationem corpora nostra conformabuntur.

Illud, Qui condidit illum: referri potest tam ad primā nostri creationem, qua sumus à Deo ad imaginem illius & corpore & spiritu conditi, quàm ad secundam, qua renouamur. Ambrosius tamen reddit rationē, quare locus hic non sit de prima, sed de secunda accipiendus. Alia est (inquit) imago hęc quam de agnitione Saluatoris dicit creari, & alia imago, ad quā factus est primus homo. Ista enim imago est & in fœmina, cùm agnoscit eum qui se creauit: & obtēperans uoluntati eius, abstinet à uita turpi & actu peruerso. Illa autem imago in solo uiro est. sicut idem dicit in Epistola ad Corinthios prima: Vir non debet uelare caput suum, cùm sit imago ac gloria Dei, &c. Hæc ille: Vetus igitur homo amissa imagine creatoris sui, quam initiò acceperat, imaginem induit serpentis antiqui, per quam est mirum in modum deformatus: nouus uerò in Christo reformatus, imaginem Dei sui à quo est conditus, recepit. Quare uiderit quisque, cuius nam referat imaginem, creatoris ne sui, uel deformatoris satanę.

Vbi non est Græcus & Iudæus, inquit, *circumcisio & præputium, Barbarus, Scytha, seruus, liber: sed omnia in omnibus Christus.*] Quoniam pseudapostoli non contenti Christianismo, Iudaismum sic obtru-

debant Christianis, ac si Christianum esse non sufficiat ad salutem, nisi simus etiam Iudæi: ne gat referre coram Deo, Græcus ne sis uel Iudæus, circumcisus uel præputiatus, &. sed unum hoc requiri, ut in Christo nouus homo simus, secundum imaginem Dei conditus. Sic dicit: Et induistis nouum hominem, qui renouatur ad agnitionem secundum imaginem eius qui condidit illum, ubi non est Græcus & Iudæus, circumcisio & præputium, Barbarus, Scytha, seruus, liber: sed omnia in omnibus Christus. Quasi dicat: Nouitas ista non requirit, ut qui Græcus est, Iudæus fiat: qui præputium habet, circumcisionem accersat: qui Barbarus aut Scytha est, Græcus: & qui seruus est, liber: uel liber seruus fiat. Omnis ista nationum ac rituum differentia ueteris est, non nouæ creaturæ, hęretq; in carne, non pertingens ad renouationem spiritus.

Verba hæc & Gal. 3. circa calcem sic leguntur: Nam quicunq; baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus neq; Græcus, non est seruus neq; liber, non est masculus ac fœmina. Omnes enim uos unus estis in Christo Iesu. Eo loco quæ hic leguntur, fusè sunt explicata, & simul quę uel quęrenda uel obseruanda ueniunt, annotata.

Circumcisio & præputium.] Quæsierit hic quispiam, quare cùm dixisset, Vbi non est Græcus & Iudęus: subiecerit, Circumcisio & præputium, cum circumcisionis & præputij discrimen abundè satis esset in Iudęo circumciso, & Græco pręputiato expressum.

Potest hic responderi, in Iudæo duplicem fuisse prærogatiuam: Gentis unam, sacramenti alterâ. Gentis in eo, quòd ex semine Abrahæ sunt Iudęi: sacramenti, quòd per circumcisionẽ in fœdus Dei obsignabantur. Ad priorem pertinere, quòd dixit, Vbi non est Iudęus: ad posteriorem uerò, quod subiecit, Neq; circumcisio. Atque ita utranq; asserit nihil ualere coram Deo in Christo. Consimili modo per Græcum, intelligit nationem: per præputium uerò, ethnicismum.

Barbarus, Scytha] Ad quid hoc adiecit, cùm quod nationem attinet, nihilominus ad gentes pertineant Græci quàm Barbari & Scythæ: Barbari & Scythæ, quàm Græci?

Respondeo: Græci ac Iudæi Barbaros omnes, præcipuè Scythas, tanquam nõ leuiter, sed uehementer barbaros: illi sapientiæ, isti sanctitatis nomine inflati præ se fastidiebant & contemnebant. Vt igitur significet, nihilo esse Græcos & Iudæos coram Deo potiores Barbaris, etiam barbarissimis, consultò Barbaros & Scythas cum Græcis & Iudæis coniunxit.

Sed omnia in omnibus Christus, inquit.] In nouo homine neque Iudæus est, neque Græcus, neque circumcisio, neq; præputiũ, &c. Quid igitur? Vnus in illo omnia est, & in omnibus Christus. Quæ omnia? & in quibus omnibus? Omnia quæ coram Deo ad ueram salutem, iusticiã & uitam pertinent. In omnibus, utiq; fidelibus, siue sint illi Iudæi siue Græci, siue Barbari. Si quæritur sapientia, si iusticia, si sanctitas, si uera pietas, si uita ac salus, omnia hæc habet qui Christum habet. Et econtrà, quotquot Christum habent, in illo sunt & ipsi omnes unus. Gal. 3. perinde atque uitis omnia est in palmitibus suis omnibus, & uicissim unus in illa sunt palmites omnes, tam inferiores quàm superiores, tamq; minores quàm maiores, & tam tenerio res quàm robustiores.

Locus hic diligenter obseruandus est, ubi nouus homo est, ibi Christus est omnia in omnibus. Ergo ad ueterem adhuc hominem pertinet, quisquis sic est comparatus, ut extra Christum quærat, unde gaudeat & feliciter uiuat. Nam illi non est Christus omnia. Pauciss imos autem inuenias, in quibus Christus uel dimidium sit uitæ, nedum omnia.

Deinde, ubi nouus homo est, ibi omnes unus sunt in Christo. Ad ueterem igitur hominẽ ptinent omnes illi qui sic diuisi sunt à se inuicem, ut unus nequeãt esse in Christo, quales erãt quorum alij dicebant: Ego sum Cephæ: alij, Ego sum Apollos: alij, Ego sum Pauli: & qui hodie, alij Benedictini, alij Franciscani, alij Dominicani, alij Bernhardini uocari uolunt. Omnibus illis non est Christus omnia, nec illi omnes unus sunt, quia noua creatura in Christo non sunt.

Sitis igitur induti tanquã electi Dei, sancti ac dilecti, uiscera miserationũ, comitatem, modestiam, mansuetudinem, lenitatem, sufferentes uos inuicem, & condonantes uobis mutuò, si quis aduersus aliquẽ habuerit querelam, quemadmodum & Christus condonauit uobis, ita & uos: super omnia autem hæc, charitatem, quæ est uinculum perfectionis, & pax Dei palmam ferat in cordibus uestris, in quam & uocati estis in uno corpore, & grati sitis.

Prosequitur cœptam paræneſim, qua quemadmodũ hactenus ad mortificandũ, abdicandum & exuendum ueterem hominem cum factis suis adhortatus est: ita iam consequenter alteram adhortationis huius partem subijciens, hortatur eos ut induant ea quæ noui hominis sunt membra, quorum aliqua recenset: utpote commiserationem, comitatem, modestiã, mansuetudinem, lenitatem, patientiam, condonationem offensarum, charitatem, pacem, & gratiarum actionem.

Sitis

Sitis igitur induti, inquit.] Illatio est ex eo quod in præcedentibus dixit: Posteaquam exuistis ueterem hominem cum factis suis, & induistis nouum, qui renouatur ad agnitionem secundum imaginem eius qui condidit illum. Hic inferendum erat: Induite igitur tanquam electi Dei, &c. Q. d. Quoniam in baptismate ueterem hominem exuistis, & nouum induistis, restat iam, ut reipsa induatis omnia noui hominis membra, studia & facta, quo ueritas sacramento respondeat: uerùm singulari consilio interposuit illud, Vbi non est Græcus & Iudæus, circũcisio & præputium, &c. ac tum demum illationem hanc subiecit:

Tanquam electi Dei, inquit, *sancti ac dilecti.*] Annectit hanc particulam rationis loco, qua moueri debeant, ut quæ subiecturus est, noui hominis ornamenta induant. Est autem ratio hæc sumpta ab incomparabili gratia ac dignitate, quæ ipsis in Christo contigerat. Erant à Deo ad ueram & æternam felicitatem ac gloriam filiorum Dei ab æterno in Christo electi, erant spiritu ac baptismatis sacramento sanctificati, erant ex inimicis & odio dignis facti dilecti & amici: conuenibat igitur, ut tantæ gratiæ ac dignitati competenti sese conuersatione uitæ accommodarent, longeq; diuersi essent à reprobis, prophanis & detestabilibus huius seculi filijs. Sic & alibi hortatur fideles, ut ambulent sicuti dignum est uocatione, qua uocati sunt in Christo Iesu. uide Ephes. 4. mox initio: Obsecro, si qui à regia essent maiestate ex infimis uulgi sordibus ad eximios aulæ illius honores electi, cohonestati, ac inter primarios amicos cõnumerati: an' non par esset summo illos satagere studio, ut tantæ se dignitati conuenienter per omnem suam uitam conformarent? Et tamen quæ comparatio aulæ regiæ cum dignitate & gloria filiorum Dei?

Viscera miserationum, inquit, *comitatem, &c.*] Dixerit hic quispiam: Cùm electi, sancti ac dilecti Dei sic sint per renouationem spiritus comparati, ut ultrò propendeant ad uiscera miserationum, &c. quorsum opus erat eos admonere, ut uiscera miserationum, comitatem, &c. induerent? Respondeo: Cùm uocat eos electos, sanctos & dilectos Dei, non exprimit realem illorum renouationem, & noui hominis dotes: sed admonet eos gratiæ Dei, per quam erant electi, sanctificati ac dilecti. Interim etiamsi opus renouationis in cordibus ipsorũ cœperat, erant tamen adhuc admodum imperfecti, & opus habebãt ut harum rerum admonerentur.

Simul obserua: Nondum induerant, ut par erat, miserationum uiscera, comitatem, modestiã, aliàs non fuisset illis opus hac admonitione: & tamẽ erant electi, sancti ac dilecti Dei. Ergo nõ ideo erant electi, sancti ac dilecti, quòd essent misericordes, comes, &c. sed ut tales rederentur. Gratia Dei causa est uirtutum nostrarum, non uirtutes nostræ causa gratiæ Dei.

Viscera miserationum, inquit.] Intimos præcordiorum affectus, uiscera uocat. de qua uoce diximus in ea quæ est ad Philip. cap. 1. ubi dicit: Testis mihi Deus est, quàm desiderem uos omnes in uisceribus Iesu Christi. Cùm igitur monet, ut uiscera miserationum induant: significat Christianorum pectora non debere leui aliqua misericordia tangi, sed in intimis præcordijs ad singularem commiserationem moueri. Sanè ubi illa est in cordibus nostris, non egent miseri & afflicti operosa sollicitatione, qua nos ad misericordiam permoueant: sed abundè sufficit miseriæ illorum aspectus.

Comitatem, inquit.] Græcè est, χρηστότητα, quam uocem Rom. 2. bonitatem, alicubi benignitatem, nonnunquam & suauitatem uertunt. Verùm de illa diximus 2. Corinth. 6. ibi: In puritate, in scientia, in animi lenitate, in benignitate, &c. ubi est, ἐν χρηστότητι. uide ad Ephesios quarto, ubi legitur: Sitis inuicem alius in alium comes ac misericordes.

Modestiam, inquit.] Græcè est, ταπεινοφροσύνην, id est, animi humilitatem. De hac annotauimus Capite præcedenti, ibi: Per humilitatem animi, & superstitionem angelorum. Et Eph. 4. meminit huius ταπεινοφροσύνης.

Mansuetudinem, inquit, *lenitatem*: item, *Sufferentes uos inuicem.*] Leguntur eadem Eph. 4. mox sub initium, ad hunc modũ: Cum omni submissione ac mansuetudine, cum animi lenitate, tolerantes uos inuicem per charitatem. Vide quæ ibi sint annotata.

Et condonantes uobis mutuò, inquit, *si quis aduersus aliquem habuerit querelam, quemadmodum & Christus condonauit uobis, ita & uos.*] Eph. 4. in calce sic ista leguntur: Largientes uobis inuicem, quemadmodum & Deus per Christum largitus est uobis.

Illud, Condonãtes uobis mutuò: Græcè est, χαριζόμενοι ἑαυτοῖς: id est, Condonãtes uobisipsis. Sic & ad Ephesios quarto. Meo iudicio sentit Apostolus: Si quis querelam aduersus aliquem habuerit, non debere illum ius suum actione iudiciaria coram ethnico tribunali persequi, id quod Corinthios fideles feciſſe liquet: sed inter fratres componere litem, per condonationẽ offensæ. Sibijpsis condonant fratres, dum frater fratri, quod peccatum in se est, ignoscit. Et hoc omnino conuenit fratribus, quibus communi sensu probrosum est, mutuas offensas forensibus iurgijs persequi. Ne sit iurgium inter me & te, sumus enim fratres, inquit Abraham ad Loth, Genes. 13. At Christianos longè coniunctiores esse conuenit, quàm qui sanguine tãtùm sunt fratres. Est igitur hæc loquutio ab Apostolo pertinentissimè posita, qua dicit: Condonantes uobisipsis. Nam sibsipsi cõdonat, quisquis fratri suo cõdonat. Est enim frater alter ipse. Quod perinde est, ac si pes pedi, ac manus manui largiatur.

Si quis aduersus aliquem habuerit querelam, inquit.] Haud ignorabat Apostolus, fieri non posse, ut prorsus sine omni offensa inter se uiuant Christiani. Ideo quomodo se gerere debeant, si frater fratrem ulla in re offenderit, non sine causa hic & alibi præscribit. Præscribit autem cõmuniter omnibus. Neq; enim dicit, Si inferior: neq;, Si superior: sed in genere, Si quis aduersus aliquem, quisquis sit, & aduersus quemcunq; habuerit querelam. Facilè persuadetur inferiori, ut superiori condonet offensam: superiori uerò, ut condonet inferiori, non ita facilè persuadetur. At Apostolus omnibus hoc tam superioribus quàm inferioribus præscribit, ut condonent, si querelam aduersus aliquem, siue æqualem, siue superiorem, siue inferiorem habuerint.

Quid est autem habere querelam aduersus aliquem? An idem quod conqueri de alicuius iniuria? At sic nascitur quæstio, quomodo condonet offensam fratri, qui de illa conqueritur: uel quomodo conqueratur de fratre, qui illi condonat admissam in se iniuriam?

Respondeo: Habere querelam hoc loco, non est idem quod conqueri: sed est causam habere querendi, si illam persequi uelles. Sic potest aliquis habere querelam aduersus fratrem, & tamen de illo non conqueri, sed omnem illi offensam ex animo condonare. Hoc uidelicet est quod Apostolus à Christianis requirit, à quo longius absunt, qui temerè, leui de causa, de fratribus conqueruntur: omnium uerò longissimè discrepant, qui cùm nullam prorsus querelã habeant, ex mera malicia comminiscuntur, quod querantur, quo innocentibus negocium facessant.

Quemadmodum & Christus condonauit uobis, inquit, *ita & uos.*] De hac particula diximus Ephes. 4. in calce capitis. Hic obseruandum est, quod Christum cõdonasse Colossensibus dicit, cum Ephes. 4. Deo tribuat, quòd Ephesijs in Christo condonauerit. 2. Corin. 5. dicit: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputãs eis peccata ipsorum. Condonare peccata, est remittere ea, & non imputare. Ea condonatio tum est authentica, quando à superiori fit potestate, cuius dominio subiacent omnia. Sic proponitur nobis Christus propitiator, nõ sine Deo patre, quo firmam sciamus esse, & authenticam remissionis gratiam. Rursus non proponitur nobis Deus sine Christo, ne gratiam hanc cõtingere nobis sine mediatore putemus: id quod & Iudæi faciunt, & Turci.

Quando autem condonauerat illis Christus? Primò, cùm in cruce pendens semetipsum Deo patri, pro peccatis totius mundi offerret, ac sanguinem suum effunderet. Deinde, cùm eos per Euangelium gratiæ suę inuiseret, & credentes ab omni impietate ac potestate satanę liberaret, inq; regnum suum reciperet. Prior modus sine posteriore nihil illis profuisset, ac rursus posterior sine priore inanis coram Deo extitisset.

Ita & uos, inquit.] Dices: Fecerat hoc Christus non rogatus. Debemus ne & nos non rogati remittere fratribus offensas? At Christus eum qui fratrẽ offendit monet, ut uideat quomodo illi reconcilietur, priusquam munus suum Deo offerat. Matth. 5. Deinde Lucæ 17. sic dicit: Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnituerit ipsum, remitte illi. Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, remittes illi. Ergo nõ teneor ad remittendũ fratribus offensas, nisi ipsos delictorũ pœniteat, & culpam deprecantes petant, ut eam remittam. At si hoc fecero, quomodo satisfaciam Apostolicæ huic admonitioni, qua condonare fratribus iubeor, quemadmodum mihi Christus condonauit.

Respondeo: Duplex est remissionis genus. Vnum, quo qui offensus est, etiamsi non rogetur, suapte spõte offensam remittit, paratior ad benefaciendum etiam inimico, quàm ad ulciscendum. Alterum, quo rogati remittimus. Prior modus laudabilis quidem est, uerùm non est efficax coram Deo, propter eius qui peccauit impœnitentiam: posterior uerò non modò ad reconciliationem fratrum facit, sed & Deum ipsum placat, ut ille quoque quod peccatum est remittat, propter pœnitentiam uidelicet eius qui deliquerat. Apostolus autem hoc loco id quærit, ut libidinem ulciscendi auferat à Christianis, & moneat eos qui læduntur, quàm debeant ad condonandum esse parati. Interea non attingit eam partem, quæ competit illis, qui fratres lędunt & offendunt, eo quòd illa non ita ad causam facit quam tractat, sed separatam habet considerationem.

Vide autem quomodo connectat utrunq;, cùm quod Christus singulari gratia fecit, tum quod nos secũdum illius exemplum facere debemus. Si pertinet ad me præsens admonitio, qua fratribus condonare iubemur: utique & illud quod adiunxit, Quemadmodum & Christus condonauit uobis, ad me pertinet. Etenim quomodo exemplo gratiæ Christi, ad imitationem constringerer, si illius non essem factus particeps? Quomodo condonabo fratribus, quemadmodum mihi condonauit Christus, [illegible] de gratia condonationis illius certus esse non potero? Qui de illa dubitat, qua conscientia sese imitationi illius accommodabit? unde constringi se sentiet, ut & ipse fratribus ignoscat? Ex eo itaq; quod ad exemplũ Christi erga alios factitare iubemur, omnium certissimè colligimus, quid nobis sit à Christo factũ: & uicissim ex eo quod fecit nobis Christus, quid alijs nos facere debeamus.

Super

Super omnia autem hæc charitatem, inquit (intellige) *induti sitis.*] Quod interpretes uertêrũt, Super omnia: in Græco est, ἐπὶ πᾶσι: quod aliquando sonat, Post omnia, aliquando Super omnia: nonnunquam, Propter omnia. ad quem modum nonnulli reddiderunt. Meo iudicio, quoniã metaphorico sensu uerbo Induendi utitur, & uirtutes quas recensuit instar indumentorum induendas, inq; illis ambulandum nobis esse moneat: adijcit iam de charitate, quam similẽ facit superiori amictui, quo interiora indumenta non solùm externè tegũtur: sed & ea omnia cõstringũtur, & tota uestitura corporis absoluitur & integratur. Sic. n. charitas uirtutes hasce omnes, ueluti uinculo quodã cõstringit, & cõuersationẽ uitæ nostræ integrã absolutãq; reddit, ut quemadmodũ non est perfectè & honestè uestitus, qui interiorib. tantùm indutus sine tunica prodit in publicum: ita & uitæ nostræ conuersatio non est integra & perfecta, quibuscunque tandem sit uirtutibus induta, si charitas desit. Inuenias hominem qui natura quidem sit procliuius ad misericordiam, comitatem, humilitatem, mansuetudinem, lenitatem, tolerãtiam & ad condonandum: uerùm interea ueræ ac Christianæ dilectionis spiritu destituatur, sine quo omnia coram Deo sunt inania. qua de re uide Epistola prima Corinthiorum capite decimotertio. Quòd igitur in Græco est, ἐπὶ πᾶσι δὲ τούτοις: rectè uertitur, Super omnia autem hæc: non quòd charitas postrema inter conuersationis nostræ uirtutes esse debeat, sed propter similitudinem indumentorum, quam induxit, sic loquutus est Apostolus. Aliàs, quemadmodum fides in ijs quæ ad Deum, ita charitas in ijs quæ ad proximos nostros pertinent, & prima esse debet, & media, & suprema: sic ut ex illa prodeant, in illa fiant, & in illam desinãt quæcunque agenda nobis sunt cum proximis. Qui tamen legunt, Propter omnia autem hęc charitatem: non abludunt ab hoc sensu. Sentiunt enim, nihil esse hæc omnia, nisi propter charitatem fiant.

Quæ est uinculam perfectionis, inquit.] Dubio procul praticulam hanc ad singularem charitatis commendationem adiecit, qua dè illa prædicat, quòd sit σύνδεσμος τῆς τελειότητος, id est, colligatio perfectionis, integritatis & absolutionis. δεσμὸς Græcè uinculum sonat, etiam ubi unũ quid tantùm uincitur: σύνδεσμος uerò colligatio est, qua plura simul colligantur, ut unum quodammodo corpus integrum ac perfectum constituant. Sic charitas integritatem ac perfectionem Christianæ conuersationis quasi communi omnium uirtutum colligatione constituit ac conseruat.

Quòd si quis perfectionem hanc & integritatem non ad uirtutes Christianæ uitæ, sed ad corpus Ecclesiæ referendam esse iudicat, meo iudicio, haudquaquam à scopo aberrat. Etenim fieri non potest, ut integritas Ecclesiæ subsistat, si charitate mutua destituatur. Sine illa quippe membra illius dissiliunt, & integritas destruitur: perinde ac si domus, uel nauis, uel corpus, retinaculis suis priuetur. quo simili & Chrysostomus utitur. Reuera, quicquid ex multis est ueluti membris in unum corpus compactum, integritatem suam retinere non potest, nisi uinculis quibusdam colligetur. Et ea uincula rectè σύνδεσμοι τῆς τελειότητος uocantur. Talis autem omnino σύνδεσμος est charitas.

Et pax Dei palmam ferat in cordibus uestris, inquit.] Pax Dei est: primò, quæ est à Deo, tanquam singulare donum, siue sit terrena, siue cœlestis. Deinde pax Dei est, quæ est cum Deo, cuius mentionem facit Apostolus Romanorũ 5. dicens: Iustificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deum. Quia uidelicet omnis est inter Deum & nos sublata inimicitia. Tertiò, pax Dei est, quæ inter fideles & pios est propter Deum. Quartò, ut ea pax Dei est, quæ est in Deo, qua in fide, religione, cultu & obseruantia Dei pacatæ sunt fidelium mentes. Iam cùm dicit Apostolus, Et pax Dei palmam ferat in cordibus uestris: non adeò est manifestum, ad quam sit pacem referendum, an eam quæ est à Deo, uel eam quæ sit cum Deo, uel quæ sit propter Deum, uel quæ sit in Deo. Reuera ubi pax est, quæ sit nec à Deo, nec cum Deo, neque propter Deum, neq; in Deo, pax Dei dici non potest: neque talis est, quam quis uel sibi, uel sibi optare debeat.

Existimo autem non aberrare eos à causa, quam agit in præsenti loco Apostolus, qui de pace exponunt, quàm fideles inter se propter Deum custodiunt. De hac admonet Colossenses, ut sint illius ex animo studiosi sic, ut illa primas obtineat inter ipsos. Hoc uidelicet est, quod dicit, βραβευέτω: id est, uincat ac superiores habeat in cordibus uestris. Verbo hoc utitur hic tantùm, quare nõ est ut aliunde eliciamus, quo sensu illo utatur. Vetus interpres reddidit, Exultet: Germanicus uerò, Regier. Non simpliciter dicit, Inter uos: sed, In cordibus uestris. Significans, quanto serio paci huic studere, ac quanti illam facere debeant: sic uidelicet, ut præferant eam omnibus terrenis emolumentis, bonis, opibus & honoribus, & quicquid in hoc seculo appeti potest. Viderint hic qui osores sunt pacis huius magis quàm studiosi, ideoq; leues illam ob causas fratribus renunciant.

Ad quam & uocati estis, inquit, *in uno corpore.*] Quemadmodum exemplum Christi in medium adduxit, ita consequenter eos & de uocatione ac gratia illius admonet, dicens: Ad quam, pacem, Dei uidelicet, & uocati estis in uno corpore. Quasi dicat. Duplici nomine cõdonare fratribus, ac paci Dei inter uos custodiendæ, studere debetis. Primò, propter exemplum Chri-

sti, qui uobis omnia uestra peccata, cum omni incredulitate & impietate condonauit: deinde, propter uocationem, qua uos ad pacem Ecclesiæ suæ uocauit, ut in illa ueluti unius corporis membra concorditer uiuatis. Vt hoc significet, non simpliciter dicit, Ad quam uocati estis: sed addit, In uno corpore. qua particula tollit omne discrimen, quod inter Iudæos & Gentes à nõnullis quærebatur, & amolitur omnia diſsidia, studia & partes sectarum, quibus Ecclesiastici corporis unitas & pax discinditur.

In oculis imperitiorum duæ uidebantur esse separatæ Ecclesiæ Iudęorum & gentium, ueluti duo distincta corpora: quam opinionem gignebat zelus legis in Ecclesia Hierosolymitana, & pseudapostolis passim circumeuntibus, & Iudaismum introducentibus. Contrà Apostolus unam docebat esse Christi Ecclesiam, ex Iudæis & Gentibus collectam, uelut unum corpus, sub uno & eodem capite Christo, ideoq; sedulò ad pacem, unitatem & concordiam Christianos omnes hortabatur: id quod & hoc loco facit, dicens: Pax Dei superiores habeat in cordibus uestris, ad quam & uocati estis, in uno corpore.

Quòd instituti erant in fide Christi ab Epaphra, nec uocationem illorum, nec Ecclesiam reddebat diuersam. Licet enim alij per alios ministros in Euangelio Christi instituantur, una tamen est & eadem uocatio, una etiam & eadem Ecclesia, ad quam uocamur omnes, & sub uno & eodem capite Christo, unum & idem corpus reddimur.

Quemadmodum igitur & contra naturam est, & ad exitium facit, si unius & eiusdem corporis membra à se inuicem diſsideant, perq; partium studia scindantur: ita nihil potest esse alienius ab Ecclesia Christi, nihilque exitiosius, quàm si abiecta pace unitas fidelium diſsiliat, & in partes diuellatur.

De eo autem quòd nobis obijciunt Papistę, esse nos uiolatores unitatis Ecclesiasticę, diximus aliquoties. Vnitatem sanè quę in ecclesia Papistica, non sub uno capite Christo, sed sub Antichristo erat, diremit lux Euangelicę ueritatis, cuius nos Dominus uoluit in hisce postremis temporibus esse ministros, quo ad ueram unitatẽ Ecclesię Christi, quotquot electi sunt, perducantur.

Et grati ſitis, inquit.] Græcè est, καὶ εὐχάριστοι γίνεσθε: quod nonnulli reddunt, Et ſitis amabiles: quasi, quemadmodum Latinis gratum esse nonnunquam idem quod acceptum esse significat, ita & εὐχάριστος Græcis idem sonet, quod Acceptus & amabilis. Scio Erasmi annotationes huic sententiæ adstipulari: uerùm cùm nec uspiam in Apostoli huius literis εὐχάριστος, pro accepto & amabili ponatur, nec ulla urgeat ratio, propter quá à consueta illius significatione discedere debeamus: existimo Apostolũ admonere Colossenses, cõpetere ipsis, ut uocationẽ suã, qua ad corporis Christi unitatem uocati erant, grato animo plurimi faciant, atque ita omnis generis diſsidia fugiant: ne si rupta pace inter fratres discordijs ac sectis aditum præbuerint, summa cum ingratitudine in uocationis suæ gratiam peccent. An non turpissimę ingratitudinis notam incurreret homo mendicus, & per singularem regiæ maiestatis gratiam in familiam aulicam selectus & uocatus, si unitatem regiæ domus diſsidijs ac cõtentionibus uiolare, ac pacem illius turbare præsumeret? Vtiq; meritò summæ ingratitudinis probrum sustineret. Admonemur hinc, quam detestabilis sit ingratitudo, si in unitatem corporis Christi uocati, pacem illius disturbauerimus.

Sermo Christi inhabitet in uobis opulentè cum omni sapientia, docetecq; & commonete uos inuicem, cantionibus, & laudibus, & cantilenis spiritualibus, cum gratia canentes in corde uestro Domino. Et quicquid egeritis sermone aut facto, omnia in nomine Domini Iesu facite, gratias agentes Deo & patri per illum.

Multa quidem admodum præclara in Epistola hac proponit Colossensibus, uerùm epistolaris anguſtia ferre non poterat, ut de omnibus eos ad Christianam sapientiã pertinentibus admoneret. Hortatur itaque, ut iugi & indesinenti studio uerbum Christi inter se exerceant, ac familiare sibi reddant, per quod in omni sapientia instruantur. Impossibile erat & ipsorum Apostolo Epaphræ, omnia necessaria docendo suggerere. Quare ipsa postulabat necessitas, ut ex uerbo Domini ipsi sese quotidie instruerent & admonerent. Hoc significans, dicit: Sermo Christi inhabitet in uobis opulentè cum omni sapientia, doceteque & commonete uos inuicem, &c. Insignis est hic locus, quare operæprecium est, singula illius uerba diligenter inspicere.

Sermo Christi, inquit.] Si quæris q̃ debeat inter Christianos uigere ac seruari doctrina, habes hic illam ab Apostolo diserte expressam. λόγος, inquit, τοῦ χριστοῦ, i. uerbum Christi. Est autem uerbũ Christi nihil aliud, quàm doctrina Christi, Euangeliũ uidelicet à Christo nobis traditũ, & per Apostolos & Euangelistas ad posteros trãsmissum. In hoc autẽ cõprehenditur omnis Scriptura sacra, in qua de Christo nobis ac regno eius uaticinia ac testimonia proponũtur.

Non est autẽ ut quæratur, quare uerbum Christi, & non alterius cuiuspiã in Ecclesijs Christi retetineri debeat. Est enim ille Dominus, rex & magister unicus in domo, regno & populo

populo Dei, Ecclesia uidelicet electorum ac fidelium omnium. In domo bene constituta nō debet aliud audiri uerbum, quàm eius qui est illius dominus: & in regno & populo regni sermo regis solus debet esse authenticus. In domo Dei, quæ est Ecclesia, nō debet sonare uerbū episcoporum ac pontificum: sed Christi, quem audiendum nobis pater ipse de cœlo proposuit, Matth. 3 & 17.

Huc etiam facit qualitas doctrinæ Christi, quæ sic est comparata, ut sola sit lux per quā mentes mortalium ad ueram cognitionem Dei & uitam illuminantur ac perducūtur, Si permanseritis in sermone meo, inquit, cognoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos, Ioan. 8. Et, Domine, ad quem ibimus, inquit Petrus, Ioan. 6. Verba uitæ ęternæ habes: & nos credidimus & cognouimus quòd tu es Christus filius Dei uiui. Dum hæc perpendimus, perspicuas uidemus esse causas, propter quas non debeat aliud uerbum quàm Christi retineri ac sonare in Ecclesia. Quare non modò pestes sunt Ecclesiarum, sed & ipsissimi hostes gloriæ Christi, qui cunq; pro uerbo illius doctrinas & mandata hominum fidelibus proponunt.

Sermo Christi inhabitet in uobis, inquit.] Græcè est ἐνοικείτω ἐν ὑμῖν. Significat autem uerbū ἐνοικεῖν non simpliciter inhabitare, sed propriè domesticæ inhabitationis significationem habet: unde & ἔνοικος, domesticum sonat. Vsurpauit hoc uerbum Apostolus admodum conuenienter hoc loco. Significat enim, uerbum Christi in Ecclesia Dei sic debere regnare, atque uerbū patrisfamiliàs in tota domo inter domesticos familiariter sonat, & omnia dirigit ac moderatur. Loquitur autem (meo iudicio) de ea inhabitatione uerbi Christo, qua in singulis fideliū domibus tanquam norma ac regula Christianæ uitæ inhabitet: atque ita non solum Ecclesiastica consuetudine, sed & domestica familiaritate usitatissimum sit & cognitissimum. Si hic sensus placet, accipiatur illud ἐν ὑμῖν, i. In uobis, pro, Inter uos. Et utinam sic habitet passim in domibus Christianorum uerbum Euangelij Christi, ut notum sit ex domestico usu omnibus domesticis ab ipso patrefamiliâs ad infima usq; famulitia.

Quoniam autem longè aliter animati sunt nostris hisce tēporib. qui Papisticos errores & eidolomanias cum suo Simone mordicùs retinētes ac defendētes sacrarū Scripturarum lectionē plebi Christianorū, prsus illicitā esse uociferantur: Apostolus Christi diligēter ac fideliter requirit à Christianis, ut uerbū Christi inter ipsos familiariter habitet. Hanc illi Apostolicā admonitionem reijciunt. Legant saltem quę hoc loco Patres scribunt. Hieron. sic: Hic ostenditur, uerbum Christi non sufficiēter tātum, sed abundanter, etiam laicos habere debere, & docere se inuicem, uel moneri.

Et Chrysostomus ad hunc modum: Inhabitet, inquit, in uobis opulentè Non simpliciter, sed cum multa opulentia. Audite quotquot estis mundani, & uxoribus præestis ac liberis, quomodo & uobis potissimùm præcipiat Scripturas legere: idque non simpliciter, neq; obiter, sed magna diligētia. Et paulo pòst: Audite obsecro seculares omnes. Comparate uobis Biblia, animæ pharmaca. Si nihil aliud uultis, uel nouum Testamentum acquirite, Apostolū, Acta, Euangelia, continuos ac sedulos doctores. Si acciderit mœsticia, huc ueluti ad apothecam pharmacorum accumbe. Hinc tibi sume solamen mali, siue dānum acciderit, siue mors, siue amissio domesticorum. Imò non accumbe solum, sed omnia mente contine. HOC DEMVM MALORVM OMNIVM CAVSA EST, QVOD SCRIPTVRAE IGNORANTVR. Sine armis bellum ingredimur, & quomodo seruabimur? Armati uincere seruariq; solent, inermes nequaquam. Non omnia in humeros nostros proijcite. Oues estis, uerùm non irrationales, sed ratione præditæ. Multa & uobis committit Paulus.

Et super Matth. hom. 2. Sed horū criminū tandē illa defensio est, inquit: Nō sum ego monachus, uxorē habeo, & liberos, & curā domus. Hoc enim est, quo omnia quasi una quadā peste corrūpitis, quòd lectionē diuinarū Scripturarum ad solos putatis pertinere monachos, cum uobis multo magis quàm illis sit necessaria. Itaq; multo & grauius atque deterius est, superfluam esse legem Dei putare, quàm illam omnino nescire. Hæc enim uerba sunt, quæ de diabolica prorsus meditatione promuntur. Et supra Genesim hom. 28. Propterea obsecro, inquit, ut subinde huc ueniatis, & diuinæ Scripturæ lectionem diligenter auscultetis: non solū cum huc uenitis, sed & domi diuina Biblia in manus sumite, & utilitatē in eis positā magno studio suscipite. Hæc ille. In Hieronymo habetur sententia Latinorum, & in Chrysostomo Græcorum patrum, à qua posteri Romanistæ διὰ παστὸς dissentiunt.

Opulētè, inquit.] Nō utcūq;, nō tenuiter ac parcè: sed copiosè & abūdāter. Opulētia donorū ac bonorū cœlestiū gloriā Dei prædicat. Omnino quæ ex Deo sunt, abūdè suppeditātur. Omne aūt bonū ex Deo est, & unde est ipsum bonū, inde est etiā omnis copia & abūdantia boni. Verbum Christi inhabitet in uobis opulētè, inquit. Quæri poterit hic, quæ nā sit in uerbo Christi abūdantia, cū non laudetur abundātia in uerbo. Sapienti datur, quòd sit uerborū uir paucorum. At Christus, cum sit omniū sapientissimus, quomodo uerbo illius tribuitur opulētia? Respondeo: In multitudine uerborū defectus est, non uera opulentia. Vera opulentia in rebus est, non in uerbis: in uera sapientia, non in multiloquio. Vnde & hic subijcitur: In omni sapientia. Eorum itaque conciones sacræ probari non possunt, qui sic studēt multi-

tiloquio, ut ſermones ipſorum nihil ſint aliud quàm ſpuma quędam inanium uerborum, qui bus aures imperitæ multitudinis ſuſpenſas tenent, animos uerò non paſcunt.

Cum omni ſapientia, inquit.] Suprà cap. 1. dicit ſe orare pro ipſis ad Deum, ut impleantur agni tione uoluntatis eius, in omni ſapientia & intelligentia ſpirituali, quo ambulent dignè Do mino, illiq́ue per omnia placeant: hic tribuit ſermoni Chriſti omnem ſapientiam. Ergo, ut omni ſapientia impleamur, duo hæc ſunt neceſſaria. Vnum, ut petamus eam à Deo: ſic Iaco bus cap. 1. Quòd ſi cui ueſtrùm deeſt ſapientia, inquit, poſtulet ab eo qui dat, nempe Deo, qui dat omnibus ſimpliciter, nec exprobrat, ac dabitur ei. Alterum, ut uerbum Chriſti inter nos familiariter & opulentè habitet, per quod in omni ſapientia inſtruamur. Diligenter itaq; ob ſeruandum eſt hoc loco, quòd uerbo Chriſti tribuit Apoſtolus omnem ſapientiam: ſignificàs nõ eſſe nobis opus, ut aliũde queramus uerã ſapientiã, quaſi nõ ſufficiat nobis doctrina uerbi Chriſti. Alius quærit ex Moſe, alius ex Maomete, alius ex philoſophis. Quęrũt illi quidẽ, ſed non inueniunt ueram ſapientiã: ſimiles imperitis, qui cuprũ amplectuntur pro auro. At Chri ſtianis in Chriſti uerbo ipſum hãbet ueræ & omnis ſapientiæ fontem, unde abundè inſtruitur, quid de Deo ſcire, quid credere, quid ſperare, & ſperãdo expectare, quidq; facere, & quid uitare, ac quomodo in omnibus & erga quoſuis conuerſari debeat.

Non uult igitur Chriſtus fideles ſuos eſſe inſipientes, dum uerbum illis dat, quod habitet inter ipſos cum omni ſapientia. Contrà Antichriſtus ſuos uult eſſe ſtipites, bardos & cęcos: quia nõ cupit eos fieri ſaluos, ſed libidini ſuæ ſubiectos. Chriſtus quoniam omnes homines ad ſalutem æternam uocat, cupit eos fieri ſapientes, & hoc conſilio inducit eos per ſpiritum ac uerbum ſuum in cognitionem ueritatis.

Docentes & commonete uos inuicem, inquit.] Græcè eſt, διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες ἑαυτούς: id eſt, Docẽ tes & admonẽtes uoſmetipſos. Eraſmus exiſtimat participia hæc poſita eſſe pro uerbis ipſo rum, eſſeq; legendum in imperatiuo, Docete & cõmonete uos inuicẽ: uel referẽda eſſe ad id quod præceſsit, Et grati ſitis. Sunt qui ſic reddant: Docendo & cõmonefaciendo uos. Quod ſi illud, Verbum Chriſti habitet in uobis, accipiatur pro, Curate ut uerbum Chriſti habitet in uobis: non inepta erit lectio per participia, Docentes & cõmonefacentes uosmetipſos: atq; ita ſignificabitur, quomodo curare debeamus, ut uerbum Chriſti habitet inter nos opulẽtè, ſic uidelicet, ſi ſimus docentes & commonefacientes uoſmetipſos. Si hoc non placet, non ui deo rationem aliam qua ſaluetur hæc lectio, quàm ut quod in Græco eſt ἐν ὑμῖν, i. in uobis, E braico more poſitũ ſit, pro בכם ubi rectè ſequuntur participia מלמדי ומתזכרים uel מלמדי ומזכרי אתכם, i, Docentes & commonefacentes uoſmetipſos. Nihil enim offenſionis eſt ut in Ebr. ſic legas רבר חמשיח ישרב בכם מלמדי ומזכרי אתכם, ita & in Latino, ſi quod in Græco eſt reddas: Verbum Chriſti habitet inter uos docentes & commonefacientes uoſmetipſos. Quare quod Eraſmi uertit: Doceteq́; & commonete uos inuicem, cũ copula Que, non ſit in tex tu: haud eſt neceſſariò factum. Poterat enim illud ἐν ὑμῖν reddi, Inter uos, ac tum retineri parti cipia, in caſu accuſandi: licet in Græco nominandi ſint caſu poſita.

Docentes, inquit, *& commonefacientes uoſmetipſos.*] Exponit, quomodo uerbum Chriſti opulen tè inter nos, & in omni ſapientia, habitare debeat. Non dicit Diſputãtes & altercãtes: ſed, Do centes & commonentes uoſmetipſos. Hodie non minus quàm in Papatu loco doctrinę & cõ monefactionis diſputatur & cõtenditur, idq; & ſophiſticè, & admodũ acerbè: qui abuſus uer bi Dei omniũ eſt nocentiſsimus. Apoſtolus duas ponit Chriſtianæ ædificationis ſpecies, do ctrinam uidelicet, & commonefactionem. Aut enim ignoramus quæ ſunt cognoſcenda, aut quaſi illorũ obliti, quæ faciẽda ſunt nõ facimus. Ignorãtes igitur, docẽdi ſumus: & cognita nõ faciẽtes, admonẽdi. Hic uerus uſus eſt uerbi Chriſti, quo ſolo in omni ſapiẽtia, in fide, pieta te ac Chriſtiana cõuerſatione inſtruimur & ædificamur. Sed hac de re diximus ſuprà cap. 1. circa calcẽ, ubi ſic dicit: Admonẽtes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in o mni ſapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu.

Illud, Vos inuicem: in Græco eſt, ἑαυτῶν, i. Voſmetipſos. Poteſt bifariã accipi: uel, ut intelliga mus, debere nos inuicem alius alium docere & commonefacere: uel, ut ſemetipſum quiſque ex uerbo Chriſti doceat & commonefaciat. Priorem ſenſum exprimit Eraſmi uerſio, in qua legimus, Doceteq́ue & commonete uos inuicem: poſteriori fauet Vulgata Latina. Sic enim illa habet, Docẽtes & cõmonentes uoſmetipſos. Siue hanc ſiue illã lectionẽ ſequamur, utrũq; n obis conuenit, tam ut noſipſi ex uerbo Chriſti doceamus & cõmoneamus, quàm ut alius aliũ doceat & cõmoneat. Non dicit, Docentes ac cõmonentes eos q imperitiores ſunt ac ne gligẽtiores: ſed, Docẽtes ac cõmonentes uoſmetipſos. Ergo nõ modò doctis preſcribit, ut & alios & ſemetipſos doceãt cõmoneantq;: ſed in uniuerſum Chriſtianis omnib. Nec eſt ut di camus, fieri hoc nõ poſſe, propterea quòd pauci ſunt, quib. ita ſit in uſu uerbũ Chriſti, ut ex il lo ſemetipſi, nedum alios docere queãt. Sanè nõ ſunt multi, qui preſtare hoc poſsint. Verũ in cauſa eſt non difficultas rei, ſed neglectus uerbi Chriſti. Aliàs facilè eſſet patribus familiãs ſuos domeſticos & liberos, maritis ſuas uxores, matrifamiliãs ſuas ancillas, fratri fratrẽ, pro-

ximo

ximo proximum, uicino uicinum docere ac commonefacere, si inter nos habitaret uerbum Christi opulentè ac familiariter, non Ecclesiasticè duntaxat, sed & domesticè.

Cantionibus, inquit, *& laudibus, & cantilenis spiritualibus.*] Græcè est, ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις, καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς. Eadem habentur & Eph. 5. ubi sic legimus: Et ne inebriemini uino, in quo luxus est: sed impleamini spiritu, loquentes uobismetipsis ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις, καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς. quo loco Erasmus reddidit, per psalmos & hymnos, & cantiones spirituales. Poterat sic hic quoq; reddere, quòd probari magis posset, quàm quòd sine ratione usitatam uersionem mutauit. Quid discriminis autem sit inter psalmos, hymnos & odas spirituales, diximus eo loco, ubi etiam de usu psalmorum & cantionum spiritualium annotauimus.

Videtur autem Apostolus uerbum Christi restringere ad psalmos, hymnos & odas spirituales, illisque adscribere usum docendi & commonendi, cum dicit: Verbum Christi habitet inter uos docentes & commonentes uosmetipsos psalmis, hymnis & cantionibus spiritualibus: uerùm contextum hunc sic licet diuidas, ut quæ de psalmis, hymnis & cantionib. spiritualibus dicit, referenda sint ad sequentia, quibus hortatur, ut in gratia canant in cordibus suis Domino, ut duo sint adhortationis huius membra. Vnum quo monemur, ut uerbũ Christi opulentè in omni sapientia habitet inter nos, docentes & commonẽtes nosmetipsos: alterum, quo requiritur, ut psalmis, hymnis & cantionibus spiritualibus in corde nostro Domino cum gratia canamus. Sic, inquam, diuidi possunt, quæ hic dicuntur. Verùm iuxtà fatendum est, nihil esse incommodi, si illa ad præcedentia referamus: intelligamusq; etiam ad doctrinam & commonitionem facere psalmorum & hymnorum usum, quemadmodum iam antea Eph. 5. annotauimus, ubi dicit: Loquentes uobismetipsis per psalmos, &c.

Cum gratia, inquit.] Græcè est, ἐν χάριτι: id est, In gratia. Potest hęc particula bifariam accipi. Primò ut In gratia, uel Cum gratia, idem sit quod, Cũ gratiarum actione, Cum animi gratitudine. Aliquoties sanè χάρις hoc sensu accipitur, ut 1. Cor. 15. Deo autem χάρις, qui dat nobis uictoriam, & 2. Cor. 2. Deo autem χάρις, qui semper triumphare nos facit in Christo. Deinde ut ἐν χάριτι, positum sit per Ebraismum, pro, Propter gratiam, Dei uidelicet, in Christo acceptã. Ebræis namque illud, בחן, id est In gratia, frequenter pro בעבור חנן, i. Propter gratiam, usurpatur. Chrysostomus particulam hanc sic exponit: ὃ τοῦτο φησιν, ὅτι διὰ χάριν ὑμῖν ταῦτα ἐδωκεν ὁ θεὸς, ἢ, ταῖς ἐν χάριτι ᾠδαῖς, ἃ νεβιτοῦντες ἑαυτοὺς καὶ διδάσκοντες ἐν χάριτι· ὅτι ἐν χάριτι ἔσχον ταῦτα τὰ χαρίσματα, ἀπὸ τῆς χάριτος τὸ πνεύματός φησιν. Sunt quibus hoc loco, In gratia, idem esse uidetur, quod, sicut acceptum gratumque sit, & utile audientibus.

Canentes inquit, *in corde uestro Domino.*] Ad Christianum usum psalmorum & hymnorum requiruntur ista. Primùm, ut sint cantiones spirituales, de rebus uidelicet non secularibus, sed spiritualibus. Secundum, ut canantur in gratia. De duabus hisce conditionibus iam dictum est. Tertium, ut non in supremis labijs nascitur, sed ex intimis cordium affectibus promanẽt. Quartum, ut neque uentri, neque quæstui, neque eidolo alicui, neque ad humanam gratiam, sed Domino canantur. Posteriores istæ conditiones præsenti hac particula comprehenduntur, quemadmodum & Eph. 5. ubi dicit: Canentes ac psallentes in corde uestro Domino.

Non est autem ut argutetur hic quisquam, dicens: Si canendũ nobis est in corde nostro: ergo canticum oris reijcitur. Opponitur enim illi canticum cordis, quo solo canitur Domino. Sensus hic alienus est à mente Apostoli Non opponit canticum cordis, ei quod fit ore. Possunt enim utraque quam unitissimè coniũgi, quemadmodum & affectus cordis ac uerba oris in orationibus ad Dominũ rectè ac piè iungũtur. Nec est ut dicatur non esse opus Deo, ut ore illi canamus. Consimili namque modo non est illi opus, ut preces nostras uerbis exprimamus. Et tamen pij omnes non cogitatione tantùm, sed & uerbis Deum inuocant: id quod & prophetę & Christus & Apostoli fecerunt. Quid prohibet quo minus eadem sit & cantico rũ, quæ est precationis cõditio? Semper laus eius in ore meo, inquit Propheta Psal. 34. Et, Ex ore infantiũ ac lactẽtiũ perfecisti laudẽ ppter inimicos tuos. Et Psal. 71. Exultaui labia mea dum cano tibi. Opponit igitur Apostolus nõ cor ori, sed cãtica oris quę fiunt sine corde, illis quę ex corde ꝓmanãt, ubi ex abũdantia cordis labia in canticũ soluũtur. Et reuera sic cõparata sunt corda & ora nostra, ut quẽadmodũ uena & scaturigo aquarũ uiuentium uno & eodẽ fluendi, ita & ipsa eodem loquendi, & canendi actu iungantur. Quare quod hic Apostolus dicit, Canentes in corde uestro: idem est quod, Canentes ex corde uestro Domino.

Et quicquid egeritis sermone aut facto, inquit, *omnia in nomine Domini Iesu facite.*] Quemadmodũ uerbũ Christi opulentè & cum omni sapiẽtia inter Christianos habitare conuenit, per quod de omnib. doceantur & admoneantur: ita & nomen illius omnium debet inter eos tam operum quàm uerborum esse auspicium, quo omnis sit illa uita nostra consecrata, & omnia nostra ab ipsius pendeant authoritate ac uoluntate. Hoc significans Apostolus, dicit: Et quicquid egeritis sermone aut facto, omnia in nomine Domini Iesu facite.

Et quicquid egeritis sermone aut facto, inquit.] Innumera sunt quæ per omnem nostram hanc uitam facimus, sic ut species illorum adnumerari nequeant: & tamen religionis ac pietatis nostræ est, omnia in eius nomine facere, in cuius sumus peculium per gratiam Dei assumpti.

sumpti. Quo igitur ea omnia commoda aliqua diuisione comprehendat, diuidit ea in uerba & opera, dicens: Et quicquid egeritis sermone aut facto.

Sanè quicquid fit ab homine, uel est in cogitatione, uel in uerbo, uel in opere. In cogitatione sunt, ratiocinatio, uoluntas, desiderium, consiliũ & propositum. In uerbo, pronunciatio, doctrina, mandatum, redargutio, promissiones, iuramenta, testimonia, psalmi, hymni, cãtiones, &c. Ad opera referenda sunt non solum labor operis, sed & studia & conatus, siue per nosipsos, siue per alios nostro nomine fiant. Hac puto diuisione comprehendi posse quæcunque fiunt ab homine. Quid igitur est, quòd Apostolus ea ad uerba tantum & opera restringit, dicens: Quicquid egeritis uerbo aut facto, omnia in nomine Domini Iesu facite? An quæ ratiocinamur in cogitationibus nostris, quæ uolumus, desideramus ac proponimus, ad hác nominis Christi religionem non pertinent? uel nulla est eorum coram Deo ratio?

Respondeo: Et cogitationum quidem nostrarum rationem habet Deus: uerùm illæ sic sunt comparatæ, ut priusquam uel uerbo uel opere parturiantur, nihil habeant in se solidi ac certi: ubi uerò uel uerbo uel opere in apertum proferendæ sunt, ibi tempestiuum est, ut non temerè, sed cum religione nominis Christi proferantur. Non excludit igitur Apostolus cogitationes cordium nostrorum ab hac regula, dum hortatur, ut quicquid uel uerbo uel opere egerimus, in nomine Domini Iesu faciamus. Sunt namq; in uerbo & opere comprehensæ. Etenim quid aliud loquentes & operantes facimus, quàm quod cordium nostrorũ cogitata parturimus, & in lucem proferimus?

Omnia, inquit, *in nomine Domini Iesu facite.*] Quomodo omnia? Non est quisquam mortalium, qui perpetuò quod bonum est faciat, & non peccet. Ergo non solum bona, sed & mala quæ facimus, in nomine Domini Iesu facere debemus?

Respondeo: Nõ scribit infidelibus & carnalibus, sed Christianis, quorum est ambulare nõ secundum carnem, sed secundum spiritum. Deinde disertè admonet hactenus mortificanda esse omnis generis peccata: & nouum hominem induendum, qui conditus sit secundum Deum. Quare cum illum omnia in nomine Domini Iesu faciẽda esse monet, non potest de malis uerbis & operibus intelligi. Sunt enim illa non noui & Christiani, sed ueteris & carnalis hominis. Loquitur itaque de uerbis & operibus nostris, quæ dicenda, faciendaque nobis sunt, tanquam hominibus & Christianis, non tanquam malis & carnalibus.

In nomine Domini Iesu facite, inquit.] Verbum Facite, subintelligendum est, In Græco namq; sic habetur, *πάντα ἐν ὀνόματι κυρίου Ἰησοῦ*: id est: Omnia in nomine Domini Iesu: nec adijcitur *ποιῆτε*, sed subintelligendum relinquitur. Quomodo autem omnia in nomine Domini Iesu facienda sint, diximus alibi.

Primò sic, ut ad gloriam nominis illius fiant. Hoc sensu præsentem particulam in Locis nostris, loco de Nomine Dei exposuimus. Deinde sic, ut in fiducia nominis illius fiãt. Chrysost. sic exponit: *πάντα ἐν ὀνόματι τοῦ θεοῦ πράττει, τετίμηκεν αὐτὸν καλῶν βοηθὸν, καὶ πάντων πρότερον αὐτὸν ὑπέμνησεν, ἅπτα τῶν πραγμάτων.* Addit & hunc sensum: *ὃ τοῦτο φυσίν· κατὰ θεὸν πάντα καὶ λέγετε καὶ πράττετε· μὴ τὸν ἄγγελον ἐπισάγετε.* Et aliquanto pòst: *διὰ ταῦτα ὁ διάβολος τὰ τῶν ἀγγέλων ἐπισάγει, βασκαίνων ἡμῖν τῆς τιμῆς. τὴν δαιμόνων τοιαῦτα οἱ ἐπωδοὶ κ' ἂν ἄγγελος, ἢ κἂν ἀρχάγγελος, κ' ἂν τὰ χερουβὶμ, μὴ ἀνέχου,* & quæ ibi sequuntur. Obsecro, quomodo sanctus hic uir suum & aliorum sanctorũ nomẽ nomini Dei in iuramento coniũgi tulisset, qui tam disertè testatur, esse ex diabolo, quod nonnulli angelos nomini Dei superaddunt: & non debere ferri, etiamsi archangelorum & cherubim nomina nomini Dei superinducantur?

Est & tertius modus faciendi aliquid in nomine Domini Iesu, quo uidelicet in persona, loco & autoritate Domini aliquid facimus: id quod propriè est ministrorum Domini. Sed de hac materia uide in Locis nostris.

Ratio autem propter quam in nomine Domini Iesu facienda nobis sunt omnia, hæc est: quoniam nõ sumus tales, qui nostro ipsorũ nomine uiuere & omnia facere possimus: sed sumus superiori potestati subiecti, ei uidelicet, qui nos cum nihil essemus, creauit: & cum perditi essemus, misericorditer redemit: is autem in regnum eos filij dilectionis suæ transtulit, illumq; Dominum nostrum constituit: omnium à nobis iustissima ratione requiritur, ut quæcunque uel uerbo uel opere egerimus, in nomine Domini Iesu faciamus. Nam nemo nostrúm sibijpsi uiuit, & nemo sibijpsi moritur. Etenim siue uiuimus, Domino uiuimus: siue morimur, Domino morimur, adeoque Domini sumus, siue uiuamus siue moriamus. Quare ut ab illo nobis unicè pendendum est, in omnibus, ita conuenit etiam, ut in illius nomine dicamus, operemur ac patiamur, quæ dicimus, facimus & patimur omnia. Vsus uerò adhortationis huius est, ut religione nominis Christi à malis tã uerbis quàm operib. auoceamur, ut quæ à nobis nec authoritate nec fiducia illius fieri possunt. Omniũ namque impijssimũ esset, si mali quicquam uel dicturi uel facturi, nomẽ Dñi nostri Iesu Christi prętexeremꝰ, quasi

Rom. 14.

quasi ille uel author uel auxiliator possit esse malorum. Multa quidem in nomine Domini non ad gloriam, sed ad ignominiam illius facientia præsumuntur ab illis, qui neque iusta nominis illius religione tenentur, neq; rectam uerborum & operum suorum rationem habent, id quod potissimùm in Papatu accidere uidemus: uerùm longè aliter animati sunt ueri Christiani, qui non uerbo tantum illud, In nomine Domini usurpant: sed & ex corde omnia sua tam dicta quàm facta, authoritati, uolũtati, fiduciæ ac gloriæ illius secundum uerbi Dei præscriptum consecrant.

Tenenda itaque regula hæc est Christianis omnibus, ut si quid uel in corde ipsorum natũ, uel aliunde propositũ, aut etiam à superiorib. imperatum fuerit, quod in nomine Domini nostri Iesu Christi dicere uel facere nequeant: religiosissimè caueãt, ne id dicant aut faciant, nisi scienter ac prudenter à religione illius deficere uelint.

Gratias agentes Deo, inquit, *& patri per illum.*] Leguntur ista Ephes. 5. ad hunc modum: Gratias agẽtes semper de omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo & patri. Nihil hic est, quod illic non sit expressum, quò lectorem remitto. Paucis uerbis materiam gratiarum actionis, quæ à nobis fieri debet, exprimit. Primò uidelicet, quid facere debeamus. Gratias, inquit, agentes. Deinde, cui Deo, inquit, & patri. Ex illo namque sunt omnia, ideoq; & grato animo agnoscendus est & deprædicandus ab omnibus. Tertiò, quando sint agendæ gratiæ. Semper, inquit. Quia semper bonitate ac beneficentia illius fruimur. Quartò, pro quibus. Pro omnibus, inquit. Siue læta sint, siue tristia quæ accidunt, agendæ sunt Deo gratiæ, qui non lætis modò, sed & tristibus salutis nostræ rationem habet: & dum nos castigat, cauet ne hoc cũ mundo dãnemur. *τί γὰρ ἄλλο ἔργον θεοῦ, ὃ τοῦτο, τὸ ὑπὲρ τῶν ἀνθρώπων γίνεσθαι καὶ διὰ πολλῶν τῶν ἀνίσων*, inquit Chrysost. Quintò, per quem. Per illum, inquit, Christum uidelicet. Illic idẽ est, In nomine Domini nostri Iesu Christi: quod hic dicit, *δι' αὐτοῦ*, i. Per ipsum. Dum gratias agimus Deo patri, in nomine Christi Iesu, utique per ipsum gratias agimus. Ipse enim mediator noster est inter nos & Deum patrem: ut quemadmodum mediatione ipsius cum Deo patre reconciliati sumus, ac beneficijs illius potimur: ita per eundem etiam gratias illi agamus.

Vxores subditę estote proprijs uiris, sicuti conuenit in Domino. Viri diligite uxores, & ne sitis amarulenti aduersus illas. Filij, obedite parentibus in omnibus. hoc enim bene placet Domino. Patres, ne prouocetis liberos uestros, ne despondeant animum. Serui, obedite per omnia ijs qui Domini sunt secundum carnem: non obsequijs ad oculum exhibitis, tanquam hominibus placere studentes, sed cum simplicitate cordis, timẽtes Deum. Et quicquid feceritis, ex animo facite, tanquam Domino, & non hominibus: scientes quòd à Domino recipietis mercedem hæreditatis. nam Domino Christo seruitis. Cęterùm qui peccarit, reportabit peccatum suum, & non est personarum respectus. Vos domini, æquitatem & ęqualitatem seruis exhibete: scientes quòd & uos habeatis Dominum in cœlis.

Qui genus humanum condidit, moderatur & gubernat, noluit illud per *ἀταξίαν* confundi ac temerè ferri: sed certæ ac competenti *τάξει* inclusit, in qua ratio habeatur honestatis ac tranquillitatis. Hoc consilio instituit coniugium, in quo honesta uiri ac mulieris societate genituræ consulatur. Deinde sic parentum ac liberorum conuersationem disposuit, ut authoritate & cura parentum genita proles honestè ac piè educetur & instituatur. Tertiò, quoniam coniugij status, ac parentum liberorumque coniunctio necessitatibus humanarum rerum haud per omnia satisfacit, adiecit alios duos ordines: unum dominorũ ac seruorum, alterum magistratuum ac subditorum. De tribus prioribus in hoc contextu præscribit Apostolus, quomodo se quique iuxta status sui conditionem competenter gerere debeant, ne Christiano nomini ignominiam inter infideles concilient, si normam honestatis ac tranquillitatis excedant. Seruat autem legitimum ordinem, dum primò coniuges, deinde parentes ac liberos, tertiò dominos ac seruos instruit. Primus nanque humani generis status coniugio deputatus est, ex quo nascitur is qui parentum est, ac liberorum: unde sequitur tertius, dominorum uidelicet, ac seruorum.

Vxores, inquit, *subditæ estote proprijs uiris, sicuti conuenit, in Domino.*] Quæ toto hoc cõtextu de trib. dictis statib. legũtur, eodẽ ordine in ea quoq; quę ad Ephes. est epist. cap. 5 & 6. præscribũtur, ubi de singulis, quantũ satis uisum est, annotauimus, ibi sic habetur: Vxores, pprijs uiris subditæ sitis, ueluti Domino. Hic illud, Veluti Domino, sic positum est, *ὡς ἀνῆκεν ἐν κυρίῳ*, i. Quomodo conuenit in Domino. Vulgata Latina editio habet, Sicut oportet in Domino. Christianæ uxori duplicis generis *ἀνῆκον* propositum est. Vnum, quod statum coniugij in se apud omnes gentes concernit, in quo hoc est legitimum, ut uxor subsit & obediat suo marito. sic enim est ordinatum à Deo. Alterum, quod respicit ad fidem ac religionem Christi.

Huius

Huius admonet Apoſtolus utrobiq;,tam hic quàm Epheſ.5.Hic dicit: Sicuti conuenit ac decet in Domino.hoc eſt,Sicuti conuenit uxori quæ eſt in Domino: id eſt, Quæ eſt Chriſtiana.Hanc decet omnem præſtare obedientiam,uiro debitam, ne quo pacto nomen ac fidem Chriſti infamet,ſi ſe gerat ſecus quàm conuenit.Deinde,ne ultra limites honeſti coniugij in ijs quoque quæ religionem concernunt,uiro contra Dominum obediat: proponitur illi reſpectus Domini,ut ſubdita ſit ſicut conuenit ei quæ eſt in Domino. Si maritus iubeat abnegare Chriſtum,& adhærere ethniciſmo,non eſt hic Chriſtiana mulier obſtricta ad obediendum:quia id non conuenit ei quæ eſt in Domino.Hoc ſenſu ſeruit præſens particula coniugibus illis,quæ maritos habent infideles,cum ipſę ſint Chriſtianæ.Hodie illam ſic rectè formabis:Vxores ſubditæ eſtote proprijs uiris ſicuti conuenit in Euangelio, propter imparia coniugia,in quibus paſsim alter coniugum Euangelio,alter Papiſmo adhæret: ubi uxor Euangelica non tenetur contra Euangelium obedire ſuo marito,Papiſticis abominationibus dedito.Epheſ.5.dicit:Vxores proprijs uiris ſubditæ ſitis, ueluti Domino . Et illic monet Chriſtianam coniugem,ut quemadmodum tanquâ Chriſtiana ſubdita eſt Chriſto Domino, ita tanquam uxor ſubdita ſit ſuo uiro.Et hûc ſenſum exponens,ſubijcit: Quoniam uir eſt caput uxoris,quemadmodũ & Chriſtus eſt caput Eccleſię,& idé eſt,qui ſalutẽ dat corpori.Itaq; quemadmodũ Eccleſia ſubdita eſt Chriſto, ſic & uxores ſubditæ ſint uiris ſuis in omnibus.

Viri, inquit, *diligite uxores, & ne ſitis amarulenti aduerſus illas.*] Epheſ.5.addit ἑαυτῶν. Viri, inquit, diligite uxores ueſtras. Vbi multis hanc partem de diligendis uxoribus tractat& inculcat,ut nõ ſit neceſſe illi hoc loco immorari.

Illud:Et ne ſitis amarulenti aduerſus illas, uidetur haud eſſe neceſſariò adiectum.Etenim qui uxorem ſuam diligit,amarulentus erga illam eſſe non poterit.Eſt enim amarulentia prorſus aliena à dilectionis affectu. Verùm ſi conſideremus,quàm frequenter accidat, ut amor læſus in acerbiſsimam mutetur amarulentiam,id quod carnali amori euenire ſolet: puto manifeſtum fieri,haud eſſe particulam hanc fruſtra adiectam ab Apoſtolo,Ne hoc in Chriſtianorum coniugijs fiat,cauendum eſſe cenſuit. In ſeculo crebra eſt hæc mutatio, ut uiri uxores ſuas,quas initiò impenſe iuxta carnem adamarunt,acerbo odio leui de cauſa proſequantur. In huiuſmodi πικρογάμοις non poterunt legitimi coniugij iura ſeruari. Quare & lex diuortium permittit,ubi uxor gratiam in oculis mariti ſui reperire non poteſt.Deut.24. Hortatur itaq; Apoſtolus Chriſtianos uiros,ut uxores ſuas conſtanter diligant, & caueant, ne ſecularium hominum exempla ſequuti, coniugalem dilectionem in odium: &, quę ex odio naſcitur,amarulentiam degenerare ſinant. Pugnat enim amarulentia hæc ex diametro contra uoluntatem Dei, qui marem & fœminam in unam carnem coniunxit, & admodum Chriſtianorũ coniugia infamat.

Filij obedite parentibus in omnibus, inquit:*hoc enim beneplacet Domino.*] Epheſ. 6.initio Capitis ſic dicit:Filij obedite parentibus ueſtris in Domino.nam id eſt iuſtum.Honora patrem tuum & matrem,quod eſt præceptum primum in promiſsione,ut bene tibi ſit, & ſis longæuus in terra.De obedientia hac filiorum parentibus præſtanda non eſt ut hic dicamus.Diximus enim de illa non ſolum citato iam loco,ſed & in Locis noſtris,in expoſitione Decalogi.

Dixerit hic quiſquam:Ergo ne placet hoc Domino,ut filij parẽtibus ſuis indiſcriminatim obediant in omnibus,tam malis quàm bonis?Dicit enim: Filij obedite parentibus in omnibus. hoc enim beneplacet Domino . Reſpondeo: Vel ex eo quod additur, Hoc enim beneplacet Domino:ſatis conſtare nobis debet, non loqui Apoſtolum indiſcriminatim de omnibus,quæ à parentibus non bonis,ſed reprobis facienda præcipiuntur liberis. Nihil enim dubitandum eſt,non placere Deo quæ ſunt mala.Bonum eſt,iuſtum & æquum,ut obediant liberi parentibus,idq; ex animo,in omnibus licitis,pijs,iuſtis: & honeſtis & hactenus hac illi obedientia placet,nec aliam ille in Decalogo ſuo præcepit.

Simul aſſuefieri uult teneriorem ætatem,ut à puero ſtudeant beneplacere Domino, diſcantque ex animo & religioſè facere omnia, quæ placere & uitare, quæ diſplicere illi cognouerint.

Vnde autem cognouit Apoſtolus,quòd beneplaceat Domino, ſi filij parentibus ſuis obediant? Expedita reſponſio eſt: Ex eo uidelicet, quòd hanc ipſe obedientiam populo ſuo præcepit, deque illa præceptum mox initio ſecundæ tabulæ Decalogo ſuo inſeruit. Monemur, ut εὐδοκίαν Dei ex ipſius uerbo colligamus, nihil addubitantes, placere illi, ſi quæ credenda propoſuit credamus: & quæ facienda præcepit,faciamus. Et hæc obedientia ipſiſſimus eſt cultus Dei. Quid enim aliud eſt cultus Dei,quàm facere quod illi bene placet? non ſolum in ijs quæ ipſum immediatè, ſed & in omnibus alijs rebus,quæ proximos noſtros ſecundum uerbum ipſius concernunt?

Patres, ne prouocetis liberos ueſtros, inquit, *ne deſpondeant animum.*] Epheſ. 6. ad huc modum legitur:Patres ne prouocetis ad iram liberos ueſtros,ſed educetis eos per eruditionem & correptionem Domini. De eo quod monet patres,non debere eos ad iram prouocare ſuos libe-

ros,

tos, citato iam loco diximus. Hic illud uidendum est, quod addit: Ne despondeant animum. Poterit quæri, quomodo particula hæc præcedenti conueniat. Dixit: Patres ne prouocetis liberos uestros, & addit iam quare non debeant id facere. Ne, inquit, despondeant animum: uel, ut uetus editio habet, ne pusillo animo fiant. Atqui timendum potius est, ne ad iram prouocati, ferocius & cõtumacius agãt, quàm ne animũ desponde ãt. Irritatio quippe quid aliud excitare poterit quàm iram? Ira uerò prorsus aliena est ἀπὸ τῆς ἀθυμίας. Animos enim magis accendit quàm remittit. Existimo igitur uerbũ ἐρεθίσῃν, quo Apostolus utitur, hoc loco melius uerti posse per, Conuiciari, & contumelijs afficere, quàm per irritare, uel ad iram prouocare. Græcis sanè ἐρέθισμα ὕβριν, i. contumeliam, probrum & conuicium aliquando sonat. Vbi pater filium non paterna cura ac disciplina instituit, sed dominationis fastu inflatus conuicijs ac contumelijs probrose exagitat, sic ut omnia illius uituperet, laudet nihil, nec finem uituperã dissaciat: obsecro, quid inde consequi poterit, quàm ut filius etiamsi sit ingenio minimè contumaci, animum tandem desponde at, fieriq; posse desperet, ut uoluntati patris sui aliqua in re satisfaciat, ac beneuolentia illius potiatur? atq; ita fiat, ut omnem fiduciam amittat, quam in corde filij erga patrem esse conuenit.

Sanè duo sunt uitia, quibus institutio liberorum admodum impeditur. Vnum est, blanda indulgentia: alterum, nimia & immoderata seueritas. Illa segnes, ista abiectos ac desperabundos filios facit. Verùm de educatione, cura ac disciplina liberorum in epistola ad Ephes. cap. 6. pleraq; annotauimus. Sic puto ad hanc posse quæstionem responderi, si uerbum ἐρεθίζειν rectè uertatur, nihil superesse quod queratur.

Quando autem sit neque πατρικὸν, neque γαμικὸν, neque δεσποτικὸν, neque πολιτικὸν, sed potius πρακτικὸν, si qui superiores sunt, rectam ac sinceram fiduciam nimia seueritate & improba dominatione liberis, uxoribus, seruis & ciuibus suis adimant, & ἀθυμίαν illorum magis quàm illa detestentur, satis opinor esse manifestum.

Serui, inquit, *obedite per omnia ijs qui domini sunt secundum carnem.*] Ephes. 6. perinde atque hoc loco multis & ijsdem instruit seruos. Illic: Serui, inquit, obedite ijs qui domini sunt iuxta carnem. Consimiliter & hic, nisi quod addit, Per omnia: ut admoneat, requiri non dimidiatam & arbitrariam, sed plenam & perfectam obedientiã, ne sit unde habeant domini quod de Christianis seruis querantur, quasi propter Christianismum in omnibus obedire sibi dedignentur, cum Christianismus nemini ius suum diminuat, sed potius integrum ac perfectum reddat.

Non obsequijs ad oculum exhibitis, inquit, *tanquam hominibus placere studentes.*] Eadem & Eph. 6. habentur. Syncera ac legitima obedientia multis modis uitiatur. Quod præsentem locum concernit, exprimũtur ex illis aliquot: utpote, siquis ad oculum seruiat, alius longè diuersum facturus. Deinde, si hominibus, non Deo placere studeat. Tertiò, si obediat corde duplici. Quartò, si non ex animo, sed inutus obediat. Hæc uitia recitat utrobique, tam hic quàm in epist. ad Ephes. cap. 6. quo admoneat, quæ ad ueram requirantur obedientiam, & quibus illa uitijs corrumpatur.

Sed cum simplicitate cordis, inquit.] Et hanc Eph. 6. ponit, ubi de illa diximus.

Timentes Deum, inquit.] Ephes. 6. Cum timore, inquit, ac tremore: id quod ad timorem ac tremorem erga dominos habendum refertur. Hic uerò disertè de timore Dei loquitur, quem τῇ ὀφθαλμοδουλίᾳ ac duplicitati cordis opponit. Q. d. Cohibeat uos timor Dei, ne dominos uestros ad oculum illis seruiendo fallatis, ac fraudulenter agatis. Etenim etsi facilè sit, fallere hominem, Deum tamen haudquaquam fallere poteritis. Admonemur hoc loco, displicere Deo omnes eos qui fraudulenter & infideliter cum hominibus agunt, præsertim illis quibus singulari sunt fide obstricti, etiamsi sint infideles & alieni à Christo. Christianus si cum Turcis habeat quod agat, candidè cum illis aget: & si obedientiam illis debet, obediet animo syncero, sciens offensurum se Deum, illumq; habiturum iudicem & ultorem, si secus egerit.

Et quicquid feceritis, inquit, *ex animo facite, tanquam Domino, & non hominibus.*] Ephes. 6. sic: Sed tanquam serui Christi, facientes quæ uult Deus, ex animo, cum beneuolentia seruientes Domino, & non hominibus. Cum hic dicit, Et quicquid feceritis: comprehendit omnem illorum seruitutem & obedientiam. Loquitur enim de operibus, iniunctis ipsis, tanquam seruis: quę adnumerari non possunt, in quibus sæpenumero facienda ueniunt, neque iucunda neque facilia, præsertim ubi dominis impijs, difficilibus ac morosis seruitur. Hic quoniam caro prona est ad detrectandum officium, monet eos, cauendam esse inuiti animi reluctationem, eo quòd seruiant non hominibus, sed Domino.

Suprà in genere monuit omnes fideles, ut quicquid fecerint, faciant in nomine Domini Iesu. Ad eam regulam hic etiam opera seruorum, qui Christiani sunt, restringit, ne illi cogitent, non pertinere ad Dominum seruilia opera, quæ dominis incredulis & alienis à Domino fiunt, ideoq; non posse ea fieri in nomine Domini. Sic dicit: Et quicquid etiã uos serui feceritis, ex animo facite, tanquam Domino, & non hominibus. Q. d. Tanquã nõ respiciẽtes

homines, quibus corpore seruitis: sed ipsum Dominum, cui per omnia in spiritu seruire debetis. Cũ Imperatoria maiestas olim pedib. Antichristi apud Venetos calcãda subijceretur, quo significaret se id facere non iniquissimo ac superbissimo pontifici, sed Petro, cuius sessuc cessores esse Rom. pontifices mentiuntur, dixit: Non tibi, sed Petro. Consimili modo Christianus corpore seruiet & obediet hominibus etiam reprobis: spiritu uerò non hominibus, sed Domino: id quod multo rectius faciet, quàm quod Imperator ille erga superbissimã Babylonicæ meretricis bestiam feciſſe memoratur.

Ex animo facite, inquit, *tanquam Domino, & non hominibus.*] Quæri poterit hic, quomodo pertineant ad Dominum opera seruorum, quibus dominis à fide illius alienis seruitur. Verùm sunt huius rei certæ causę: utpote prima, quòd ipsi serui sint magis domini, quàm eorum quibus seruiunt. Secunda, quòd sit uoluntas Domini, ut seruiant illis qui domini ipsorum sunt secundum carnem. Tertia, quòd ab ipso sit omnis potestas. Quarta, quòd omnia non modò Christianorum, sed & reliquorum mortalium omnium ad ius ipsius pertineant, illique sint subiecta. Quare etiãsi Christianus hodie seruiat Turcis, seruiet illis non tanquã hominib. sed tanquam Domino Iesu Christo, qui unicus est omnium Dominus, omnemq; potestatem in cœlo & in terra à Deo patre accepit.

Deinde dixerit quisquam: Si quæcunque fecerimus, propterea ex animo facere debemus, quòd facienda sunt non tanquam hominibus, sed: tanquam Domino: ergo quæ hominibus tanquam hominibus facimus, facere possumus animo inuoluntario & inuito. Verùm non debet hoc ex uerbis Apostoli colligi. Neque enim docet nos, quę debemus hominibus animo præstare inuoluntario: sed occurrit carni, quæ ubi obedire tenetur hominibus, quærit quod prętexat, ne obediat, atque ita considerat quales sint: incipitq; omnia illorum in contemptum rapere, & ansam uenari uel prorsus recusandi officium: uel si id nequeat, animo inuito seruiendi. Ne id à Christianis seruis fiat, monet, non debere eos considerare quales sint ipsorum domini, atque ita grauatim illis obedire: sed magis respicere ad communem omnium Dominum, & illius sese uoluntati accommodantes ex animo facere, quæ facienda imperantur.

Est hęc regula, Tanquam Domino, & nõ hominibus, summoperè necessaria nõ solũ seruis, sed & omnibus in uniuersum fidelibus. Nemo enim mortalium est, qui nihil sit homini aliqua ratione obstrictus, ut communem legem taceam, qua proximos nostros sicuti nosipsos diligere iubemur. cuius etiam meminit Apostolus, Rom. 13 dicens: Nemini quicquam debeatis, nisi hoc, ut inuicem diligatis. Hic caro, ubi qualitatem proximi respicit, continuò cogitat: Ego ne hunc diligam, perinde atque meipsum? Ego ne homini huic tam sordido, tam auaro, tam ignauo, tam improbo, tam à Christo alieno, ex animo seruiam? Huiusmodi cogitatio insidiosa est non modò seruis, sed & uxoribus, & maritis, & liberis: & in summa, omnibus. Sit ergo, quod Apostolus hic dicit, Tanquam Domino, & non hominibus, omnibus fidelibus uice Christianę regulæ, ut in quocunque sint statu, & quæcunque facienda sint ac præstanda hominibus, perpetuò respiciant, non quales illi sint, sed qualis sit Dominus, & huius respectu ex animo quæ facienda sunt faciant.

Scientes quod à Domino recipietis mercedem hæreditatis, inquit. *nam Domino Christo seruitis.*] Eph. 6. sic: Illud scientes, quòd unusquisque quod fecerit boni, hoc reportabit à Deo. Merces non dabatur seruis, sed uictus tantum, & amictus. Erat enim alia illorũ conditio apud gentes, & etiamnum est, quàm sit apud nos. Ea res plerũq; reddebat eos impatientes & inuoluntarios in obeunda seruitute. Non poterat illis dici, Datur uobis uictus & merces: id quod nostris dicitur, si qua in re socorditer egerint. Vt igitur etiam huic incõmodo occurrat, dicit: Scientes, quòd à Domino recipietis mercedem hęreditatis. nam Domino Christo seruitis. Q. d. Etiamsi nihil mercedis à dominis uestris accipitis, non debetis propterea illis grauatim obedire. Neq; enim seruitis fruſtra: sed multo maiori cum emolumento, quàm si illi uobis mercedem repẽderent. nam à Domino recipietis mercedem: ille quippe seruitis.

Nec est ociosum, quòd non simpliciter dicit, A Domino siquidem recipietis mercedẽ: sed, Sciẽtes quòd à Domino recipietis mercedẽ. Deinde obseruãdum est & uerbũ ἀπολήψεσθε, i. Recipietis. Et tertiò cõsiderandum est, quomodo hic locus haudquaquã patrocinetur doctoribus meritorum. Verùm de hisce obseruatiunculis diximus Eph. 6. loco suprà citato.

Pulchrè autem non simpliciter dicit, Recipietis mercedem: sed addit, Hæreditatis. Cœlestis hęreditas, de qua loquitur, non cõstat meritis nostris: sed gratuitæ adoptionis beneficio. Quod igitur hic dicit, Recipietis mercedem hæreditatis: non est ad hoc dictum, ut ex hæreditate uitæ æternæ fiat nobis debita merces: sed ad hoc potius, ut agnoscamus incomparabilem diuinæ dignationis abundantiam, per quam hæredes Dei & cohæredes Christi unigeniti Dei reddimur: cum etiamsi omnia, quæ præcepta nobis sunt, fecerimus, inutiles tamen serui simus. Obsecro, si rex hominem uulgarem & obscurum adoptet sibi in filium, & totius regni hæredem: uelit autem, ut ad tempus alicubi seruiat, & formis seruilis uitæ humilietur: dicemus ne, hæreditatem eam constare ipsi ex

merito

merito obedientiæ,& non magis ex immeritæ adoptionis gratia? Si dicas itaq; huic: Quicquid in hac seruitute tua feceris, fac ex animo, tanquam Domino regi, & non hominibus, quibus es secundum ipsius uoluntatem subiectus: sciens, quòd ab illo recipies mercedem hæreditatis: quid aliud dicis, quàm hoc? Noli mercedem expectare ab hominibus, nec offendaris, quòd illi nihil numerant. Quorsum enim tibi opus est mercede, pro qualicunque tua seruitute, cum sis hæres regni, secundum gratiam ac beneuolentiam regis constitutus? Vbi recipies hæreditatem, an non satis opulentam mercedem recipies? Omnia bona regni tua sunt. An illa tibi non sufficient ad mercedem? Sic seniori suo filio dicebat pater: Fili, tu semper mecũ Luc. 15. es, & omnia mea tua sunt. Q. d. Quorsum petis à me operum tuorum mercedem? Consimili planè sensu accipienda sunt, quæ hic ab Apostolo dicuntur.

Nam Domino seruitis, inquit.] Eph. 6. sic: Sed tanquam serui Christi, facientes quæ uult Deus, ex animo cum beneuolentia, seruientes Domino, & non hominibus: ubi uide quæ sint annotata. Reddit hic rationem eius quod dixit: Tanquam Domino, & non hominibus, scientes quod à Domino recipietis mercedem hæreditatis. Poterãt cogitare, Quomodo recipiemus à Domino mercedem, cum non illi, sed aduersarijs illius seruiamus, hominibus impijs ac reprobis? Subijcit igitur, Nam Domino Christo seruitis. Suprà annotauimus, quomodo opera seruorum pertineant ad dominum, quæ & hoc loco considerari possunt.

Cæterùm, inquit, *qui peccarit, reportabit peccatum suum.*] Græcè est, ὁ γὰρ ἀδικῶν κομιεῖται ὃ ἠδίκησεν: id est, Qui iniustè agit, reportabit quod iniustè egit. Vterq; tam qui bene quàm qui malè fecit, secũdum ea quæ operatur, recipiet. Est autem κομίζεσθαι, ὃ ἠδίκησεν ὁ ἀδικῶν, nihil aliud quàm κομίζεσθαι μισθὸν ἀδικίας, id est, reportare mercedem iniusticiæ. qua loquutione utitur Petrus 2. Petr. 2. Hac de re annotauimus Rom. 2. & 2. Cor. 5. De eo quòd unusquisq; quod fecerit boni, hoc à Deo reportabit, Eph. 6. annotauimus.

Et non est personarum respectus, inquit.] Ephes. 6. particulam hanc sic expressit: Siue seruus fuerit, siue liber. Et aliquanto post: Nec personæ respectus est apud eum. uide etiam 2. Cor. 10. ibi: τὰ κατὰ πρόσωπον βλέπετε. Solatur in præsenti seruos, significans humilem ipsorum conditionem non impedire, quo minus, si bene egerint, à Deo recipiant quod egerunt: nec dominos impunè laturos, si iniquè cum ipsis egerint, eo quòd coram ipso non sit personæ, sed iusti & æqui respectus.

Vos domini, inquit, *æquitatem & æquabilitatem seruis exhibete, scientes quòd & uos Dominum habeatis in cœlis.*] Non erat hæc particula à præcedeutibus auelle nda. Quare qui contextu sacræ Scripturæ capita diuiserunt, inconsultò hic quarti capitis initium constituerunt. Rectè itaque Chrysostomus coniunxit ista præcedentibus: quod & Germanicus interpres fecit. Exposita sunt autem & ista in Epistola ad Ephesios capite sexto, ubi sic legitur: Et uos domini eadem facite erga illos, remittentes minas, scientes quòd & uester ipsorum Dominus est in cœlis, nec personæ respectus est apud illum. Hic est in Græco, οἱ κύριοι τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἰσότητα τοῖς δούλοις παρέχεσθε: id est, Domini, quod iustum & æquum est, seruis exhibete. Iustũ uocat, quo quę seruis debẽtur, præstantur. Potes uocare ius seruorum, τὸ ἰσότητα. nonnulli sic exponunt, ne aliũ in delicijs habeant, alium iniquè tractent. Verùm existimore ferendam esse ad æquum, quo eadem à dominis præstantur à seruis, quæ ipsi ab illis exigunt: ut idem sit cum eo quod Ephes. 6. dixit, Eadem facite erga illos. de quo uide eo loco.

CAPVT QVARTVM.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Generales quasdam adhortatiunculas subijcit, deinde mentionem facit Tychici & Onesimi, per quos Epistolam hanc misit: tertiò ad calcem usq; Capitis salutationes quorundam fratrum ponit, atque ita Epistolam claudit.

OBsecrationi instate, uigilantes in ea cum gratiarũ actione, orãtes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis, ut loquamur mysterium Christi, propter quod & uinctus sum, ut manifestem illud, sicut oportet me loqui.

Posteaquam specialiter instruxit uxores & maritos, liberos & patres, seruos & dominos: redit ad generalia quædam, quorum eos post præcedentia admonendos esse duxit, de oratione uidelicet, conuersatione uitæ erga extraneos, & quàm debeant sapienti sermone erga quosuis uti.

Obsecrationi, inquit, *instate, uigilantes in ea cum gratiarum actione.*] Ephes. 6. particulam hanc

sic posuit, διὰ πάσης προσευχῆς, καὶ δεήσεως προσευχόμενοι ἐν πάντι καιρῷ ἐν πνεύματι, καὶ εἰς αὐτὸ τοῦτο ἀγρυπνοῦντες ἐν πάσῃ προσκαρτερήσει καὶ δεήσει. Vbi Erasmus προσευχὴ uertit Deprecationem, quam hic reddidit obsecrationem. Sonat autem propriè, adorationem. Quod igitur hic dicit: Adorationi instate, uel, Perseueranter iucumbite, uigilantes in ea: id illic pluribus uerbis exprimit, dum monet per omnem adorationē ac deprecationē adorandū esse in omni tēpore, uel potius, occasione, in spiritu, & ad hoc ipsum ad omnem perseuerantiam ac deprecationē uigilandum. quæ uerba illic exposuimus, ac simul quæ obseruanda sint annotauimus.

Addit hic, Cum gratiarum actione. Alijs quoque locis precationi gratiarum actionem cō iungit, utpote Philip. 4 ubi dicit: De nulla re soliciti sitis, sed in omni precatione & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones uestræ innotescant apud Deum: ubi uide quæ sint à nobis annotata.

Orantes simul & pro nobis, inquit.] Eph. 6. Pro omnibus sanctis, inquit, & pro me. Non dicit hic simpliciter, Orantes pro nobis: sed, Orantes simul & pro nobis. Sic coniungit causam suam omnibus illis necessitatibus, pro quibus ad Deum orant fideles. Quomodo hoc Apostolo Christi conueniat, annotauimus Eph. 6.

Vt Deus, inquit, *aperiat nobis ostium sermonis.*] Exprimit quid à Deo pro se petere debeant, ut aperiat sibi ostium sermonis uidelicet. De hac metaphora diximus in Epistolam priorem ad Cor. cap. 16, & 2. Cor. 2. Sunt qui idem esse uolunt cum eo quod Eph. 6 sic dicit: Vt mihi detur sermo in apertione oris mei cum libertate. Sanè ostium sermonis non abs re potest uocari os hominis. Quemadmodum enim clauso ostio non datur exitus, ita clauso ore non egreditur sermo. Sic Dauid: Domine labia mea aperias, inquit, & os meum annunciabit laudem tuam. Hoc utique sensu apertio oris, est apertio ostij sermonis. Verùm sic quoque potest hæc metaphora accipi, ut Apostolo Christi sermonis ostium aperiri, idem sit quod sublatis remoris copiam fieri ac libertatem prædicandi sermonis Euangelici, existētibus nonnullis qui illum cupidè audiant, & credendo amplectantur. Erat adhuc Romæ in uniculis, & tamen obnixè contēdebat spargere sermonem ueritatis, propter quem in uinculis tenebatur. Sed ea de re & alibi meminimus.

Ergo nisi Deus aperiat ostium sermonis, frustra est omnis Apostolorum conatus. Aperit autem, dum spiritu gratiæ suę non modò ora ministrorum, ut loquantur: sed & corda audientium aperit, ut Euangelio credant. Apertio hæc oris & cordis non est in manu ne Pauli quidem, quantumuis selecti organi Christi: sed Dei, qui solus clauem habet, ad aperiendum pariter, & claudendum.

Vt loquamur mysterium Christi, inquit, *propter quod & uinctus sum, ut manifestem illud, sicut oportet me loqui.*] Eph. 6 sic: Vt notum faciam mysterium Euangelij, super quo legatione fungor in catena, ut in eo liberè loquar sicut oportet me loqui: ubi etiam quę hic habentur, exposuimus. Vt loquamur, inquit, mysterium Christi. Postquam dixit, Vt aperiat nobis Deus ostium sermonis: consequenter specificat, de quo sermone loquatur. De sermone uidelicet mysterij Christi, quod Ephes. 6. mysterium Euangelij uocat. De illo uide Eph. cap. 3. mox ab initio.

Propter quod & uinctus sum, inquit.] Propter Euangelium quod prędicabat, erat in uinculis, quib. tenebatur, ne prędicaret amplius. De hisce uinculis suis parum erat solicitus: uerùm unū hoc affectabat, ut Euangeliū ipsum esset liberū. Ideo nō petebat ut orarēt pro apertione uinculorum suorum: sed ut Deus aperiret sibi ostiū sermonis Euāgelici, quo in officio Apostulatus sui in uinculis quoq; constitutus pergere posset.

Vt manifestè illud, inquit.] De manifestatione hac mysterij Christi, uide Eph. 3. Est illa duplex. Vna quæ fit per spiritū reuelationis in cordib. Apostolorum & aliorū electorum: altera, quæ fit per prędicationem Euangelij, qua in lucem secreta consilij Dei proferūtur. Posterior hæc pertinet ad munus Apostolicū. Vt autem manifestatum mysterium Christi fide acceptetur, id non est Apostoli, sed ipsius Christi opus.

Sicut oportet me loqui, inqt.] Potest hoc exponi de libertate ac fiducia intrepidè sermonē Euāgelij prædicādi, de qua Eph. 6. exposuimus: uerùm de eo quoq; accipi potest, qd plurimū refert quàm prudēter, moderatè & utiliter prędicetur. Potest enim sic prędicari, ut magis offēdatur auditor, quàm ędificetur. Et hac nostra ætate plures sunt q̄ temerè & incōsultè affectib. suis nimiū indulgētes, quàm q̄ sicut oportet, Euāgeliū prędicēt. Apostolus quoniā tot⁹ in eo erat, ut lucrifaceret Christo mortaliū animas, sic moderabatur sermonē gratię, ut temerè offenderet neminē, attraheret uerò quàm plurimos. Ab hac moderatione alieniſsimi sunt, qui nihil minus concionando quærunt, quàm ut Ecclesiam ædificent, & auditorum animas Christo Domino lucrifaciant.

Sapienter ambulate erga extraneos, opportunitatē redimētes. Sermo uester semper cū gratia sit sale cōditus, ut sciatis, quomodo oporteat uos unicuiq; respondere.

Habent quidē ista separatā admonitionē, quomodo Christianis ambulandū sit erga infideles: uerùm occasione prędictiū posita sunt, quib. p se orari petijt, ut liceat sibi aperto sermo

nis ostio

his ostio manifestare mysterium Christi, & de illo sicut oportet loqui. Inde transit ad præsentem hanc admonitionem, qua Colossenses hortatur, ut & ipsi sapienter erga extraneos, & sicut oportet ambulent, & omnia loquantur, quo uidelicet nomen Christi in omnibus ornent, illiq; quos poterunt lucrifaciant.

Sapienter ambulate, inquit, *erga extraneos*.] Extraneos intelligit omnes infideles & alienos à Christo, sic eos uocans, propterea quòd sunt extra corpus & Ecclesiam Christi πρὸς τοὺς ἔξω, inquit, i. Ad eos qui sunt foris. Si illi sunt οἱ ἔξω, ergo qui Christiani sunt, rectè uocantur οἱ ἔσω. Sic & 1. Cor. 5. dicit: Quid enim ad me attinet de ijs qui foris sũt iudicare? Nõne de ijs qui intus sunt iudicatis? eos uerò qui foris sunt, Deus iudicat. Quatenus qui alieni sũt à Christo foris: hactenus qui ad Christũ credẽtes ptinẽt, intus esse cẽsentur, domestici uidelicet & filij domꝰ Dei.

Deinde uidemus hic, non esse illicitũ Christiano, conuersari cũ extraneis & alienis à Christo, hominibus impijs & idololatris, quandoquidẽ Apostolus hic præscribit, quomodo erga illos ambulare debeamus: id quod nulla ratione faceret, si nullo prorsus pacto inter eos & cũ eis uiuere liceret. Illud tamẽ obseruandũ est, quòd non dicit, Cum extraneis: sed, Erga extraneos. Aliud nãq; est erga extraneos, & aliud cum extraneis ambulare, quod posterius societatem quandã uitæ & religionis Christianis hominib. illicitam includere uidetur. Est enim ambulare cum aliquo, eodem illi genere uitæ coniũgi, & ambulare sicut ille ambulat. Erga aliquos uerò ambulare, est illis obiter in causa aliqua competenter respondere, secundũ quod ius & fas uel necessitas postulat.

Tertiò, quòd dicit, Sapienter ambulate: idem est quod, Nõ temerè, non incõsultè, nõ culpabiliter: sed circũspectè & cõpetenter, quẽadodum decet eos, quorũ est omnia facere in nomine Domini Iesu & qui omniũ huius seculi filiorũ infidijs sunt & odijs expositi: idgoq; cauere debẽt, ne uel admittãt aliquid quod aduersetur ueritati ac glorię Christi, uel temeritate aliqua offendãt extraneos, causamq; præbeãt blasphemãdi nominis Christi, & fortunas ipsorũ exagitãdi. Omnino magna sapiẽtia opus est illis quib. uiuendũ est inter extraneos & aduersarios, inter quos omniũ facillimè inueniũtur inimici: undequaq; occurrũt offensionum causæ inter eos qui diuersimodè sunt animati, diuersimodè ambulãt, & in religione catholica sunt impietate & auitis superstitionib. obcæcati. Reuera sapiẽter hic ambulat, quisquis sic inter tales uiuit, ut neq; dissimulet esse se Christianũ, neque illos temerè cõtra se iritet, neq; uarium, instabilem & hypocritam agat: sed comitate ac placiditate morum animos illorum sibi deuinciat, ut dicant, Bonus hic homo est, nisi quòd Christianus est.

Opportunitatem redimentes, inquit.] Græcè est, τὸν καιρὸν ἐξαγοραζόμενοι. Vulg. Lat. habet, Tempus redimentes. Erasm. quoniam nõ est in Græco χρόνον, sed καιρὸν: maluit reddere opportunitatẽ, quàm tempus. Eph. 5. eadem leguntur ad hunc modum: Videte igitur, quomodo circũspectè ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes, redimẽtes occasionẽ, quòd dies mali sint. Vbi quis sit particulæ huius sensus, & quæ obseruanda ueniant, annotauimus. Occasio gerendæ rei dupliciter redimitur. Primò, si opportunitatem agendi aliquid boni, quo aduersarios lucrifaciamus, etiam cum dispendio rerum nostrarum uenati fuerimus. De hoc sensu diximus, Eph. 5. Deinde, ubi occasionem extraneis amputamus, ne quam acquirant hostiliter aduersum nos agendi: idq; facimus non modò sapiẽti & circunspecta conuersatione, sed &, si ita res poscat, cum patientia iniuriarum, & rerum nostrarum iactura. ad quem modum in tempestatibus marinis uitam suam redimunt, qui iacturam bonorum facientes, nauem exonerant, quo minus uiolentiæ sit procellarum obnoxia.

Sermo uester semper cũ gratia, inquit, *sit sale conditus*.] Multũ quidẽ ad placandũ extraneos facit humana totius uitæ ac morum placiditas cum irreprehensibili innocentia cõiuncta: uerùm singularis quædã uis est in uerbis, quibus uel conuenimus alios, uel ijs qui nos conueniunt & adoriũtur respõdemus. quod utrũq; sic est cõparatum, ut multum referat, quomodo accipiamus, tractemus ac dimittamus eos quibuscũ loquimur. Hac de re admonẽs, dicit: Sermo uester semper cum gratia sit sale conditus. Illud, Cum gratia, Græcè est, ἐν χάριτι, id est: In gratia, quemadmodũ & Vulgata Latina habet. Potest aũt intelligi uel de gratia Christi, uel de gratia sermonis. Si de gratia Christi acceperis, legendum erit ad hunc modum, Sermo uester in gratia: hoc est, qui fit à uobis in gratia, uel de gratia Christi, semper sit sale conditus. Si de gratia sermonis, idem erit quod, Sermo uester semper cũ gratia proferatur: hoc est semper sit acceptabilis & gratus, ac ueluti sale conditus. Vel, Sermo uester semper sit cum gratia tanquã sale cõditus. Sermones Christiani hominis cõparat cibo, qui nisi sale condiatur, insipidus est & ingratus, atque ita cũ nausea expuitur. Sic planè sunt sermones nostri. Nisi cõdiãtur gratia placiditatis, mãsuetudinis, synceritatis & utilitatis, offendunt magis quàm ædificant. Quod si illis accesserit uel assentatio putida, uel pharisaica seueritas, utroq; pacto ingrati redduntur Eph. 4. consimile quid legitur ad hũc modum, Omnis sermo spurcus ex ore uestro ne procedat: sed si quis est bonus ad ædificationem, quoties opus est, ut det gratiam audientibus. ubi uide quæ sint à nobis annotata.

Vt sciatis, inquit, *quomodo oporteat uos unicuiq; respondere*.] Græcè est, εἰδέναι: quod Interptes uer-

terunt, Vt sciatis: cum simpliciter reddi possit, Sciendo quomodo oporteat uos unicuique respondere. Sermo noster non ideo debet conditus esse sale, ut sciamus quomodo unicui que respondere debeamus: sed sciendo quomodo respondere debeamus unicuiq; sermonẽ nostrum cum gratia ueluti sale condire debemus. Primùm hoc requiritur à coco, ut sciat se conuiuarum accommodare palato: deinde ubi hoc cognouerit, proximum est, ut cibos sic condiat, quo grati ac iucundi sint conuiuis.

Vt sciatis, inquit.] Nõ simpliciter dicit, Quo ut oportet, unicuique respondeatis: sed, Sciendo, quomodo oporteat uos unicuiq; respõdere. Per occasionẽ fieri potest, ut ea dicas, quę nõ sint incõmoda personę, cui loqris: uerùm nõ tam hoc requiritur, ut pertinẽter respõdeamus, quàm ut pertinẽter unicuiq; respondere sciamus. Sciendũ est Christiano, quomodo nõ uni & alteri, sed unicuiq; respondere debeamus. Quomodo uidelicet Magistratibus, qui in sublimitate sunt constituti, quomodo diuitibus, quomodo egenis: quomodo parib. quomodo inferiorib. quomodo senib. quomodo iuniorib. quomodo doctis, quomodo indoctis: quomodo religiosis, quomodo ꝓphanis: quomodo patiẽter auscultantib. quomodo cõtentiosis ac præfractis: quomodo simplicib. quomodo uersutis: quomodo afflictis ac deiectis, quomodo in pace uiuentib. &c. Quod si eodem responsionis genere omnibus esset indiscriminatim respondendum, frustra dixisset, Quomodo oporteat uos unicuique respondere.

Nec ociosum est quòd non simpliciter dicit, Quomodo oporteat unicuique respondere: sed, Quomodo oporteat uos unicuiq; respondere. Multum omnino refert, quomodo respõdeat Christianus non Christiano, magis quàm si ethnicus ethnico respondeat. A Christiano expectanda sunt ueræ sapientiæ, ueræq; pietatis uerba, eaque singulari modestia ac placiditate prolata, quo spiritum ac sapientiam Christi spirent. Si hoc sciendum est Christianis omnib. quanto sciendum magis est uerbi ministris, è quorum ore responsa ueritatis secundũ filum sacræ Scripturæ ad ædificationem audientium expectantur?

Nec illud transeundum est, quòd non dicit, Quomodo oporteat uos unicuiq; loqui: sed, Quomodo oporteat uos unicuiq; respondere. Admonet, non esse temerè cum unoquoq; infidelium miscendos sermones: sed si quis sit qui aliquid percontetur, præsertim de fide ac religione Christiana, illi sapienter esse ac placidè respodendum. Huius & Petrus apostolus admonet, dicens: Sitis autem parati semper ad respondendum cuilibet petenti, ut loquamini de ea quæ in uobis est spe, cum mansuetudine & reuerentia, &c. Non est, ut Christianus homo unumquenque infidelem temerè alloquatur: est uerò necessarium, ut unicuiq; petenti, sapienter & utiliter respondeat.

De omnibus rebus meis certiores uos faciet Tychicus dilectus frater, & fidus minister, & conseruus in Domino, quem misi ad uos in hoc ipsum, ut cognoscat quid agatis, & consoletur corda uestra, unà cum Onesimo fido & dilecto fratre, qui est ex uobis. De omnibus uobis exponent quæ hic agantur.

Hactenus absoluit ea quæ doctrinam & adhortationes concernebant: iam ad finem usq; Capitis subijcit obiter res secundarias, utpote de missione Tychici & Onesimi, ad quid eos miserit: deinde, de fratribus, quos secum habebat, illorumque salutationibus: tertiò, de illis qu os suo nomine salutari uolebat.

De omnibus rebus meis, inquit, *certiores uos faciet Tychicus dilectus frater*, &c.] Cõsimilia planè Eph. ultimo leguntur ad hunc modũ: Vt autem sciatis & uos quę ad me pertinent, quid agam, de omnibus uos certiores reddet Tychicus dilectus frater & fidus minister in Domino: quem misi ad uos in hoc ipsum, ut cognosceretis de rebus nostris, & consolaretur corda uestra. ubi quis nam Tychicus ille fuerit, & quæ præterea consideranda hic ueniant, annotauimus.

Tres erant causæ propter quas Tychicum ad Colossenses misit. Prima, ut illos de rebus suis omnibus certos redderet. Secunda, ut quomodo illi sese gererent, coràm cognosceret. Tertiò, ut non modò per hanc epistolam, sed & sermonibus suis corda illorum consolaretur. Tres hasce causas disertè in uerbis exprimit.

Vnà cum Onesimo, inquit, *fido & dilecto fratre.*] Quod Erasmus hic reddidit, Fido, in Græco est τῷ πιστῷ, quod Vulgatus Latinus interpres uertit, Fideli. Potest ea uox referri tam ad religionẽ quàm ad animum probum ac fidum. Vbi ad religionem refertur, rectè fidelis uertitur. Paulò suprà, ubi de Tychico scribit, quòd fuerit πιστὸς διάκονος rectè uertitur, Fidus minister: hic uerò, ubi de Onesimo memorat, quòd fuerit πιστὸς, melius (puto) reddes fidelẽ quàm fidum, nisi referas hanc nocem ad sequentem ἀδελφὸν, legasque, Fidum fratrem.

Existimo autem Onesimum hunc haud fuisse alium, quàm de quo ad Philemonem scripsit Apostolus. Et uerosimile est, in hac illum profectione non ad Colossenses tantum cum Tychico uenisse, sed & ad Philemonem herum suum cum epistola Apostoli reuersum esse. Huius rei qualiscunque coniectura in eo est, quòd in salutationibus præsentis huius Epistolæ eorundem fratrum quos secum habebat, mentionem facit, quorum in ea quæ ad Philemonem est, meminit: utpote Epaphrę, Marci, Aristarchi, Demæ & Lucæ. Nolim tamen con-

tendere

tendere cum fratribus, si qui sint qui diuersum sentiant: licet nõ uideam aliquid rationis, cur aliter sentire debeam. Mecum sentit & Chrysostomus.

Qui est ex uobis, inquit.] Non modò significat, quare hunc cum Tychico miserit: sed simul admonet, debere eos congratulari sibi super hoc fratre, quod cùm seruus esset ac profugus, simul lucrifactus sit & Christo & hero ipsius: tam uidelicet abesse, ut debeant ipsius nomine pudefieri. Hoc consilio uocat eum fidum ac dilectum fratrem.

De omnibus exponent uobis, inquit, *quæ hic agantur.*] Quæ hic, id est, Romæ, agantur. Erat Romæ mare magnum innumerorum negociorum, cùm ista scriberet Apostolus, de quibus non loquitur. Nam illorum cognitio non erat Colossensibus fidelibus necessaria. Loquitur itaq; de ijs tantùm, quæ illic in causa Christianæ religionis agebantur. Horum cognitio utilis erat fratribus, & plurimùm illis consolationis adferre poterat. Et alioqui sic sunt comparati fideles, ut obnixè scire cupiant, quo loco sit religio Christi in urbibus potentioribus, unde propagari ad reliquos potest.

Salutat uos Aristarchus concaptiuus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata. Si uenerit ad uos, excipite eũ. Et Iesus qui uocatur Iustus, qui sunt ex circũcisione. Hi soli cooperatij sunt ad regnum Dei, qui fuêre mihi solatio.

De officio salutandi per literas, diximus in alijs Epistolis. De Aristarcho hoc mentio fit in Actis apostolorum, capite 19. 20 & 27. fideliter ac perseueranter adhæsit Apostolo, sequutus illum ex Thessalonica Macedoniæ. Quòd autem uocat eum concaptiuum suum, ob id factũ esse puto, quòd cùm Romam uinctus abduceretur, unà cum illo abductus constanter ipsi in uinculis Romæ constituto adhærebat: secundum quam rationem & Epaphram in Epistola ad Philemonem concaptiuum suum uocat. Quoniam habebat eos fideles ac sedulos ministros in carcere, impertit illis hoc honoris, ut uocet eos concaptiuos suos, quamuis non essent unà cum ipso uinculis constricti. Hac ratione consortes sanctorum reddimur, dum necessitatibus illorum subseruimus.

Et Marcus consobrinus Barnabæ, inquit.] Quòd si Marcus hic is fuit, quem Barnabas Actor. 15. in opus ministerij secum, recusante illum Paulo, assumpsit, quemadmodum apparet: offertur in illo pulcherrimum reconciliationis exemplum, dum hic ab Apostolo commendatur Ecclesiæ fidelium, à quo olim fuerat reiectus & indignus habitus, qui ipsi ac Barnabæ in opere Domini coniungeretur, propterea quòd ab ipsis ex Pamphilia defecisset. Hunc Theophylactus existimauit fuisse Marcum euangelistam, qui Euangelium conscripsit. Sic enim de illo annotauit: ἰκαλέσατο δὲ καὶ Ἰωάννης ἀνεψιὸν δὲ βαρνάβα, ἀλλὰ καὶ παῖδα σωσίπατρος. ad quem modum sensit & Isychius, in fine lib. 7. in Leuiticum.

Consobrinus Barnabæ, inquit.] Si hoc alicuius erat faciẽdum, quare consortium illius Apostolus recusauit, cùm sciret eum esse consobrinum tanti uiri?

Respondeo: Quoniam existimabat eum haud fore utilem Euangelio inter gentes propagando, noluit eum, ne cognationis quidem huius respectu recipere. Hic uerò, quoniam factus erat utilis regno Dei, non solùm eo nomine, sed & propter cognationem Barnabæ in in precio habendum esse censuit. Videmus itaq; hoc exemplo, quando sit, & in quibus habẽda carnalis cognationis ratio, honorandiq; sanctorum uirorũ cognati: quando uidelicet non inutiles, sed utiles: non dedecori, sed honori sunt Euangelio ac regno Dei.

De quo accepistis mandata, inquit, *si uenerit ad uos, excipite eum.*] Græcè est, περὶ οὗ: id est, De quo. Sunt qui legant, παρ' οὗ: id est, A quo: ut referatur ad Barnabam, qui Colossensibus nescio quę mandata dederit. Deinde in Græco est, δέξασθε αὐτὸν: id est, Accipite: uel, Suscipite eum. Verùm sunt qui legãt in infinitiuo δέξασθαι αὐτὸν: id est, Suscipere eũ. ut sit sensus, De quo accepistis mãdata, ut suscipiatis eum. Credibile est Apostolum, ubi Marcus hic ad ipsum uenerat, seq; regno Dei propagando accommodare cœperat, scripsisse de illo ad Ecclesias, ut si quando ad ipsas ueniret, susciperent eum honorificè in Domino. Quid autem Colossenses antea de illo in mandatis acceperint, id diuinandum magis est, quàm affirmandum, quandoquidem ab Apostolo non exprimitur. Non dubito illum pro Apostolica diligentia ac solicitudine non solùm commendasse Ecclesijs eos qui fideliter agebant in opere Domini, sed & fucos inutiles, imò noxios à præsepibus abegisse, deque illis Ecclesias præmonuisse, ut si ad ipsas uenirent, ad nullum eos Ecclesiasticum commercium admitterent. An tale quid Colossensibus aliquando de Marco hoc mandauerit nec affirmare, nec negare potero. Vtinam autem hodie quoq; consimili diligentia probi ministri commendentur Ecclesijs, reprobi uerò sollicita præmonitione retrudantur.

Simul de eo quoq; admonendus est Lector, ut quemadmodum per resipiscentiam mutantur hominum mores: ita & iudicia de illis ante resipiscentiam lata, facta mutatione mutentur & ipsa: atq; ita qui antea tanquam reprobi reijciebantur, post resipiscentiam tãquam iam syceri & utiles, cum honore & fraterna dilectione recipiantur.

Et Iesus qui uocatur Iustus, inquit.] Latinam uocem tanquam usitatam usurpauit, eo quòd Iesus hic uulgò uocaretur non ἄλλως, sed Iustus. Quis autem ille fuerit, non constat. Actor. 18. mentio fit cuiusdam Iusti, colentis Deum, in cuius domũ synagogæ contiguã Apostolus ingressus sit. An de illo loquatur, nescio. Probabile tamen est, fuisse eum etiã ante fidem in Christum uirum talem, qui propter innocentiam uitæ Iusti cognomen sortitus fuerit.

Qui sunt ex circumcisione, inquit.] Quorsum hoc meminit, quasi referat in Christo, ex circumcisione ne sit quisquam, uel ex præputio? Respõdeo: Non simpliciter commemorat, quòd tres isti, Aristarchus, Marcus & Iustus, ex circumcisione sint: sed, quòd soli ex circumcisione cooperarij ipsius sint ad regnum Dei: ut significet, quàm pauci sint ex illis qui ex circumcisione in Christum credebant, qui mysterium regni Christi, maximè quòd Gentes concernit, intelligant, seque illi accommodent. Ideo cùm dixisset, Qui sunt ex circumcisione: mox subiecit,

Hi soli cooperarij sunt ad regnum Dei, qui fuêre mihi solatio.] Nec est ut dicat quisquam: Ergo alij, utpote Epaphroditus, Epaphras, Lucas, Demas, &c. non fuerunt illi cooperarij in opere Domini, ac solatio. Non enim simpliciter tres illos solos, sed solos ex circumcisione cooperarios suos, ac solatio sibi fuisse dicit.

Quid hic dicẽt Romanistæ? Si tres isti soli ex circumcisione Paulo Romę detento cooperarij solatioque & consilio fuerunt: ubi tum erat Petrus, & ipse ex circumcisione? Si Romæ, quare deseruit Paulum, Christi Apostolum? Si non deseruit illum, quare Paulus nullam illius hic mentionem facit? Si Romæ non fuit, quid est quod Romanistæ de illo nugantur?

Qui fuêre mihi solatio, inquit.] Græcè est, οἵτινες ἐγενήθησάν μοι παρηγορία. Sonat autem παρηγορία consilium, & adhortationem. Ergo insignis hic Apostolus, qui plus omnibus laborauit in opere Domini, usus est fratrum consilio & adhortatione. Gloriatur & Romanus pontifex de consilio fratrum Carnalium: uerùm quales sint illi consultores, & qualia sint ipsorum consilia, res ipsa clamat. Consilia illorum non tendunt ad propagationem regni Dei, sed ad fulciendum & corroborandum regnum Antichristi, cui toti quanti quanti sunt, seruiunt, cuius ruinam anxiè metuunt, quam multis argumentis imminere sentiunt.

Salutat uos Epaphras, qui ex uobis est, seruus Christi, semper anxiè laborans pro uobis in precationibus, ut stetis perfecti & completi in omni uoluntate Dei. Testimonium enim illi perhibeo, quòd habeat multum studium pro uobis, & his qui sunt Laodicææ, & his qui Hierapoli.

Epaphræ huius & suprà Capite 1. mentionem fecit. Hunc Colossensibus triplici nomine commendat. Primò, quòd sit ex ipsis. Naturaliter hoc plurimùm ad singularem commendationem facit, si commendentur nobis, qui non qualitercunq; nostri, sed ex nobis sunt. Sanè qui non est amanter erga suos affectus, adhuc procul abest ab eo, ut diligat extraneos & alie-
1. Timot. 5. nos. Si qua suis nõ prouidet, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Deinde, quòd sit seruus Christi. Quamuis ampliorem dignitatem habeãt fideles in Christo, ex eo quòd sunt filij Dei facti per fidem, quàm si essent serui Christi: auxesim tamen dignitatis confert homini fideli, si præter quã quòd per fidem filius Dei factus est, simul etiã sit per ministeriũ Euangelij seruus Christi. Talis uerò fuit hic Epaphras, à quo Colossenses in Euangelio Christi instituti fuerunt: sicuti uidere est suprà Capite primo. Tertiò, quòd sollicitus sit semper, & anxiè decertans pro salute Colossensium. Id sic exprimit: Semper anxiè laborans pro uobis in precationibus, ut stetis perfecti & completi in omni uoluntate Dei. Testimonium enim illi perhibeo, quòd habeat multum studium pro uobis, & his qui sunt Laodicææ, & his qui Hierapoli.

Semper anxiè laborans pro uobis, inquit.] Græcè est, ἀγωνιζόμενος, id est, Decertans: quod interpres uertit, Anxiè laborãs. Tam igitur abest, ut Epaphras hic ob id sit culpãdus, quòd pro suis, ex quibus erat, tantopere decertabat, ut magis ob hãc causam ab Apostolo commendetur. Consimilis erat & Apostoli animus erga Israelitas, ex quibus erat. uide Rom. 9. Non dicit autem simpliciter, Decertans pro uobis: sed, Semper decertans pro uobis. Argumentum hoc erat, quòd ex animo & syncero corde pro illis decertaret.

In precationibus, inquit.] Poterãt cogitare, quomodo pro ipsis decertaret, cùm esset Romæ constitutus, & procul admodum ab ipsis disitus. Subijcit igitur, ad specificandum certaminis huius genus, dicens: In precationibus. Ergo precando certare pro se mutuò possunt fideles, etiam longissimè à se inuicem separati.

Cogitemus uerò, quale sit certamen hoc, quo precando certatur, cùm nulla hic armatura esse uideatur: certamen hoc non fit sine armis. Arma illius sunt, fides, spes, patiẽtia, charitas perseuerantia, &c. Qui certat, non quiescit, donec uincat; sic qui precatur ad Deum, non deficit precando, donec uoti sui compos euadat. Pugnat certando cum satana, cum mundo,

cum

tum carne & peccato, cum omnis generis tentationibus, instar militis indefessi. Quare Apostolus metaphoram hanc certaminis admodum pertinenter ad precationes transtulit.

Vt stetis, inquit, *perfecti ac completi in omni uoluntate Dei.*] Quid à Deo pro ipsis impetrare precationibus suis contenderit Epaphras, hisce uerbis exprimit: hoc uidelicet, ut cognitione & obedientia uoluntatis Dei perfecti starent. Consimilia & ipse Paulus pro illis à Deo petebat, sicuti uidere est suprà Capite 1. ubi dicit: Propterea & nos ex quo die audiuimus, non desiuimus pro uobis orare & poscere, ut impleamini agnitione uoluntatis eius, in omni sapientia & prudentia spirituali, ut ambuletis dignè Domino, ut per omnia placeatis, &c. De metapho ra Standi, diximus in ea quæ est ad Ephesios, capite ultimo.

Illud, In omni uoluntati Dei, bifariam accipi potest. Primò, ut idem sit, quod, Secundum omnem uoluntatem Dei. Non est Ebræis insolens literam ב beth, ponere pro כ kaph. Vt בכל רצון אלהי idem sit quod בכל, id est, Secundum omnem uoluntatem Dei. Deinde, ut accipiatur pro, In omni obedientia uolũtatis Dei. Verùm possunt ista coincidere. Consecrati sumus in omnem uoluntatem Dei. Quare huic debemus perfectioni studere, ut nulla in re ab illa discrepemus, corde saltem, etiamsi subinde delinquamus.

Testimonium enim illi perhibeo, inquit, quod habeat multum studium pro uobis, & his qui sunt Laodiceæ, & his qui Hierapoli.] Confirmat ea quæ de Epaphra scribit, significans se illa non temerè, sed uice testimonij dicere, cui credere nõ minus debeant, quàm si adiuratus de illo testificaretur. Volebat autem eos persuasos ac certos esse de zelo illius, quo erat erga ipsos præditus, quo in futuro plus apud eos haberet authoritatis. Sic dicit: Testimonium enim illi perhibeo, quòd habeat ζῆλον πολὺν: id est, Zelum multum pro uobis. Et addit: Et his qui sunt Laodiceę & Hierapoli. Particulam hanc adiecit, quia uolebat Epistolam hanc non à Colossensibus tantùm, sed & ab istis tanquam uicinis legi.

Quod duas hasce ciuitates Laodiceam & Hierapolim attinet, obiter obseruandæ sunt nominum illarum significationes. Laodicæa populum iustum, uel populi iusticiam, siue iudicium: Hierapolis uerò sacram ciuitatem significat. Sic ueteres ciuitates suas eiusmodi nominibus cohonestabant: quibus admonerentur, quales esse deberent. Et utinam omnes Christiani orbis ciuitates ueræ essent ἱεραπόλεις, quod religionem: & λαοδικίαι, quod uitæ conuersationem concernit.

Salutat uos Lucas medicus dilectus, & Demas.] Lucæ huius mentionem tribus locis facit Apostolus, hoc uidelicet præsenti, & 2. Timoth. 4, ubi dicit: Lucas solus mecum est: & in ea quæ ad Philemonem est, in cuius calce illum cum Marco, Aristarcho & Dema, perinde atq; hoc loco in salutationibus coniungit. Nusquam tamen encomium illi tribuit Euangelistæ. Hic cùm uocat eum medicum, putant ex recentioribus nonnulli fuisse eum non Euangelistam, sed alium quempiam. Veteres tamen de Euangelista exponunt. Chrysostomus quamuis dicat, ὅτι καὶ ἐστὶν ὁ εὐαγγελιστής: subiungit tamen, ἀκὸς εἶναι ἦδη ἀλλὰς καλλιεῖσθαι τῷ ὀνόματι τούτῳ.

Medicus.] Credo plures ab ipso Paulo uirtute Christi, quàm arte medica ab hoc Luca fuisse curatos, & tamen nusquam se uocat medicum. Ratio est, quòd non erat id sanandum corporaliter ægrotantes, sed ad euangelizandum uocatus. Hunc uerò uocat medicum, non quòd multos curaret: sed quòd esset professione medicus. Hac communi ratione contentus, uocat eum medicum.

Non est ut quæramus, ad quid Apostolus medicum in comitatu suo habuerit. An ut illius opera sanitati suæ, uel discipulorum suorum consuleret. Cogitemus potius medicum hunc corporum Apostolum Christi tanquam medicum animarum fuisse sequutum.

Et Demas, inquit.] De hoc secunda Epistola ad Timotheũ quarto, sic scribit: Da operam, ut uenias ad me citò. Nam Demas me reliquit, amplexus præsens seculũ, & profectus est Thessalonicam.

Salutate fratres, qui sunt Laodiceæ, & Nympham, & quæ in domo illius est, congregationem.

Quoniam Epistolam hanc in Laodicensium quoq; Ecclesia legi uoluit, illis etiam salutem adscripsit: ut uiderent, se quoq; in memoria esse Apostoli Christi.

Et Nympham, inquit.] Ambrosius existimans fuisse feminam, sic annotat: Nympham chariorem existimat, cuius & domũ salutat. Tam enim deuota uidetur fuisse, ut omnis domus eius signo titulata esset crucis. Hęc ille. Et Lyranus: Quę prędicatoribus (inquit) ministrabat sumptus de suis facultatibus. Verùm inde errarunt, quòd Grecũ textum non inspexerunt, qui sic habet, πρὸς Νυμφᾶν, καὶ τὸν κατ' οἶκον αὐτῆς ἐκκλησίαν. Non est αὐτῆς, in feminino, sed αὐτοῦ, in masculino genere. Et ne quis Græca exemplaria causetur esse corrupta, sciat Chrysostomum quoq; nõ de femina, sed de uiro exponere. Sic enim hic dicit: ἴδε γοῦν πῶς φάσκουσι μίγαν τὸν ἄνδρα, εἴγε ἡ ἐκκλησία αὐτοῦ ἐκκλησία ἦν: id est, Vide igitur, quomodo uirum hunc magnum fuisse ostendat, siquidem domus eius erat Ecclesia. Quàm autem magnus fuerit hic Nymphas iuxta seculũ, ex eo colligi nõ potest, quòd in domo eius fuit Ecclesia. Ecclesia siquidẽ etiá in uulgaris hominis domo

esse

esse potest, si sit familia illius fidelis. Quod in Ambrosio legitur, omnem illius domum signo crucis fuisse titulatã: suffraganij cuiusdam commentum esse puto, qui censent nullam domũ ecclesiam esse posse, nisi parietes illius crucis sunt signaculo obsignati. Pluris enim faciunt parietes, quàm fideles crucigeros: quia in illis suum ipsorum opus sanctificant, in istis uerò sanctificandis laborare detrectant.

Et cùm recitata fuerit à uobis Epistola, facite ut & in Laodicensium Ecclesia recitetur: & eam quæ scripta est ex Laodicea, ut uos quoq; legatis.

Christianam Ecclesiarum communicationem requirit hisce uerbis Apostolus. Quæ scripsit Colossensibus, scripsit non ut Colossensibus, sed ut Christianis: quo nomine communia esse debebant & alijs Christianis, præcipuè uicinioribus, quales erant Laodicenses. Consimilis etiam erat utriusq; Ecclesiæ status, quare opus non erat, ut Laodicensibus separatas literas mitteret, cùm eędem sufficerent & illis & Colossensibus. Sanè nihil est in tota hac Epistola sic Colossensibus scriptum, ut ad illos tantùm pertineat, & non etiam Laodicensibus competere possit, nisi forsan unum illud quod de Archippo sequitur. Quæ de communi Christianorum doctrina, fide, religione, pietate & conuersatione uitæ scripta sunt, palàm debent non in una tantùm & altera, sed in omnibus Christi Ecclesijs recitari, & cunctis fidelibus communicari. Noluit Apostolus priuatis quibusdam scribere, sed toti Ecclesiæ: & quæ scribebat, coram Ecclesia recitari uoluit. Et cùm recitata fuerit à uobis Epistola (inquit) facite ut & in Laodicensium Ecclesia recitetur: quo uidelicet omnes audirent, discerent, instruerentur & admonerentur. Idem hic quoq; hodie esse debet Apostolicarum epistolarum usus.

Et eam quæ scripta est ex Laodicea, inquit, *ut uos quoq; legatis.*] Non satis obseruant uerba Apostoli, qui putant illum loqui de quadam Epistola, quam scripserit ad Laodicenses, quæ intercederit. Non dicit, Et eam quam scripsi ad Laodicenses: sed, Et eam quæ est ex Laodicea, uos quoq; legatis. Scripserant Laodicenses ad Apostolum eas literas certis de causis, Colossensibus quoq; legendas misit. Hunc sensum & Chrysostomus citat.

Et dicite Archippo: Vide ministerium quod accepisti in Domino, & illud impleas.

Archippus hic, ut apparet, minister erat Ecclesię Colossensium, quam in absentia Epaphrę moderari debebat. Ministerium hoc fortè non tam sedulò quàm conueniebat, implere satagebat. Quare iniungit hoc Ecclesiæ, ut admoneat eum suscepti officij. Et dicite Archippo, inquit, Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas. Vox hæc debebat hodie auribus Episcoporum instar clangentis tubæ inferri. Beneficijs & opibus inhiant, & interim ocio ac delicijs delibuti ministeria sua negligunt. Verùm ea de re in Locis nostris diximus. Quòd sit autem ministerium episcopi, & quomodo implendum, non eget expositione. Archippi huius honorificam mentionem facit in ea quæ est ad Philemonem, mox initio ubi dicit: Paulus uinctus Christi Iesu, & Thimotheus frater, Philemoni dilecto & collegæ nostro, & Apphiæ dilectę, & Archippo commilitoni nostro.

Non est autem præter rationem factum, quòd Ecclesiæ mandat, ut Archippum officij implendi moneat. Significat pertinere hoc potissimùm ad Ecclesias, ut segnes ministros, doctores, pastores & episcopos de implendo ministerio suo, palàm ac disertè admoneant. Verùm est hoc παραίνων, & nimis Apostolicum.

Salutatio mea manu Pauli.

Sic solebat salutationẽ suam suapte manu Epistolis suis subijcere: qua de uide suprà 1. Cor. ultimo, & 2. Tess. ultimo.

Memores sitis uinculorum meorum.

Potest hoc tripliciter accipi. Primò, ut precibus suis solutionem uinculorum, quibus Romæ tenebatur, à Deo peterent: deinde, ut uincto sibi necessaria solatia mitterent, atq; ita declararent, haudquaquam se uinculorum ipsius obliuisci: tertiò, ut in afflictionibus constituti ad uincula ipsius respicerent, illorumq; memores consimili & ipsi patientia quæuis aduersa pro nomine ac fide Christi fortiter perferrent.

Gratia uobiscum, Amen.

Quoniam omnis nostra salus, uita ac felicitas, gratia Dei nititur, planè Apostolico affectu tanquam syncerus doctor gratiæ, optat illam fidelibus quibus scribit, tam in calce epistolarum quàm in principio.

Quòd nunc ista suum sortitur Epistola finem,
Pro dono tibi sit gloria Christe tuo.

IN

IN PRIOREM APOSTOLI PAVLI AD THESSALONICENSES EPISTOLAM, PRAEFATIO.



THESSALONICAM metropolim esse Macedoniæ, notius est quàm ut sit admonendum. De huius exortu Suidas sic scribit: τῆς δὲ μακεδονίας βασιλεύοντος φιλίππου ἔτη κ. καὶ τὴν θεσσαλίαν ὑποταξάντος, ἣν ἔκτισας ἐκάλεσε θεσσαλονίκην. οἱ δὲ, ἐπ' ὀνόματι θεσσαλονίκης θυγατρὸς ἐκτίσαι τὴν πόλιν φασί. Verùm parum refert à quo sit in tenebris condita, & unde id nominis acceperit: id potius considerandum est, per quem sit in luce ueritatis felicius regenerata, quàm fuerit initiò condita.

De regeneratione autem illius Act. 17. initio capitis sic legitur: Cùm autem iter fecissent (Paulus uidelicet, & Silas) per Amphipolim & Apolloniam, uenerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Iudæorum. Secundum consuetudinem autem suam Paulus introiuit ad eos, & per sabbata tria disserebat eis è Scripturis: adaperiens & allegans, quòd Christum oportuisset pati, & resurgere à mortuis: & quòd hic esset Christus Iesus, quem ego (inquit) annuncio uobis. Et quidam ex eis crediderunt, & adiuncti sunt Paulo & Silæ, & religiosorum Græcorum multitudo magna, mulieresq; primariæ non paucæ: & quæ ibi sequuntur. Hęc erant auspicia regenerationis Thessalonicensium: quæ quàm non fuerint inefficacia, in ipsa uidebimus Epistola, quam iam per gratiam Domini tractandam aggredimur: præcipuè ubi dicit, Thessalonicenses exemplo fuisse omnibus credentibus in Macedonia & Achaia, eo quòd sermo Domini ab illis pertonuerit non solùm in Macedonia & Achaia, uerumetiam in quouis loco, ad quem fides illorum dimanauit.

Occasio autem scribendi ad eos, erat ista. Turbabantur admodum per improbitatem incredulorum, præsertim Iudæorum, quorum furores ipse mox initio fuerat expertus. Ob eam causam, cùm cuperet eos inuisere, impediretur uerò à satana, & misso Timotheo de rebus illorum certior esset factus, hanc ad eos Epistolam scripsit, qua partim laudaret illorum in uera fide constantiam, & in afflictionibus tolerantiam: partim hortaretur eos, ut quemadmodum oportet, in Euangelio Christi inculpatè conuersarentur: deinde & de quibusdam articulis peculiariter instrueret, de quibus omnibus in ipso Epistolæ tractatu uidebimus.

CAP. PRIMVM.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Post subscriptionem, inscriptionem, ac salutationem orditur à gratiarumactione, propter fidei ipsorum constantiam: simulq; deprædicat in illis singulare conuersionis exemplum.

PAVLVS, & Syluanus, & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium, in Deo patre, & Domino Iesu Christo: Gratia uobis & pax à Deo patre nostro, & Domino IESV CHRISTO.

IN subscriptione coniungit sibi Syluanum & Timotheum, idq; non sine ratione. Nam hisce duobus tanquam cooperarijs in opere Domini usus fuerat, cùm Euangelium Christi Philippensibus ac Thessalonicensibus, deinde & Corinthijs prædicaret. Qua de re uidere est Act. 15. 16. 17 & 18. ubi Silas à Luca uocatur, quem hic Apostolus Syluanum nominat: ut credibile sit, Silam eum propriè, Syluanum uerò cognomine fuisse uocatum. Eosdem sibi

&

& 2.Cor.1.paulò ante calcem cõiungit,ubi dicit:Nam Dei filius Ieſus Chriſtus, qui inter uos per nos prædicatus eſt,per me & Syluanum ac Timotheum,non fuit etiam & non,ſed etiam per ipſum fuit.Syluani huius mentionẽ & apoſtolus Petrus facit,in priori Epiſt.cap.ultimo, dicens:Per Syluanum uobis fidelẽ fratrem (ut arbitror) paucis ſcripſi.Vbi illud, Vt arbitror, non ad præcedentem eſt,ſed ad ſequentem particulam referendum:legendumq;,Per Syluanum uobis fidelem fratrem paucis (ut abitror) ſcripſi,quo ambiguitas ſententiæ tollatur.

Eccleſiæ Theſſalonicenſium, inquit, *in Deo patre & Domino Ieſu Chriſto.*] Inſcriptio eſt. Quoniam uerò uox Eccleſiæ uſitata erat Græcis non modò Chriſtianis, ſed & ethnicis:poſtquam Epiſtolam hanc in ſcripſerat Eccleſiæ Theſſalonicenſium, ne de politica eius urbis Eccleſia intelligeretur,opus erat ſpecificatione,qua ambiguitas tolleretur. Hanc exprimens, dicit: In Deo patre & Domino Ieſu Chriſto:id eſt, Quæ eſt in Deo patre & Domino Ieſu Chriſto. Vſitata eſt Ebræis iſta loquutio, qua pronomen אשר omittitur,cùm tamen ſubintelligẽdum ueniat: ut Pſalmo 7. רעתה אלי אשמט צריה id eſt, Et excita ad me iudicium præcepiſti: ubi ſubauditur אשר. Vt ſit אשר צויתה, id eſt, Quod præcepiſti. Sic hoc loco ſubauditur אשר, id eſt, Quæ. Chryſoſtomus igitur rectè ſpecificationem hanc exprimit, dicens: τῇ ἐκκλησίᾳ φησὶ θεοῦ πατρὸς καὶ κυρίου, τῇ ἐν θεῷ: id eſt, Eccleſiæ Theſſalonicenſium, quæ eſt in Deo, &c. Hac ſpecificatione fecernit Eccleſiam fidelium, quæ erat in Chriſto, ab Eccleſia ethnica eius urbis.

Quomodo autem erat Eccleſia fidelium in Deo patre, & Domino Ieſu Chriſto? Quatenus erat in fide ac religione Dei patris ac Domini noſtri Ieſu Chriſti, hactenus erat in Deo patre ac Domino Ieſu Chriſto. Ergo Eccleſiæ hactenus cenſendæ ſunt, eſſe in Deo patre ac Domino Ieſu Chriſto, quatenus fidem in Chriſtum religioſè ac ſyncerè cuſtodiunt, non quatenus traditiones ac doctrinas hominum ſeruantes Romanorum dominatui ſubijciuntur.

Non dicit autem ſimpliciter, In Deo: ſed addit Patre, propter myſterium unigeniti Dei. Et Turci unũ quidem eſſe Deum agnoſcunt, quemadmodum & Iudæi: uerùm eſſe Deo filium, non recipiunt. Addit, Et Domino Ieſu Chriſto: qua particula palàm diſcernit Chriſtianos à Iudæis & reliquis omnibus incredulis: ſimulque admonet, eos demum eſſe in Deo patre, qui ſunt in Domino Ieſu Chriſto.

Gratia uobis & pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.] Salutatio eſt. Hac ferè ubiq; utitur. Diximus de ea ad Romanos 1. 1. ad Corinthios 1. 2. ad Corinthios 1. ad Galatas 1. ad Epheſios 1. ad Philippenſes 1. & ad Coloſſenſes 1.

Gratias agimus Deo ſemper de omnibus uobis, mentionem ueſtri faciẽtes in precibus noſtris indeſinenter memores ueſtri propter opus fidei, ac laborẽ charitatis: & quòd permanſiſtis in ſpe Domini noſtri Ieſu Chriſti, coram Deo & patre noſtro, ſcientes fratres dilecti, à Deo electionẽ ueſtram: quoniã Euangelium noſtrum fuit erga uos, non per ſermonem ſolùm, uerumetiam per uirtutem & per Spiritum ſanctum, perq; certitudinem multam: quemadmodum noſtis, quales fuerimus inter uos ueſtra cauſa.

Exordium eſt Epiſtolę. Orditur autem à gratiarumactione, perinde atq; in duabus precedentibus ad Philippenſes & Coloſſenſes. Gratias agimus (inquit) Deo ſemper de omnibus uobis. Ad Coloſſenſes 1. ſic, Gratias agimus Deo ac patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſemper de uobis. Ad Philippenſes 1. eſt, Pro omnibus uobis. Illud, Mentionem ueſtri facientes in precibus noſtris indeſinenter memores ueſtri: ad Philippenſes 1. ſic habetur, In omni memoria ueſtri, ſemper in omni precatione mea, pro omnibus uobis. Et quod ſubiungitur, Propter opus fidei, ac laborem charitatis, & quòd permãſiſtis in ſpe Domini noſtri Ieſu Chriſti coram Deo & patre noſtro: ad Coloſſenſes 1. ſic legitur, Quoniam audiuimus fidem ueſtrã in Chriſto Ieſu & charitatem erga omnes ſanctos, propter ſpem repoſitam uobis in cœlis, &c. ubi ui de quæ annotauerimus, Quòd itaq; hic ſimpliciter dicit, Propter opus fidei ac laborem charitatis: inde eſt adiecta ſpecificatione complendum, de qua fide, & de qua dilectione loquatur, de fide ſcilicet in Chriſtum Ieſum, & de dilectione erga omnes ſanctos.

Mentionem ueſtri, inquit, *facientes in precibus noſtris.*] Iterum uides preces & gratiarumactiones coniungi. Pro ijſdem Apoſtoli & gratias agebant Deo, & ſimul precabantur. Sic eſt curſus Chriſtianorum comparatus, ut partim acceperint à Deo, pro quibus agendæ ſint illi gratiæ, partim opus habeant, ut pro nonnullis quæ nondum acceperunt, imploretur Deus.

Indeſinenter, inquit, *memores ueſtri propter opus fidei ac laborem charitatis.*] Propter, non eſt in textu. Vulgata Latina editio ſic habet: Memores operis fidei ueſtræ, & laboris & charitatis. Sic & Ambroſius, niſi quòd in plurali legit, Et laborum charitatis: Græcè eſt, ἀδιαλείπτως μνημονεύοντες ὑμῶν τοῦ ἔργου τῆς πίστεως καὶ τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης: id eſt, Indeſinenter memores ueſtri operis fidei & laboris charitatis. quod ſic reddi poterat: Indeſinenter memores operis ueſtri, quod in fide, & laboris, quem in charitate habetis. Deinde aduerbium Indeſinenter, à nonnullis ad præceden-

tia

tia refertur. Germanicus interpres ſic uertit: *Vuir dancken Gott alle zeyt fur euch alle, unnd gedencken euwer in euwerem gebet on underlaß, unnd dencken an euwer werck im glauben, unnd an euvver arbeit in der liebe.*

Quòd ſi legere placet, Indeſinenter memores ueſtri, adiectum eſſe ad hoc cogitandum eſt, ne putarent, Apoſtolum in precibus duntaxat ipſorum eſſe memorem. Quaſi dicat: Non ſolùm cùm oramus, ſed & extra preces memores ueſtri ſumus. Nunquam enim fidei ac charitatis ueſtræ obliuiſcimur.

Propter opus fidei, inquit, *ac laborem charitatis.*] Non ſimpliciter dicit, Propter fidem charitatem ueſtram, neque propter opera & labores ueſtros: ſed, Propter opus fidei ac laborem charitatis. Commendat in illis nec ocioſam fidem ac dilectionem, nec quæuis opera & labores: ſed fidei ac dilectionis efficaciam, & opera quæ quaſi fructus quidam ſint ueræ fidei ac dilectionis. Quæ autem ſint illa fidei ac dilectionis opera, in Locis noſtris annotauimus. Omnem uitam Chriſtiani hominis complectuntur fides, ſpes & charitas. Quæ ab his diſſident, pro alienis ſunt habenda.

Obſerua uerò, quòd charitati adſcribit κόπον, id eſt moleſtiâ ac fatigationem. Quemadmodum enim amor, res eſt ſolliciti plena timoris: ita eſt & plenus laboribus, nihil fugiês eorum quæ neceſſaria ſunt afflictis & egenis, etiamſi cum grauibus ſint moleſtijs coniuncta. Conſimile eſt illud quod Ebr. 6. legitur ad hunc modum: Non enim iniuſtus eſt Deus, ut obliuiſcatur operis ueſtri, & τῆ κόπε τῆς ἀγάπης: id eſt, Et laboris ex charitate ſuſcepti, quâ exhibuiſtis erga nomen illius, dum miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis.

Et quòd permanſiſtis, inquit, *in ſpe Domini noſtri Ieſu Chriſti.*] Græcè ſic, καὶ τῆς ὑπομονῆς τῆς ἐλπίδος τῆ κυρίε ἡμῶν Ἰησᾶ χριςᾶ: id eſt, Et perieuerantiæ ſpei Domini noſtri Ieſu Chriſti. Loquitur de tolerãtia afflictionum, in qua conſtanter per ſpem quæ eſt in Chriſto Ieſu perſeuerabant. Spes iſta ſpes eſt gloriæ Dei, quæ patientia & probatione confirmata ſperantem non confundit. De hac uide in Locis noſtris. Dicitur illa ſpes Domini noſtri Ieſu Chriſti, propterea quòd ex fide in illum naſcitur, & aliud quàm illum obiectum ac fundamẽtum non habet. Ipſe namque eſt ſpes ac uita noſtra, non beata uirgo: de qua Papiſtæ canunt, quòd ſit uita, dulcedo & ſpes ipſorum.

Corã Deo, inquit, *& patre noſtro.*] Particula hęc ſic eſt poſita, ut poſsit referri uel ad illud quod dixit, Mentionem ueſtri facientes in precibus noſtris: ut quod ſequitur, Indeſinenter memores ueſtri propter opus fidei ac laborem charitatis, & quòd permanſiſtis in ſpe Domini noſtri Ieſu Chriſti, per parentheſim ſit inſertum: ac tum ſequatur, Coram Deo & patre noſtro: uel ad proximè præcedens, Et perſeuerantiæ ſpei, quæ eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, coram Deo & patre noſtro, ad quem modum Germanicus interpres uertit: uel ad id quod ſequitur, Scientes fratres dilecti à Deo electionem ueſtram. Vt dicat ſe coram Deo ac patre noſtro ſcire, quòd ſint electi. Omnia hæc uera ſunt. Et coram Deo in precibus ſuis mentionem illorum faciebat, & ſpes fidelium coram Deo patre noſtro eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, denique coram Deo ſciebat eos eſſe electos. Quare nihil eſt incommodi, quólibet particulam hanc referas.

Scientes fratres dilecti à Deo, inquit, *electionem ueſtram.*] Et hic amphibolia eſt. Poſsũt n. iſta ſic accipi, ut dicat eos dilectos eſſe à Deo: rurſus ſic legi poſſunt, ut dicat ſe ſcire, quòd à Deo ſint electi: uel, Quòd à Deo ſit ipſorum electio. qui poſterior ſenſus mihi probatur. Deinde ſunt qui participium Scientes, referant ad Theſſalonicenſes: quaſi dicat illos propterea opera fidei & charitatis operari, & in ſpe Domini noſtri Ieſu Chriſti perſeuerare, quòd ſciant electionem ſui eſſe à Deo. Verùm is ſenſus Græco uerborum contextui non conuenit, licet in Eraſmi uerſione probabilis eſſe uideatur: propterea quòd ibi legitur, Et quòd permanſiſtis in ſpe, pro, Perſeuerantiæ ſpei. Mihi magis probatur, ut de ſua quàm Theſſalonicenſium ſcientia loqui Apoſtolum ſentiamus. Reddit enim rationem, quare tantopere gratias agat Deo de ipſis omnibus: propterea uidelicet, quòd ex opere fidei & labore charitatis ipſorum, & ex perſeuerantia ſpei, quam habebant in Chriſto Ieſu, certum habeat experimentum, unde ſciat eſſe ipſos à Deo electos.

Obſeruandum hic eſt ſtudium Apoſtoli in obſeruandis electis ac reprobis, ut ſciret, fruſtra´ne uel efficaciter ſatageret in opere Domini, & propter electos alacrius omnia facere ac perpeti poſſet. Deinde conſiderandum eſt, electionem fidelium non eſſe ſic obſcuram, ut ſciri nequeat. Aliàs temerarium fuiſſet, quòd ſcire ſe electionẽ illorum dixit, cùm poſſet dicere: Sperantes electos uos eſſe à Deo. Tertiò, unde illa ſcire poſsit. Ex operibus fidei uidelicet, & laboribus charitatis, unà cum perſeuerantia ſpei, & tolerantia afflictionum, in Chriſto Ieſu: quæ nec à reprobis præſtari, nec ab hypocritis conſtanter ſimulari poſſunt.

Quòd ſi quis participium Scientes, ad ipſos Theſſalonicenſes referendum eſſe cenſet, eo ſenſu admonetur, poſſe Chriſtianos homines certos eſſe de electione, qua ad ſalutem ſint à Deo electi, eamq; certitudinem uſq; adeò non eſſe inanem in ipſis, ut per eam in operibus fidei, laboribus charitatis, ac ſpe Domini noſtri Ieſu Chriſti ſtabiles & infracti reddantur.

Non dicunt: Si sum electus ab æterno, perire nō possum, quomodocunq; me gerā. Hic sermō non est electorum, sed reproborum. Electus, testimonio spiritus Christi confirmatus, ex corde gratias agit incomparabili gratiæ Dei, totumq; se uoluntati illius consecrat: inq; fide, spe & charitate perseueranter uersatur, ne tam insigni gratia ac felicitate per defectionem indignus reddatur: tam abest, ut quoniam electum esse se credit, deterior inde ac dissolutæ uitæ reddatur. id quod nonnulli hodie ad diffamandum electionis ac prædestinationis doctrinam impiè calumniantur.

Quoniam Euāgelium nostrum fuit erga uos, inquit, *non per sermonem solùm, uerùm etiam per uirtutem & per Spiritum sanctum, perq; certitudinem multam, &c.*] Adhuc plenius exponit, quòd se electionem ipsorum scire dixit. Quoniam (inquit) Euangelium nostrum fuit erga uos non per sermonem solùm, uerùm etiam per uirtutem. Quasi dicat: De electione uestri, quòd sitis de numero non reproborum, sed electorum, dubitare nequimus. Reipsa namque experti sumus, esse uos electos, quando uidimus Euangelium nostrum, quod uobis in Christo annunciauimus, esse erga uos non in sermone tantùm, sed in uirtute: hoc est, esse non inefficax, sed efficaciter erga uos potens.

Ergo Euangelium, etiam ab ipso Apostolo prædicatum, si incidat in reprobos, qui ex Deo non sunt, in sermone tantùm consistit, & iusta uirtute destituitur: si uerò incidat in electos, non est in sermone tantùm erga illos, sed & in potentia, efficaciter in illis operans, quæ nō operatur in reprobis. Cōsimile est illud Christi: Qui ex Deo est, uerbum Dei audit: propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis. Quemadmodum igitur agricola conspecta semente, cognoscit se seminasse semen suum in terram non sterilem, sed bonam ac frugiferam: ita & mi nister uerbi ex fructibus Euangelij sui scire potest, prędicationem suam non esse in sermone tantùm, sed & in uirtute: & incidisse se non in reprobos, sed in electos.

Quoniam Euangelium nostrum.] Certis rationibus Euāgelium iam uocat Dei, iam Christi, iam suum Euangelium. Ad Romanos capite secundo, Secundum Euangelium meum, inquit. Et in Epistola secunda ad Corinthios, capite quarto: Si uerò apertum est Euangelium nostrum. Suum uocat, quatenus per ipsum prædicabatur: Dei, quatenus ab illo datum erat: Christi, quatenus de illo annunciatur, & ab illo in mundum hunc est missum.

Fuit erga uos, inquit.] Non simpliciter dicit, Quoniam Euangelium nostrum est non per sermonem solùm: sed addit, Erga uos. Aliàs in ijs qui peribant tanquam reprobi, ut opertū erat: ita erat & in sermone tantùm. Hinc tamen nihil deteritur de ueritate Euangelij, quod in se uerum est, etiam cùm prædicatur reprobis: & propter illorum oecæcationem infirmatur, ne uirtutem suam exerat. Etenim incredulitas reproborum ueritatem Dei in sermone gratiæ non facit irritam.

Non per sermonem solùm, inquit, *uerùm etiam per uirtutem.*] Græcè est, ἐν λόγῳ καὶ ἐν δυνάμει, καὶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ, καὶ ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ: id est, In sermone, in uirtute uel potentia, in Spiritu sancto, & in certitudine multa: nec uideo rationem, propter quam Apostolica loquutio fuerit mutanda. Non in sermone solùm, inquit. Non dicit simpliciter, Euangelium suum non fuisse in sermone: sed, non fuisse in sermone solùm. In sermone utique fuit, cùm ab ipso prædicaretur. uerùm non in sermone solo. In solo sermone est, quod sic dicitur, ut nihil habeat efficaciæ. Quemadmodum autem Sacramentorum, ita & Euangelij duæ sunt partes. Vna est pars in Sacramentis, externum signum: altera, res signata, uel inuisibilis gratia. Quando sumitur sacramentum sine re sacramenti, sumitur in signo tantùm. Sic una pars Euangelij est externus sermo, quem administrat Apostolus: altera, res ipsa, quam ille externo sermone annunciat. Vbi hæc non accipitur fide, ibi Euangelium est in solo sermone. Est quidem illud uirtus Dei ad salutem, sed non nisi credentibus. Rom. 1. Quemadmodum & Christus ipse sapientia quidem & potentia Dei est, uerùm illis qui credunt: pereuntibus uerò stultitia est. prima ad Corinthios primo.

Verùm etiam in uirtute, inquit.] Gemina erat tum Euangelij δύναμις, id est potentia, utraque diuina. Vna erat signorum ac portentorum, ad confirmationem sermoni propter incredulos adhibita. de qua illud est Marci ultimo: Illi uerò egressi prædicauerunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante per signa subsequentia. Ea signa multis locis Euangelicæ scripturæ δυνάμεις uocantur. Altera erat, qua corda audientium aperiuntur, ut credant Euangelio, & à tenebris ad lucem ueritatis conuertuntur, inque nouam creaturam secundum imaginem Dei mutantur. Fiunt ista per Spiritus sancti operationem in electis. Iam cùm hic dicit Apostolus, Euangelium suum non fuisse in sermone tantùm, sed & in uirtute: quæri poterit, ad quam sit uirtutem, priorem ne, uel posteriorem referendum? uerùm nihil esse puto incommodi, si ad utramque referamus. Chrysostomus refert ista ad Apostolum, quasi loquatur de uirtute Spiritus sancti, qua ipse ducebatur, & ad facienda ferendaque omnia confirmabatur, propterea quòd subiungit: Quemadmodum nostis, quales fuerimus inter uos, uestra causa.

Et in spiritu sancto, inquit.] Puto intelligendum esse de eo, quòd Spiritus sanctus impertiebatur

batur credentibus in Christum, qua de re uide in Actis apostolorum capite decimonono, & prima ad Corinthios, capite duodecimo: & ad Galatas, capite tertio. Sunt quibushæc particula ad præcedentem expositionis gratia adiecta uideatur: ut, In uirtute & in spiritu sancto, idem sit, quod in potentia Spiritus sancti.

Et in certitudine multa, inquit.] Græcè est, καὶ ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ. Est autem πληροφορία plena & perfecta satisfactio, qua sic nō modò persuademur, sed & omni dubitatione remota certificamur, ut nihil argumentorum desideremus amplius. Intelligo autem de certitudine non qua Apostolus, sed qua Thessalonicenses cùm per diuinæ potentiæ declarationem, tum per Spiritum sanctum, qui & in Apostolo loquebatur, & in cordibus ipsorum operabatur, certi de ueritate Euangelij ac salute sua redditi fuerant. Non simpliciter autem dicit, Et in certitudine: sed, In certitudine multa, propterea quòd multis illa & magnis argumentis constaret. Non uult Deus fideles suos fluctuare in dubitatione, sed certa, eaque multa πληροφορίᾳ in fide gratiæ suæ ac salutis ipsorum confirmari. Cogita hic de doctrinis hominum, quomodo illæ sint in infirmitate, in spiritu humano, & in dubitatione, & in certitudine nulla.

Quemadmodum nostis (inquit) quales fuerimus inter uos, uestra causa: uel, ut in Græco est, δι' ὑμᾶς, id est, Propter uos. Si placet Chrysostomi expositio, de qua suprà memini, existimo uocem πληροφορίαν uertendam esse fiduciam, ac legendum: Et in fiducia multa, cui lectioni commodè particula hæc subijci uidetur, qua significatur, notum ipsis esse, qualem se inter ipsos gesserit, quanta uidelicet uirtute, quo spiritu, & quàm multa cum fiducia Euangelium ipsis prædicauerit, cunctaq; propter ipsos & fecerit & sustinuerit.

1. Obseruandum hic est, quàm multum referat qualis sit Euangelij minister, & qualem se gerat inter eos quibus prædicat. Haud quidem pendet à ministro ueritas Euangelij & sacramẽtorum, sed nitur ueritate Dei (qua de re & in Locis nostris diximus) interea tamen inconfesso est, plurimum illi pōderis decedere, si uanus sit minister: accedere uerò, si sit inculpabilis, pius ac bonæ fidei, ut haud præter rationem alicubi dicat Basilius, ἀξιοπιστία τῷ διδάσκοντι & ἰσχυρὰ ῥᾳδιουργεῖ τὸν λόγον καθίστησι, τῇ προσοχῇ τῶν διδασκομένων παρασκευάζει.

2. Deinde obseruandum & hoc est, quòd non simpliciter dicit, Quemadmodum fuimus inter uos: sed, Quemadmodum nostis, quales fuerimus inter uos. quibus uerbis appellat ipsorum conscientiam, id quod & in sequentibus per Epistolam hanc decies facit, qua in re uidemus quàm magna sit bonæ conscientiæ fiducia.

3. Tertiò & illud considerandum est, quòd adijcit, Propter uos. Quare non potius propter Deum? Propter Deum utique sedulus fuit in suo toto Apostolatu: uerùm infrà capite sequenti uidebimus, quænam sint illa quæ propter ipsos fecerit, cùm ad ea non teneretur ex officio. Minister uerbi non debet ijs esse contentus, quæ sine culpa neglecti officij omitti nō possunt: sed diligenter considerare, quid prosit infirmis, sic ut illorum gratia faciat etiam non debita: & omittat, quæ liberè facere poterat. De illis intelligit, cùm dicit, Propter uos. Hanc infirmorum rationem non habent magistri ac domini Ecclesiarum, qui paterno affectu destituti omnia pro potestate faciunt, quam sibi uindicant, & commodis suis cōsulunt, quicquid fiat de subditis. Horum uox non est, Propter uos: sed, Omnia propter nos.

Et uos imitatores nostri facti fuistis, & Domini recipientes sermonem cum afflictione multa, cum gaudio Spiritussancti, adeò ut fueritis exẽplo credentibus omnib. in Macedonia & Achaia. A uobis enim pertonuit sermo Domini, nō solùm in Macedonia & Achaia: uerùm etiam in omni loco fides uestra, quæ est in Deum, dimanauit, ut non sit nobis necesse loqui quicquam.

Quoniam fidem, spem & charitatem illorum deprædicare cœperat, unde cognouerat, esse eos de numero electorum: relictis ijs quæ ipse inter eos gesserat, redit ad ea quæ de illis commemorare cœperat. Poterant enim cogitare, per obliuionem præcedentium fieri, ut cùm de fide, charitate, spe & electione ipsorum cœpisset ad suas ipsius uirtutes deprædicandas, quasi propriæ laudis auidus declinarit. Et uos (inquit) imitatores nostri facti estis & Domini. Quasi dicat: Non ego tantùm multa cum fiducia inter uos egi in opere Domini, nihil fugiens eorum quæ mihi molesta inferebantur: sed & uos, qua fide, qua spe, qua animi alacritate essetis in Domino, in eo declarastis, quòd facti estis imitatores & nostri & Domini.

Et uos, inquit, *imitatores nostri facti estis, & Domini.*] Quoniam dixerat, Euangelium enim nostrum fuit erga uos, non in sermone tantùm, uerùm etiam in uirtute: poterat hic dicere, Et uos obedistis Euangelio nostro: uerùm maluit ea quæ fecerant ut imitationem, quā ut obedientiam commendare, propter ea quæ de se iam præmisit. De imitatione uerò nonnulla Ephes. 5. mox initio Capitis annotauimus, quò Lectorem remittimus.

Illud hic obseruādum est, quod addit, Et Domini. Ibi demum securè imitamur ministrum, ubi non illū duntaxat, sed & ipsum Dominum unà cum illo imitamur. Vbi factum discrepat

ab exemplo Christi, ibi noxia est, & non Christiana imitatio.

Qua autem in re fuerant ipsum ac Dominum imitati? Id subijcit, dicens: Recipientes sermonem cum afflictione multa, cum gaudio Spiritus sancti. Græcè est, δεξάμενοι τὸν λόγον ἐν θλίψει πολλῇ μετὰ χαρᾶς πνεύματος ἁγίου: id est, Recipientes sermonem, uel uerbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti. Ergo Apostolus & Dominus ipse receperant sermonem in tribulatione multa. Aliàs, quomodo illos imitati sunt Thessalonicenses recipiendo sermonem in tribulatione multa? Atqui rectius dixeris, Dominum & Apostolum prædicasse sermonem, quàm recepisse in tribulatione multa. Est autem aliud prædicare, quàm recipere sermonem. Quomodo itaque Thessalonicenses recipiendo sermonem imitati fuerant Dominum & Apostolum?

Respondeo: Imitatio hæc sita fuit non in eo simpliciter, quòd Euangeliũ ab Apostolo prædicatum, & à Domino traditum receperunt: sed in eo quòd receperunt illud eadem sorte & animi alacritate, qua traditum fuit ab ipso Domino, & ab Apostolo prædicatum. Dominus ipse multis tribulationibus ab impia gente fuit affectus, cùm Euangelium regni prædicaret: & post Dominum ipse quoq; Apostolus eandem sortem est propter Euangelij prædicationem expertus, quam tamen uterque cum gaudio Spiritus sancti pertulit. Est itaque imitator Christi & Apostoli, quisquis propter receptam Euangelij doctrinam ab aduersarijs illius affligitur, si ab illa se nullis afflictionibus auelli sinit, sed cum gaudio in cognita ueritate perseuerat. Propius quidem ad exemplum Christi & Apostolorum accedunt, qui Euangelium Dei cum gaudio prædicant, & quasuis propter illud afflictiones alacri animo perferũt: uerùm non soli Christum & Apostolos imitantur, sed id encomij secundum hanc Apostoli sententiam cunctis potest fidelibus contingere, si propter fidem Euangelij quæuis aduersa cum gaudio Spiritus sancti sustinuerint.

Simul & illud cogita: Si imitantur Christum & Apostolos, qui propter doctrinam Euangelij multis tribulationibus affliguntur, easque cum gaudio sustinent: quem imitantur illi, qui fideles Christi propter eandem persequuntur, condemnant, proscribũt, diris deuouent, omnibus fortunis spoliãt, & mille mortis generibus crudeliter occidunt? quo Christi & Apostolorum exemplo hoc faciunt: Non persequimur fideles (inquiunt) sed ab Ecclesia deficientes. Esto. Interim tamen, ne in errantes quidem sæuiendo aliquod possunt Christi & Apostolorum prætexere exemplum.

Deinde obserua, quòd non simpliciter dicit, In tribulatione: sed, In tribulatione multa. Sors hæc est electorum & fidelium Christi in hoc seculo, ut haud leuiter, sed grauiter multis ac uarijs tribulationum generibus afflictentur. Qua in re manifestum argumentum est odij infensissimi, quod intercedit inter satanam & Christum filios Dei, & filios diaboli, ueritatem & mendacium, innocentiam electorum, & maliciam reproborum. hinc est, quòd multæ sunt tribulationes iustorum, & per multas nos tribulationes in regnum cœlorum ingredi oportet.

Tertiò obseruandum est, quod adijcit, Cum gaudio Spiritus sancti. Ergo imitatio hæc non est in afflictionibus tantùm: sed requiritur, ut illas perferamus cum gaudio. Immò propriè loquendo, imitatio non est in eo, si patiamur, quæ passus est Christus: hoc est, si ijsdem tribulationibus affligamur: sed in eo, si nos geramus in causa Dei, & tribulationibus propter illam illatis, sicuti gesit se Christus. Qui recipit sermonem Euangelij cum gaudio, nec ullis tribulationibus contristatur, is demum imitator est Christi & Apostolorum.

Miratur animalis homo, quomodo simul esse queant tribulatio & gaudium. Sanè in carne nostra locum non habet gaudium, ubi multæ inferuntur tribulationes. Quare diuino ad hanc rem opus est afflatu. Ideo non simpliciter dicit, Cum gaudio: sed addit, Spiritus sancti. id est, quod Spiritus sanctus in corda nostra infundit, cuius uirtute & in medijs aquis flagrat ignis, & lux in tenebris splendet.

Habet autem hoc gaudium in medijs tribulationibus suos respectus, quamuis per Spiritum sanctum cordibus piorum infunditur.

Primus est, beneplaciti Dei. Sciunt nihil ipsis accidere posse, extra uoluntatem Dei, qua salute ipsorum consulit. Ad hanc respicientes, perferunt cum gaudio quæ inferuntur aduersa omnia.

Secundus est, Christi & sanctorum omnium, prophetarum, Apostolorum ac martyrum. De hoc meminit Christus ipse Matthæi quinto, dicẽs: Sic persequuti fuerunt prophetas, qui fuerunt ante uos. Item: Non est discipulus super magistrum. Si me persequuti sunt, & uos persequentur. Et: Si mundus uos odit, scitis quòd me priusquam uos odio habuerit. Qui huc fidei oculis respicit, an non luculentas habet causas, propter quas in medijs ac multis tribulationibus gaudeat & exultet?

Tertius, est futuræ gloriæ. Huc pertinent ista Matthæi 5. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra multa est in cœlis. Et 2. Corinth. 4. Nam momentanea leuitas afflictionis nostræ

mirè

mirè ſupra modum æternum pondus gloriæ parit nobis, dum non ſpectamus ea quæ uidentur, ſed ea quæ non uidentur. Nam quæ uidentur, temporaria ſunt: at quæ non uidentur, æterna. Et Rom. 8. Nam reputo non eſſe pares afflictiones præſentis temporis ad gloriam quę reuelabitur erga nos. Quomodo fieri poteſt, ut futurę felicitatis fides, ſpes & expectatio non omnem quarumuis tribulationum acerbitatem in ſummam dulcedinem ac lætitiam ſpiritus conuertat? Habent hæc locum in electis, in carnalibus uerò & pſeudochriſtianis nihil loci inueniunt.

Adeò, inquit, *ut fueritis exemplo credentibus omnibus in Macedonia & Achaia.*] Græcè eſt, ὥστε γενέσθαι ὑμᾶς τύπους: id eſt, Adeò ut fueritis uos typi, id eſt figurę ac formę. Amplificat præcedentia. Senſus eſt: Non ſimpliciter & qualitercunque imitatores noſtri ac Domini facti fuiſtis, recipientes ſermonem in tribulatione multa cum gaudio: ſed ſic hac in re excelluiſtis, ut typi fueritis omnibus in Macedonia & Achia credentibus.

Adeò ut fueritis typi credentibus omnibus in Macedonia & Achaia.] Atqui Philippenſes ſermonē Chriſti receperant, priuſquam Apoſtolus Theſſalonicam prædicandi gratia ueniſſet. Cùm igitur fidèles priuſquam Theſſalonicēſes fuerint, quomodo fieri potuit ut typi illorū eſſent Theſſalonicenſes, in fide poſteriores? Ordine ſiquidem, ac tempore quoq; , poſterius eſt figuratum ipſa figura. Quare Philippenſes potuerunt typi eſſe Thaſſalonicenſium, tanquam in fide poſteriorum: illi uerò horum nequaquam. Quomodo itaq; uerum eſt, quòd Theſſalonicenſes typos fuiſſe dicit omnibus non modò in Achaia, id quod nihil habet dubij: ſed & in Macedonia credentibus, in quibus primi fuerunt Philippenſes?

Reſpondeo: Etiam Philippenſib. typi fuerunt, etſi non ad credendum ſimpliciter, ad conſtantiam tamen fidei, in multis tribulationibus cum gaudio retinendam. Accidit ſæpenumerò in religione Chriſti, ut qui poſteriores acceſſerunt, ſingulare dono Dei & alacritate ſpiritus præcurrant priores: atque ita ex nouiſsimis fiant primi, & ex primis nouiſsimi, perinde atque in ludo literario frequenter accidit, ut qui ſerò literis imbui cœperunt, ſtudio ac diligentia relinquāt poſt ſe priores, ac toti ſcholę typi fiant ſcholaſticæ ac literarię diligentię. Quare quòd Theſſalonicenſes omnibus in Macedonia & Achaia credentibus typos fuiſſe dicit, nō eſt ita intelligendum, quòd fuerint inter illos in fide Chriſti primi: ſed quòd in alacritate ſpiritus & conſtantia omnis generis afflictiones pro Chriſto cum gaudio perferendi exemplo fuerint reliquis. Multæ ſunt in Germania noſtra Eccleſiæ, quæ licet in exortu reſtituti Euangelij fidem illius primæ receperint: ſic tamen in progreſſu illius negligentes factæ ſunt ac refrigerunt, ut iam à poſterioribus exemplum ſit ipſis ſumendum.

Dubio procul, ſingulare opus Dei erat, quòd Theſſalonicenſes typi facti erant omnibus in Macedonia & Achaia credentibus. Quæſierit itaq; quiſquam, quorſum opus fuerit Macedonibus & Achaicis ut Theſſalonicenſes loco typorum haberent, quos imitarentur, cùm Dominū ipſum & Apoſtolos illius, perinde atq; ipſi imitari poſſent ac deberent? Et uos (inquit) imitatores noſtri facti fuiſtis, & Domini. Quemadmodum Dominus & Apoſtoli ipſius typi erant Theſſalonicenſibus, quos imitarentur: ita erant & reliquis credentibus omnibus. Vbi autem in exemplis imitandis habetur quod perfectum eſt, non eſt reſpiciendum ad imperfectiora.

Reſpondeo: Quemadmodum in ludo literario minus excuſationis relinquitur deſidibus & ignauis, ubi non modò præceptorem talem, quem imitari queant, ſed & in nonnullis condiſcipulis typos à latere habent, quibus ſeſe, niſi ignaui eſſent, conformare poſſent: & in militia plurimum efficaciæ habet ad exercendam militarem fidem ac dexteritatem, ubi non ſolùm ſtrenuè ſe gerunt ipſi duces, ſed & in commilitonibus exempla præbentur, quæ reliqui imitentur: ita & in Eccleſia Chriſti ſingulari conſilio Dei fieri uidemus, ut poſt Chriſtum Dominum & Apoſtolos inueniantur in numero fidelium ſingularis fidei, ſpei, dilectionis, conſtantię ac patientiæ typi, quos reliqua multitudo imitetur, ne ſit qui dicat: Quomodo Apoſtolos, nedum Dominum ipſum, imitari potero? Quis ego ſum, ut paria faciam cum Apoſtolis? Vbi reſponderi poteſt: Non potes imitari Apoſtolos? imitare ſaltem eos, qui & ipſi non ſunt Apoſtoli, ſed auditores ac diſcipuli perinde atq; tu. Obſecro, ſi dicas diſcipulo ſcholaſti co: Non potes paria facere cum præceptore & hypodidaſcalis? fac ſaltem cum illis qui condiſcipuli tui ſunt: & militi ignauo, Si difficile putas imitari ducis tui dexteritatem, imitare ſaltem eam quam in ipſis commilitonib. tuis quotidie ob oculos habes expoſitam, quid nā ignauiæ ſuæ poterunt prætexere? Hac de re cogitare debemus, quoties præſtantis fidei ac pietatis typos in fidelibus nonnullis expreſſos uidemus.

A uobis enim pertonuit ſermo Domini, inquit, *non ſolùm in Macedonia & Achaia, uerùm etiam in omni loco fides ueſtra, quæ eſt in Deum diuulgata eſt.*] Græcè eſt, ἀφ' ὑμῶν γὰρ ἐξήχηται ὁ λόγος τοῦ κυρίου. Pulcherrima metaphora exponit & illuſtrat, quòd illos typos credentibus in Macedonia & Achaia factos eſſe dixit. ἐξηχεῖσθαι nō eſt ſimpliciter innoteſcere & διαφημίζεσθαι, ſed perinde atq; ſonora tubę clangore, uel preconis clamore paſsim lateque inſonare. Per hoc igitur, quòd ſermo Domini ab

ipsis pertonuit non in Macedonia tantùm,sed & in Achaia,& alijs locis, facti fuerant typi omnibus circumquaq; credentibus.

Verùm quæsierit hic quisquam, quomodo sermo Domini non à Philippensibus, qui prio res crediderant,sed à Thessalonicensibus passim pertonuerit? Ad quod facilè responderi potest:Primò,constantia fidei,qua quibuslibet afflictionibus cum gaudio perferendis excellebant:deinde celebritas urbis Thessalonicæ,tanquam metropolis:& tertiò multitudo Græcorum ad fidem conuersa, mulieresque primariæ non paucę quę Christo adhærebant,in causa fuerunt,ut fides ipsorum latius quàm Philippensium diuulgaretur: τὰ γὰρ μεγάλα τῶν πραγμάτων λαμπρότερον ἄδηλα.

Obseruandum hic est,quomodo quæ instigante satana ad oppressionem Euangelij præsumuntur, magis ad illustrationem ac propagationem illius quàm ad oppressionem faciant. Qui Thessalonicę increduli erant,existimabant se Euangelium Dei funditùs apud ipsos exterminare posse,si fideles omnis generis afflictionibus exagitarent ac subuerterent. At hoc consilio usq; adeò non obtinuerunt quod uolebant,ut quo magis sæuirent ipsi,hoc illustrior fieret sanctorum fides & constantia,atq; ita sermo Domini circumquaq; pertonaret. Quoniam erant Metropolitani,putabant fore,ut quò in ea urbe ferocius contra fidem Christi sæuirent,hoc plures ab illa absterrerent. Non cogitabant,futurum esse, ut unà cum rumore de sęuicia ipsorum sparso,simul & constantia fidelium, atque ita & causa ipsa passim diuulgaretur & cresceret. Quid hic de Gallia dici possit,facilè cogitabit Lector.

Illud,Et Achaia,exponit Chrysostomus, τουτέστι τῇ ἑλλάδι. Et quod sequitur, Verùm etiam in omni loco,accipit pro ἐν τῇ οἰκουμένῃ: qui sensus constare non potest, nisi quod sequitur, Fides uestra quę est in Deum, dimanauit, auulsum à præcedentibus separatim legatur:uel lectio ordinetur ad hunc modum, A uobis enim pertonuit sermo Domini. Fides uestra quæ est in Deum, non in Macedonia & Achaia solùm, uerùm etiam in omni loco dimanauit: ut sint in hac periodo duo subiecta,sermo Domini uidelicet, & fides Thessalonicensium, de quibus utrisq; prędicetur,quòd dimanauerint ad extraneos. Verùm si ista, A uobis enim pertonuit sermo Domini non solùm in Macedonia & Achaia,uerùm etiam in omni loco, coniunctim legantur,subaudiendum est, ἐστιν, id est, Quo:uel, ἀφ' οὗ, id est,In quem:ac subijciendum,Fides uestra,quę est in Deum,dimanauit:ut sit expositio prędcedentis,quomodo sermo Domini ab illis circumquaq; pertonuerit,non in Macedonia tantùm & Achaia,sed & in quouis loco.Sic uidelicet,quòd fides illorum,hoc est,rumor de fide illorum,passim in omnia finitima loca dimanauit:per quam occasionem & ipsum Euangelium,cui credebãt, & propter quod quęuis aduersa cum gaudio perferebant,circumquaque pertonuit.

Ambrosius sic: Tale hoc est, quale et illud ad Romanos, cùm dicit: Fides uestra prædicatur in toto mundo. Sed in his amplò quia non solùm fides, sed & opus fidei illorum peruenit in omnem locum. Roman.16.

Habent hic Romani quod considerent. Vindicarunt sibi primatum in omnes Christi Ecclesias,eo quòd fides ipsorum,teste Apostolo Rom.1.annunciata sit in toto mundo. Si propter hanc causam debetur illis potestas in omnes alias Ecclesias,debebatur eadem & Thessalonicẽsibus,de quibus hic Apostolus diserte testatur,quòd ab ipsis sermo Domini pertonuerit in omni loco,& fides ipsorum circumquaq; uulgata sit. Verùm quis unquam hanc ei Ecclesiæ potestatem tribuit? Deinde commendatur ea fides,per cuius dimanationem Euangelium Dei pertonuit in mundo. Quis sermo è Roma ad alias Ecclesias pertonuerit,abundè iam patet.

A uobis enim pertonuit sermo Domini, inquit.] Atqui sermo Domini non ab illis, sed ab ipso Apostolo prædicatum passim pertonuit. Quid igitur est quòd hunc illis honorem tribuit,qui magis ipsi quàm illis competebat?

Respondeo: Sonitus propagandi Euangelij duplex est. Primus est prædicationis,de quo Rom.10.illud est,In omnem terram exiuit sonus eorum,& in fines orbis terrarum uerba illorum. Egreditur hic ex ore Apostolorum & Euangelistarum. Sic Apostolus iste ab Hierusalẽ, & in circumiacentibus regionibus usq; ad Illyricum impleuit Euangelium Christi. Alter est,rumoris ac famæ,ortus ex singulari fidelium Christi zelo,feruore,constantia in afflictionibus,pietate & conuersatione. De priore non loquitur hoc loco Apostolus, sed de posteriore, quem hodie in Ecclesijs euangelicis boni quique plurimùm desiderant.

Verùm etiam in omni loco, ad quem fides uestra, quæ est in Deum, dimanauit, inquit.] Fuerant gentes idololatræ, ac τῇ πολυθείᾳ dediti. Ad Christum itaq; cõuersi relictis dijs falsis,qui illic catholicè colebantur,uni ac uero Deo syncera fide adhærebant. Hæc illorum fides circumquaque diuulgabatur. Hoc significans,non dicit simpliciter,Fides uestra:sed addit, Quæ est in Deum.

Vbi & illud obseruandum est,quòd Christiana fides non est in hominem,sed in Deum: ut qui credit in filium,simul credat & in Deum patrem, qui filium suum in mundũ hunc misit, ut quisquis credit in eum,non pereat, sed habeat uitam æternam. Qui credit in me, inquit Seruator, non credit in me,sed in eum qui misit me,Ioann.12.

Vt nõ sit nobis necesse loqui quicquã, inquit.] Solebat Apostolus Ecclesijs ad quas ueniebat, aliarum deprædicare fidem, & fidei in tribulationibus constantiam & dilectionem in sanctos,

ut

ut illarum exemplo animos fidelium ad imitationem prouocaret: hic uerò non erat necesse, ut Thessalonicensium fidem in Macedonia & Achaia, alijsque locis commendaret. Vt enim illa insignis erat, fortis ac uehemens, ita sese commendauerat ipsa. τῶν γὰρ ἐπισήμων ἡδίων λόγον ἔστι μὴ ἔχειν. Hoc est quod iam dicit: Vt non sit nobis necesse loqui quicquam.

Ergo non modò utile est, sed & necessarium, ut in Ecclesijs Christi alij aliorum fidelium exemplis per imitationem in fide ædificentur, & ut in cœtu fidelium narretur ac deprædicetur, si quid eximij in fide ac religione Christi in alijs Ecclesijs sit gestum, quemadmodum secunda ad Corinthios capite octauo, fieri uidemus. Sic comparati sumus, ut exemplis fidelium moueamur & ædificemur citius quàm simplici sermone. Quare plurimum pōderis doctrinæ accedit, quando ueritas illius factis fidelium uelut ob oculos exponitur, & pudor est, præcurrentibus alijs nolle subsequi. In Papismo prædicantur gesta mortuorum sanctorum, præcipuè miraculosa, quæ imitationi seruire uel non possunt, uel non debent: seruiunt uerò inuocationi, cultui, ac eidololatriæ, & quęstui sacerdotum ac monachorum. Longè alia ratio eorum est operum, quæ à fidelibus adhuc in carne constitutis, nobisque similibus, ex uera in Christum fide, spe uitæ futuræ, & dilectione erga fratres perficiuntur. Hæc in Ecclesijs fidelium narrari, exemplique uice proponi possunt ac debent: id quod & de Thessalonicensium fide fecisset Apostolus, nisi illa propter singularem excellentiam ultrò diuulgata inclaruisset.

Siquidem ipsi de uobis annunciant, qualem ingressum habuerimus ad uos, & quomodo conuersi fueritis ad Deum à simulacris, ut seruiretis Deo uiuenti & ueraci, & expectaretis filium eius de cœlis, quem excitauit à mortuis, Iesum, qui liberat nos à uentura ira.

Reddit rationem, quare non sit sibi necesse, quicquam de ipsis loqui. Quoniam, inquit, ipsi de uobis annunciāt. Qui ipsi? Credentes, uidelicet, in Macedonia & Achaia, locisque circūiacentibus. Quid autem annunciarint, mox exponit, dicens: Qualem ingressum habuerimus ad uos, & quomodo conuersi fueritis ad Deum à simulacris. Qualis fuerit ingressus Apostoli ad Thessalonicenses, ipse ab initio Cap. sequentis ad dimidium usq; illius exponet. Quare non est ut hic de illo dicamus. Haud præter rationem est, quòd mentionem illius facit. Refert enim plurimùm, quales fiant ingressus in causas grauiores, recte ne & feliciter auspicati, uel secus. Nam dimidium facti, qui bene cœpit habet.

Et quomodo conuersi fueritis ad Deum à simulacris, inquit.] Efficaciam ac successum Apostolici ingressus exprimit, cuius duæ sunt partes. Vna, quomodo ille sit comparatus: altera, quàm sit efficax. De posteriore primùm, de priore uerò deinde meminit. Ad posteriorem pertinent, quæ ad calcem usque præsentis capitis ponit, quibus conuersionem illorum deprædicat, in qua primus est Euangelij fructus, uera uidelicet resipiscentia, quam Euangeliū Christi mox initio ingressus sui requirit. qua de in Locis nostris diximus.

Conuersio haud rectè requiritur ab illis, qui à uero non deuiant: requiritur autem ab omnibus, quibus uita ac salus per Euangelium Christi initio prædicatur. Missum uerò illud est in orbem uniuersum, ut toti mundo prædicetur. Ergo uniuersum genus humanum aberrat & declinat à uero, donec ad Deum per Euangelium Christi conuertatur. Dominus prospicit de cœlo super filios hominum, ut uideat num sit intelligens ac requirens Deum: uerùm omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est ne unus quidem, Psalmo decimoquarto, Rom. 3. Quapropter summopere necessarium est, ut conuersio prædicetur omnibus tam Iudæis quàm Gentibus. Sine illa quippe fieri nō potest, ut ueræ quisquam uitæ particeps efficiatur.

Ad Deum, inquit, *à simulacris.*] Vnde & quò fuerint conuersi, uno & altero uerbo exprimit. A simulacris uidelicet ad Deum. Hę sunt duæ conuersionis partes. Prior fit per auersionem, quam Græci uocant ἀποστροφὴν. Per hanc discesserant à cultu simulacrorum & πολυθείᾳ ethnica. Posterior fit per ἐπιστροφὴν, qua sese ad Deum uerterant. Non habet illa locum, nisi præcedente priore. Vel ad hunc modum. Auersio illorum fuerat, qua derelicto uero Deo auersi fuerant ad falsos, & ad eidololatriam, quemadmodum ducebantur sequentes. Auersio hæc exprobatur Israeli multis in locis Propheticæ scripturæ. Conuersio uerò erat, qua relictis dijs falsis & simulacris illorum reuersi fuerant ad Deum uerum. Ergo, qui simulacra colunt, auersi sunt à uero Deo, & ad hunc redire non possunt, nisi cultu simulacrorum relicto. Errant uehementer in Papatu, qui se simul & Deum & simulacra colere posse putant. Deum, inquiunt, colimus ac ueneramur in simulacris. Hoc ipsum dicebant & gentes. Verùm cultus simulacrorum abominatio est in conspectu Dei, tam abest ut in illis colatur. At de cultu simulacrorum non est ut hic multis dicamus: diximus de illo in Locis nostris, in expositione secundi præcepti Decalogi.

Vt seruiretis, inquit, *Deo uiuenti & ueraci.*] Rectius leges, Vt seruiatis: item, Et expectetis. Græcè est, δουλεύειν θεῷ, id est, Seruire Deo: & ἀναμένειν τὸν υἱὸν αὐτοῦ, id est, Et expectare filium eius. Quoniam quæri potest, cum Deus sit ubique, quo nam se uerterint Thessalonicenses, cum ad illum conuerterentur: uel quomodo auersi ab illo fuerint, qui & retro & ante ipsos erat, cuius præsentiam prorsus nemo effugere potest: mox modum conuersionis huius subijcit, dicens, Vt seruiatis, uel seruiendo Deo uiuenti & ueraci. Seruierant antea secundum catholicam & auitam ignorantiam simulacris surdis ac mutis. Sic fuerant à Deo auersi. Relictis tũ simulacris seruiebant Deo uiuenti ac ueraci. Sic erant ad Deum conuersi. Quid autem sit seruire Deo, diximus in Locis nostris, loco de Cultu Dei.

Quid est autem quòd non simpliciter dicit, Vt seruiatis Deo: sed addit, Viuenti ac ueraci? Duobus hisce epithetis discriminat inter uerum Deum & falsos, quos colebant gentes. Seruierant Thessalonicenses dijs falsis ac multis: ad Christum uerò conuersi, seruiebant uni ac ueraci Deo. Dum uocat Deum uiuentem, tribuit illi non simpliciter uitam, qua multa creata tam in terra quàm in cœlo uiuunt: sed uitam Dei, qua non simpliciter uiuit, sed uiuens Deus existit, cum dij gentium sint simulacra lignea, lapidea, argentea, &c. Stupenda insania est, ea colere & inuocare, de quibus sentiri ac prędicari non potest quòd uiuant ut homines, uel saltem ut bestiæ, nedum quòd ut dij uiuant. Deus noster uiuit ut Deus, hoc est principiũ uitæ & finem non habet: sed uitam sine principio, sine fine non passiuam, sed actiuam, unde sunt omnia condita, unde cuncta præsenter ac potenter gubernantur ac seruantur. Videt omnia, etiam in ipsis cordium recessibus latitantia: nouit omnia non modò præterita & præsentia, sed & futura: disponit omnia pro sua uoluntate, etiam præter spem & opinionem angelorum, nedum hominum: audit omnia, etiam cordium suspiria. Inuoca eidola, non audiunt. sunt enim surda. Inuoca uiuũ Deum, audit, & exaudit. Succurrit afflictis, eidola nec bene nec malè facere possunt: non uident, non cognoscunt, non sentiunt, non possunt quicquam. Horribilis itaque cæcitas est à uiuo Deo auerti ad simulacra ἄψυχα, surda, cęca, muta, infirma, insensata, &c.

Quod addit, Et ueraci, sicuti reddidit Erasmus. Græcè est, καὶ ἀληθινῷ, quod rectius uertes, Et uero, sicuti & Vulgata Latina habet. Neque enim de eo loquitur, quòd in uerbo suo uerax est Deus, mentiri nescius: sed de eo quòd est uerus Deus, ad discrimen falsorum, quos coluerant Thessalonicenses. Potest aliquis esse uerus homo, etiamsi sit in uerbis non uerax, sed mendax. Deus quidem nec potest sic esse uerus Deus, ut sit simul & mendax: nec mẽdax, ut nihilominus sit uerus Deus: huius tamẽ ob id admoneo, ut uideatur quid discriminis sit inter uerum Deum & ueracem Deum. Consultò autem postquam dixit, Deo uiuenti: adiecit, Et uero: ut intelligas, uerum Deum esse non posse, nisi eum qui uiuens est Deus.

Et expectetis, inquit, *filium eius de cœlis.*] Et Iudæi gloriantur seruire se Deo uiuenti ac uero, cui tamen haudquaquam seruiunt, donec Christum filium eius respuunt, & à fide ac regno eius abalienantur. Ad discriminandum itaque inter Iudæorum & Christianorum fidem, adiecit ista de Christo filio Dei. Quare autem non dicit, Et credatis in filium eius: sed, Et expectetis filium eius? Per fidem conuersi erant ad Deum, à conuersis uerò requirendum erat, ut in illa perseuerantes expectarent filium Dei. Et hæc non Thessalonicensium tantum erat, sed est omnium Christianorum conditio, ut similes sint seruis dominum suum expectantibus, donec reuertatur à nuptijs. De expectatione hac, & duobus expectantium generibus, diximus Philippens. 3. ubi dicit: Ex quo Seruatorem expectamus, Dominum Iesum Christum.

Dixerit quisquam: Cum uenturus sit filius Dei demum in fine mundi, quorsum instituebantur Thessalonicenses cum reliquis fidelibus, ut illum expectarent frustrà? Neque enim tandiu durare poterant in hac uita, donec ille ueniat. Significat autem ἀναμένειν, quo uerbo hic utitur Apostolus, perdurare ac permanere. Illi uerò permanere nequiuerunt, sed morte sunt iam olim ante multa secula ex hac uita abrepti. Quare frustra expectarunt.

Respondeo: Aliud est permanere in religione Christi, & aliud permanere in hac præsenti uita. In religione Christi permanere potuerunt, etiam post mortem, usque ad iudicij diem, & aduentum filij Dei: in hac uita uerò nequaquam. Apostolus autem non loquitur de ea perseuerantia, quæ cum hac uita terminetur: sed quæ post mortem quoq; in religione & gratia Christi perduret. Qui hac prædíti sunt, haud frustra expectant filium Dei. Deinde aliud est ea expectare, quorum nisi in hac uita constitutus, post mortem uerò nequaquam poteris esse particeps: & aliud, si expectes ea quæ non in hac uita, sed post mortẽ demũ sis consequuturus. Prior expectatio frequenter fit inanis ac perit: posterior uerò, qua filiũ Dei & perfectã salutẽ expectamus, irrita ac frustranea fieri nõ potest. Sumus enim omnino cõsequuturi, quę

per

per illum ſecundum promiſſa Dei in Chriſto Ieſu expectamus. Talis autem fuit expectatio Theſſalonicenſium Chriſtianorum. Quare inanis non fuit.

Et illud obſeruandum eſt, quòd dicit: De cœlis. Queris ubi ſit Chriſtus Ieſus? Illic utiq; eſt, unde ad nos in fine mundi rediturus eſt, & unde à fidelibus expectatur. Rediturus autem eſt, & expectatur de cœlis. Eſt igitur in cœlis. Tâ uerò loci exprimitur ſpecificatio, in eo quod dicit, Chriſtum expectari de cœlis: quàm in eo quòd dicimus, eum eſſe in cœlis.

Quem excitauit, inquit, *à mortuis Ieſum.*] Quoniam & angeli cœleſtes filij Dei uocantur, ſicuti uidere eſt in hiſtoria Iob: ne de aliquo illorum loqui uideatur, ſubijcit ſpecificationem, dicens: Quem excitauit à mortuis Ieſum. Sunt autem in hac ſpecificatione præcipua Chriſtianæ fidei capita expreſſa. 1. In nomine Ieſu comprehenſa eſt humana natura filij Dei. Nam ut filius hominis poſt natiuitatem carnis hoc nominis accepit. 2. Deinde continet etiã in ſe rationem diſpeniationis pro ſalute noſtra ſuſceptæ. Ob id enim uocatus eſt Ieſus, quòd miſſus eſſet ſeruator in mundum. 3. Tertiò, cum dicit, Quem excitauit à mortuis: opus redemptionis noſtrę exprimit, mortem uidelicet, & reſurrectionem. Niſi enim mortuus fuiſſet, haudquaquam à mortuis excitari potuiſſet. Mortuus autem fuit propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtri. Rom. 6. 4. Quartò, cum dicit, Et expectetis filium eius de cœlis: attingit aſcenſionem Chriſti in cœlos, & quod ſit in cœlis, indeq; uenturus exiſtat in fine. 5 Quintò, cum addit, Qui liberat nos ab ira uentura: admonet de iudicio extremo, ad quod uenturus eſt Chriſtus, ad iudicandum uiuos & mortuos. Tribuit illi iram, id eſt, ultionem, quæ ſumetur de incredulis, impijs ac reprobis. Sic Rom. 2. Iuxta duriciam tuam, inquit, & cor pœnitere neſcium, colligis tibijpſi iram in die irę, quo patefiet iuſtũ iudicium Dei, qui redditurus eſt unicuique iuxta facta ſua. 6. Sextò, conſequitur hinc & futura corporum noſtrorum reſurrectio. Etenim quoniã in die iudicij reprobi ſunt iuſto iudicio Dei perdendi, fideles uerò ab ira illa liberi futuri: neceſſe eſt, ut à morte & corruptione reſurgant utrique. Aliàs nec in illos ira uentura, nec in iſtos gratia Dei locum habere poterit. Hæc itaque fidei noſtræ capita in hac breui particula continentur: quòd uidelicet Chriſtus Ieſus ſit filius Dei, ſimul etiam filius hominis ac uerus homo, uerè pro peccatis noſtris mortuus, uerè à mortuis à Deo patre excitatus, in cœlos exaltatus, de cœlis uenturus, idq; ad iudicandum uiuos & mortuos: quo iudicio ultio & ira Dei declarabitur in reprobos, & quòd uniuerſum genus humanum reſurrecturum ſit partim ad ſupplicium, partim ad uitam ac felicitatem æternam, &c.

Qui liberat nos à uentura ira, inquit.] Græcè eſt, ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης: quod reddi poteſt, A uenienti ira: perinde atque τὴν ῥυόμενον reddidit, Qui liberat, uel, Liberantem. Nos iram hanc, qua de toto mundo iudicetur, pœnæq; ſumantur, uel omnino nullam futuram, uel certè omnium longiſsimè abeſſe putamus: at illa eſt ira ueniendo ueniens, & nõ tardans, ideoq; citius adfutura, quàm pro incogitantia ac ſecuritate noſtra putatur.

Quomodo autem ab ira illa liberet nos Chriſtus, norunt fideles, qui ſe per ſanguinem illius Deo patri reconciliatos, & in adoptionem filiorũ aſſumptos eſſe credunt ac ſciũt: idq; non ſuis ipſorum meritis, ſed per gratuitam miſericordiam, propter fidem in ipſum, ſecundũ illud Chriſti: Qui credit in me, habet uitam æternam, & in iudicium non ueniet, ſed trãſiuit à morte in uitam. Ioan. 5.

CAPVT SECVNDVM

ARGVMENTVM CAPITIS.

Reuocat illis in memoriam, qualis fuerit ſibi ad eos introitus, & quale certamen. Deinde, quàm egerit cum ipſis non pro authoritate Apoſtolica, ſed ſingulari placiditate. Tertiò, quàm non grauarit eos, ſed ſuoipſius labore uictum quæſierit. Quartò tribuit illis, quòd ſermonem ſuum non ut hominum, ſed ut Dei ſermonem acceperint. Quintò, memorat quid à proprijs ſint contribulibus perpeſſi, & ſimul Iudaicam perſtringit maliciam. Sextò, exponit quanto cum deſiderio faciem ipſorum uidere cupiat.

NAm ipſi noſtis fratres, introitum noſtrum ad uos, quòd non fuerit inanis: ſed quòd antè malis afflicti & contumelijs affecti, quemadmodũ ſcitis, Philippis, audacter egerimus in Domino noſtro ad loquendum apud uos Euangelium Dei in multo certamine.

Quod ſuprà cum dixit, Siquidem ipſi de uobis annunciãt, qualẽ introitũ habuerimus ad

uos,

uos, obiter de introitu suo meminerat: id iam resumit, & fusius recitat, ad hoc, ut qualitatem introitus sui ad ipsos recogitando, in fide Christi & tolerantia malorum constanter perdurarent. Nam ipsi, inquit, nostis fratres introitum nostrum ad uos. Suprà dixit annunciari ab alijs, qualem habuerit ad ipsos introitum: iam etiam ipsorum citat conscientiam: non simpliciter dicens, Nam introitus noster ad uos non fuit inanis: sed, Nam ipsi scitis (Vulgata Latina habet, Nam & ipsi scitis) fratres introitum nostrum ad uos, quòd non fuerit inanis. Multum quidem est, si rectè se gerat minister in opere Domini: uerùm plus aliquanto est, si non ipse tantum id sciat, sed & totius possit Ecclesiæ citare conscientiam ac testimonium.

Quòd non fuerit inanis, inquit.] Quę hinc ad dimidiũ usque Capitis de introitu suo ad ipsos commemoraturus est, bipartita sunt. Memorat enim partim qualis ille non fuerit, & partim qualis fuerit. Nec est ociosa superfluitas in eo, quòd non modò qualis, sed & qualis non fuerit exponit. Nam hoc faciendo introitum pseudapostolorum pulchrè suis coloribus depingit, ut suo oppositus magis ac magis manifestetur ac cognoscatur.

Principiò dicit illũ non fuisse inanẽ. In Græco est uox κένη, quę rem significat uacuam, nihil in se solidi, ueri ac firmi, non modò in effectu, sed & ne in actu quidem habentem. Quòd inanis, inquit, non fuerit noster ad uos introitus, uos ipsi nostis. Significat illum non fuisse humana temeritate uanè & inaniter præsumptum, qualia solent esse quæ sine cõsilio, spiritu & uirtute Dei gerũtur: sed ex Deo, efficacem & frugiferum, ut uirtus Dei in illo agnosci potuerit. Idem suprà cap. præcedenti dixisse uidetur, ubi Euangelium suum inter ipsos non in solo sermone, sed in uirtute & Spiritu sancto plerophoriaque multa fuisse dixit.

Particulam hanc sic exponit Chrysostomus, ὅτι ὁ κένη γέγονεν τοῦτο ἴσην, ὅτι ὡς ἀνθρωπίνη, ἢ ἀλλ' ἢ πνεύματος. Rectè sic habent ea quæ humanitùs extra Deum præsumuntur, ut sint inania. Cum enim uanitas uanitatum sit omnis homo uiuens, consequitur utique & consilia & studia hominum esse uana. Hinc erat illud quod Gamaliel in Actis cap. 5. dixit: Si est ex hominibus cõsilium, aut opus hoc, dissoluetur. Sciebat uir ille, uana esse & inefficacia quæ non nisi humano consilio tentantur. Et utinam intelligerẽt hodie principes Christiani, quàm introitus Euangelij nostris quoq; temporibus non fuerit inanis & uanus, indeq; colligerent, factum illum esse non humana temeritate, sed insigni uirtute Dei.

Sed quod antè malis afflicti, inquit, *& contumelijs affecti, quemadmodum scitis, Philippis, audacter egerimus in Domino*, &c.] Pertinent hæc ad qualitatem introitus ipsius, qualis nam fuerit. Exponit quidem quare non fuerit inanis, simul tamen exprimit qualis statim initiò fuerit: haud abiectus uidelicet ac timidus, sed magni animi fiducia præditus & audax ad loquendum Euangelium Dei, quamuis multo certamine afflictatus. Et eam confidentiam illustrat in eo, quòd non simpliciter dicit, Sed audacter egerimus: sed præmittit, Quòd antè afflicti, & contumelijs affecti Philippis: ac tum subiungit, Audacter egerimus in Domino nostro. Solent nos præcedentia mala reddere cautos ad uitandum futura, id quod in ueteranis cernere est militibus, & pueris quoque, qui semel ardorem ignis experti, haud facilè manus illis admouent: sicuti prouerbio dicimus, *Gebrandten kind fœrchten sich für dem feür*: & canis uenatorius non temerè insilit apro syluestri, si sit antea dentem illius expertus. Consimili planè cautione cauisset sibi & Apostolus, posteaquam Philippica uerbera & uincula recens expertus Thessalonicam uenerat, siquidem humana præsumptione motus prædicasset. Cogitasset: Nisi posthac cautius egeris, conijcies te in maiora discrimina, unde euadere non poteris: ad quem modum mihi quondam minister quidam uerbi, haud obscuri tum nominis, cum adhortarer ipsum, ut fortiter sese in opere Domini gereret: respondebat, cautiorem se factum esse per experientiam præteritorum malorum, quàm ut in alia sese pericula denuò conijcere uelit. Verùm longè aliter animatus Apostolus, quantumuis paulo antè Philippis esset uerberibus ac carcere afflictatus, contumelijsque propter Euangelij prædicationem affectus, nihilo tamẽ timidius cum Thessalonicam uenisset, sed magna cum fiducia audacter illic sermonem Euangelij Christi prędicauit, eaq; prædicandi παῤῥησίαν demõstrauit, non humanitùs sese, sed diuina uirtute moueri. Homo quidem erat, & dubiò procul humanis subinde cogitationibus tentabatur: uerùm illæ ardore ac zelo spiritus Christi reprimebãtur, ut in cursu Apostolatus magna confidentia perdurare posset.

Notum est ex capite 20, quid Hieremiæ acciderit, cum propter uerbum Domini quotidie derideretur. Secundum carnem dicebat: Non recordabor eius, neque loquar ultrà in nomine illius. Hæc erat humana cogitatio, uerùm quoniã nõ humanitùs, sed diuina uirtute agebatur, fiebat sermo Domini in corde ipsius instár ignis exæstuãtis, inq; ossibus ipsius clausi, sic ut deficeret, ferre non sustinens, diceretque in parrhesia spiritus: Dominus mecum est, tãquam bellator fortis, &c. Idem prorsus accidit & Apostolo, ideoque in medijs afflictionibus confidenter egit in Domino, cuius spiritu agebatur. Hũius admonet Thessalonicenses hoc loco, ut de eo recogitantes opus Domini in ipso mox introitu suo declaratum agnoscãt, inq; fide ipsius magis adhuc confirmentur.

Quod

Quod lectionem attinet, illud, Quod antè malis afflicti, & contumelijs affecti: Græcè sic legitur, ἀλλὰ καὶ προπαθόντες καὶ ὑβρισθέντες. i. Sed quamuis etiam antea afflicti & contumelijs affecti essemus. Non debebat emphasis quæ est in uocula καὶ, omitti: quam tamen nec Vulgata Latina, nec Erasmi uersio expressit. Per hanc enim significare uoluit Apostolus, nō simpliciter, quod priusquam uenisset Thessalonicam, malis esset afflictus Philippis, & contumelijs affectus: sed quod quamuis ista recēs esset Philippis perpessus, nihilo tamen fuerit in opere Domini timidior factus, sed magna cum parrhesia Thessalonicæ Euangelium prædicauerit.

Et illud, Audacter egerimus: in Græco est παῤῥησιασάμεθα. Significat aūt παῤῥησιάζεσθαι, liberè uelut in facie & coram aliquid agere, de quo uerbo Eph. 3 diximus. Quare autem sic agendū sit Apostolo Christi, & Euangelij ministro, annotauimus Eph. 6. ubi dicit: Vt in eo παῤῥησιάσωμαι, sicut oportet me loqui.

In Domino nostro.] Græcè est, ἐν τῷ θεῷ ἡμῶν, i. In Deo nostro. ad quem modū legit & Chrysost. & Vulgata Latina, & Ambrosius.

Quomodo autem audacter egerit in Domino, cum Thessalonicam uenisset, Act. 17. uidere licet. Non delituit ibi, donec rumor eorum quæ Philippis egerat & pertulerat, quieuisset: neque per schedulam, aut subornatos aliquos quicquam tentauit: sed pro more suo mox synagogam Iudæorum ingressus coràm, palàm & liberè in cœtu illorum per tria sabbata de Christo è Scripturis disseruit, quòd oportuisset illum pati, & resurgere à mortuis: & quòd hic Iesus, quem ipse prædicabat, esset Christus. Liberè ac palàm prædicabat, Iesum Hierosolymis crucifixum, esse Christum. Quibus id prædicabat? Iudęis, qui prædicationem hanc de Christo crucifixo omnium minimè ferre poterant. Vbi? nō in latebris, in aures selectorum, uel curiosorum quorūdam: sed in illorum synagoga, id est congregatione. Quando? Sabbatis. quo die solenniter congregari solebant. Quoties? Non uno tantum Sabbato, sed tribus. In qua ciuitate? Thessalonica, metropoli Macedoniæ: in qua magna uis erat Iudæorū, quemadmodum etiamnum esse perhibetur. Si ista perpendantur, satis opinor patet, quanta fuerit audacia Apostoli, ad prædicandum Thessalonicensibus Euangelium Christi.

Ad loquendum apud uos, inquit, *Euangelium Dei.*] Vox Euangelij frequentissima est Apostolo, qua ille nonnunquam sine constructione, aliquando adiecta cōstructione utitur: uocans illud Euangelium iam Dei, iam Christi, iam suum, iam salutis, iam pacis, &c. Verùm hac de re uide in Locis nostris.

In multo certamine, inquit.] De certamine hoc uide Actorum 17. ubi sic legitur: Zelo autem commoti Iudæi increduli, & assumptis quibusdam circumforaneis, uiris malis, ac turba coacta, cōcitauerunt ciuitatem: & urgentes domum Iasonis, quærebant eos producere ad populum. Et cum non inuenissent eos, trahebant Iasonem & quosdam fratres ad principes ciuitatis, clamantes: Hi qui terrarum orbem conturbarunt, huc quoq; uenerunt, &c. Credibile est etiam, cum tribus sabbatis in synagoga Iudæorum disputaret, plurimum illi restitisse incredulos, ac contentiosissimo certamine uerbis illius contradixisse.

Obseruandum hic est, in eo quòd dicit, Ad loquendum apud uos Euangelium Dei in multo certamine: quanta sit cæcitas ac dementia filiorum huius seculi, per quam fit, ut Euangelium Dei, nuncium uidelicet cœlestis gratiæ, reconciliationis, pacis, salutis ac uitæ, quod debebat peccatoribus ac perditioni deuotis omnium esse gratissimum, & ab illis cupidissimè & cum gaudio recipi, haud sine multo certamine proponi ac prædicari potest in hoc mūdo. Debebat Apostolus non iræ, sed Euangelij Dei, amanter accipi, auidè audiri, & in precio haberi: uerùm eueniebant illi prorsus contraria, ab illis qui & pro sanctis & pro sapientibus haberi uolebant. Quanto cum certamine prædicandum sit hodie Euangelium Christi, sanguis fidelium testatur, quem fundunt aduersarij omnium crudelissimè. Reuerà multum certaminis subeundum est omnibus illius ministris & fidelibus. Quorum culpa? Neque ipsius Euangelij, quod adfert non certamen, sed pacem: neque ministrorum ac fidelium Christi, qui nemini incommodare, sed quoad eius poterunt, omnibus ad salutem prodesse cupiunt: sed eorum culpa, qui instinctu satanæ perciti, lucem ueritatis (quòd mala sint ipsorum opera) ferre non possunt: ideoque prorsus extinguere moliuntur. Omnia hodie, præcipuè in Gallia, proscriptionibus, cædibus ac uastationibus sunt referta: quorum furores compescat fidelis Deus, qui non patitur suos tentari suprà quàm ferre queant, sed pro sua clementia tandem largitur exitum. 1. Cor. 10.

Siquidem exhortatio nostra non fuit ex impostura, neque ex immundicia, neque cum dolo. sed quemadmodum probati fueramus à Deo, ut nobis committeretur Euangelium: ita loquimur, non ut hominibus placētes, sed Deo, qui probat corda nostra.

Siquidem

Siquidem exhortatio nostra,] Græcè est, ἡ γὰρ παράκλησις ἡμῶν. Est autem παράκλησις à uerbo παρακαλέω, quod & obsecro, & adhortor significat. Cum hic uertat exhortationem, infrà παρακαλοῦντες ὑμᾶς, reddidit obsecrantes uos: ubi tamen eadem de re loquitur Apostolus. Dixit, prædicasse se apud illos Euangelium Dei magno cum certamine. Reddit iam eius rei rationem. Neque id frustra. Videbatur enim suopte uitio in multa propter Euangelij prædicationē incidere certamina, cum posset sic in illa se gerere, ut nihil esset subeundum certaminis, præsertim cū pseudapostoli in pace uersarentur, & haud essent ingrati nec Iudæis nec Gentibus. Quare operæprecium fore censuit, si offendiculo huic occurrens causam exponeret, quare certandum sibi fuerit propter Euangelium Dei, cum ab eiusmodi certamine liberi sint pseudapostoli, qui tamen & ipsi pro Christi uolunt haberi Apostolis. Et ut hoc faciat, exponit qualis non fuerit introitus ipsius ad eos. Non talis uidelicet, qualis esse solebat pseudapostolorum, qui cum impostura, immundicia & dolo subintroibant Ecclesias. Sic dicit:

Siquidem exhortatio nostra non fuit ex impostura.] Non modò docuerat, Iesum crucifixum esse Christum pro salute nostra mortuum ac resuscitatum: sed & hortatus fuerat omnes qui audiebant ut in illum crederent, ac fide in illum Deo reconciliarētur. De hac adhortatione loquitur 2. Cor. 5. dicens: ὡς τοῦ θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ὑμῶν, δεόμεθα ὑπὲρ Χριστοῦ, καταλλάγητε τῷ θεῷ. Eiusmodi exhortatione usus est & Petrus Actorum 2. dicens: Delictorum pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque uestrùm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum spiritus sancti. Vobis enim facta est repromissio, & filijs uestris, & omnibus qui longè sunt, quoscūque aduocauerit Dominus Deus noster. quibus uerbis Lucas subijcit, dicens: Alijsque uerbis plurimis testificatus est & παρεκάλει, dicens, Seruemini à generatione ista prauа.

Existimo autem haud fore absurdum, si per exhortationem hoc loco totam Euangelij prædicationem intelligamus, ut pars pro toto accipiatur. Perinde nanque ut totum suas partes, ita prædicatio Euangelij continet doctrinam, adhortationem, obtestationem, reprehensionem & consolationem. Neque enim exhortatio ipsius tantum, sed & doctrina, & obtestatio, & consolatio procul abfuerunt ab impostura, immūdicia & dolo. Chrysostomꝰ exponit, dicens: ἡ γὰρ παράκλησις ὑμῶν: τουτέστιν ἡ διδαχὴ.

Non fuit ex impostura, inquit, *neq; ex immundicia, neque cum dolo.*] Ex impostura, Græcè est, ἐκ πλάνης. Licet ἡ πλάνη. id est, planus pro errone & impostore sumatur: πλάνη tamen errorem significat. unde stellas erraticas, planetas uocant. Quare Vulgata editio habet, Non de errore. Haud tamen improbo, quod Ambrosius legit: Non ex fallacia: & Erasmus, Non ex impostura. Non fit ex impostura, quod fit per errorem: neque ex errore, quod fit per impostura. Verùm quoniam pseudapostoli omnia per impostura agebant, negat doctrinam suam fuisse per impostura. Illi sciebant imponere simplicioribus, tradentes illis Mosen pro Christo, & legem pro Euangelio sub nomine Christi & Euangelij, atque hoc faciendo cauebant, ne odijs ac persecutionibus fierēt obnoxij. Paulus cōtrà, quæ faciebat, faciebat ex uero magnoq; serio: & hinc fiebat, ut Christum prædicans, in magna, grauia & multa certamina incideret, quæ cum pseudapostolis uitasset, si ex impostura prædicasset.

Neque ex immundicia, inquit.] Græcè est ἐξ ἀκαθαρσίας. Vocem hanc communiter usurpat Apostolus de corporali immundicia lasciuiæ ac libidinis, quæ inter gentes plurimùm obtinuerat. Sunt qui hic de Epicureorum, sunt qui de magorum & ueneficorum impuritate exponant. Scholia quæ Hieronymo dantur, referunt ad impuritatem Iouiniani. Alij exponunt de affectuum immundicia. Siue pseudapostolorum, siue philosophorum immūdiciam perstringat, significat se minus fuisse odijs huius mundi obnoxium futurum, si doctrina sua mundi sese immundiciæ accommodasset. Verùm quoniam, sicut infrà cap. 3 uidebimus, docebat quosuis, non uocari nos à Deo ad immundiciam, sed ad uitæ sanctimoniam: etiam hac ratione omnibus impuris, scortatoribus, adulteris, incestuosis, masculorum concubitoribus, &c. odiosum sese reddebat. Et hodie quoque Euangelium Christi hoc nomine omnibus est concubinarijs honesti matrimonij osoribus, uehementer inuisum.

Neq; cum dolo, inquit.] Dolum intelligit, quando quis per astutiam aliud prætexens, aliud quærit. Exempli gratia: Pseudapostoli salutem eorum quibus doctrinam legis proponebāt, & simul authoritatem Dei prętexebant, quo conscientias illorum captiuarent: interim uerò non ea quæ prętexebant, sed res suas quærebant. Deinde personam Apostolorum Christi sumentes, dolosi operarij erant, 2. Cor. 11. Sic agentes, cum dolo agebant. Secus uerò erat Apostoli doctrina comparata. Candidè ac syncerè agebat. Si dolo uoluisset uti, facilè uias ad uitandum tam grauia certamina inuenisset.

Interea tamen habebatur iudicio incredulorum impostor, cum nihil ex impostura, nihil ex dolo, sed omnia ex uero & syncerè ageret. Sic 2. Cor. 6. dicit, Quasi impostores, & tamen ueraces. Pseudapostoli erant ipsissimi impostores: pro impostoribus tamen non habebantur, sed pro ueris Apostolis. Hæc est sors uerorum ac falsorum doctorum in hoc mundo, ut illi qui candidè quæ uera sunt docent, pro seductoribus: & qui reuera seducunt, pro doctoribus,

ctoribus & magistris habeantur. Sic accidit & ipsi Christo, ut haberetur seductor, & interim Scribæ & Pharisæi nomen doctorum & magistrorum obtinerent.

Dixerit hic quisquam: Quomodo negat Apostolus, exhortationem suam esse ex dolo, quasi nihil egerit ex dolo, cum 2. Cor. 12 dicat, Ego uos non grauaui: sed cum essem astutus, dolo uos cepi. Si dolus fuit, quòd euangelizauit Corinthijs gratis, & interim necessarios sibi sumptus manibus suis operando quæsiuit, ne quem illorum grauaret, atque ita eos caperet, & ad Euangelium pertraheret: quomodo non dolus fuit, quòd eodem modo cum Thessalonicensibus egit, sicut infrà uidebimus?

Respondeo: Non dicit, se per astutiam & dolum egisse cum Corinthijs, sed refutat pseudapostolorum calumniam, qui factum ipsius sic interpretabantur sinistrè ac malicioſè, ut dicerent factum esse non candidè, sed ex dolo, quo Corinthios caperet, & capitis postea dominaretur. Esto, inquit: dolo uos ceperim, ictuti uestri Apostoli calumniantur. Si dolo uos capere uolui, quare non sum postea uestri dominatus? Misi ad uos Titum. Num aliquid per hunc à uobis extorsi? quod sanè fecissem, si uos dolo (quemadmodum ipsi) cepissem. Sed de hoc Apostoli loco, uide Commentarios nostros in eam Epistolam. Si placet aliorum expositio, distinguendum est inter dolum malum, & dolum bonum: dicendumque, quòd Corinthios ceperit dolo nõ malo, sed bono: nõ ut sibi, sed ut Christo eos subijceret: non ut postea expilaret captos, sed ut saluarentur.

Sed quemadmodum probati fueramus à Deo, ut nobis committeretur Euangelium, ita loquimur, inquit.] Rursus exponit qualis fuerit ipsius prædicatio. Non fuit ex impostura, non ex immundicia, non ex dolo. Qualis ergo fuit? Quemadmodum ipsi commissum fuerat Euangelium à Deo, talis fuit ipsius prædicatio, doctrina & exhortatio. Quomodo autem commissum fuerit illi Euangelium à Deo, Gal. 1. ipse exponit, dicẽs: ubi Deo, qui segregauerat me ab utero matris meæ, & uocauit per gratiam suam in hoc, ut reuelaret filium suum per me, uisum est, ut prædicarẽ ipsum inter gentes, &c. Et Act. 26, dixerat ad eum Dominus: Ad hoc apparui tibi, ut constituam te ministrum ac testem tam eorum quæ uidisti, quàm eorum in quibus apparebo tibi, eripiens te à populo & gentibus, in quas tè nunc mitto, ut aperias oculos eorum, ut conuertantur à tenebris ad lucem, & à potestate satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter eos qui sanctificati sunt per fidem, quæ est erga me, &c. Sic igitur erat illi à Deo commissum Euangelium, ut prædicaret gentibus, non legem, sed Euangelium: nõ Mosen, sed Christum, & in Christo remissionem peccatorum, lucem ueritatis, ac salutem. Secundum hanc diuinam commissionem prædicauit non Iudæis tantum, sed & gẽtibus regnũ Dei: ob quam causam exosus factus fuerat Iudæis, quibus Gẽtes sic immundæ habebantur, propter præputium & eidololatriam, ut immundiciæ amatores omnes eos esse existimarẽt, qui aliquid cum illis sine necessitate inirent commercij. Et hoc nomine Apostolatum Pauli immundiciæ damnabant. Ab hac se calumnia purgans, negat se ex studio ethnicæ immundiciæ prædicare Gentibus Euangelium, sed Apostolatu suo fungi secundum commissionem prædicandi à Deo acceptam. Vt commissum mihi est Euangelium à Deo, inquit, ita loquor: uiderint pseudapostoli unde habeant suum Euangelium, & quomodo, quoue studio prædicent.

Quemadmodũ igitur Apostolus doctrinã suam purgat à calumnia impposturæ, immundiciæ & doli, per authoritatem Dominicæ commissionis: ita debent & hodie ministri Euangelij Dei doctrinam suam tueri authoritate Dominica, unde nobis & ministerium Euangelizãdi, & simul qualitas ac forma doctrinæ Ecclesijs Christi proponendæ constat. Omnino irrefragabilis apologia est, si bona cum conscientia dicere queas: Doctrina mea neque ex errore, neque ex impostura, neque ex immundicia, neque ex dolo est: sed quemadmodum & quale mihi commissum est Euangelium à Deo, ita loquor. Hoc doctores Antichristi nunquã ueraciter dicere poterunt, qui omnes loquuntur ex errore & impostura, & immundicia & dolo, præscripto adhærentes non Domini, sed Antichristi.

Non dicit autem simpliciter, Quemadmodum à Deo nobis commissum est Euãgelium: sed, Quemadmodum probati fueramus: uel, Probati sumus à Deo, ut nobis committeretur Euangelium, ita loquimur. Q. d. Quales æstimati sumus à Deo, ad hoc ut committeretur nobis Euangelium, tales nos etiam in prædicatione Euangelij gerimus, ac summopere cauemus, ne aliter loquamur, quàm quomodo probati sumus à Deo.

Hinc tamen non sequitur, quòd talem Deus inuenerit tantũ, qui ex se ipso probatus esset, & idoneus ad Apostolatum Euangelicum, & non etiam talem antea per operationem spiritus sui reddiderit. Id enim omnino pugnaret cum eo quod 2. Corinth. 3 legitur, ubi sic dicit: Nõ quòd idonei simus ex nobis ipsis cogitare quicquã, tãquã ex nobis ipsis: sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est, qui & idoneos fecit nos ministros noui Testamenti, non literæ, sed spiritus. Quemadmodum itaq; aliud est, simpliciter idoneum aliquem inuenire, & aliud, idoneum facere eum qui idoneus nõ erat: ita aliud est etiam simpliciter, probare aliquem, & experimento discere, idoneus ne sit uel secus, & aliud probatum reddere. Qualem Deus hũc

Paulum inuenire, & ad munus Apostolicum eligere uoluit, talem eum antea reddidit. Probat & homo hominem, ut qualis sit certò agnoscat. Hoc genus probationis Deo non conuenit, nec datur illi propriè in Scripturis, nisi per figuram, quam anthropopathiâ uocant: qualis est locutio, cum dicit, Inueni Dauid seruum meum, uirum secũdum cor meum, &c. Quid inuenerat in eo, nisi quod ipse prius in illo fecerat? Sic probauit etiam Paulum, dum probatum eum reddidit, & idoneum, cui Euangelium suum committeret. Quare, si illud, Quemadmodum probati sumus à Deo, idem nobis esse uidetur, quod quemadmodum probati & idonei inuenti sumus à Deo: non est hæc loquutio propriè, sed per figuram humanæ loquutionis accipienda.

Obseruandum interim est, non esse committendum Euãgelium, nisi probatis & idoneis hominibus, exemplo Dei, qui ne idoneis illud concredat, ex inidoneis idoneos reddit, quib. hanc prouinciam imponat. Hac in re plurimùm hodie in Euangelicis quoq; Ecclesijs peccari uideo, in quibus ministeria non modò inidoneis, sed & sceleratis hominibus sæpenumero committuntur: unde nihil potest accidere aliud, quàm ignominia Euãgelicæ doctrinæ, prophanatio ministerij, & Ecclesiarum destructio.

Deinde obseruandum est, quod in Græco legitur, πιστεύθημεν τὸ εὐαγγέλιον, i. Vt nobis concrederetur Euangelium. Concrediuntur nobis quæ fidei nostrę syncerè ac fideliter curãda committuntur: qualia sunt, quę magni habentur momenti. Sic concredit Deus Euangelium suũ, tanquam uerbum gratiæ ac uitæ, fidèi, diligentiæ ac curæ probatorum hominum. Vsus est hoc concredendi uerbo & ad Gal. cap. 2. ubi hac de re diximus.

Sequitur, *Non ut hominibus placentes, sed Deo*, inquit.] At interim, dixerit quisquã: Admodũ displicet Euangeliũ quod prædicas non solum ethnicis, sed &, idq; cũ primis, Iudæis, etiã Christianum nomen profitentib. Respondet: Non quærimus hoc in Apostolatu nostro, ut placeamus hominibus, sed ut placeamus Deo. Non est nobis ab hominibus concreditum Euangelium, sed à Deo. Quare non hominibus, sed Deo placere studentes: ita loquimur, sicut illi placet. Perstringit pseudapostolos: qui si Deo, & non hominibus placere uoluissent, haud aliud Euangelium prædicassent, quàm quod erat à Deo commissum.

Quæri potest hoc loco, quomodo neget se placere uoluisse hominib. cum 1. Cor. 10. omnibus se per omnia placere dicat: uerùm ad hanc quæstionẽ respondimus, Gal. 1. ubi dicit: Aut quæro hominibus placere?

Qui probat corda, inquit.] In corde sunt fontes affectuũ, abditi à cognitione humana, ac soli Deo cogniti. Qui per hypocrisim quæ sua sunt ipsorũ quærũt, sic agunt cum hominib. ut eos fallant, & placeant deceptis: sciẽtes abscõdita ab illis esse, quæ corde affectãt. Sic animati cõponunt externam faciẽ & sermones suos ad placitum hominum, nõ ad uoluntatẽ Dei. Neq; enim Deo placere cupiunt, neq; cogitant illũ cordiũ suorũ secreta probare. Sic cõparati erãt pseudapostoli, ideoq; docebãt non quæ tradita erãt à Domino, sed quæ placere cẽsebant Iudæis. Pij uerò ac timẽtes Dei, diuersimodè animati, quæ agenda sunt cũ hominib. agũt exuero, nõ ex hypocrisi: non ut hominib. imponant, & gratiã illorũ ambiant, sed ut Deo placeant, quẽ corda mortalium probare sciunt. Sic Apostolus non quęrebat placere Iudæis, sed Deo, qui corda probat, ideoq; nõ morabatur iudicia de se Iudæorũ, sed accõmodabat se cõsciẽtiæ Dei, non aliter prædicans Euangelium, quàm sicut ipsi commissum ab illo fuerat.

Obserua uerò, quòd non in genere tantum dicit, Qui probat corda: sed, Qui probat corda nostra. Probat quidem omnium mortalium corda Deus: uerùm illorum singulariter probat, quibus aliquid ministerij obeundũ singulariter concredidit. Et id agnoscunt pij omnes, eoq; se diligentius uoluntati illius candidè, & ex animo accommodant. Sic Dauid dicebat: Probas cor meum, &c. Psal. 16. & Apostolus hic: Qui probat corda nostra.

Neque enim unquam per sermonem adulationis uersati sumus (quemadmodum nostis) nec per occasionem auaricię, Deus est testis: neq; quęrentes ex hominibus gloriam, nec à uobis nec ab alijs, cum possemus in authoritate esse, tanquam Apostoli Christi, sed fuimus placidi in medio uestri, perinde ac si nutrix foueat suos filios, sic affectu propensi in uos animo cupiebamus impertire uobis non solum Euangelium Dei, uerumetiam nostras ipsorum animas, propterea quòd chari nobis facti estis.

Non simpliciter dicit, Neque unquam: sed, Neque enim unquam per sermonem adulationis uersati sumus. unde patet, adiecta esse hæc argumenti loco, quo præcedentia confirmentur. Quare uidendum est, ad quæ præcedentia referenda sint, & quomodo illa confirment. Referunt nonnulli ad ea quæ proximè præmisit, dicens: Non ut hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Sanè qui non Deo, sed hominibus placere student, ut placeant hominibus, toti sunt adulationibus & assentationibus dediti, ut eos qui alieni sunt ab assentatione & adulatione, non hoc agere

ſgere liqueat, ut hominibus, non Deo placeant: uerum exiſtimo hæc & quæ ſequuntur, referenda eſſe ad totam periodum præcedentem, in qua exhortationem ſuam, neque ex impoſtura, neque ex immundicia, neque cum dolo fuiſſe: nec ſe hominibus, ſed Deo placere uelle dixit, à quibus ſe uitijs alienum eſſe per ea comprobat, quæ argumentorum loco ſubijcit, dicens, Neque enim unquam per ſermonem adulationis uerſati ſumus (quemadmodum noſtis) nec per occaſionem auariciæ, Deus eſt teſtis: neque quærentes ex hominibus gloriam, nec à uobis, nec ab alijs, &c. Q.d. Quòd autem doctrina mea nõ fuerit ex impoſtura, immundicia, dolo, & ἀνδροπαρεσκίας, uel ex eo ſatis experimentorum habetis, quòd nũquam per ſermonem adulationis uerſati ſumus: cuius rei teſtes eſſe poteſtis uos ipſi, nunquam auariciæ, nunquam gloriæ quæ ſit ex hominibus, locum in nobis dedimus. Scitis enim ipſi, in eiuſmodi animum non cadere ſtudia impoſturæ, immundiciæ, doli, καὶ τῆς ἀνδροπαρεσκίας. Quorſum enim deditus eſſet hiſce uitijs, qui adulari neſcit, qui alienus eſt ab omni auaricia & quæſtu: quiq; non ſuam ex hominibus gloriam quærit, ſed glorificando nomini Dei incumbit?

Neq; enim unquã per ſermonẽ adulationis uerſati ſumus.] Græc. eſt, οὔτε γάρ ποτε ἐν λόγῳ κολακίας ἐγενήθημεν: i. Neq; enim unquã in ſermone adulationis fuimus. Sic habet & Vulg. Lat. Neq; enim aliquãdo fuimus in ſermone adulationis cõuerſati. Ambr. ſic, Neq; enim unq̃ in ſermone adulationis cõuerſati ſumus. Malim retinere uerba Apoſtoli, quo liberũ ſit Lectori, amplecti ſenſum, quẽ tenendũ eſſe putauerit. Etenim ἐν λόγῳ εἶναι, nõ minus in rumore ac fama eſſe aliqua, quàm ſermonẽ ſerere ſignificat. Sanè Lucæ 5 & 7. λόγος p rumore ponitur. Eo ſenſu nos Germani dicimus: *Ich hab das vuort, ein anderer hat dẽ hort.* Itẽ, *Er vuil ſein kein vuort habẽ.* Sic poſſunt hęc Apoſtoli uerba accipi. Neq; enim unq̃ aliquis de me rumor ſparſus eſt, quòd ſim adulator. Germanicè, *Dann vuir nie in geſchrey gſin ſindt, daß vuir ſchmechilendt.* Eraſmi uero uerſio hunc ſenſum habet: Neque enim unquam ſermonibus adulationis operam dedimus. Germanicus interpres ſic uertit, *Dann vuir nie mitt ſchmeichel vuorten ſindt vmbgangẽ.* Hæc de lectione præſentis particulæ annotamus, ut iudicet Lector quẽ ſenſum retinere debeat. Plus eſt, ſic à uitio adulationis ſemper fuiſſe alienum, ut nullam unquam ſuſpicionem illius incideris, quàm ſimpliciter nunquam fuiſſe adulatum: ſicuti plus eſt ne ſpeciem quidem mali dediſſe unquam, quàm ſimpliciter abſtinuiſſe à malo. Sic amplius quiddam Græcus textus habere uidetur, quàm Eraſmi uerſio exprimat.

Quàm autem hic Apoſtolus ab omni fuerit aſſentatione alienus, non ſolum literæ illius teſtantur, ſed & reprehenſio illa declarat, qua inſignis Apoſtoli Petri factum magna cum parrheſia coram omnibus reprehendens, dicebat: Si tu cum ſis Iudęus, gentiliter uiuis, ac nõ Iudaicè, cur gentes cogis Iudaiſſare? Gal. 2. Emphaſis eſt in uocula ποτε, i. Vnquam. Non dicit ſimpliciter, Neque enim in ſermone adulationis ſumus: ſed, Neque enim unquam in ſermone adulationis fuimus. Sic loqui ſolẽt, qui ſe à uitio quodam omnium alieniſſimos eſſe affirmant: *Ich bin des laſters mein lebtag nie beſchuldigt vuorden.*

Hoc adulationis uitio auditores ſuos ineſcabãt pſeudapoſtoli, ſicuti uidere eſt Rom. ult. ubi illos perſtringit ad hunc modum: Obſecro autem uos fratres, ut conſideretis eos qui diſſidia & offendicula contra doctrinam, quam uos didiciſtis gignũt, & declinetis ab illis. Nam qui eiuſmodi ſunt, Domino Ieſu Chriſto non ſeruiunt, ſed ſuo uentri, & per blandiloquentiã & aſſentationem decipiunt corda ſimplicium.

Quid ſit autem κολακεύειν, id eſt, adulari, notius eſt, quàm ut ſit annotandum. A catellis ſumpta uox eſt, & ad homines translata, qui inſtar catellorum uentris gratia abblandiuntur illis, à quibus aliquid ſperant emolumenti. ὅπως, ὠφελειά τις, inquit Ariſtoteles, αὐτοῖς γίγνηται εἰς χρήματα, καὶ ὅσα διὰ χρημάτων. πάντες γὰρ οἱ πολῖται θητικοί. Volumus diligi, haberi in precio, magnifieri, laudari & obſeruari. Hoc corruptæ naturæ ingenium ineſt mortalibus omnibus. Et hinc eſt, quòd ſtudium adulandi, abblandiendi & aſſentandi paſsim obtinet & exercetur uerbo, geſtu, & opere ad gratificandum illis quorum beneuolentiam ambimus. Quare omnino ſingulari præditus eſt uirtute, quiſquis hoc de ſe ueraciter prædicare cũ Apoſtolo poteſt, quòd nunquam in ſermone adulationis fuerit uerſatus.

Quemadmodum noſtis, inquit.] Iterum conſcientiam illorum appellat. Atqui non poterant illi de uniuerſa Apoſtoli conuerſatione teſtes eſſe, quòd nunquã in ſermone adulationis conuerſatus fuerit. Neque enim ſcire poterant, quomodo ſe à puero ad id uſq; tẽporis geſsiſſet, quo ad ipſos, ad prædicandum Euangelium uenerat. Haud itaq; aliter intelligenda eſt hæc particula, quàm de eo tempore, quo apud ipſos Euangelium Dei prędicauerat. Et ad cauſam hãc quã agit abundè ipſis ſufficiebat, quod alienum eſſe hunc Chriſti Apoſtolũ à uitio adulãdi, per id temporis experti erãt, quo poſt afflictiones Philippicas ad ipſos uenerat, interq; ipſos conuerſatus fuerat.

Nec per occaſionem auariciæ, inquit.] Græcè eſt, οὔτε ἐν προφάσει πλεονεξίας, i. Neq; in prætextu auariciæ. πρόφασις auariciæ eſt id, quod auaricię ad tegendũ illam prætexitur. Sic erat doctrina Phariſęorum ex traditionibus maiorum conflata, prætextus auariciæ illorum. Cum enim auari eſſent, & occaſiones auariciæ in populo Dei captarẽt, ne hoc ipſorum uitium eſſet in propa-

tulo, prætexebant traditiones maiorum, eo planè modo, quo in Papatu traditiones ac sancita patrum quæstui omnium turpissimo prætexuntur. Ad hunc modum & pseudapostoli auariciæ suæ authoritatem legis Dei & Hierosolymitanæ Ecclesiæ prærogatiuâ prętexebant. In eo se auariciæ prætextu unquam fuisse negans Apostolus, negat se Euangelium Dei prętexuisse auariciæ, ac sub illo captasse occasionem corradendi pecuniam.

Quid autem differant inter se, esse in occasione, & esse in prætextu, facile est explicare. In occasione esse, est habere occasionem faciendi aliquid, modò uelis. Sic erat quidem Paulus in occasione auariciæ, non minus quàm pseudapostoli: uerùm nõ captabat occasionem, neq; utebatur oblata, sicut pseudapostoli. In prętextu esse, est prætexere uirtutem uitio, detrinam Euangelij auariciæ. Sic non erat Apostolus in prætextu auariciæ. De uoce autem τῆς πλεονεξίας annotauimus Colos. 3. & ad Ephes. 4 & 5.

Deus est testis, inquit.] Quare non dicit & hoc loco, Quemadmodũ uos nostis: sed Deum citat testem? Prætextus hic quo uitium specie uirtutis obducitur, non patet conscientię humanæ, sed solius Dei cognitioni. Quod pseudapostoli legem ac circumcisionem prædicabant, nomenq; Christi ore sonabant, eamq; doctrinam auariciæ suæ prætexebant, absconditum erat à conscientijs fidelium, à conscientia Dei uerò nequaquam. Ideo cum non posset Apostolus in hac causa dicere, Quemadmodum uos nostis: citauit conscięti̇am ac testimonium Dei, qui solus est cordium scrutator. Quid autem hic sit notandum, uidere licet Philipp. 1. ubi perinde atque hoc loco dicit, Testis mihi Deus est.

Neq; quærentes ex hominibus gloriam, inquit.] Esse in gloria, per se non est illicitũ: quærere uerò gloriam, id demũ animũ resipit in se elatum, & foris quoque quæ gloriosa sunt appetentem: quod uitium planè est diabolicum, ac Deo uehementer exosum, qui natura sua superbis resistit, humilibus uerò dat gratiam. Ab eo se alienum esse, ad hoc memorat, ut cõfirmet superiora. Etenim quomodo prædicasset Euangelium ex impostura, immundicia & dolo, & quomodo hominibus placere magis quàm Deo uoluisset, qui neq; adulator erat, & nec auaricię nec inani gloriæ studebat? Gloriam ex hominibus quærebant pseudapostoli, ideoq́ hominib. sese, non Deo accommodabant, quo pro magnis Apostolis, & simul legis doctoribus ac Rabbinis haberentur, & scandalum crucis Christi effugerent.

Nec à uobis, inquit, *nec ab alijs*.] Qui superioris ordinis homines sunt, & iuxta seculũ eximij, non admodum eam appetunt gloriam, quæ sit ex hominib. obscuris & contemptibilib. Quare ne cogitarent Thessalonicenses: Quoniam pauperes, humiles, ac rerum diuinarum imperiti sumus, ipse uerò insignis est Apostolus, & propter operationes miraculorum clarus: eam ob causam non quæsiuit gloriam, quæ esset ex nobis, quærit autem eam quę sit ex alijs multo præstantioribus quàm nos simus: prudenti consilio adiecit hanc particulam, dicens, Nec à uobis nec ab alijs. Q. d. Non contemno uos, quemadmodum nec alios. Diligo quidẽ omnes, uerùm à nemine quæro gloriam meam, nec à uobis, quemadmodum nec ab alijs, quicunq; tandem illi sint.

Cum possemus in authoritate esse, inquit, *tanquam Apostoli Christi*.] Græcè est, Δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι. Cum possimus in grauitate esse. Est autem (ut apparet) in grauitate esse nihil aliud, quàm esse uirum grauem ac dignum qui habeatur in precio, cuius authoritas multũ ualeat in populo. Adiecit autem particulam hanc non animo de Apostolatu suo gloriandi, sed admonendi quàm sit alienus à studio & affectu propriæ gloriæ, cum si illam ambire uellet, præsentissimã haberet potiundæ illius occasionem. Inuenias multos, qui nec ipsi gloriã quærant ex hominibus, quærerent uerò, si ullam haberent sperandæ & acquirendæ illius occasionem. Illis nõ datur laudi, quòd non sunt ꝑpriæ laudis ac gloriæ studiosi: daretur uerò, si possent quidẽ in honore esse, uerùm nollent, eo quòd solius Dei gloriam ex animo quærãt. Sic erat animatus Apostolus. In grauitate esse noluit, non quia non posset, sed quia propriã gloriam haudquaquam affectabat.

Cũ possemus in authoritate esse tanquã Apostoli Christi, inqt.] Videamus particulã hãc paulo accuratius. Authoritas utiq; decet Christi Apostolũ, estq; illa Ecclesijs admodũ necessaria. Quid igitur est, quod dicit, Cũ possemus: & non magis, Cũ deberemus esse in authoritate, tãq̃ Apostoli Christi? An eã authoritatẽ à se reiecit, quã Dñus Apostolus suis imposuit, dicens: Qui uos audit, me audit? Absit. Illa nãq; seduló est usus, cũ prædicando, tũ Ecclesias literis suis in fide Christi confirmando. De qua igitur authoritate loqꝰtur? Respondeo: Si legamus, Cũ possemus in grauitate esse: uel ut Vulgata Lat. habet, Oneri esse, uelut Apostoli Christi, nulla esset quæstio. Materia de qua loquitur, est de studio propriæ gloriæ, quæ sit ex hominib. Illud plurimũ differt ab authoritate Apostoli Christi, qua ille non modò licitè potest, sed & ad ædificationẽ Ecclesiarum debet uti: propriã uerò gloriã ex hominib. quærere nec licitè nec utiliter potest Christi Apostolus. Quare uidetur nõ esse legendũ, Cũ possemus in autoritate: sed, Cum possemus oneri esse, uelut Apostoli Christi, præsertim cum in sequẽtib dicat: Nocte ac die opus facientes, ob id ne cui essemus oneri. Poterat illis esse oneri, quę necessaria erant ad Apostolici muneris sustentationem ab ipsis sumendo, idq; pertinebat ad honorem Apostolatus:

latus: uerùm malebat quæ necessaria erant, manibus suis operando quærere, quàm Apostolicæ dignitatis honorem ex debito ab illis requirere.

Confer huc sedē Romanæ apostasię. Apostolus Christi cũ posset iure suo uti inter eos q̃b. Euangeliũ Christi prædicabat, nõ est illo usus, quo minus esset offendiculi: at Romani pontifices quãuis nullo iure præsunt Ecclesijs, nec prædicent Euangelium, oneri tamen esse uolunt omnibus Ecclesijs, non tanquam, sed plus quàm Apostoli Christi. Legantur grauamina Germanicæ saltem nationis, quæ à principib. ac ꝓcerib. Rom. Imperij oratori pontificio in comitijs Norenberg anno 1522. sunt proposita, ut taceam de Gallijs, quæ Romanę sedi de Ecclesijs cathedralib. & abbatijs, siue prælaturis, sexcẽta nonaginta septem millia, septingenta quinquaginta Francorum pendere coacti fuerunt hactenus: ut non sit frustra quòd hic pontifex tantum undequaq; pecuniæ corradit, ut missis exercitib. Gallicas ecclesias uel sub dominio suo ac quęstu suo retineat, uel si id nequeat, prorsus subuertat. Nemo pro dignitate exprimere poterit quanto cum fastu, quæstu ac luxu purpurati Romanæ sedis satrapæ sub prætextu Apostolicæ potestatis Christianũ orbẽ exquisitissimis onerib. oppresserint. Non possunt dicere cum Apostolo Christi, Possemus oneri esse Ecclesijs, tanquam Apostoli Christi: quia neque sunt Christi, sed Antichristi Apostoli: neq; parcunt Ecclesijs, sed opprimunt eas onerib. omnium seruilissimis. uox itaque illorũ est, Nostra est Ecclesia, data est nobis omnis in illã potestatis plenitudo, sic ut nostra sint illius omnia, regna, principatus, bona, ipsæ quoque animæ. Quare possumus oneri esse omnib. Ecclesijs, uelut Apostoli Christi. Tantum uidelicet discriminis est inter Christi & Antichristi Apostolos. Illi facilè sustentãtur, istis nõ sufficiunt omnium regnorũ opes: quorum numerus si paulo reddatur auctior, uno mundo contẽtus nõ erit, sed adhuc requiret alterũ, cui uorando incũbat, id quod põtifex Benedictus XII. anno Domini 1336. uidit: diserteq; respondit, libenter se numerum Carnalium aucturũ, si nouum mundum creare posset, eo quòd præsens hic mundus uix præsentib. Carnalib. sufficiat. Verùm de quęstu & luxù Romanorum apostolorũ in Locis nostris, loco de Ministris uerbi, plura diximus.

Si fuimus placidi in medio uestri, inquit.] Græcè est, ἀλλ' ἠγνήπιοι ἐγενήθημεν ἐν μέσῳ ὑμῶν: Vulg. Latina, & Ambrosius habent: Sed facti sumus paruuli. quasi in Græco sit νήπιοι, quæ uox paruulos & infantes sonat. Verùm nec quadrat ea lectio sequenti simili, nec habetur in Græco νήπιοι: sed, ἤπιοι. Sonat autem ἤπιος placidum, mitem ac mansuetum.

Rursus memorat qualis apud eos fuerit, idque iam fusius exponit, ad finẽ usque huius materiæ. Neque enim satis est Apostolo Christi, si non sit, quemadmodum pseudapostoli, impostor, immundus, dolosus, adulator, auarus, ac proprię laudis & gloriæ affectator, nisi accedẽs ad spiritum Christi, partes ueri ac synceri Apostoli adimpleat. Sed fuimus placidi, inquit, in medio uestri. Particula hæc diligenter obseruanda est. Nũquam fuit hic Apostolus in sermone adulationis, utpote alienissimus ab ingenio assentatorum: & tamen non fuit interim seuerus in Apostolatu suo, sed mitis ac placidus. Hypocritæ ac mordaces cynici, dum uideri uolunt nihil esse minus quàm adulatores, induunt frontem corrugatam, ac mores inhumanos, carpuntque seueriter omnia, etiam minutissima: & quo hæc faciunt impensius, hoc sanctiores haberi uolunt: atq; ita dum adulationis uitium fugiunt, incidunt in caninam mordacitatem ac tetricam inhumanitatem, uitium multo detestabilius, quàm sit adulatio. Admonemur itaq; hoc Apostoli exemplo, sic fugiendam esse adulationem, ut non incidamus in phari saicam seueritatem: ac rursus sic cauendam esse pharisaicam seueritatem, ut haud reddamur adulatores. In medio uirtus est animi placidi ac mitis. Hac usus Apostolus, nec ad dexteram, nec ad sinistrã: hoc est, nec ad tetricã seueritatẽ, nec ad turpem assentationẽ declinauit, usq; adeò, ut neutrius uitij posset à fidelibus accusari, inter quos agebat. Docebat errãtes, hortabatur segnes, corripiebat delinquentes: sed omnia placidè, ac cum spiritu mansuetudinis.

In medio uestri, inquit.] Sic decet Christi ministrum esse in medio fideliũ, quorum curam in se suscepit, ut sit similis pastori in medio gregis sui, & medici in medio ægrotorum agentis. Episcopi ecclesiarum Christi, quos habemus equestres principes, non possunt cũ Apostolo dicere: Sumus placidi in medio uestri. Neque enim sunt ἤπιοι, neq; conuersantur in medio gregis Domini, cuius haberi uolunt pastores: sed relictis Ecclesijs suis seorsum agunt cũ nobilibus, quos habent & alunt aulicos. In medio esse gregis Domini, est non esse cum quibusdam tantum, ueluti selectioribus: sed omnibus & singulis ex æquo paratũ & expositum, ac cõmuniter omnium sustinere curam. Sic Christus tanquam bonus ouium suarum pastor Lucæ 22. dixit: Vter maior est qui accumbit? an qui ministrat? Non ne qui accumbit? At ego in medio uestrũm sum, ut qui ministrat. Verùm illi non fiunt episcopi propter oues Dominicas, ut illis ad ministrandum sint expositi: sed ut fiant principes, & manus suas ad dominandum, non ad ministrandum extendant: ideoque quatenus in grege Domini sunt, sunt in illo nõ ut pastores, sed ut lupi graues, non parcentes gregi iuxta uaticinium Apostoli, Actorum 20.

Perinde, inquit, *ac si nutrix foueat filios suos.*] Quod dixit, Sed fuimus placidi in medio uestri: id iã simili ex ipsa natura sumpto, & omnium notissimo uelut ob oculos spectandũ proponit. Po-

nit autem nutricem pro matre. Hæc quàm placidam se, officiosam ac sedulam erga liberos suos educandos ac fouendos exhibeat, immò totam impendat, sæpenumero non sine admiratione uidemus, agnoscentes ac fatentes irremissam eam ac laboriosam sedulitatem inimitabilem esse illis qui non sunt parétes. Affectus erat illa Apostolus erga fideles Christi, quos illi per Euangelium genuerat: uerùm exemplum illius imitari non poterant pseudapostoli, quia non erant patres, sed malebát esse magistri & pędagogi, id quod & 1. Cor. 4. notat, dicēs: Etiamsi decem millia pædagogorum habeatis in Christo, haud tamē multos habetis patres. Nam in Christo Iesu per Euangeliū ego uos genui. Et hodie facile est discriminare inter matres & nouercas, patres ac pædagogos, ueros uidelicet Christi ministros & adulterinos. Veri ministri, qualis fuit hic Apostolus, mansuetudine sunt spiritus Christi imbuti: atq; ita ad illius exemplum calamum quassatum non confringunt, & linum fumigans non extinguunt: quod perierat requirunt, & quod abiectum erat, reducunt: & quod confractum est, allegant: quod infirmum, consolidant, &c. Falsi uerò cuncta contraria faciunt, & cum austeritate imperant fidelibus, & cum potentia. Discrimen hoc tam est manifestum, quàm manifesta diuersitas est inter pastores ac lupos.

Sic affectu propensi in uos, inquit, *animo cupiebamus impertire uobis non solum Euangelium Dei, uerùm etiã nostras ipsorum animas.*] Græcè est, οὕτως ἱμειρόμενοι ὑμῶν εὐδοκοῦμεν μεταδοῦναι ὑμῖν, &c. ἱμείρομαι, & poeticè ἱμείρομαι, sonat amanter desidero. Sic Vulgata editio habet: Ita desiderantes uos cupidè. Et illud, Animo cupiebamus: Græcè est, εὐδοκοῦμεν: quod uerti potest in præsenti, Bene placet nobis, prompti ac beneuoli sumus ad tradendum, &c. Quod paucis uerbis, placidum se in medio ipsorum instar nutricis liberos suos fouentis fuisse dixit, id iam consequenter fusius explicat.

1. Principiò, nutrix ἱμειρομένη τῶν τέκνων αὐτῆς, in absentia cōstituta intimo desiderio præsentię & conuictus ipsorum afficitur. Consimili modo & Apostolus, cum esset Thessalonicæ, & nocte dieque manibus suis laboraret, cupidè eam desiderabat commoditatem, qua congregatos fideles coràm cerneret, ac præsentia illorum frueretur. Neque enim id quotidie fieri poterat.

2. Deinde, nutrix εὐδοκεῖ ad tradēdum infanti suo non solum cibum, sed & potū è suoipsius pectore depromptum, quem diuina prouidentia è sanguine ipsius ad necessitatem alēdi fœtus lacteum reddit, & uberibus quasi quibusdam uasculis ad sugendum indit. Ad eum planè modum & Apostolus εὐδοκεῖ ad tradendum Thessalonicensibus non solum Euangelium Dei, sed & suum ipsius sanguinem, si in traditione Euangelij ab incredulis ad necādum fuisset cōprehensus. Multoquidem facilius est tradere Euangelium Dei, quàm propriam animam: unde & ad hunc modum loqui uoluit, Cupiebamus impertire uobis nō solum Euangeliū Dei, uerumetiam nostras ipsorum animas: uerùm nisi paratus fuisset ad exponendum uitam, suá in extremum peticulum propter salutem eorum quibus prædicabat Euangelij Dei, præco haudquaquam fideliter & constanter esse potuisset.

Confer huc Ecclesiasticorum ἵμερον. Desiderant & illi cœtum Ecclesiasticum: uerùm nō ad impertiendū fidelib. Euangeliū Dei, sed ad exhauriendum illorum loculos. Accipere ab illis, non tradere in uotis habent. Conuocant cœtū ut missent, & plebem ad offerendum inuitent, non ut Euangelium illi impertiant. Inuenias Ecclesias, in quibus etiamsi quotidie conuocentur Christiani, nunquam tamen impertiatur illis Euangelium Dei, nisi in Quadragesima: sed Missarum spectaculis ac nundinationibus omnem religionem ac cultum metiantur Ecclesiastici.

3. Tertiò, quod nutrix sic est erga liberos suos affecta & propensa, ex eo est, quòd facti sūt ipsi admodum chari. Hanc eandem desiderij sui & εὐδοκίας causam esse significans Apostolus, addit: Propterea quòd chari nobis facti estis. Amans nusquam libentius ac magis est, quàm ubi amat: & ubi amat, ibi est corde: & ubi corde est, ibi & totus esse desiderat.

4. Quartò, nutrix quo magis possit inseruire liberis suis, laborat noctes ac dies, uictum quærens non ex illis, sed è manuum suarum labore, si sit maritali solatio destituta: consimiliter & Apostolus non accipiebat sumptus ex facultatibus Thessalonicensium fratrum, ne qué illorum grauaret, sed ex suisipsius laboribus. Sic dicit:

Meministis enim fratres laboris nostri ac sudoris. Nocte enim ac die opus facientes, ob id ne cui essemus oneri, prædicauimus apud uos Euangelium Dei.

Illud, Et sudoris: in Græco est, καὶ τὸν μόχθον, id est, Et fatigationis. Significat se haud leuiter & obiter, sed ad fatigationem usque incubuisse laboribus, quo prorsus nulla esset necessitas quenquam illorum grauandi. Non autem dicit, Memores estote, ne obliuionis eos harū rerum insimulare uideatur: sed, Memores enim estis. Q. d. Commemoro ista uon ut ignota uobis, sed ut non modò cognita, uerùm etiam in memoria uestra adhuc hærentia. Memores enim estis laboris nostri & fatigationis.

Dispu-

Disputandū hic non est, uere ne memores fuerint Thessalonicenses laborum ac fatigatio nis Apostoli Christi? Et poterant sanè, & debebant etiá memores esse, quibus cū laborib. prę dicauerit ipsis Euangelium, & quàm amâter, quàm placidè, quamq; fideliter cū ipsis egerit, & hinc admoneri, utri pro ueris essent Christi Apostolis habendi, ipse ne uel subintroeuntes pseudapostoli: uerùm rarò inuenias Ecclesiam quæ perseueranter memor sit laborum ac mo lestiarum ministri Christi, sed ferè omnes ad introitum eorum qui succedunt, piorum obliui scuntur. Idem accidit fidelibus Christi ministris quod nutricibus. Harum labores, cura ac se dulitas, quibus liberos suos ab utero fouent ac nutriūt, à pauciſsimis, ubi adoleuerint, agnocuntur, ac memori mente retinentur.

Laboris, inquit, nostri & fatigationis.] Nascitur hic quæstio, an κόπος & μόχθος, id est labor & molestia locum habeant in eo opere, quod operatur amans ad salutem eorum quos amat. Quę faciebat Apostolus inter Thessalonicenses operando manibus suis, ne quem grauaret, faciebat ob id, quòd facti essent sibi chari, quomodo igitur operando & prædicando laborabat ac molestabatur?

Respondeo: Aliud est si corpus, & non animus: & aliud si animus unà cum corpore laboret ac molestetur. In opere suo Apostolus laborabat, & fatigabatur non animo, sed corpore. Erat enim animo in opere Domini spontaneo & alacri, corpore uerò infirmo, perinde atque reliqui mortales, ideoq; irremissis laboribus fatigabatur.

Nocte enim ac die opus facientes, inquit, ob id, ne cui essemus oneri, prædicauimus apud uos Euangelium Dei.] De quo genere laboris ac fatigationis loquatur, exponit. Operatus apud eos fuerat manibus suis pro uictu quo sustentaretur, ne quenquam illorum iure suo, quo poterat licitè uti, grauare cogeretur, & interim tamen prædicaret illis Euangelium Dei: id quod & apud Ephesios toto triennio fecerat. sicuti uidere est Act. 20. circa calcem, ubi sic dicit: Argentum & aurum aut uestem nullius concupiui. Imò ipsi scitis, quòd necessitatibus meis & his qui mecū erant subministrarunt manus hæ. Et Corinthijs quoq; gratis euangelizauit, sicuti cernere licet 1. Corinth. 9. & 2. Corinth. 11. Cur hoc fecerit, illic annotauimus.

Opus enim facientes, inquit.] Varia sunt operationum genera. Crassiora sunt, quæ manibus fiunt, ideoq; manuaria uocātur. Ex ijs erat opus quod Apostolus nocte dieq; faciebat, quod ex ijs patet, quibus Act. 20. dicit: Necessitatibus meis & ijs qui mecum erant, subministrarūt manus hæ. Ergo manuario aliquo artificio uictum necessarium quærebat. Quod autem illud fuerit, Act. 18. exprimitur, ubi sic legitur: Post hæc Paulus digressus Athenis, uenit Corinthum, & nactus quendam Iudæum, nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper uenerat ab Italia, & Priscillam uxorem eius, eo quòd præcepisset Claudius omnes Iudæos Roma decedere: accessit ad eos, & quia eiusdem erat artificij, manebat apud eos, & operabatur. Erat autem ars illorum texere tabernacula, &c. Hæc ibi. In Græco est, ἦσαν γὰρ σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην: id est, Erant enim artifices tabernaculorum. Fiebant autem tabernacula ex consutis pellibus, quibus se milites aduersus inclementiam cœli tuebantur. Quare nec res ipsa, nec significatio uocis σκηνοποιῶν, requirit ut legamus, Erat autem ars illorum texere tabernacula. Scio quædā tabernacula fieri ex aulæis, è lana ac lino contextis. Verùm an talium fuerint artifices Aquila & Paulus, non cōstat, quod ego sciam. Quare simplicius ac certius est, ut legamus: Erant autem tabernaculorum artifices. Verùm sit hoc minutum.

Illud meritò quæritur, unde fuerit Paulo artificium hoc manuarium. Fuerat in Iudaismo de secta pharisęorum, sicut Act. 23. de se ipse commemorat, dicens: Viri fratres, ego pharisęus sum, filius pharisęi. Et cap. 26. Secundum exquisitissimam sectam nostræ religionis uixi pharisęus: & Philip. 3. Iuxta legem (inquit) pharisęus. In hac secta diligenter fuerat à Gamaliele legis doctore institutus, cuius Act. 22. meminit, dicens: Ego quidem sum uir Iudæus, natus in Tharso Cilicię, ad pedes Gamalielis institutus accuratè in patria lege. Cùm igitur esset pharisęus, in pharisaismo & scientia legis à puero & accuratè institutus, ita ut & haud esset exterarū literarum ignarus: id quod ex testimonijs Græcorum poetarum patet, quæ in literis suis citat, & Festus illi diceret: Insanis Paule. Multæ literæ adigunt te ad insaniam, unde & quando artificium hoc conficiendorum tabernaculorum acquisierat?

Quamuis nihil hic certi habeo quod affirmem, illud tamen extra controuersiam est, quòd artificium hoc uel in Iudaismo, uel in Christianismo didicerit. Si in Iudaismo, exemplum proponitur rectę ac honestæ institutionis, qua sic educanda sit iuuentus, ut & honesto aliquo artificio uictum sibi ac suis necessarium acquirere discant, & simul in causa religionis secundum legem Dei religiosè instituantur, ne sint in uera pietate imperiti, & omnis generis impietati & erroribus obnoxij. Pater Pauli pharisęus fuerat, & tamen filium suū uel per seipse uel per alios in hoc artificio instituit, & simul literis imbui, & in lege Dei accuratissimè ac religiosè erudiri curauit. Iam uerò admodum uidetur esse inconueniens & absurdum, si homo literatus, uel religioni consecratus manuarium aliquod discat & exerceat artificium, haud secus, quàm si nihil faciat aliud quàm quod literis ac religioni renūciet ac repudiū mittat. Paulum non impediuit artificiū quod didicerat, quo minus esset simul & eruditus in lite-

ris,& religione phariſæus,imò ſimul σκληροτέρως exerceret, & Euangelium tanquam Chriſti apoſtolus prædicaret.

Si uerò artificium hoc didicit,poſteaquam factus eſſet Chriſtianus, habent exemplum illi qui relictis monaſterijs & collegijs ſacerdotum ad Euangelium Chriſti acceſſerunt, & quo ſe honeſto labore ſuſtentarent,artificia manuaria diſcere & exercere cœperũt,quo nemini eſſent oneri: quorũ inſtitutũ nemo piorũ dãnat,modò in ſancto ꝓpoſito ꝓmaneãt,nec moretur quid de illo iudicent ocioſi uẽtres,qui de bonis Eccleſiæ ſaginati fœdiſsimè deliciantur.

Ne cui ueſtrùm, inquit, *eſſemus oneri*.] Non modò multitudini fidelium nolebat eſſe oneri,ſed ne unum quidem ex illis grauare ſuſtinebat. Quãdo grauabit integras Eccleſias, qui ſic cauet ne quos grauet,ut ne uni quidem oneroſus eſſe uelit? Romani pontifices tam diuerſi ſunt ab hoc conſilio Apoſtolico,ut non dubitent omnes in uniuerſum onerare Eccleſias. Et quale nam onus fuiſſet,obſecro,ſi fideles, qui erant Theſſalonicæ, cõmuni contributione tantũ neceſsitatib. Apoſtoli ſubminiſtraſſent, quãtum ſubminiſtrabãt illis proprię manus? Et tamen tantillũ ac tam debitũ ſubſidiũ iudicabat fore oneri fidelib: ſi illo uti uoluiſſet.

Prædicauimus, inquit, *apud uos Euangelium Dei*.] Dixerit hic quiſquam: Si nocte dieq; operabatur manibus ſuis pro uictu neceſſario,quando dabatur illi tempus,quo prædicaret Euangelium? Deinde, quomodo prædicare potuit Euangelium ſine præmeditatione,cùm temporis aliquid dabatur,quo poſt aſsiduos labores prædicaret? Reſpondeo: Prædicabat diebus ſabbatorum,quibus congregationes Eccleſiaſticæ,uel in ſynagoga Iudæorum, uel in domo fidelis alicuius fiebant, interea temporis nocte dieq; operabatur. Deinde pro abundantia gratiæ,quam à Domino per ſpiritum reuelationis acceperat,qui etiam ex ipſo loquebatur, non erat neceſſarium ut prædicaturus ſacrarum Scripturarum lectione ac præmeditatione ad docendum ſeſe inſtructum redderet. Et præterea inter operandum,dubio procũl, haud obliuiſcebatur earum rerum,de quibus ipſi erat ſecundum Apoſtolicum munus dicendum. Hæc autem non ſunt mox cuilibet miniſtro uerbi trahendà in exemplum, ſed imitanda potius ea quæ ad Timotheum ſcripſit.1.Timoth.4. & 2.Timoth.3.

Vos autem teſtes eſtis,& Deus,quàm ſanctè & iuſtè, & inculpatè uobiſcũ qui credebatis uerſati fuerimus.

Fieri poteſt, ut multa quidem facias pro ijs qui fidei tuæ ſunt concrediti,interim tamen non admodum ſanctè & inculpatè inter eos uiuas. Itaq; & hic nihil in ſe deſiderari potuiſſe ſignificans,quinto iam loco de conuerſatione uitæ ſuæ ſubijcit. Nutrix magnopere cauet,ne malis moribus teneram liberorum ſuorum ætatem inficiat & corrũpat, adeoq; uitat omnia uerba & facta,quæ aliquid habeant uitij. Eodem ſtudio Apoſtolus,ne plus deſtrueret quàm ædificaret,conuerſabatur inter fideles ſanctè,iuſtè & inculpatè. In Græco eſt,ὡς ὁσίως καὶ δικαίως, καὶ ἀμέμπτως ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν ἐγενήθημεν: id eſt, Quàm ſanctè,& iuſtè,& inculpatè: uel, Sine querela uobis credentibus fuerimus. Haud quidem illibenter recipio uerſionem Eraſmi, qui illud ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν, idem eſſe iudicauit, quod μετ' ὑμῶν τῶν πιστευόντων: id eſt, Vobiſcum credentibus. Interea tamen Lectori cogitandum relinquo,an non uoluerit Apoſtolus hac loquutione ſignificare,quòd non ſolùm apud eos,ſed & propter eos ſanctè ſit,iuſtè & inculpatè uerſatus: cùm dicit,ſe illis ſanctè iuſtè & inculpatè fuiſſe. Eſt quidem miniſtro Chriſti cùm primis ob id inculpatè uiuendum in Eccleſia, quòd nouit hoc requiri à Deo, & conuenire cauſæ cui miniſtrat in Domino: uerùm quoniam proximum eſt, ut rationem fidelium quoq; hac in re habeat,rectè Apoſtolus talem ſe Theſſalonicenſibus fidelibus fuiſſe dicit.

Non dicit autem ſimpliciter, Sanctè,iuſtè & inculpatè fuimus uobis credentibus: ſed præmittit ſatis emphaticè, Vos autẽ teſtes eſtis, & Deus,quàm ſanctè,&c. Apparet hoc dictum eſſe propter reprimendas pſeudapoſtolorum calumnias. Huc citat conſcientias eorum quibus potiſsimùm notum erat,quàm ſe geſsiſſet ſanctè, iuſtè & inculpatè, Theſſalonicenſium uidelicet & Dei. Poterant illi teſtes eſſe factorum & non factorum: Deus uerò cogitationum & conſiliorũ cordis,quæ cõſcientiæ mortalium non patent. Senſus itaq; eſt: Quicquid aduerſarij contra Apoſtolatum meum calumnientur,parum me mouet,teſtimonio cõſcientiæ meæ ſecurum: uos uerò quod atinet,eſtis ipſi teſtes de conuerſatione mea,qualis illa fuerit inter uos: quid autem in corde meo ſpectarim,id teſtimonio Dei ſecura conſcientia ſubijcio, quem ne intima quidem cordium noſtrorum latêre poſſunt.

Nec illud ocioſum eſt,quòd dicit: Vobis credentibus. Si legamus, Vobiſcum qui creditis: admonemur ſatis eſſe miniſtro Chriſti ad tuendam uitæ ſuæ innocentiam,ſi teſtentur de illa ij potiſsimùm,quibuſcum uixit,& inter quos Euangelium Dei prædicauit. Non debent illi audire calumnias aduerſariorũ,nec deſerere innocẽtiam fidelis miniſtri, de quo certò, idq; per experientiã cognouerũt, quàm ſanctè ſeſe,iuſtè & inculpatè in medio ipſorũ geſſerit. Et eiuſmodi teſtimonijs,quę dantur miniſtro ab ijs inter quos eſt conuerſatus, multũ ſemper fidei datum eſt in Eccleſijs: iam uerò,pro ſeculi noſtri corruptione,ſic uitiari cœperunt,ubi ſæpenumerò ſeducantur,qui fidem illis tribuunt.

Illud quoq; obſeruandum eſt,quòd non ſimpliciter dicit: ὡς ὁσίως: id eſt, Quòd ſanctè,&c. ſed,

ſed, ὡς ὁσίως: id eſt, Quàm ſanctè, iuſtè & inculpatè uobis credentibus fuerimus. Emphaſis eſt in uocula ὡς, id eſt, Quàm, & habet uim excellentiæ. Significat enim ſe non ſimpliciter ac uulgariter, ſed excellenter, ſanctè, iuſtè & inculpatè apud eos eſſe conuerſatum. Et reuera ab omni hoc Chriſti miniſtro requiritur, ut ſingulari ſanctitate ac iuſticia uitæ cæteros fideles excellat. Eſt quidem fidelium omnium, ut ſecundum doctrinam Chriſti, ſanctè, iuſtè & inculpatè uiuant in hoc ſeculo: uerùm res ipſa poſcit, ut qui doctor eſt aliorum, eximium ſeſe in ſtudio ſanctitatis ac iuſticiæ præ alijs præbeat.

Quod uerò uoces haſce attinet, ὁσίως, δικαίως καὶ ἀμέμπτως: exiſtimo haud aberrare eos, qui ὁσίως hoc loco accipiunt pro, religioſè erga Deum: δικαίως uerò, pro iuſtè erga homines. Aliàs ὅσιος nonnunquam pro mundo ponitur, utpote 1. Timot. 2. ubi dicit: ἐπαίροντας ὁσίους χεῖρας: id eſt, Leuantes mundas manus. δικαίως autem ſignificat, iuſtè ſecundum uiuſcuiuſque perſonæ, ſtatus & ordinis conditionem. qua de re in Locis noſtris diximus. Et ἀμέμπτως, id eſt, Sine quærela, referendum eſt ad homines, quibuſcum uiuimus. Qui ſic inter homines uiuit, ut nihil admittat omnino, de quo quiſquam meritò conqueri poſsit: is ἀμέμπτως, id eſt, ſine querela rectè uiuere dicitur. aliàs erga Deum hanc ſibi uitæ integritatem nunquam tribuiſſet Apoſtolus. Deinde nec erga Iudæos reipſa ἄμεμπτος fuit. Multis enim, licet immeritò, conqueſti ſunt illi coram magiſtratu, eſſe eum talem, quem fas non ſit uiuere. ad quem modum de ipſo quoque Chriſto coram Pilato fuerant conqueſti.

Ad exemplum itaque Apoſtoli ſic decet miniſtrum Chriſti in medio fidelium conuerſari, ut ueræ pietatis, religionis, mundiciæ & iuſticiæ exemplis præluceat omnibus, nec admittat quicquam, unde poſsit cuipiam uel tantillũ eſſe cauſę de ipſo querẽdi. Sic non ſolùm ὁσίως, ſed & δικαίως: hoc eſt, Non id tantùm agat, ut uideatur homo eſſe erga Deum religioſus ac deuotus (ut loquuntur) qui multum oret, ieiunet, caſteque uiuat (& ſicut in Papatu fieri ſolet) frequenter miſſas celebret, id quod ſingularis ὁσιότητος loco habent: ſed ſtudeat cum primis iuſticiæ miniſterij à Domino accepti, præſtans omnia quæ illi competunt, ut ſit non modò iuſtus homo, ſed & iuſtus Apoſtolus, epiſcopus, paſtor ac doctor. Niſi enim hoc fecerit, culpam neglecti miniſterij effugere non poterit.

Quemadmodum noſtis, ut erga unumquemq; ueſtrûm tanquam pater erga filios ſuos fuerimus affecti, obſecrantes uos, & conſolantes & obteſtantes, ut ambularetis dignè Deo, qui uocaſſet uos in regnum ſuum & gloriam.

Chryſoſtomus illud, Quemadmodum noſtis, refert ad præcedentia: uerùm commodius eſt ut ad ſequentia referamus. Proſequitur id quod dixit: Vos teſtes eſtis, quàm ſanctè, iuſtè, &c. Quemadmodũ (inquit) noſtis, quomodo peride uos atq; pater filios ſuos obſecrauerim, conſolatus ſim, & obteſtatus, ut ambularetis dignè Deo, &c. Sanè hoc faciẽdo abundè ſatis declarabat, quàm ſanctè & iuſtè inter illos conuerſaretur.

Quod lectionem attinet, Græcè ſic habetur, καθάπερ οἴδατε, ὡς ἕνα ἕκαστον ὑμῶν, ὡς πατὴρ τέκνα ἑαυτοῦ παρακαλοῦντες ὑμᾶς καὶ παραμυθούμενοι καὶ μαρτυρόμενοι, &c. id eſt, Quemadmodũ noſtis, ut unumquẽq; ueſtrûm perinde atq; pater liberos ſuos obſecrãtes uos & cõſolantes, & obteſtantes, &c. ubi uerbũ aliquod deſideratur. Vulgata Latina ex ultimo participio Obteſtantes, facit uerbum, Teſtificati ſumus. Eraſmus pro, Vnumquemque ueſtrûm, legens, Erga unumquemque ueſtrûm: addit, Fuerimus affecti, atque ita compleri poſſe quod deſideratur, exiſtimat. Meo iudicio, ſi uerbum γενήθημεν, id eſt, Fuimus: quod præceſsit repetatur, expeditus erit ſenſus. Quare ſic legatur: Quemadmodum noſtis, ut unumquemque ueſtrûm, perinde ac pater filiũ ſuum, obſecrantes uos & conſolantes ac obteſtantes, fuerimus.

Quemadmodum noſtis, inquit, *quomodo unumquemq; ueſtrûm, &c.*] Adiungit præcedentibus iam ſexto loco, quàm indefeſſo ſtudio ędificauerit eos in uera pietate, non ſolùm docendo, cuius hic mentionẽ non facit, propterea quòd prædicationis Euangelicæ iã meminerat: ſed & obſecrãdo, conſolando & obteſtando. Illud, Obſecrantes: in Greco eſt παρακαλοῦντες, quod uerti poteſt, Adhortantes. ad quem modum & Germanicus interpres reddidit: *Ermanet.* Verùm nihil refert, Obſecrãtes ne, uel Adhortantes legamus. Dubio procul non eſt eos ſimpliciter adhortatus, ſed cum ueræ dilectionis affectu: quo qui præditi ſunt, eos quos amant obnixè, obſecrantes adhortantur, ut ſinant ſibi conſuli, faciantq; quod ipſos decet, ac rebus ipſorum prodeſſe poteſt. Obſecrauit igitur eos quos hortabatur, ut dignè Domino ambularent.

Deinde quoniã in medio incredulorũ & impiorũ uiuebãt, ideoq; multis malis afficiebantur & cõtriſtabantur: ipſa neceſsitas poſtulabat, ut Apoſtolicis conſolationib. afflictorũ animos erigeret, manusq; remiſſas ac genua labantia confirmaret. Hoc ſe diligenter feciſſe commemorat, dicens, καὶ παραμυθούμενοι. Eſt autẽ παραμυθεῖσθαι, amanter alloqui & cõſolari afflictos: quæ res plurimum efficaciæ habere ſolet ad erigendos triſtes ac deiectos animos, & ſummopere neceſſaria eſt in Eccleſia Chriſti, præſertim temporibus perſequutionis: qualia tum erant initio Euangelicæ prædicationis, & nunc quoque ſunt, ubi ueritas illius poſt tot ſeculorum tenebras ſingulari conſilio Dei in lucem reuocatur. Non ſunt Chriſtiani Stoici ἀπαθεῖς, ſed multis adhuc infirmitatibus obnoxij, atque ita opus habent conſolationibus, quibus

corroborentur. Et ipsa Christiana religio sic est inuisa mundo, ut reddat alumnos suos multis ac uarijs afflictionibus obnoxios: ut rectè dixerit Apostolus, per multas nos tribulationes oportere in regnum cœlorum ingredi.

Tertiò, propter tergiuersatricem carnem sæpenumerò accidit, ut adhortationibus & obsecrationibus adiungendæ sunt obtestationes, quibus iudicium Dei sic denuncietur, ut nulla ignorantiæ excusatio relinquatur. His quoque usum se esse dicit, cum consolationi subijcit obtestationem.

Non autem simpliciter dicit, Quomodo adhortatus, consolatus & obtestatus uos fuerim: sed, Quomodo unumquemq; uestrûm, perinde atque pater filios suos adhortatus, uos, &c. fuerim. Omnia hæc singularia sunt, & uerè Apostolica. Facilè est pro suggestu simul omnes quotquot adsunt uel docere communiter, uel hortari, uel consolari, uel obtestari: uerùm unumquemq; seorsim appellare, & secundum cuiusque exigentiam ac qualitatem hortari, aut consolari, aut obtestari: idq; non obiter & qualitercũq;, sed affectu & studio paterno, hoc demum uerè est ex spiritu Christi ministrare Euangelio Dei.

Huc pertinet simile patris liberos suos piè, sanctè ac iustè educantis, illosq; indefessa cura iam docentis, iam adhortantis, iam consolantis, iam seriò obtestantis, & in his omnibus non quæ sua, sed quæ ipsorum sunt quærentis. Sic se erga Thessalonicenses fideles omnes ac singulos animatum fuisse significans, dicit: Quomodo unumquemq; uestrûm tanquam pater liberos suos obsecrantes, &c.

Si exemplum hoc Apostolicum imitarentur uerbi ministri, haud necessaria esset operosa disputatio de disciplina Ecclesiastica, & excludendis peccatoribus. Pater non corrigit filium suum ad numerum, sed toties id facit, quoties necessitas postulat. Nec Apostolus ad certum numerum, quemadmodum nec ad certum præscriptum, hortatus est & obtestatus Thessalonicenses. Iubet quidem alibi hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem uitare: uerùm aliud est homini hæretico excusationem adimere obstinatæ peruicaciæ: & aliud, fratrem peccantem irremissis adhortationibus in uiam reuocare.

Vt ambularetis dignè Deo, inquit, *qui uocasset uos in suum regnum & gloriam.*] Tres sunt Christianæ adhortationis partes. Prima est fidei, qua initiò Apostoli ad credendum Euangelio eos qui audiunt secundum exemplum Christi adhortantur. Secunda est rectè institutę conuersationis, quæ doctrinæ salutis respondeat. Tertia est constantiæ, qua in cognitione ueritatis, fide, spe ac dilectione Christi ad finem usq; sic perseueremus, ut nullis quantumuis magnis afflictionibus cedamus. Ad secundam pertinebant adhortationes illæ & obtestationes, quarum hic meminit. Hoc significans dicit, Vt ambularetis dignè Deo, qui uos uocauit in suum regnum & gloriam. quibus uerbis duo dicit. Vnum, quid Christiani facere: alterum, unde ad id moueri debeant. Quid faciendum nobis sit, paucis exprimit, dicens: Vt ambularetis dignè Deo. Vnde uerò ad id moueri debeamus, subiungit, cùm dicit: Qui uos uocauit in regnum suum ac gloriam.

Vt ambularetis dignè Deo, inquit.] De metaphora Ambulâdi non est ut hic dicamus, diximus de illa alibi. Obseruandum hic est, quid requiratur ab illis, qui credere in Christum cœperũt: hoc uidelicet, ut ueteris uitæ conuersationem abnegent, & in eam mutent, quæ gratiæ Dei conueniat. De hac intelligit, cùm dicit: Vt ambularetis dignè Deo. Eph. 4. Vt ambuletis (inquit) ita ut dignum est uocatione, qua uocati estis. Et Philip. 1. Modò ut dignum est Euangelio Christi cõuersemini. Et Coloss. 1. Vt ambuletis dignè Domino. Sunt hic alij atq; alij respectus, quibus moueamur ad uitæ conuersationem gratiæ cœlesti correspondentem. Primus, est ipsius Dei: secundus, Domini Iesu Christi: tertius, Euangelij Dei: quartus, uocationis nostræ.

Qui cogitant se singulari dignatione Dei ad hoc electos & uocatos, ut sint non modò populus, sed & filij & hæredes Dei: facilè admonentur, quàm indigna res sit, si ad ignominiam nominis eius uiuant, quem per omnia & in omnibus glorificare debebant. Deus noster sanctus est. Si nos prophanè & immundè uixerimus, reddimus nos illo indignos. Sancti estote (inquit) quoniam & ego sanctus sum. Deus noster ipsissima dilectio est. Si ambulauerimus in odio & liuore, non ambulamus dignè Deo. Deus noster iustus est. Qui studet iniusticiæ, indignus est qui accenseatur Deo. Deus noster, Deus est pacis & unitatis. Indignè igitur Deo conuersantur in illius Ecclesia, qui dissidijs ac sectis student. Deus noster fidelis est, uerax, propitius, clemens & misericors. Indignus illo est, non solùm omnis immisericors, perfidus, immitis & inhumanus: sed & quisquis de gratia & ope illius diffidens, aliunde sibi quærit opẽ & auxilia. Deus noster omnipotens est, & fortissimus eorum protector, qui ad ipsum confugiunt, deinde ueritas uerbi ipsius, cui aduersatur satan & hic mundus, prorsus est inuicta: quare admodum indigni Deo sunt, qui in causa ipsius timidè ac trepidè agunt. Si quis miles sub Alexãdro Magno meticuloso ac fracto animo militasset, & ad cuiusuis hostis aspectũ trepidasset, meritò tanquam degener & indignus tanto duce cingulo fuisset militiæ priuatus. Quanto quæso indigniores Deo sumus, qui ad quamuis mundi huius insultationem

ad

ad defertionem ueritatis illius inclinamus? Multa præterea ſunt, quæ hic cogitari poſſunt, uerùm diligenti Lectori iſta ſufficere poſſe putamus.

Qui uos uocauit, inquit, *in regnum ſuum, & gloriam.*] Poſtquã adhortatus eos fuerat, ut dignè Deo ambularent, ſubiungebat de incomparabili dignatione Dei, qui fuerat eos in regnum ſuum uocare dignatus, ut huius conſideratione maiore cura ad obtemperandum Apoſtolicæ adhortationi permouerentur. Hoc illis in memoriã reuocans, dicit: Vt ambularetis dignè Deo, qui uocaſſet uos in ſuum regnum & gloriam.

Vbi principiò obſerua, quòd non dicit, Qui uos aſſumpſit: ſed, Qui uos uocauit in regnũ ſuum. Accidit ſæpenumerò ut petentes ſuſcipiantur à rege in ipſius regnũ: hic uerò cõmendatur nobis immenſa illa gratia ac dignatio Dei, qua nec uenientes nec petentes, immò auerſos, inimicos & impios ultrò in ſuum regnum, primùm filio, deinde & Apoſtolis in mundum miſsis uocare dignatus eſt

Deinde & illud obſeruandum eſt, quòd non dicit: Ad cuius uos regnum & gloriam uocaui, cùm ipſe tamen eos per Euangelij prædicationem in regnũ Dei uocaſſet: ſed ipſi Deo uocationem hanc tribuit, dicens, Qui uocauit uos. Sic cogitandum nobis eſt, dum per miniſtrũ Euangelij uocamur ad cognitionem ac fidem Chriſti, uocari nos à Deo per illum, quemadmodum à Deo ſunt uocati, quotquot uocati ſunt per illius Apoſtolos. Huc facit illud 2. Corinth. 5. Deo adhortante per nos.

Tertio, de eo quoq; cogitandũ eſt, quòd nõ dicit, Qui uocat nos in regnum ſuũ: ſed, Qui uocauit uos, &c. Vos (inquit) qui creditis in Chriſtum, uocauit. Eſtis igitur in regno Dei uocati ſancti. Hoc uolebat illis omnibus ac ſingulis eſſe indubitatum, quemadmodũ omnes & unũquemq; ſedulò admonebat, ut dignè Deo ambularent.

Quartò, illud, In regnum ſuum & gloriam, bifariam accipi poteſt. Primò ſic, ut idẽ ſit, quod Vt regnet in uobis, ſit rex ueſter, & in uobis glorificetur. Ad hunc modũ reges huius ſeculi in regna ſua alios cogunt, alios ſuſcipiunt, ut in illis regnent. Deinde ſic, qui uocauit uos in ſuũ regnum & gloriam: id eſt, Qui ad hoc uos uocauit, ut ſitis regni ipſius & æternæ gloriæ conſortes & hæredes. Ad hunc ſenſum pertinent ea quæ de hæreditate regni cœlorum credentibus in Chriſtum per Euangelium Dei promittuntur.

Eſt aũt regni huius duplex reſpectus: unus gratiæ, alter gloriæ. Quod priorẽ attinet, ſumus iam in hac uita in regno Dei, quotquot ueri Chriſtiani ſumus, quoniam, teſte Chriſto, regnũ Dei intra nos eſt: dum ſumus in iuſticia, pace & gaudio Spiritus ſancti. Sicut enim Apoſtolus Rom. 14. dicit. Non eſt regnũ Dei eſca & potus: ſed iuſticia, pax & gaudiũ in Spiritu ſancto. Quod poſteriorẽ concernit, expectamus adhuc regnum cœlorũ, & illius gloriã, quæ in aduentu Domini reuelabitur in nobis. Huc pertinent ea quæ 2. Theſſ. ſic leguntur: Vt digni reddamini regno Dei, p quo & patimini. Siquidẽ iuſtũ eſt apud Deum, ut retribuat illis qui uos tribulant, tribulationẽ: & uobis qui tribulamini, refocillationẽ nobiſcũ in reuelatione Dñi Ieſu de cœlo, &c. Et 2. Tim. 4. Dominus eripiet me ab omni opere malo, & ſeruabit in regnum ſuum cœleſte.

Quoniam autem Apoſtolus hoc loco non ſimpliciter dicit, Qui uocauit uos in ſuum regnum: ſed adiecit, Et gloriam: exiſtimo iſta pertinere ad poſteriorem regni Dei reſpectum. Et is ſenſus admodum conueniebat tribulatis & afflictis fidelibus, qui in regno mundi affligebantur, proſcribebantur, ſpoliabantur, trucidabantur, & extremis probris afficiebantur, ut ſpe regni Dei & gloriæ illius, ad quam erant uocati, quæ aduerſa magno animo perferrent ac uincerent. Hoc pacto & Chriſtus diſcipulos ſuos ad tolerantiam malorum præmuniuit, dicens: Noli timere puſille grex. placuit enim patri ueſtro dare uobis regnum. Luc. 12.

Cogitent iſta fratres, quorum iam alij è regno Galliæ per aduerſariam poteſtatem proſcribuntur, alij trucidantur, ac mille probris propter Euangelicam doctrinam & fidem afficiuntur. Quanto potior eſt regni Dei quàm regni Galliæ: tanto plus occaſionis habent, unde impenſiſsimè gaudeant, quàm unde contriſtẽtur. Non eſt ut moueat nos, quòd ſpes hæc regni ac gloriæ Dei ridetur à filijs huius ſeculi, propter formas crucis futuram filiorum Dei gloriã præcedentes: ſed cogitemus hanc eſſe uiam Dei, ut ignominia gloriam, & humilitas regnum præcedat. ſicuti uidere eſt in electorum exemplis, præſertim Dauidis, & ipſius Chriſti.

Quapropter & nos gratias agimus Deo indeſinẽter, quòd cum acciperetis ſermonẽ à nobis, quo Deum diſcebatis, accepiſtis non ſermonẽ hominũ: ſed ſicut erat uerè ſermonem Dei, qui & agit in uobis credentibus.

Per efficaciã fidei ipſorũ cõprobabatur, eſſe eos nõ inaniter uelut hominis tãtùm uoce, ſed efficaciter, tanq; ab ipſo Deo in cœleſtẽ gratiã & gloriã uocatos. Quare cõueniebat, ut diuinę huic dignatiõi ex corde gratias agẽtes Deo, p rectã uitę cõuerſationẽ reſpõderẽt. Huius eos admonens, non ſolùm commemorat, quàm diligẽter ac ſedulò ab ipſo, cùm apud ipſos eſſet,

commo-

commonefacti fuerint: sed & confestim subiungit, quanti ipse gratiam hanc Dei erga ipsos declaratam, in corde suo faciat: tanti uidelicet, ut non cesset gratias pro illa agere Deo, qui tanta eos dignatione ad se uocarit, & animum dederit, uocationi huic efficaciter obtemperā di. Sic dicit:

Quapropter & nos gratias agimus Deo indesinenter.] De hac Apostoli gratiarum actione iam aliquoties diximus. Hic obserua, quòd non simpliciter dicit, Quapropter gratias agimus Deo: sed, Quapropter & nos gratias agimus Deo. Q. d. Quanto magis uos decet gratiam hanc Dei agnoscere, illiq; ex animo gratias agere, quando nos illam tanti facimus?

Quod cùm acceperitis sermonem à nobis, quo Deum discebatis, inquit.] Græcè est, ὅτι παραλαβόντες λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν τοῦ θεοῦ: id est, Quòd cùm acceperitis sermonem auditus à nobis Dei. Commodius sic leges: Quòd cùm acciperetis à nobis sermonem auditus Dei. Quod sequitur, Accepistis non sermonem hominum, sed sicut erat uerè, sermonem Dei: in Græcis quidem exemplaribus, quæ nobis in manu sunt, sic habetur, οὐ δέξασθε λόγον ἀνθρώπων, ἀλλὰ καθώς ἐστιν ἀληθῶς, λόγον θεοῦ: id est, Accepistis non sermonem hominum, sed sicut uerè est, sermonem Dei: sicuti reddit & Erasmus: nisi quòd pro Est, posuit Erat, cùm sit in Græco non ἦν, id est, Erat: sed ἐστιν, id est, Est. Vulgata tamen editio Latina habet, Accepistis illud non ut uerbum hominum: quasi sit in Græco οὐδέξασθε αὐτὸν οὐ λόγον ἀνθρώπων. Et Germanicus interpres sic reddidit. Et Chrysostomus cùm exponens, dicit, οὐ γὰρ ὡς ἀνθρώπων ἀκούοντες ἐδέξασθε ὑμῶν ἀκούοντες: id est, Non enim fuistis cùm nos audiretis, quasi homines audiretis: satis indicat se sic legisse. Et Erasmus fatetur, etiam in Græcis exemplaribus sic uariare hanc particulam, ut alia habeant οὐ λόγον ἀνθρώπων: alia sine uocula, ὡς, simpliciter, λόγον ἀνθρώπων. Hæc de lectione.

Quòd cùm acciperetis sermonem à nobis, quo Deum discebatis.] Satius est retinere uerba Apostoli, & legere, Sermonē auditus Dei. Est aūt sermo auditus Dei Euāgeliū Dei, in quo Deus auditur. Quare rectius uertisset Erasmus, In quo Deus auditur: quàm, In quo Deus discitur. Non est, quælibet doctrina sermo auditus Dei, sed ea tantùm quę à Deo est in mundū missa. Doctrina pseudapostolorum qua Mosen Christo, legem Euangelio, propriam, quæ operum est: iusticiam iusticiæ Dei, quæ per fidem in Christum est, coniungebant, nō erat sermo auditus Dei: sed auditus hominum, in quo non Deus, sed homines, id est humana commenta audiebantur. Et dubio procul hoc dicens, pseudapostolorum doctrinam perstringit. Sic Papistica doctrina, quatenus uerbo Dei destituitur, sermo est auditus hominū, non auditus Dei. Clamāt, audiendos esse patres. Quare non potius clamant, audiendum esse sermonē auditus Dei?

Non autem simpliciter dicit, Cùm acciperetis sermonem auditus Dei: sed, Cùm acciperetis à nobis sermonem auditus Dei. Loquitur nobis Deus bifariam. Aliquando per spiritū suum in cordibus nostris. Huc referunt illud Prophetæ: Audiam quid loquatur in me Dominus. Aliquando per ministerium hominis. Mira dignatio philanthropiæ Dei, qua non modò homini, sed & per hominē loqui dignatur. Sic loquutus est hominibus per Prophetas, Chri-
Hebr. 1. stum filium hominis, & Apostolos. Huius admonemur, cùm Apostolus dicit: Cùm acciperetis à nobis sermonem auditus Dei.

Accepistis non sermonem hominum: sed, sicut est uerè, sermonem Dei.] Quoniam sermo ex ore hominis auditus communiter pro sermone hominis accipitur, ne se hominis sermonem accepisse iudicarent, cùm Euangelium Dei ex ore ipsius acciperent: affirmat illud esse sermonem Dei, non hominum: ideoq; accepisse ipsos non hominum, sed Dei sermonem: & addit, Sicuti uerè est. in qua particula affirmationem adiecit. Sic legatus nihil extra mandatum à rege acceptum proponens, affirmare potest, eos qui sermonem suum recipiunt, recipere sermonē non suum, sed ipsius regis.

Est autem Euangelium tripliciter sermo non hominum, sed Dei. Primò, propterea quòd à Deo, non ab hominibus missum est in mundum, atq; ita authoritatem suam habet non ab hominibus, sed ab ipso Deo. Sic Christus dicebat: Sermo meus non est meus, sed eius qui misit me patris. Deinde, propterea quòd Apostolus Christi uerè à Deo missus non suo, sed Dei spiritu loquitur. Habet enim in se loquentem Dei spiritum. Sic ad discipulos suos dixit Christus: Non enim uos estis qui loquamini, sed spiritus patris uestri loquitur in uobis. Tertiò etiam ob hanc causam, quòd in cordibus audiētium electorum per spiritum suum loquitur Deus, dum audiunt Euangelium ex ore Apostoli, persuadens illis ut credant & assentiantur auditis. Hi tres modi, quibus Euangelium sermo est non hominum, sed Dei: aliquando concurrunt in electis, aliquando non concurrunt: & tamen nihilominus est & manet uerè sermo Dei, etiam si qui loquitur, nec sit missus à Deo, nec per spiritum Dei loquatur, nec loquatur Deus in corde audientis. Quare fratres illi, qui negant habere Euangelium Dei, nisi ubi illius habetur efficacia' quæ sit non secundum literam, sed secundum spiritum, inconsideratè hac in re disceptant.

Si uerò cum uulgata editione Latina legerimus, Accepistis illud non ut uerbum hominū, sed sicut est uerè uerbum Dei: commendantur in eo Thessalonicenses, quòd Euangelium acceperint ab Apostolo ea fide ac religione, qua decet accipere sermonē nō hominis alicuius,

sed

ſed ipſius Dei. Hominis ſermo ſic accipi poteſt, ut de quo ſepenumerò hæſitari queat, uerusne ſit, ac tanti momenti quanti eſſe aſſeritur: Dei autem ſermo ſic accipiendus eſt, ut ad illius auditum, ſi minetur iram, intima cordium noſtrorum contremiſcant: ſi uerò promittat bene uolentiam, gratiam & pacem, omnium impẽſiſsimè exhilaremur: ſi quid præterea præcipiat, ſumma cum religione obediamus: & ſi qua ſunt illius nomine triſtia perferenda, perferamus ea conſtanti patientia. deniq;, etiamſi contradicat illi uniuerſa totius mundi ſapientia, de ueritate illius nullo pacto dubitemus. Secundum hanc conſiderationem multum refert, quomodo ſermonẽ Dei accipiamus. Licet enim Euangeliũ in ſe ſit ſermo non hominũ, ſed Dei: illis tamen nõ eſt ſermo Dei, qui illud non ut Dei, ſed ut hominũ ſermonẽ accipiunt. Conſimili modo non eſt ſatis accipere ſacramenta Dei, niſi accipias ea ut ſacramenta Dei, ea uidelicet fide ac religione, qua ſacramenta Dei accipi debent. Etenim licet in ſe ſint ſacramenta Dei, inutiliter tamen, immò ad iudicium accipiuntur, ſi non ut ſacramenta Dei condignè accipiantur.

Ad hæc illud quoq; obſeruandum eſt, quòd non dicit, Sicuti uerè erat: ſed, Sicut uerè eſt, ſermonem Dei. Sermo quem ex ore ipſius acceperant Theſſalonicenſes, ſonitu iam olim trã ſierat, & tamen erat tum quoq;, & etiamnum eſt ac permanet ſermo Dei. Quomodo? Primũ in ipſo ſenſu, qui permanet in ſempiternum. Deinde etiam in uerbis, quatenus & quoties illa ſonitu oris proferuntur. Quod de Chriſto unico noſtro mediatore ac ſeruatore, deq; iuſticia fidei, ac reliquis Chriſtianæ religionis capitibus in Apoſtolatu ſuo docuit, quemadmodum tunc cùm ea doceret, ſermo Dei erant, non hominis: ita nunc quoq; & in ſempiternum non ſunt neq; Lutheri, neq; alterius cuiuſpiam hominis, ſed ipſius Dei ſermo, cùm in ipſo ſenſu, tum etiam in uerbis, quoties proferuntur, quantumuis ab Antichriſti ſatellitibus hæreſeos damnentur, & Luthero alijsq; fratribus adſcribantur.

Qui & agit, inquit, *in uobis credentibus.*] Quod lectionem attinet, ambiguum hic eſt, quemadmodum & in Græco, quò ſit pronomen relationis ὅς, & Qui, referendum: an ad Deum uel ad ſermonem? Sicut enim eiuſdem generis ſunt λόγος & θεός: ita ſermo & Deus, maſculini uidelicet, quemadmodũ & pronomẽ ὅς, & qui. Vulg. lat. refert ad Deum. Sic enim habet: Sed ſicut uerè eſt uerbum Dei, qui operatur in uobis. Ambroſius uerò refert ad uerbum, cùm legit: Sicut eſt uerè uerbum Dei, quod & operatur in uobis. Nihil tamẽ refert, utrũlibet legamus. Nam & Deum & uerbum eius rectè in ijs qui credunt, agere dixeris.

Non mox intelligebant ueritatem huius rei Theſſalonicenſes, perinde atque eam intelligebat Apoſtolus, ideo loco παρουσίας illius, particulam hanc cum ijs quæ ſequuntur, adijcit: unde cognoſcant, Euangelium quod ex ipſius ore acceperant, eſſe non hominum, ſed Dei ſermonem. Qui & agit (inquit) in uobis credentibus. Q. d. Cuius rei ueritatem reipſa tanquam certo experimento uel ex eo cognoſcere poteſtis, quòd non conſtitit in uobis auditu tãtùm & ſenſu, ſed & operatur & exerit efficaciam ſuam in uobis. Hoc ſignificans non ſimpliciter dicit, Qui operatur in uobis: ſed, Qui & operatur in uobis. Quod perinde eſt ac ſi medicus perſuaſurus ægroto, ut ſe medicinæ acceptæ ritè accommodet, quo ſanitatem recuperare poſsit: aſſerat illum non inanem & inefficacem aliquem potum, ſed reuera medicam & efficacem potionem à ſe accepiſſe. & quo id certò cognoſcat, addat dicens: Quæ & efficaciter in te operatur. Quid autem operatus ſit in illis ſermo Dei, cuius illi potuerint eſſe conſcij, declarant ſequentia.

Obſerua uerò, quòd non ſimpliciter dicit, Qui operatur in uobis: ſed addit, Credentibus. Non dicit, Qui operatur in uobis qui audiſtis, uel audiẽtibus: ſed, Credentibus. Sic exponit, quomodo acceperint Euãgelium ab ipſo, ut ſermonem non hominum, ſed Dei. Accipitur à multis quidem, uerùm aliter atq; aliter. Alij audiendo quidem, ſed non intelligendo. Illi auditu audiunt, ſed non intelligunt, in quibus impletur illud: Auditu audietis, ſed non intelligetis. Alij audiunt & intelligunt, ſed non credunt. Hi tãtum accipiunt de Euangelio, quantũ intellectu & iudicio rationis capere poſſunt, interim uerò intellectis non afficiuntur corde. Alij audiũt, intelligunt, & corde credunt, afficiunturq; ijs quæ credũt ex animo. Sic acceperant ſermonẽ Dei Theſſalonicenſes, id quod ſignificat, dicens: Qui & agit in uobis credẽtib.

Hinc admonemur, non eſſe Euangelium Dei ocioſum & inefficax in illis, à quibus nõ auditu & intellectu tantùm, ſed & uera fide accipitur. Quòd igitur in tã multis hodie inefficax eſſe uidetur, non fit ipſius: ſed incredulitatis eorum uitio, qui audiũt quidem, ſed nõ credũt. De diſcrimine autem fidei, quæ hic annotanda ſunt, in Locis noſtris uideri poſſunt.

Vos enim imitatores facti eſtis, fratres Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa, in Chriſto Ieſu, quòd eadem paſsi ſitis & uos à propriis cõtribulibus, quemadmodum & ipſi nos à Iudæis: qui ut & Dominum occiderũt Ieſum, & proprias prophetas, ita & nos perſequuti ſunt: & Deo non placent, & omnibus hominibus aduerſantur, qui obſiſtunt nobis: ne loquamur gentibus, quo ſalui fiant, ut expleant ſua peccata ſemper. Peruenit autem in illos ira in finem.

Habent iſta confirmationem præcedentium, quibus accepiſſe eos ſermonẽ non hominũ, ſed Dei, illumq; in ipſis agere dixit. Non autem recitat uniuerſam Euangelij uirtutem, quam illud in credentibus operatur: ſed eam tantùm, quæ manifeſtior ipſisq; notiſsima erat. Sic dicit: Vos enim imitatores facti eſtis fratres, Eccleſiarum Dei quæ ſunt in Iudæa in Chriſto Ieſu, quod eadem paſsi ſitis & uos à proprijs contribulibus, quemadmodum & ipſi nos à Iudæis, &c. Senſus eſt: Vnde namq; eſt, quòd tam multa mala patimini, & conſtanter perfertis propter Chriſtum, idq; à ueſtris contribulibus, niſi ex uirtute operantis in uobis uerbi Dei, quod à nobis accepiſtis? Niſi enim illa uim ſuam in uobis exerceret, haudquaquam iſta tam conſtanter propter Chriſtum pateremini: ſed grauium iſtarum tentationum tempore deficeretis ac retrocederetis. Eſt itaq; manifeſtum hoc accepti ſermonis Dei ὑπομόριον, quod in tolerantia afflictionum, quas propter Chriſtum perfertis, animo infracto perſeueratis.

Non eſt autem ocioſum, quòd non ſimpliciter dicit, Vos enim multa aduerſa propter acceptum Euangelium perfertis: ſed, Vos enim à ueſtris contribulibus eadem patimini, quæ nos ipſi à Iudæis perferimus. Multum põderis accedit afflictionibus, unde & admodum grauantur, ſi inferantur à cognatis & contribulibus. Moleſtum eſt affligi, à quocunq; id accidat: moleſtius uerò, ſi accidat ab eiuſdem gentis conſortibus: & moleſtiſsimum, ſi affligamur à propinquioribus, parẽtibus, fratribus, cognatis, familiaribus & domeſticis. At hæc omnia accedebant Chriſtianis, idque non ab uno & altero: ſed à tota gente ipſorum communiter, unde uideri poterant tam eſſe abominabiles, ut ne ſuæ quidem ipſorum genti eſſent ferendi, ſed communi omnium odio digni. Multum hinc erat offendiculi Eccleſijs, non illis modò quæ erant ex gentibus, ſed & quæ erant ex Iudæis. Quare admodum neceſſarium erat conſolari & erigere hac in re imbeciliores conſcientias, id quod duabus rationibus facit, priore, ab eo ſumpta, quòd inde conſtaret certum argumentum operantis in ipſis diuinæ gratiæ ac uirtutis: poſteriore uerò accepta ab exemplo Eccleſiarum Chriſti, quę erant in Iudæa, ipſius deniq; Chriſti, Apoſtolorum & Prophetarum. Et hoc agens non ſimpliciter dicit, Vos enim à contribulibus ueſtris patimini, &c. ſed, Vos enim imitatores facti eſtis fratres Eccleſiarum Dei quæ ſunt in Iudæa, in Chriſto Ieſu, quòd eadem paſsi ſitis & uos, & quæ ſequuntur.

Vos enim fratres, inquit, *imitatores facti eſtis Eccleſiarum Dei quæ ſunt in Iudæa.*] Obſerua. In regno Chriſti poſteriores Eccleſiæ, niſi ſint degeneres, imitatrices ſunt priorum. Priores erant, quę erant ex Iudæis: poſteriores uerò, quæ congregabantur ex gentibus. Quare conueniebat, ut hæ illas imitarentur, propter eiuſdem ſpiritus ductum ac moderationem. Conſideretur itaq; hac noſtra ætate, quæ nam Eccleſiæ primas illas Apoſtolicas imitentur, & quæ ab illis ἀπὸ πάσης diſcrepent. Omnino ſic cõparatus eſt ſermo Euãgelij Dei, ut fide acceptus, reddat nos imitatores primorum fidelium.

Eccleſiarum Dei, inquit, *quæ ſunt in Iudæa, in Chriſto Ieſu.*] Cùm addit, In Chriſto Ieſu: diſcernit Eccleſias Iudæorum, quæ erant non in Chriſto, ſed in Moſe: ab illis quæ erant in Chriſto, hoc eſt, in fide ac religione Chriſti. Vbi obſeruandum eſt, quòd Eccleſias Iudaicas uſq; adeò non contendit, non eſſe Eccleſias Dei, ut ne de illis loqui uideatur: neceſſarium iudicauerit, ut adijceret hanc diſtinctionem, In Chriſto Ieſu: quò quæ dicit de Chriſtianis, non de Iudaicis Eccleſijs intelligerentur. At erant adhuc Iudæorum Eccleſiæ in auitis erroribus, cæcitate & obſtinatione, non ſolùm non recipientes doctrinam ueritatis Dei, ſed & acerbiſsimè impugnãtes ac blaſphemantes. Quomodo igitur erant Eccleſiæ Dei? Erant ex fœdere, erant à maioribus, erant à ſacramento Dei, erant à profeſsione religionis ac cultus Dei, licet his omnibus malè uterentur. Vide Roman. 9. ab initio capitis, quanti iſta fecerit Apoſtolus in gente Iudaica.

Deinde & illud cogita: Etiam illæ Eccleſiæ in Iudæa, quæ erant in Chriſto, erant æmulatrices legis ac circumciſionis, non minus quàm fidei in Chriſtũ, & tamẽ erant Eccleſiæ Dei, & in Chriſto. Ergo eſſe adhuc in errore & imperfectione, non eſt tale quid, quod titulum Eccleſiæ Dei & Chriſti adimat, modò locum habeat Euangelium & fides in Chriſtum.

Quòd eadem, inquit, *paſsi ſitis & uos à proprijs contribulibus, quemadmodũ & noſipſi à Iudæis.*] Nõ dicit: Quòd eadẽ quæ illę ſeruatis. Seruabãt illæ legẽ Moſis, ac circũciſionẽ. Hanc imitationẽ urgebant pſeudapoſtoli, ſuadentes Eccleſijs ex gentibus, ut cùm Chriſtianis in Iudæa legalib. ſeſe obſeruationibus ſubijcerent, quam imitationem tãquam reprobam Apoſtolus magno ſerio reijciebat: hanc uerò, cuius hic meminit, magnoperè cõmẽdabat. Erat enim illa nõ Chriſtiana, ſed Iudaica: iſta uerò non Iudaia, ſed Chriſtiana. Qua in re uidemus, quàm non ſint audiẽdi traditionũ humanarũ doctores, qui nobis eas conſuetudines & obſeruationes imitandas proponunt, quas Romana eccleſia ſeculis aliquot, quaſi ex prærogatiua Eccleſiaſtici magiſterij Eccleſijs obtruſit. Eccleſiarũ Chriſti quæ erant in Iudæa, magna erat prærogatiua: quæ tamen non ad hoc ualebat, ut eas imitarentur reliquæ mox in omnibus quæ ſeruabant, ſed in ijs tantùm, quæ ad Chriſtianæ fidei cõmendationem faciebant: qualis erat tolerantia afflictionum, quas à contribulibus ſuis propter Chriſtũ illatas conſtãter ferebant. Notanter itaq; nõ dicit, Quòd eadem faciatis & uos: ſed, Quòd eadẽ paſsi ſitis & uos. Ergo quibus in factis

& ob-

& obseruationibus haudquaquam per omnia conueniebat: conueniebat pulchrè in afflictionum tolerantia, quas propter nomen Christi dissimiles, aliàs in ritibus utrinq; concordi spiritu perferebant. Cogitent, obsecro, de hoc exemplo fratres illi, quibus hodie nullius propè momenti loco est, quòd tam conformi patientia fideles in Gallia eadem tolerant propter Euangelium Christi, quæ tolerarunt Euangelicæ Ecclesiæ in Germania, Anglia, Italia & Hispania.

A proprijs contribulibus, inquit.] Notatur infensissimũ odiũ satanæ ac cæca mũdi malicia: unde fit, ut etiã ij qui nõ solùm eiusdẽ naturę, sed & gẽtis, familię ac tribus propinquitate coniũcti, mutuo sese amore prosequi debebant, infensissimis odijs aduersus eos qui ueritati Dei adhęrebant, exacerbẽtur, ac iura propinquitatis trãsgressi in cognatũ sanguinẽ grassentur, sic ut frater fratrem, ac filij parentes neci tradant. Operatur ista satan pugnans pro regno suo, quo illud mendacijs, cæcitate ac sanguine stabiliat.

Quemadmodum & ipsi nos à Iudæis, inquit.] Quoniam dixit, Quòd eadem passi sitis & uos: consequenter dicendum fuisse uidetur, Quæ & ipsi nos. Verùm quoniam non tam de ijsdem afflictionibus loquitur, quas & ipse & illi pertulerint, quàm de eo, quod ut ipse à suis, ita illi quoq; à suis contribulibus afflictati fuerint: non dicit, Quæ & ipsi nos: sed, Quemadmodum & ipsi nos à Iudæis. Quòd autem Iudæos habuerit sibi hostes infensissimos propter Euangelium Christi, & quomodo afflictatus ab illis fuerit, nõ modò in Iudæa, sed & inter gentes, in Actis Apostolorum uidere licet.

Et illud obserua. Pro eo quod dicendum erat, Quemadmodum & illæ à Iudęis: ut responderetur ei quod dixerat, Vos enim imitatores estis Ecclesiarũ Dei, quę sunt in Iudęa, in Christo Iesu, quòd eadem passi sitis & uos à proprijs contribulibus: dicit, Quemadmodum & ipsi nos à Iudęis. Hoc dicens, non modò membrum se facit Ecclesiarum Dei, quę erant in Iudęa, seq; illis coniungit: sed & afflictiones illarũ sibi, & suas illis cõmunicat. Quę patiebatur à Iudęis, inferebantur illi non ex priuata aliqua causa, personęq; ipsius odio, sed propter cõmunẽ Euangelij Christi causam: ob quam non ipse tantùm, sed & Ecclesiæ Christi quæ erant in Iudæa à Iudęis infestabantur. Huius admonens Thessalonicenses, offendiculum crucis remouet à sua persona, ne ex eo offenderentur, quòd suæ genti tam erat uehementer exosus.

Qui ut & Dominum occiderunt Iesum, & proprios prophetas.] Reijcit causas persequutionis, quam patiebatur à Iudęis, in auitam illorũ & obstinatam maliciam, qua semper Spiritui sancto restiterunt, & nemini sanctorum pepercerũt, ne ipsi quidem Domino Iesu, unigenito Dei, quẽ pater ad illos salutis ipiorum gratia, tanquam ad regni ipsius populum ac peculium miserat. Ipsum (inquit) Dominum occiderunt. Non dicit, Non receperunt: sed, Occiderunt. Non dicit simpliciter, Iesum: sed, Dominum Iesum occiderunt, cuius maliciæ ac sceleratæ perfidiæ enormitas pro dignitate perstringi non potest. Quid aliud (inquit) expectandum nobis est ab illis, quàm quòd in ipsum Dominum, ipsorũ ac nostrum designare non dubitarunt? Quomodo parcent domesticis, qui ipsum Dominũ occiderunt? Et quid inuenerunt in illo, tanto odio ac morte dignũ? Nihil prorsus. Itaq; sceleris huius causa nulla erat alia, quàm satanica ipsorũ & occęcata malicia. Cùm ergo talis sit hic populus, ut immeritos & iustos pro cordis sui malicia persequatur & occidat: non debet mirum uideri, quòd tanto etiamnum odio in uos & Ecclesias Christi grassatur.

Magno solatio sit hoc Christi seruatoris nostri exemplum, omnibus illis qui à sua gente, & ab illis qui se Ecclesiã Dei esse gloriantur, nostra hac ętate afflictantur, quando recogitant, idem ipsi Domino Iesu Christo accidisse. Solus ille Iudęorũ populus, Dei se populũ & Ecclesiam esse propter fœdus Dei, ac patres gloriari poterat. At ab illo ipso occisus est Dominus. Non sumus meliores Domino. Si idem accidat & nobis, solemur nostrã sortem illius exemplo: modò id sedulò curemus, ne nostra ipsorum culpa meritis afflictionibus afficiamur. Sic enim nulla nobis esset cum Christo afflictionum societas ac conformitas. Vide in prima Petri, capite secundo.

Et proprios prophetas, inquit.] Ad quid particulã hanc adiecit? Sancta ac uenerãda erat apud Iudaicam gentẽ prophetarũ memoria. Non poterãt dicere: Occidimus eos tanquã seductores, sicuti de Christo blasphemant. Et tamen occiderunt eos, ac fateri coguntur, occidisse se prophetas Dei. Proprio itaq; iudicio damnantur insignis & auitę impietatis, per occisionẽ prophetarum Dei inexcusabiliter designatę. Sumus populus Dei (inquiũt) absit ut occidamus sanctos Dei, nedũ filium Dei. Nisi fuisset seductor hic uester Iesus, nõ occidissent eũ maiores nostri. Maiores uestri occiderũt prophetas Dei, quos ad illos miserat. Quomodo non occiditis sanctos Dei? Tanta itaq; est uestra impietas & cõtumacia aduersus Deũ, ut prophetas illius, ad uos missos, nõ solùm non recipiatis, sed & occidatis. Et hoc fecerunt uestri maiores. An estis uos illis meliores? Declarastis hoc in filio Dei, quem inaudita signa ac miracula facientem, occidistis.

Quid est autem, quòd non simpliciter dicit, Et prophetas: sed, Et proprios prophetas? Exaggerat Iudaicã maliciam & impietatẽ. Excusabilius peccassent, si prophetas ut homines pe

regrinos & alienos à populo Dei occidissent. Verùm occiderunt non alienos, sed proprios, idq; duplici nomine. Primò, quòd essent ex ipsis nati, & inter ipsos educati, ut nō possent eos uelut alienos à populo Israelis reijcere. Deinde, quòd essēt ad ipsos peculariter missi. Huius & Deus ipse cum exprobratione meminit, dicēs: Et misi ad uos omnes seruos meos prophetas, consurgens diluculò, & mittens: & non audierunt me, nec inclinauerunt aurem suam: sed indurauerunt ceruicem suam, & peius operati sunt quàm patres eorum. Hier. 7.

Et illud ad auxesim Iudaicæ maliciæ pertinet, quòd non dicit, Et nónullos prophetarum suorum: sed simpliciter, Et proprios prophetas occiderunt. Significat tam fuisse eos semper in malicia sua obstinatos, ut neminē prophetarū Dei recipere sustinuerint: sed omnes quotquot ad ipsos mittebantur, persequuti sint & occiderint. Sic illis & Stephanus Act. 7. exprobrat, dicens: Dura ceruice & incircumcisis cordibus & auribus. Vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres uestri, ita & uos. Quem prophetarum non sunt persequuti patres uestri?

Ita & nos persequuti sunt, inquit.] Græcè est, καὶ ἡμᾶς ἐκδιωξάντων: Et nos expulerunt, è patria uidelicet, gente & terra. Cùm dixisset, Qui & Dominū Iesum occiderunt, & proprios prophetas: non potuit subijcere, Ita & nos occiderunt: sed, Ita & nos persequuti sunt. Occidendi uoluntas illis & conatus non defuit, & sic eum persequebantur, ut è medio tolleretur, quemadmodum & uociferabantur dicentes: Non est phas eum uiuere. Actor. 22. Verùm ut occiderent eum, non erat ipsis datum à Deo, ideoq; quod magno furore moliebātur, perficere nequiuerunt. Hic illorum furor non erat ignotus Thessalonicensibus. Nam & apud illos seditionem aduersus Apostolum mouerant, sicuti uidere est Actorum 17. Simul sciebant, quomodo esset frequenter manibus illorum ereptus, & ad propagationem Euangelij conseruatus à Deo. De eo autem, quòd interea temporis cùm Paulum tanto furore persequerentur Iudæi, idq; inter gentes quoq;, Petrus, Iacobus & Ioannes Hierosolymis agere potuerūt, diximus in Cōmentarijs nostris super Epistolam ad Galatas.

Et Deo non placent, inquit.] Inserta est hęc particula non sine ratione. Populus Iudęorum interea dum persequeretur & occideret prophetas suos, Christum regem ac Dominum, & Apostolos, ac resisterent Spiritui sancto indesinenter, gloriabantur de Deo, illiusq; nomē, fœdera, legem ac cultum iactabant: & eiusmodi iactantia omnem suam maliciam & crudelitatē palliabant, causamq; Euangelij Dei plurimùm grauabāt. Negat igitur Apostolus sic esse comparatum Deum, ut talem populum diligat, & aliqua beneuolentia prosequatur. Quomodo enim poterunt illi placere, uerbo ipsius contumaciter resistentes, ueritatem æternam blasphemātes, hypocrisi & Deo & hominib. imponere conātes, Prophetas, Christū & Apostolos ad ipsos missos occidentes, & ad tam impiam crudelitatem nomen ipsius prætexentes? Considera hic sedem Antichristi, quæ & ipsa planè simili impietate, malicia & crudelitate aduersus sanctos Dei grassatur, & uide an possibile sit, ut Deo placeat, quantumuis nomen eius impudentissima fronte iactet.

Obserua, Quòd Iudæi Christum occiderunt, & Apostolos persequuti sunt, factum ab illis est per ignorantiam, teste Petro, qui Act. 3. dicit: Et nunc fratres scio, quòd per ignorantiam ista feceritis, sicut & principes uestri. Et hic ipse Paulus 1. Cor. 2. dicit: Si enim cognouissent, nunquam Dominum glorię crucifixissent. Immò disertè de illis Rom. 10. testatur, quòd zelū Dei habeant, licet non secundum scientiam. Et interim tamen Deo displicent. Admonemur itaq; hoc loco, nec hodie placere Deo omnes eos, qui cōsimilia cum carnali Israele facientes, Euāgelio Dei resistāt, & sanguinem fidelium Christi persequuntur ac fundunt, quantumuis inter illos non pauci per ignorantiā & præposterum zelum Dei quæ faciunt, faciant: putētq; se Deo hoc acceptius præstare obsequium, quo exquisitioribus & grauioribus pœnis Euangelij Dei alumnos occidunt: quod & Christus de occisoribus Apostolorum & discipulorum suorum Ioann. 16. prædixit.

Et omnibus hominibus, inquit, *aduersantur*.] Hactenus quō Deo aduersentur, exposuit: iam subijcit, quomodo sint erga homines quoq; inhumani. Quid autem execrabilius esse poterit, quā sit id genus hominum, quod & Deo & hominibus aduersatur? At talis reddit præposterus zelus, ut de hypocrisi, philautia & philodoxia taceam. Notius hoc est etiā nostro seculo, quàm ut sit pluribus admonendum.

Non autem simpliciter dicit, Et hominibus aduersantur: sed, Et omnibus hominibus aduersantur. Quasi dicat: Mirum uideri non debet, quòd me & reliquos fratres persequuntur, aduersantur omnibus hominibus, notis & ignotis, propinquis & alienis. Sunt communiter omnium hominum hostes. Quare quærendum non est, quanam de causa tam me hostiliter persequantur.

Qui obsistunt nobis, inquit, *ne loquamur gentibus, quo salui fiant*.] Egebat præcedēs particula expositione, quō Iudæi omnibus hominib. aduersarentur. Illam itaq; subijcit, dicens: Qui obsistūt nobis, ne loquamur gentibus, quo salui fiant. Quid hoc erat aliud, quàm aduersari saluti

gen-

gentium? Qui impedit media, quibus ad ſalutem peruenitur, aduerſatur utiq; ſaluti mortalium. Ad ſalutem autem ueniendum eſt per auditum Euangelij, quod in hunc uſum miſſum eſt à Deo in mundũ. Faciebant hoc Iudęi, atq; ita aduerſabantur ſaluti mortalium. Obſecro, quid faciunt aliud hodie qui regnant inter Papiſtas? An non & illi prohibent & obſiſtunt, ne miniſtri Euangelij Dei loquantur hominibus, quo ſalui fiant? Prætexunt quidẽ longè diuerſum, uidelicet ne homines per falſam doctrinã in hæreſes abducãtur & pereant: uerùm quic quid prętexant, reipſa ſalutem mortalium, quatenus in ipſis eſt, tanquam humanę ſalutis hoſtes impediunt. Nec Iudęi tales uideri uolebant, qui ſaluti hominum obſiſterent. Et tamen hoc ipſum faciebant, dum prohibebant ne gentibus prædicaretur Euangelium.

Dixerit quiſquam: Et quomodo dicit eos aduerſari omnibus hominib. per hoc, quòd obſiſtebant, ne loqueretur gentibus, quo ſalui fierent? An erant gentes omnes homines? Poterat dicere, Et gentibus aduerſantur. Quomodo dicit, Et aduerſantur omnibus hominibus?

Reſpondeo: Cùm Eccleſias Dei in Iudęa exiſtentes, in Chriſto Ieſu propter Euangelium Dei perſequerentur, deinde & obſiſterent Apoſtolis, ne prædicarent gentibus Euangelium, quo ſalui fierent: utiq; omnibus hominibus aduerſabantur. Diuiduntur enim omnes homines in Iudęos & gentes.

Ne loquamur gentibus, inquit, *quo ſalui fiant.*] Faciebant hoc zelo ac ſupercilio prorſus Iudaico, quo ſe ſolos populum eſſe Dei pręſumebãt & iactabant: gentes uerò uelut immũdos & alienos à Deo abominabantur, exiſtimabantq; non ſine ethnica prophanatione fieri poſſe, ut ad aliquẽ regni Dei cõmunicationem uocentur, niſi circumcidantur, & Iudaiſmũ recipiant. Cùm igitur apoſtolũ Paulum gentes ad regnum Dei ſine circumciſione & Iudaiſmo uocare cernerent, perſequebantur eũ ueluti prophanatorẽ regni Dei, & apoſtatã à populo Dei. Non intrabant ipſi in regnum Chriſti, & interim gentes ſpiritu ęmulationis perciti, ab illo prohibere moliebantur: ut impleretur illud Moſis, Ego ad ęmulationem uos adducã in non gente, & in gente ſtulta irritabo uos. Recipiebant quidẽ & ipſi gentes, ſed non niſi circũciſos, & in obſeruantiã legis Moſaicę. Nec recipiebant tantũ, ſed & pęrrebant mare & aridã, ut eos ad Iudaiſmũ pertraherent: tam aberat ut ſimpliciter prohiberent loqui gentib. de cauſa ſalutis ipſorum. Quare quod Apoſtolus hic dicit, Qui obſiſtunt nobis ne loquamur gentibus, quo ſalui fiant: non eſt ſimpliciter, ſed de Euangelica doctrina intelligendũ, per quam ſalus promittebatur gentibus, non per legis obſeruantiam, ſed per fidem in Chriſtum. Hanc doctrinã pedibus ac manibus ueluti ſeductricem repellebant & impugnabant. Sciẽtes hoc pſeudapoſtoli, loquebantur quidem gentibus & ipſi: uerùm ſic ut non offenderent Iudæos. Docebant enim, ſalutem conſtare non poſſe cuiquam niſi circumcideretur, & legem Moſis obſeruaret. Id poterant Iudæi utcunq; ferre propter zelum legis, quo tenebantur: Pauli uerò prædicationem ferre non poterant. Conſimili planè modo nec Papiſtæ ſimpliciter impediunt, quo minus loquamur cum hominibus de illorum ſalute, modò rationem habeamus Papiſmi, illiq; nihil derogemus: & Pontifex ipſe nullius ſectę dogmata non confirmat, modò ſaluam eſſe ſinat poteſtatis ipſius plenitudinem, quam ſibi uindicat, & propter quam ſolam cœlum terra miſcere paratus eſt, & confirmationem abs ſe petat. De reliquis ipſi nulla cura eſt. Quæ de fide, iuſtificatione, bonis operibus, libero arbitrio, gratia, ſacramentis, & conſimilibus alijs diſputantur, exuflant Romani apoſtoli. Mittantur (inquiunt) iſta ad lupanar, modò de poteſtate ac primatu pontificis non diſputetur. Verùm ubi ſalutem mortalium ſic uni Chriſto acceptã ferimus, ut Romanę ſedis poteſtas reijciatur: ad eum modũ loqui hominibus, quo ſalui fiant, non ferunt, ſed gladio & igne atrociſsimè impediunt.

Quo ſalui fiant, inquit] Obſerua hic Euangelicæ prædicationis finem. Ad hoc miſſa eſt illa in mundum, ut ſalui fiant tam gẽtes quàm Iudęi. A ſalute per Chriſtum parta nullum genus hominum, ne gentiũ quidem idololatrarum, excluditur: ſed uocantur ad illam per Euangelium omnes, quo ſalui fiant. Ad hunc finem ſpectabat & collimabat Apoſtolus. Propter hunc prædicabat gentibus Euangelium, & propter eundem fiebãt omnibus omnia. Huic ſeſe exẽplo conforment uniuerſi Eccleſiarum miniſtri. Noluit prædicare obiter, perfunctoriè, & quæſtus uentriſq; tantùm gratia, ad quem modum Papiſtæ ſacrifices miſſant (ut loquũtur) & in tẽplis boant. Non loquũtur illi hominibus, ſed ſibijpſis tantùm: nec miſſant, orant, cantillant, ut ſalui fiant homines, ſed ut conſulatur ipſorum aqualiculo.

Vt expleant, inquit, *peccata ſua ſemper.*] Non ideo obſiſtebant Apoſtolo, ne loqueretur gentibus quo ſalui fierent, ut peccata ſua explerent: ſed ut zelo ſuo quo ferebantur, indulgerent. Quid eſt igitur quod dicit: Vt expleãt peccata ſua ſemper? exprimit id quod reipſa fiebat ab ipſis, non quod facere intendebant. Conatus ipſorum erat opprimere doctrinam Euangelij, & gloriam quam in lege quærebant, firmam retinere. In hunc finem perſequebantur Apoſtolum Chriſti. Verùm hic illorum conatus erat fruſtraneus. Non enim fieri poterat, ut ad finẽ quem quærebant, pertingeret: interim uerò non modò peccabant aduerſus conſilium Dei, ſed & auita ac priſtina ſua peccata cumulabant & explebant. Quare rectè non dicit, Vt opprimant ueritatem Euangelij: ſed, Vt expleant peccata ſua ſemper.

Non dicit autem: Qua in re peccant plurimùm, id quod reuera faciebant. Peccabant enim enormiter, non modò non recipientes consilium Dei, quo salui fierent: sed & Apostolo obsistentes, ne gratiam Dei gentibus annunciaret. Sed, ut expleant (inquit) peccata sua semper. Aliud est, grauiter peccare in re aliqua: & aliud peccata sua implere: id quod est mensurâ malitiæ peccata peccatis cumulando ad summum usque implere. Quemadmodum loculi implẽtur, dum numus numo indesinenti coaceruatione superadditur: ita mensura peccatorum impletur, dum peccata peccatis irremisso peccandi studio accumulantur. Vnicuiq; impio ac reprobo diuinitùs est certus terminus patientiæ Dei constitutus, quo impleto completa est, peccatorum illius mensura, & appulit tempus, quo ultioni subijciatur.

Admonemur hoc loco, quàm non debeamus perterrefieri, ubi impios ac reprobos ueritatis Dei hostes nullum facere sæuiendi finem, sed indesinenter grassari in pios ac fideles uiderimus: sed cogitare potius, hoc propius imminere illis ultionem, quo magis peccata sua implent. Aduersarij Euangelij Dei in Gallia ante annos aliquot multum sanguinis innoxij fundere cœperunt: iam hoc præsenti anno sic se totos ad implendum peccatorum suorum mensuram tradiderunt, ut sperandum sit adfore impletionem illius unà cum cœlesti ultione citius multò quàm ipsi credere possint, si quis ipsis prædicat.

Græcè est, ἀναπληρῶσαι. Significat autem ἀναπληρόω, πάλιν καὶ πάλιν πληρόω: id est, iterum atque iterum impleo. Et adiectum est aduerbium πάντοτε, id est, Semper. Sensus igitur est, Peccata sua semper iterum replent: ut intelligas de tota hac gente, inde à maioribus sic comparata, ut perpetuò peccata sua repleuerit. Cùm per idololatriam Deum irrirarent, id genus peccati magna obstinatione, quantumuis iudicio Dei corriperentur, iterum atq; iterum implebant: sicuti uidere est in libris Iudicum ac Regum. Idem faciebant cùm prophetas suos occiderent: postea cùm occiderũt ipsum Dominũ, an non tum quoq; peccata sua implebant? Post eius peccati impletionem persequuti sunt Apostolos, & uocationem gentium impedire sategerunt, atque ita sic iterum peccata sua impleuerunt. Ad eum modum inde à maioribus peccata sua repleuerunt semper. Quid aliud obsecro facit Antichristi sedes? Inspiciantur singulorum põtificum historiæ, & uideatur, an non illa quoq; non minus, imò multo amplius, peccata sua impleuerit semper?

Peruenit autem in illos ira in finem, inquit.] Hactenus de impia, auita & obstinata Iudæorum malicia quædam recensuit: iam de ultione eorum subijcit. Hanc uocat iram, Dei uidelicet, more Scripturæ: illamque non uenturam aliquando, sed iam tum peruenisse in illos dicit, eo quòd exitium illorum iamiam ceruicibus ipsorum è uicino imminebat. Et addit, In finem: qua particula ultionem ipsorum haud leuem aliquam, & modici temporis, sed omnimodam totius gentis, & irrecuperabilem desolationem fore significat, quam & Christus ipse Matthæi 24. abominationem desolationis uocat. Erat illa extremam uastationem, & ciuitati Hierusalem & templo & cultui, & terræ illorum, & toti genti illatura, sic ut omnia illorum finem suũ fortitura essent, ut rectè dixerit Apostolus: Peruenit in illos ira in finem. Quod nam erat huius rei argumentum? Illud uidelicet, quòd sine fine in summa malicia pergebant, mensuramque patrum suorum implentes, Apostolos ac sanctos Dei crudeliter persequebantur & occidebant, omnemque resipiscentiam sibijpsi excludebant. Verte hinc oculos ad meretricem Babilonicam, non Orientalem illam, sed Occidentalem: & uide, an non eodem planè argumẽto iram Dei peruenisse in illam in finem indubitatò appareat?

Sed dixerit hic quispiam: Quomodo dicit Apostolus iram Dei peruenisse in Iudæos in finem, cùm in Iesaiah, capite quinquagesimoseptimo, dicat Deus: Neque irascar usque ad finem? Respondeo: In Ebræo illic est, כי לא לעולם אריב ולא לנצח אקצוף: id est, Et non litigabo in seculum, neque in sempiternum irascar. Loquitur autem eo loco de misericordia, qua sit resipiscentes & contritos spiritu in gratiam & consolationem recepturus. Id non derogat sententiæ huic, qua Apostolus iram Dei in Iudæos in finem peruenisse dicit, id quod illis & Ezechiel cap. 7. minatus est. Non sunt trahenda ad impœnitentes & obstinatos reprobos, quæ scripta sunt de resipiscentibus. Sic non repulit Deus populum suum, ut non recipiat ex illo resipiscentes, & Euangelio credentes.

Talibus itaque coloribus Iudaicam obstinationem & maliciam depinxit hactenus Apostolus, ut omnem excusationem ademerit illis, qui per instantiam pseudapostolorum ad Iudaismum sese pertrahi sinebant: nec reliquerit aliquid rationis, propter quod ij qui ex gentibus credebant in Christum, ex eo offendi possent amplius, quòd gens illa, quæ peculium Dei erat, tanto odio & tam atrociter Euangelio Christi illiusque Apostolo resistebat. Fecit hoc Apostolus non odio gentis suæ, quã (ut uidere est ad Romanos cap. nono) impensè diligebat: sed necessitate defendendi Apostolatus sui, & consulendi saluti gentium coactus. Consimili necessitate cogimur & hodie Romanam ecclesiam & sedem coram toto mundo Antichristianæ impietatis, idololatriæ, immundiciæ, simoniæ, ac

tyranni-

tyrannidis cùm loquendo tum ſcribendo accuſare & abominabilem reddere, quo & adhærentes illi, auocemus: & liberatos ab illa, retineamus, ne ad eam ſicut canis ad uomitum redeant.

Cæterùm nos, fratres, orbati uobis ad ſpacium temporis, aſpectu, non corde, uehementius ſtuduimus uidere faciem ueſtram, cũ multo deſiderio. Quapropter uoluimus uenire ad uos, ego quidem Paulus & ſemel & iterũ, & obſtitit nobis ſatanas. Nam quæ eſt noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriationis: an' non & uos, in conſpectu Domini noſtri Ieſu Chriſti, in eius aduentu? Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.

Deſidero hic uigilantiam in eo qui Epiſtolam hanc in capita diuiſit. Nam quæ hic in calcem ſecundi capitis reiecit, omnino magis ad ſequentium quàm ad præcedentium materiã pertinent.

Quemadmodum plantantis eſt, non deſerere quæ plantauit, ſed reuiſere & rigare: ita pertinebat ad officium Apoſtoli, Eccleſias ab ipſo plantatas in Domino reuiſere, & ſermone confirmationis ueluti rigare, præſertim tempore perſequutionis, ubi periculum eſt, ne qui ſunt infirmiores, ad defectionem inclinent, uitæque ſuæ ac fortunæ magis quàm æternæ ſalutis rationem habeant. Cogitans itaque, hanc officij ſui partem poſſe à fidelibus Theſſalonicenſium deſiderari, indeque ſibi neglectæ illius culpa imputari, quaſi non ſatis Apoſtolica cura erga ipſos affectus, ſuſque deque faciat quomodo agant in fide Chriſti, perſiſtant ne uel deficiant: purgat ſe, & excuſat abſentiam, amoliturque ſuſpicionem neglectus. Hanc ob cauſam exponit. Primùm, quanto deſiderio uidendi ipſos præditus fuerit. Deinde quid & quare facere uoluerit quidem, uerùm nequiuerit. Tertiò, quid, quomodo & quare fecerit. Priora duo in præſenti contextu, tertium Capite ſequenti tractat.

Cæterùm nos, fratres, inquit, *orbati uobis ad ſpacium temporis, aſpectu non corde, uehementius ſtuduimus uidere faciem ueſtram, cum multo deſiderio.*] Suſpicionem neglecti officij ferri non poteſt, nec ferendum eſſe iudicat, ut ſuſpicentur fideles, quos in Chriſto genuit, parum ſibi curæ eſſe ipſorum ſalutem. Ideo ſuſpicionem hanc amoliens, uerbis admodum emphaticis de cordis ſui erga ipſos deſiderio planè paterno teſtatur. Principiò, non ſimpliciter dicit, Abſentes, uel remoti à uobis: ſed, ἀπορφανισθέντες ἀφ' ὑμῶν. Orbari, bono aliquo priuari ſignificat: ἀπορφανίζεσθαι uerò, non quouis bono, ſed uel parentibus uel liberis per mortem deſtitui ſonat. Solet autem parentibus ſi liberis, & liberis ſi parentibus ſuis mortis interuentu priuentur, magnum relinqui uidendi ipſos deſiderium. Hoc ſe erga illos teneri ſignificans, utitur hoc participio ἀπορφανισθέντες. quaſi dicat: Orbati uobis haud ſecus quàm ſi pater dulciſſimis pignoribus ſuis morte priuetur: tam abeſt, ut ueſtri ſumus obliti, ut multo deſiderio faciem ueſtram uidere cupiuerimns. Deinde addit: Ad ſpacium temporis. Græcè eſt, πρὸς καιρὸν ὥρας: id eſt, Ad articulum: uel, ſi mauis, ſpacium horæ. Facit & hoc ad auxeſim dilectionis, qua erga illos erat præditus, quòd uix unius horæ ſpacio abſentiam illorum ferre poterat. Poteſt hæc particula & ſic accipi, ut idem ſit, quod, Singulis horis. quaſi dicat: Nulla hora tranſijt, qua non uidere uos deſiderauerim. Tertiò, Aſpectu, inquit, non corde. Exponit qualis ſit ipſorum abſentia, & quatenus preſentia ipſorum ſit priuatus. Aſpectu erat abſens, non corde. Nam cordis oculis uidebat eos iugiter. Sic parens domo abſens τῷ προσώπῳ, corde præſens eſt apud ſuos iugiter: atque ita qui amat, magis eſt ubi amat, quàm ubi animat.

Quartò, abundantius, inquit, ſtuduimus faciem ueſtram uidere multo cum deſiderio. Non ſimpliciter dicit, Deſiderauimus: ſed, Multo cum deſiderio ſtuduimus uidere faciem ueſtram. Non modò impenſe deſiderauerat, ſed & ſtuduerat: id eſt, Diligenti ac ſedulo ſtudio fuerat inuiſere eos, ac faciem eorum uidere conatus. Nec ſic contentus addit, Abundantius: quo adhuc magis deſiderium ſuum, ac ſtudium uiſendi eos intendat. Et eſt ſenſus: Quo magis corde præſens uobiſcum fui, hoc abundantius faciem ueſtram uidere ſtudui. Et hoc deſiderium meum ſingulis horis creuit, abundantiusque eſt factum.

Obſerua hic, quantum diſcriminis eſt inter patres liberorum ſuorum genitores, & pædagogos, magiſtros eorum quos alij genuerunt: tantum eſt inter Apoſtolos & ſucceſſores illorum Epiſcopos. Apoſtolus ęgerrimè ferebat fidelium, quos Chriſto genuerat, abſentiam ac deſiderium. Erat apud eos corde, cum non poſſet adeſſe aſpectu. Non modò ſcire quid & quomodo agerent: ſed & faciem illorum uidere deſiderabat, idque deſiderio magno. Epiſcopi, quales iam ſunt, Eccleſiarum uidelicet domini, non patres, nec aſpectu ſunt nec corde Eccleſijs ſuis præſentes: longè aliter animati, quàm ut cum Paulo faciem fidelium uidere cupiant, quos non genuerunt, ſed tanquam ſubiectos dominaliter onerandos acceperunt.

Aſpectu, inquit, *non corde.*] Inuenias qui donec ſunt aſpectu præſentes, amici eſſe uideantur:

ubi uerò facti sunt aspectu absentes, satis declarant se non aspectu tantum, sed & corde esse absentes. De his Germanicè dicimus, *vuit vuon augen, vuit von hertzen.* Secus uerò comparati sunt, qui ueri sunt amici. Illi per absentiam aspectus non minuunt dilectionis affectus, sed illos hoc experiuntur uehementiores, quo aspectu sunt remotiores. Accidit hoc & Apostolo.

Vehementius studuimus uidere faciem uestram, inquit, *cum multo desiderio.*] Sic natura comparati sumus, ut eorum quos amamus, faciem uidere cupiamus. Sequitur enim desiderium oculorum, desiderium cordis. Viderat eos antea Apostolus. Quare quod iterum desiderabat illorũ uidere faciem, non erat curiositatis, sed ueræ dilectionis.

Et illud obserua. Multo tenebatur uidendi faciem eorum desiderio. Natura uerò desideriorum est, ut gignant studium assequendi res desideratas. Accidebat hoc & Apostolo: Ideo dicit: Vehementius studuimus uidere faciem uestram cum multo desiderio. Sanè ubi studia frigent, ibi certum est indicium, & cordis desideria frigere ac torpescere. Quo desiderio simus affecti erga Christum, ipsa nostra studia satis produnt.

Quapropter uoluimus uenire ad uos, inquit, *ego quidem Paulus & semel & iterum, & obstitit nobis satanas.*] Quid in tanto desiderio uidendi eos constitutus facere uoluerit, hisce uerbis exprimit: & simul exponit quod dixit, Studuimus uidere faciem uestram. Quapropter, inquit, uoluimus uenire ad uos. Non simpliciter uoluerant, sed ad iter sese parauerant, & certo tempore proficisci statuerant. Et hoc est quod addit: Ego quidem Paulus semel & iterum. Aliàs non semel tantum & iterum, si cordis illius affectum ac uoluntatem consideres: sed frequenter ad eos proficisci cupiebat, ad iter autem sese semel atque iterum parauerat: & profectus quoque fuisset, nisi impeditus fuisset à satana.

Ego quidem Paulus, inquit, *& semel & iterum.*] Quoniam non de se tantum, sed & de cooperarijs suis Syluano & Timotheo scribit: hic ubi de uoluntate ueniendi ad ipsos meminit, nominatim de seipso dicit, Ego quidem Paulus & semel & iterum: ne intelligerent ista de Syluano ac Timotheo tantum, non autem de ipso Paulo, quasi ille non constituerit uenire ad ipsos. Ego ipse Paulus, inquit, uolebam ad uos uenire, idque non semel tantum, sed & secundò. Qui quod agunt, non agunt ex animo, sed perfunctoriè & obiter, ne non egisse, uel tentasse quicquam uideantur: ubi semel tentarunt, si non successerit desinunt, putantes se satis habere excusationis, si dicere queant: Tentauimus, sed non successit. Qui uerò agunt aliquid ex animo, non mox desinunt, si primi conatus fiunt irriti: sed iterum atque iterum quod cœperunt aggrediuntur, donec uel perficiant quod uolunt, uel intelligant aliud esse constitutum à Domino. Sic Apostolus, quoniam magno desiderio uidendi faciem illorum præditus uenire ad eos uolebat, ubi primo conatu non successit conabatur secundò: illo quoque non succedente, intellexit impediri se, ideoq; alia uia rationem habendã esse Thessalonicensium iudicauit.

Et obstitit nobis satanas, inquit.] Poterant cogitare: Si semel atque iterum ad nos uenire uoluit, quis impediuit, quo minus uenerit? Ideo dicit: Et obstitit nobis satanas. Græcè est, ἐνέκοψεν ἡμᾶς: id est, Et impediuit nos. Significat ἐγκόπτειν, in medio conatu quod tentatur intercidere, & iniectis remoris omnem agendi facultatem & successum amputare. Fecit hoc satanas, ut impediret Apostolum Christi, ne ueniret Thessalonicam. Sperabat enim fore, ut illo absente infirmiores saltem afflictionibus uicti à fide Christi ad pristinas abominationes relaberentur: qui si præsens adesset, in fide confirmatiores facti haud ab illa facile dimouerentur.

Sed quærunt hic, quomodo fecerit hoc satan, deinde quomodo id contra non solum Apostoli, sed & ipsius Dei uoluntatem facere potuerit. Ad priorem quæstionem fatentur nonnulli, non habere se quod dicant, quãdoquidem ea de re nihil ipse expresserit Apostolus: Chrysostomus uerò sentit, hoc esse à satana factum per insidias Iudæorum, de quibus memi nit Lucas Act. 20. ubi sic legitur: Cum autem perambulasset partes illas, & exhortatus eos fuisset multo sermone, uenit in Græciam: ubi cum fuisset menses tres, factæ sunt illi insidiæ à Iudæis, nauigaturo in Syriam, habuitque consilium, ut reuerteretur per Macedoniã, &c. Verùm hæ Iudæorum insidiæ cum tenderentur nauigaturo in Syriam, ideoque efficerent, ut in Macedoniam reuerteretur: magis occasionem Thessalonicam ueniendi quàm impedimentum præbebant, maximè cum in eo reditu Philippis fuisse legatur. Quare simplicius esse puto, ut intelligamus impedimentum satanæ fuisse in eo, quòd sic exagitaret eas Ecclesias, cum quibus Paulus conuersabatur, ut eas deserere nõ posset: nec determinemus certò, quibus id modis perfecerit.

Quod posteriorem quæstionem attinet, id quidem constat, quòd fecerit hoc satan contra uoluntatem Apostoli, illamque inefficacem reddiderit, non autem quòd uoluntatem Dei impedierit. Non erat uoluntas Dei, ut Thessalonicam Paulus, sicuti semel atque

iterum

iterum constituerat, rediret. Aliàs non potuisset illam impedire satanas. Aliud erat in uoluntate Dei, quàm in uoluntate Pauli. Quare quod satan uoluntatem Pauli impediendo agebat, tam non aduersabatur uoluntati Dei, ut illi magis subseruiret. Quicquid moliatur hostis & aduersarius Dei satan, uoluntatem Dei nulla in re impedire potest, sed illi magis nolit uelit subseruire cogitur: consilijs uerò, studijs & conatibus sanctorum, etiam Apostolorum, tum facile inijcit remoras, quando quod illi uolunt, non est uoluntate Dei confirmatum, quamuis in se bonum esse uideatur, sicuti uidebatur desiderium ac studium Pauli, quo Thessalonicenses inuisere uolebat. Admonemur hoc loco, ut ubi bona piorum hominum consilia impediri uiderimus, agnoscamus quidem maliciam Satanæ & impiorum hominum: uerùm iuxtà fateamur, aliud esse in consilio & uoluntate Dei, quàm in uoluntate hominum, quantumuis piorum.

Dices: Ergo peccauit Paulus, dum aliud uoluit, quàm quod erat in uoluntate Dei? Respondeo: Est quidem peccare, nihil aliud quàm uoluntati Dei aduersari: uerùm consideranda hic est differentia inter uoluntatem Dei uerbo illius expressam, & eam quæ nullo nobis est uerbo præposita, sed à conscientia nostra abscondita. Volũtas Dei est, ut saluus fiat omnis homo, & ad cognitionem ueritatis ueniat, 1. Timoth. cap. secundo. Ea proposita erat Apostolis in uerbo Domini, dicentis: Euntes docete omnes gentes, &c. Et: Prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. Si uoluntati huic repugnasset Apostolus, utique peccasset. Væ mihi, inquit, si non Euangelizauero. Cæterùm, quando prædicandum esset illius uel istis Gẽtibus, ea de re non habebant Apostoli certum uerbum: ideoque accidebat, ut ibi prædicare constituerent, ubi nondum erat secundum uoluntatem Dei tempestiuum ut prædicarent. Sic uolebat Paulus proficisci Romam, & illic quoque Euangelizare: uerùm impediebatur diuinitùs, Rom. 1 & 15. Et in Asia prohibebatur spiritu prædicare uerbum Dei, Act. 16. Hac in re non peccabat, imò fidelis Apostoli officium facere uolebat. Bonum erat in se inuisere Ecclesiam Christi ab ipso plantatam, ibique infirmos fratres in fide ac uera pietate confirmare: quòd uerò non succedebat id consilij, ex eo erat, quòd aliud erat à Deo constitutum, nõ ex eo quòd mala esset & Apostolo fideli inconueniens ista uoluntas. Quare nihil hac in re peccauit, quin potius peccasset, si aliter animatus in hac causa fuisset. Sit itaque nobis perpetuò ob oculos ea uoluntas Dei, quæ unicuique est ex uerbo illius proposita, ut secundum suum quique statum illi constanter obediamus: in circumstantijs uerò temporum, modorũ, personarum & consimilium, conetur quisque, quod officio suo competit: sic tamen, ut sciat se tum demum quod conatur posse perficere, si accesserit uoluntas Dei: si uerò illa non accesserit, non colligat malum esse in se quod conatur, sed melius aliquid esse in uolũtate Dei, quòd ipse ignoret.

Nam quæ est nostra spes, inqt, *aut gaudium, aut corona gloriationis? an non & uos*, &c.] Habẽt ista αἰτιὸ λογίαν, magni desiderij uidelicet, ac uehementis studij, quo faciem illorum uidere satagebat. Poterat autem simpliciter dicere: Nam uos estis spes nostra, gaudium, corona, & gloriatio: uerùm pro singulari affectu quo erga illos afficiebatur, emphatica interrogatione utitur, dicens: Nam quæ est nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriationis? An non & uos? Q. d. Quare nõ magno desiderio faciem uestram uidere studerem, cum si qui alii, certè & uos spes mea, gaudium, corona & gloria in diem Domini sitis?

Quomodo autem Thessalonicensis Ecclesia fuerit Apostoli spes, gaudium, corona & gloria, nõ habet opus accurata expositione. Sperabat illos in fide Christi, & accepta ueritatis cognitione constanter permansuros, & ęternam salutem & gloriã in aduentu Domini nostri Iesu Christi cum alijs electis reportaturos. In hac spe ex eo confirmabatur, quòd omnis generis afflictiones à contribulibus suis illatas infracta tolerantia & alacritate synceræ fidei pertulerant. Quemadmodum enim 2. Cor. 1. dicit: Spes mea firma est pro uobis, quoniã scimus, quòd quemadmodum participes estis afflictionum, sic futuri sitis & consolationũ: ita & hic Thessalonicenses spem suam uocat, propterea quòd & illos sic consolationis æternæ participes fore sperabat, quemadmodum afflictionum Christi facti erant participes. Hoc sensu præceptor discipulos eos quos sub se habet ingenioſos ac studioſos, spem suam, gaudium, coronam & gloriam uocat: propterea quòd sperat eos in uiros doctos ac præclaros euasuros, unde ipse olim non tristiciam, sed gaudium: non ignominiam, sed coronam sit, & gloriam reportaturus. Sic erat omnino animatus Apostolus erga fideles Thessalonicensium, id quod uerbis hisce exprimit, cũ dicit: Nam quæ est nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriationis? An non & uos, in conspectu Domini nostri Iesu Christi in eius aduentu? Vos enim estis gloria nostra & gaudium.

Obserua uerò, quòd non simpliciter dicit, An non uos? sed An non & uos? ἢ οὐχὶ καὶ ὑμεῖς; Vulgata Latina habet: Non ne uos? quemadmodum & Ambrosius. Chrysostomus uerò & legit: ἢ οὐχὶ καὶ ὑμεῖς, & exponit ad hunc modum, μανικόνως εἶπεν, εἰπὲ μοι, ἢ ἐλπὶς σου ἢ μακάριος στέφανος; οὐχ' οὕτως μόνον φησὶν διὰ τοῦτο ἀναγκαῖον, ἢ οὐχὶ καὶ ὑμεῖς; Non erant Thessalonicenses soli spes, gaudium, corona & gloria Apostoli, sed erant & alij. Nam & Philippenses cap. quarto,

gaudium

tandem & coronam ſuam uocat, dicés: Proinde fratres mei dilecti ac deſiderati, gaudium & corona mea. Id ſignificans, ſic loquitur: An non & uos? Q. d. quemadmodum & alij, qui in fide Chriſti firmi perſiſtunt. Non erat priuato quodam affectu ſic erga illos affectus, ad quem modum matres ſæpenumero erga aliquos ex liberis ſuis affici uidemus: ſed propter cómunis fidei cauſam, propter quam & alios, rectè ſe in fide Chriſti gerentes, conſimili affectu proſequebatur.

In conſpectu Domini noſtri Ieſu Chriſti, inquit, *in eius aduentu.*] Particulam hanc adiecit magna ratione, qua non modò exprimit quò ipſe in hac cauſa reſpiciat, & miniſterium Apoſtolatus ſui dirigat, in aduentum uidelicet & conſpectum Domini noſtri Ieſu Chriſti: ſed & animos fidelium in Eccleſia Theſſalonicenſium ad hoc excitat, ut & ipſi ſepoſitis omnibus præſentis uitæ commodis ac reſpectibus, fide ac ſpe ad diem illum proſpiciát, quo uenturus eſt Dominus omnium iudex, & omnibus ſecundum ea quæ quiſque in hac uita geſsit, condignam mercedem redditurus. Non ſimpliciter autem dicit, In aduentu Domini: ſed, In conſpectu Domini noſtri Ieſu Chriſti: ac tum ſubdit, In eius aduentu. Neque enim aduenturus tantum eſt, ſed ſic de omnib. iudicaturus, ut in cõſpectu ipſius ſiſtendi ſimus omnes, tam magno & incredibili piorum gaudio quàm magno & horribili impiorum metu ac tremore.

Aduentus ille Domini noſtri Ieſu Chriſti, dies erit uniuerſalis iudicij & examinis, in quo reddituri ſumus omnes ac ſinguli factorum noſtrorum rationes. In hunc proſpiciat omnis Chriſti miniſter, & in hunc, quoad eius poterit, fidelium mentes dirigat, quo & ipſe muneri ſuo, de quo redditurus eſt rationem, uigilanter ac fideliter incumbat: & fideles, quib. præeſt in Domino, in fide ac uera pietate conſtanter ambulantes, bona cum conſcientia ac fiducia in conſpectu Seruatoris comparere poſsint. Imitatus eſt Apoſtolus diligentem ac fidelem præceptorem, qui ſibi perpetuò futurum aliquando diem illum proponit, in quo præſentibus ſcholæ præſidibus examinentur ipſius diſcipuli, & de ſingulis experimentum capiatur, quomodo ſint in bonis literis inſtituti, & quàm feliciter in illis promouerint, atque ita præceptoris uel diligentia laudetur, uel negligentia culpetur: ac diſcipulorum quoque alij præmijs honorentur, qui diligentes ac gnaui fuerint inuenti: alij cum dedecore caſtigentur, qui negligentes & ignaui deprehenſi fuerint. Eiuſmodi examini comparauit diem aduẽtus Domini, in cuius præſentia tam de Doctorum fide uel perfidia, diligentia uel ſocordia, quàm de fidelium omnium pietate uel impietate, obedientia uel inobedientia iudicabitur. Quàm uereor nunc, admodum paucos eſſe Chriſtianos, quos fidelis Chriſti miniſter eo ſenſu & affectu ſpem ſuam, gaudium, coronam & gloriam in conſpectu Domini Ieſu Chriſti, in aduentu eius, cum Apoſtolo uocare poſsit: imò & paucos tales eſſe miniſtros, qui ad hũc modum ſint cum Apoſtolo animati, ut ueros fideles ueraciter & ex animo ſpem, gaudium, coronam & gloriam ſuam appellare queant.

Vos enim eſtis, inquit, *gloria noſtra & gaudium.*] Quod emphaticè per interrogandi modum expreſsit, idem iam per affirmationem ſubijcit, dicés: Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium. Et ſenſus eſſe uidetur: Sic enim uos in fide Chriſti ac uera pietate geritis, ut ſitis mihi & gloriæ & gaudio, ſperemque tales uos in conſpectu Domini comparituros, ut ibi quoque futuri mihi ſitis gaudio coronæ & gloriæ. Ex eo quod in præſenti erant, ſpem ſumpſit de futura perſeuerantia, quamuis eiuſmodi ſpes ſæpenumero fallat, id quod in Galatis apparuit, quibus dixit: Bene currebatis, quis uos faſcinauit?

CAPVT TERTIVM.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Exponit quare Timotheum ad ipſos miſerit, ac quantum conſolationis ex illius ad ſe reuerſi narratione acceperit, quamq; adhuc faciem illorum uidere cupiat, & ſimul apprecatur illis mutuam inter ipſos charitatem confirmationemq; cordium, ac irreprehenſibilem uitæ ſanctimoniam.

PRoinde, cum nõ amplius ferremus, uiſum eſt nobis ut Athenis reſideremus ſoli, ac miſimus Timotheum fratrem noſtrum, ac miniſtrum Dei, & adiutorem operis noſtri in Euangelio Chriſti, ut confirmaret uos, & cõſolaretur uos de fide noſtra, ne quiſquam turbaretur in afflictionibus his. nam ipſi noſtis, nos in hũc uſum poſitos eſſe. Etenim cũ apud uos eſſemus, prædicebamus uobis fore, ut afflictionẽ pateremur, quemadmodũ & euenit, & noſtis. Quapropter & ego non amplius ferens, miſi ad hoc ut cognoſcerem fidẽ ueſtrã, ne quo pacto tentaſſet uos ille qui tentat, & inanis factus eſſet labor noſter.

Suprà

Suprà in calce præcedentis Capitis expoſuit, quàm magno deſiderio faciem eorum uidere cupierit, & quoties ad ipſos proficiſci uoluerit quidem: uerùm prohibitus & impeditus fuerit à ſatana: iam conſequenter, ut eam materiam proſequatur, ſubijcit quid, quomodo & quare tum fecerit, cum impediri ſe à ſatana intelligeret, ne ipſe Theſſalonicam proficiſceretur. Proinde, inquit, cum non amplius ferremus, uiſum eſt nobis ut Athenis reſideremus ſoli, ac miſimus Timotheum, &c. Q. d. Cum itaque uiderem impediri nos à ſatana, quo minus ipſi ad uos, ſicuti ſemel atq; iterum conſtitueramus, ueniremus: & interim cùm afflictiones ueſtræ, tum affectus deſiderij mei ſic creſcerent, ut amplius ferre nequiremus: conſilium cepimus, ut nobis ſolis in urbe Athienſium relictis, mitteremus ad uos Timotheum, ut confirmaret uos, &c.

Proinde, inquit, cum non amplius ferremus.] Sic loquendo ſignificat, ſe ſic laboraſſe ferendo illorum deſiderium, ut tandem ueluti importabili onere fatigatus, ferre illud non potuerit amplius. Videmus hic & ſanctos Apoſtolos nonnunquam diuturnitate patientię uinci, ut quod diu pertulerunt, ferre nequeant amplius. Græca uox στέγοντες continendi ſeſe ſignificationem habet. Continuerat ſeſe diuitius, quàm eſſet pro deſiderij ipſius uoto. Tandem cum uideret ſe fruſtra profectionem ad Theſſalonicenſes moliri, non poterat ſe continere amplius, quin aliqua ratione deſiderio ſuo ſatisfaceret. Hoc genus impatientiæ naſcitur ex uehementia amoris: qui ubi ad tempus quieſcere cogitur, ne faciat quod facere maximopere geſtit, tandẽ non ferẽs amplius, qua poterit ratione deſiderio ſuo obſequitur. Sic accidit ſępenumero, ut pater filium ſuum quem tenerè amat, durius aliquanto tractare cogatur, quàm ſit pro amoris affectu. Vbi hoc aliquandiu fecit, tandem non ferens amplius, redit ad ingenium paterni pectoris: & quem à ſe reiecerat, denuò amanter complectitur.

Viſum eſt nobis, inquit, ut Athenis reſideremus ſoli.] Græcè eſt εὐδοκήσαμεν. quod Vulgatus Latinus interpres uertit, Placuit nobis: Eraſmus uerò, Viſum eſt nobis'. Significat autem ea dictio, idem quod bonum eſſe iudicauimus, uel probauimus. Ambroſius legit: Optimum eſſe duximus. Cenſuit Apoſtolus, bonum & utile fore Theſſalonicenſib. ſi poſtquam ipſe impediebatur, ne ad eos proficiſceretur, Timotheum ad eos mitteret.

Vt Athenis, inquit, reſideremus ſoli.] Græcè eſt, καταλειφθῆναι: id eſt, Relinqueremur: cui uerbo non ocioſe adiecit, Soli. Potuiſſet ſimpliciter dicere, Vt mitteremus Timotheum ad uos: uerùm ut magnitudinem amoris ſui erga eos exprimeret, particulam hanc inſeruit, dicens: Vt Athenis relinqueremur ſoli. Non enim potuit hoc ipſi non eſſe moleſtum, præſertim in urbe tam celebri, in qua iam Eccleſiam plantare cœperat: uerùm maluit hoc ferre, quã tumuis eſſet incommodum, quàm Theſſalonicenſes diutius deſerere. Quomodo autem factum ſit, ut Athenis ſolus relinqueretur, & quid ibi in cauſa Euangelij Chriſti egerit, in Actis Apoſtolorum uidere licet, cap. 17.

Ac miſimus Timotheum fratrem noſtrum, inquit, ac miniſtrum Dei, & adiutorem operis noſtri in Euangelio Chriſti.] Si conſulas hiſtoriam, ad quam hæc particula pertinere uidetur, quę Actorum 17. habetur: non liquet, miſiſſe Apoſtolum, cum Athenis eſſet, Timotheum ad Theſſalonicenſes, atque ita ſolum fuiſſe Athenis relictum. Nam non modò nullam miſsionis huius mentionẽ facit Lucas, ſed & diſertè ſcribit, quòd diuerſum eſſe uidetur. Sic enim capite 17. legitur: Statimq; tunc Paulum dimiſerunt fratres, ut iret uſque ad mare. Silas autem & Timotheus remãſerunt ibi (intellige Berrhœæ). Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum uſq; Athenas: & accepto mandato ab eo ad Silam & Timotheum, ut quàm celeriter uenirent ad ipſum, profecti ſunt. Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur ſpiritus eius in ipſo, quòd uideret eidololatriæ deditam eſſe ciuitatem, &c. Hæc ibi. Nec prętera toto eo capite mentio fit Timothei. Tam igitur non legitur in hac hiſtoria, à ſe Paulum miſiſſe Timotheum ad Theſſalonicenſes, cum eſſet Athenis, ut magis legatur uocaſſe illum ad ſe Athenas, quò etiam ille non uenit, Paulo adhuc ibi conſtituto: ſed ad eum è Macedonia reuerſus demum eſt cum Syla, cum eſſet Corinthi, ſicuti patet Actorum 18. Quare mirum uidetur, quomodo quod hic ſcribit Apoſtolus de miſsione Timothei, hiſtoriæ huic conueniat. Dicam quid mihi uideatur, ſaluo aliorum iudicio. Apparet, imò certum eſt, Lucam non omnia annotaſſe quæ geſta ſunt ab Apoſtolo. Omnino nanque non eſt dubitandum, quin quæ hic commemorat Apoſtolus, uera ſint. Eſt itaque uero ſimile, mandaſſe quidem illum Silæ ac Timotheo per eos à quibus Athenas fuerat deductus, ut celeriter ad ſe uenirent: uerùm poſtea re melius conſiderata mandaſſe illis, ut Theſſalonicam proficiſcerentur: à qua aliàs cum Berrhœæ eſſent, haud procul aberant. Et ſic factum eſſe puto, ut ad Paulum illi nõ ſint celeriter, cum adhuc Athenis hæreret, ſed tum demum reuerſi, cum eſſet Corinthi: uel ſi ſecundum mandatum Apoſtoli celeriter ad eum Athenas uenerunt, inde mox fuiſſe Macedoniam ad Theſſalonicẽſes remiſſos: atq; ita illũ ſolum hæſiſſe Athenis, donec ea ciuitate relicta Corinthum ueniſſet, atque ibi conſtitutus Silam ac Timotheum è Macedonia reciperet.

Sunt qui ſentiãt, Timotheum hũc, quẽ ſe ad Theſſalonicenſes miſiſſe dicit Apoſtolus, aliũ fuiſſe

fuisse ab eo quē in subscriptione Epistolæ huius posuit. Et addunt rationem, quòd ridiculū sit, nuncium Epistolæ ponere in subscriptione. Hoc sentiētes argumentātur ab incerto, quasi certo. Certum esse putant, quòd Epistolam hanc ad Thessalonicenses per Timotheum miserit, eum uidelicet, quem se ad illos misisse scribit. Verùm ea opinio quàm sit falsa, ex eo patet, quòd paulo infrà Timotheum ad se reuersum, fidemque & charitatē, illorum nunciasse scribit. Vnde constat missum fuisse Timotheum ad Thessalonicenses, ac reuersum ad Apostolū, priusquam hanc ad illos Epistolam scriberet. Vnde & Græci missam eam esse sentiūt per Tychicum, & Latini per Tychicum & Onesimum. Sed redeamus ad uerba Apostoli.

Ac misimus Timotheum fratrem nostrum, inquit, *ac ministrum Dei, & adiutorem operis nostri in Euangelio Christi.*] Semel atque iterum uoluerat ipse Thessalonicam proficisci, cum id negaretur, misit Timotheum. Magna laus uiri huius est, quòd pro singulari pietate, studio ac zelo erga Euangelium Christi illiusque Ecclesias dignus est & utilis uisus Apostolo, quem pro se ad Ecclesias mitteret. Neque enim illum Thessalonicam duntaxat, sed & ad Corinthios & ad Philippenses misisse legitur. Quare non immeritò tam honorificis illum elogijs commendat, uocās eum fratrem suum, ministrum Dei, & adiutorem operis sui in Euangelio Christi. Et Philipp. 2. negat se quenquam habere illi consimilem, qui tam syncerè res ipsorum curet, prædicatq; de illo quòd in Euangelio Christi perinde sibi atque filius patri seruierit. Sic ornat & cōmendat eum duplici ratione. Prima, ut significet quanti salutem eorum faciat, ad quos tam insignem tamque sibi charum uirum mittere non grauetur. Altera, ut hunc illi condigna uenera tione accipiant, ac monitis illius religiosè obediant. Reuera magni momenti res est, accipere ministrum Dei, & adiutorem operis Euāgelici. Si tales mitteret Romana sedes, quis nam piorum non duceret eos amanter & reuerenter ab omnibus esse fidelibus amplexandos? Quales autem primatus sui regni, monarchiæ ac Simoniæ ministros & cooperarios mittat, omnibus iam est in toto Christiano orbe notissimum.

Ministrum Dei, inquit, *& adiutorem operis nostri.*] Græcè est, συνεργὸν ὑμῶν, (cooperarium nostrū.) Particulam hāc, Et cooperarium nostrum, Vulg. Lat. uersio nō habet. Ambrosius sic legit, Et misimus Timotheum fratrem nostrum, & participem operis Dei in Euangelio Christi. Chrystomi tamen lectio concordat cum Græcis exemplaribus, quæ nunc extant.

Obserua obiter, uocat Timotheum fratrem suum. Respicit ad communem fidem ac religionem, secundum quam erat Apostoli, tanquam Christianus Christiani, frater. Deinde quoniam non modò Christianus erat, sed & Deo in uerbo Euangelij ministrabat, hoc illum respectu uocat ministrum Dei. Tertiò, quoniam non separatim, sed unà cum ipso operabatur in Euangelio Christi, uocat eum cooperarium suum in Euangelio Christi: quo elogio nō subijcit illum sibi, sed æquiparat & coniūgit. Non enim dicit, διάκονον ἡμῶν καὶ ὑπηρέτην ὑμῶν, id est, ministrum ac suboperarium nostrum: sed, διάκονον θεοῦ καὶ συνεργὸν ἡμῶν, id est, Ministrum Dei, & cooperarium nostrum. Authoritas Euangelici operis est penes Deum. Illius est ut gratia & uirtus, ita & opus Euangelij. Qui in illo operatur, Deo ministrat: & qui cum Apostolo Christi operatur in Euangelio, non est operarius & minister Apostoli, sed cooperarius Apostoli, & minister Dei.

In Euangelio Christi, inquit.] Pseudapostolorum opus erat in lege Mosis, cui salutem mortalium deputabant: Apostolorum uerò opus erat in Euangelio Christi, quod prædicabant ad salutem credentium. Volebant illi esse doctores legis, ac decretis mortalium captiuare conscientias, & operum requirere iusticiam, qua tamē saluari potest nemo. At Christi Apostolus ubiq; se ad hoc esse uocatum à Deo affirmat, ut sit minister Euangelij Christi: hoc est, ut prædicet non Mosen, circuncisionem, legem, & operum iusticiam, sed Christum seruatorem ac redemptorem mundi, gratiamque regni Dei, remissionem peccatorum, salutem ac uitam æternam, omnibus in Christum credentibus destinatam, & iusticiam Dei, quæ est per fidem. Hoc genus prędicationis uocat Euangeliū Christi, id est, bonū ac felix nunciū de Christo. In hoc operabatur tanquam Christi Apostolus, missus ad gentes: & quotquot hodie quoq; in illo operantur, reuera cooperarij sunt Apostolorum.

Vt confirmaret uos, inquit, *& consolaretur uos de fide nostra, ne quisquam turbaretur in afflictionibus his.*] Exprimit hisce uerbis, ad quid Timotheū ad eos miserit: ad hoc ipsum uidelicet, quòd ipse erat facturus, si ad eos uenisset. Vehementer afflictabantur à contribulibus suis, propter fidē in Christum, & periculum erat, ne tribulationibus tam grauibus & irremissis uicti deficerēt. Necessarium itaque duxit, ut confirmaret eos in fide Christi, atque ita Timotheum misit, ut per hunc in fide confirmatiores redderentur.

Vt confirmaret uos, inquit, *& consolaretur uos.*] Ergo sic erant adhuc in fide infirmi, ut periculum esset ne turbarentur afflictionibus, quas patiebātur. Atqui Capite præcedenti sic fidem & constantiam illorum deprædicauit, ut dixerit eos factos esse exemplo fidelibus omnibus in Macedonia & Achaia. Si tam erant in constantia & tolerantia afflictionum eximij, quorsum opus habebant ut confirmarentur?

Respondeo: Quemadmodum nemo sic est in fide præcellens, ut non habeat opus ora-

tione

tione, qua pro fidei augmẽto Deum inuocet, & exercitijs quibus in fide crescat: ita nemo sic est in afflictionibus firmus & constans, ut necesse non habeat confirmatione & consolatione, ne per infirmitatem carnis frangatur ac deficiat. unde & alicubi monet Apostolus, cauendam esse securitatem, cum dicit: Qui stat, uideat ne cadat. Quare non erat præter rationem solicitudo ista Apostoli, qua Thessalonicenses quantumuis in fide eximios, confirmandos esse censuit, ne tribulationibus turbarentur & frangerentur. Non erant confirmatiores Christo, qui tamen Lucæ 22. cœlitùs ab angelo cum affligeretur, confirmatus legitur.

Vt confirmaret uos, inquit.] Respiciant huc Suffraganei, quorum officium esse putatur, ut cõfirmationem in Ecclesia, loco Sacramenti, post baptismum administrent. Citant Apostolorum exempla. Cõferant igitur ad illa suam confirmationem, & uideant, quàm illis omnium minimè conueniat. Sed de hac illorum confirmatione diximus in Locis nostris.

Et consolaretur uos, inquit] Græcè est, καὶ παρακαλέσαι ὑμᾶς: quod uerti potest, Et exhortaretur uos. Et Vulgata Latina uersio habet, Et ad exhortandos. Germanica quoque, Vnd zuuermanẽ. Sonat etiam παρακαλέω, Obsecrare. Huc respexit Ambrosius, qui legit, Et deprecetur. Ipsa quidem confirmatio afflictorum sic est comparata, ut & exhortationibus & consolationib. perficiatur: uerùm quoniam uerbum παρακαλέω magis sonat exhortari, quàm consolari: malim legere, Et exhortaretur, quàm, Et consolaretur uos.

Et exhortaretur uos de fide nostra, inquit, *ne quisquam turbaretur in afflictionib. his.*] Illud, De fide nostra, in Græcis sic est exemplaribus, περὶ τῆς πίστεως ὑμῶν. Chrysostomus tamen legit, ὑπὲρ τῆς πίστεως ὑμῶν: id est, Pro fide uestra: ad quem modum habent & Ambrosius, & Vulgata Latina, & Germanica uersio.

Exponit modum confirmationis, quo Timotheus Ecclesiam Thessalonicam confirmare debuerat, & confirmauerat etiam. Per exhortationem uidelicet, qua hortatus est, ut in fide Christi constantes & immoti perdurarent, nec tribulationibus quibus affligebãtur, ab ea di moueri se sinerent. Hoc est quod dicit: Et exhortaretur uos de fide uestra, ne quisquam turbaretur in afflictionibus his.

Sunt autem (ut huius propter rudiores admoneam) duo confirmationis genera, quibus infirmiores sunt in fide Christi confirmandi: quemadmodum & duo sunt tentationum genera, quibus fides nostra, instigante Satana, tentatur. Primo cõfirmationis genere confirmamur in fide, dum illa in nobis magis ac magis illustratur, certificatur, fundatur, & ab omni dubitatione liberatur. Hæc confirmatio fit per usum ac lucem S. Scripturæ ac doctrinæ sanæ, quæ est ex uerbo Dei. Sic confirmabantur in fide Christi Berrhœenses, qua de re uide Act. 17. Alterum genus confirmationis est, quo exhortationibus confirmantur animi nostri, ut cognitam ueritatem, quam fide sumus amplexi, & de qua nihil dubitamus, nullis tribulationib. moti negemus ac deseramus. Satan fidem nostram tentat & impugnat iam rationibus illi ex diametro aduersantibus, quo eam reddat nutantem ac fluctuantem, ad quam rem utitur magistris humanæ sapientiæ, apostolis suis, quos in angelos lucis transformat, mendacibus signis, & nostrarum quoque mentium cogitationibus, iam tribulationibus uarijs, quibus fideles per homines impios persequitur & sic affligit, ut uel negare fidem suam, uel de uita hac desperare cogantur, nisi per gratiam ac uirtutem Dei confirmentur. Secundum duo hæc tentationum Satanæ genera, parata sunt nobis ecõtrario duo genera confirmationis, ad quorum usum & exercitium instructus esse debet fidelis Christi minister, ut cùm docendo tum exhortando infirmiores in fide & constantia perseuerantiæ confirmet. Sit similis duci bellici exercitus, qui si regi suo fideliter militat, duo hęc diligẽter agit inter milites. Vnum, ut causam belli perspicuè intelligant, deque iusticia illius nihil addubitent: alterum, ut citius mortem obire parati sint, quàm ut causam regis sui fracta fide deserere uelint. Ad hunc planè modum conuenit animatos & comparatos esse nos omnes, quotquot Christo regi nostro nomẽ dedimus, inq; castris illius militamus.

Ne quisquam, inquit, *turbetur in afflictionibus his.*] Græcum uerbum σαίνεσθαι, significat moueri, ad quem modum mouentur catellorum caudæ, & harundines uento agitatæ. Quoniam autem mentes in causa aliqua motæ turbãtur, quemadmodum aquam motu turbari uidemus: uisum est Erasmo uerbum hoc σαίνεσθαι reddere, Turbarentur Sanè sic euenit, ut sicuti aquæ, motu turbatæ, perspicuitas amittitur, ut fundus illius non appareat amplius: ita & causa ueritatis per motum ac turbationem animorum nostrorum turbulenta reddatur, & perspicuitatem intelligentiæ amittat. Quid enim certò ac perspicuè cernerent mentes illæ, quę mouẽtur ac turbantur? Aliud est autem moueri, concuti, iactari ac fluctuare corporum ac fortunarum agitationibus, quæ fiunt persequutionibus, proscriptionibus, spoliationibus, carceribus, torturis, & occisionibus: & aliud moueri ac turbari mente, quam motationem sequi solet defectio à fide & causa Christi. Hanc cauere uolens Apostolus, mittebat Timotheum, ut Thessalonicenses, dum tribulationibus agitarentur & quaterentur, in fide Christi confirmaret, ne in illa moueri turbariq; se sinerent.

Obserua obiter, quòd non simpliciter dicit, Ne turbemini: sed, Ne turbetur quisquam: uel, Vt nemo turbetur in afflictionibus hisce. Non modò id agebat, ut non mouerentur, sed

ut nemo prorsus ex illis moueretur. Sic uidelicet & omnium & singulorum salutis curam gebatur. Erat enim animatus erga eos perinde atque Christus erga ouiculas suas, qui etiam nonaginta nouem relictis, unam errantem quærit, nolens ex illis perire aliquam: sicut & pater noster cœlestis non uult ut unus de pusillis suis in se credentibus pereat.

In afflictionibus his, inquit.] Quæ accidebãt Thessalonicensibus aduersa, propter Christum, agnoscit & fatetur esse θλίψεις, id est, tribulationes: deinde agnoscit & illud, periculum esse ne credentes in Christum tribulationibus externis turbentur: & hãc ob causam mittit illis cooperarium suum, per quem confirmarentur. Sic debet Christi minister ea quæ fidelibus aduersa propter Euangelium eueniunt, non extenuare ac modici facere: sed agnoscere, quòd sint afflictiones, tribulationes, calamitates, &c. quodque fieri possit, ut molestijs eiusmodi turbentur, propter carnis infirmitatem, à qua nondum sunt prorsus liberati, atque hac consideratione motus diligenter incumbere, ut confirmationis officium in illis obeat.

Nam ipsi nostis, inquit, *nos in hunc usum positos esse.*] Comprobat non esse rationem cur turbentur afflictionibus, quæ propter Christum inferuntur. Comprobat autem argumento conditionis Christianæ fidei annexæ. Ea est, hanc esse Christianorum sortem in hoc seculo, ut tribulationibus exerceantur & affligantur. Hanc exprimit, dicens: Nam ipsi nostis, nos in hunc usum positos esse. In hunc usum, non est in Græco: sed simpliciter, εἰς αὐτὸ τοῦτο κείμεθα, id est, quòd in hoc positi sumus. Quod si illud εἰς τοῦτο, i. In hoc, explicatius reddere placet, potest melius uerti, In hanc sortem: uel, In hanc conditionem, quàm, In hunc usum.

Non dicit autem simpliciter, Nam in hoc positi sumus: sed, Nam ipsi nostis quòd in hoc positi sumus, intellige ex præcedentibus, Vt affligamur. Et est sensus: Neque conuenit enim, ut propter afflictiones quas toleratis turbemini, quandoquidem haud ignoratis: sed ipsi nostis, hanc nostram esse conditionem ac sortem in hoc seculo, ut tribulationibus affligamur, perque multas afflictiones regnum cœlorum ingrediamur. Iam quoniam hoc ipsi nostis, admodum esset absurdum, si in tribulationibus hisce turbaremini, quasi eueniant illæ uobis præter opinionem. Argumentum hoc firmissimum est, in unoquoque statu & uocatione ferenda esse, quæ sunt annexa incommoda. Qui se militiæ consecrat, si molestias illius ferre detrectauerit rectè audiet: Noli ergo esse miles, si uis quietè, teneriter ac molliter uiuere. Si non potes ferre famem, sitim, excubias, labores, & mille discrimina uitæ cùm ab hostibus tum alijs euentibus illata, magna te dementia militiæ consecrasti. Consimilis plane conditio est Christianorum cum ea quæ est militum. Quare perpetuò cogitandum nobis est, hanc nostram esse sortem, ut afflictionibus exerceamur: quod qui cogitant, haud facile turbantur, si propter Christum affligantur. Hoc argumento usus est Apostolus non hoc tantum loco, sed & Actorum decimoquarto, ubi sic legimus: Reuersi sunt Lystram, & Iconium & Antiochiam, denuò confirmantes animos discipulorum, exhortantesque ut perseuerarent in fide, & quòd per multas tribulationes oporteat nos intrare in regnum Dei. Si quæras quare id oporteat, in promptu responsio est: quia transitus in regnum Dei est per castra satanæ, cui militat hic mundus. Ille eos quorum facies uersa est uersus cœlestem Hierusalem, pro hostibus habet, & per suos milites ac satellites filios huius seculi, hostiliter impugnat, & uel impedire à transitu, uel prorsus à facie terræ delere conatur: atque ita fit, ut quicunque piè uolunt uiuere in hoc seculo, iuxta fidem ac religionem Christi, persequutionem patiantur. Vel resignemus igitur Christianam militiã, uel parati simus ad quasuis pro Christo tribulationes ferendas.

Etenim cum apud uos essemus, inquit, *prædicebamus uobis fore, ut afflictionem pateremur.*] Quoniam non simpliciter dixit, In hoc positi sumus: sed, Nam ipsi nostis, quòd in hoc positi sumus: subijcit hanc particulam, ut agnoscant, unde notum ipsis sit, quòd in hoc positi sumus ut affligamur. Etenim, inquit, cum apud uos essemus, & Euangelium uobis initiò prædicaremus, hanc annexam illi conditionem uobis disertè prædicebamus, fore uidelicet, ut impeteremur & affligeremur ab incredulis. Nolebamus enim conditionis uos huius esse ignorantes, sed de illa præmonitos iam tum initio, cum adhuc liberum uobis esset, uel abstinere ab hac Euangelij causa, & manere in pace mundi: uel nomen illi dare, & sustinere omnia quę propter fidem in Christum à mundo sunt expectanda, odia scilicet, tribulationes, persequutiones, & omnis generis afflictiones. Cum itaque post hanc nostram præmonitionem scienter ac prudenter ad Euangelium Christi accesseritis, illique nomina uestra dederitis, non poteritis amplius conditionis illius causari ignorantiam, ac dicere: Non putauimus, incommoda hæc nequaquam expectauimus: eueniunt nobis ista præter opinionem, nemo nobis illa futura prædixit. Nihil horum conqueri poteritis, cum sitis per nosipsos disertè de his omnibus præmoniti. Quare cum iam eueniunt uobis, non est ulla ratio, ut turbemini.

Admonemur hoc loco, qua fide & cautione agendum sit ministro Christi, mox initio

cum

cum ijs quibus Euãgelium regni Dei prædicat. Caro cum audit prædicari gratiam, regnum, ſalutem & uitam æternam, ſomniat ac pollicetur ſibi omnia quieta, proſpera ac felicia in hoc ſeculo, & hac ſpe aſſentitur prædicationi cum gaudio: uerùm ubi incipit afflictari mundo, quoniam hoc illi accidit præter opinionem, imò longè diuerſa expectanti, confeſtim turbatur ac retrocedit. Quapropter fidelis hoc miniſtri officium eſt, ut mox initio Euangelicæ prædicationis omnes ac ſingulos de futuris tribulationibus præmoneat, ne quiſquam illorum poſtea cauſetur, non fuiſſe ſe hac de re præmonitum. Sequatur Chriſti, qui & ipſe diſcipulis ſuis quæ futura illis erant triſtia, Ioan. 15 & 16. diligenter prædixit, & Apoſtoli huius exempla.

Fore, inquit, *ut afflictionem pateremur.*] Non dicit, Fore ut pateremini: ſed, Fore ut pateremur afflictionem. Non exemit ſe afflictionibus communibus, ſed particeps illarum eſſe uoluit, idque euenturum ſibi una cum ipſis prędixit. Imò, ſi hiſtoriam conſideremus, deprehendemus primùm afflictionum impetum in ipſius ſemper irruiſſe perſonam. Laudari ſolent hi duces, & in precio haberi à militibus, qui diſcrimina militiæ cõmuniter cum ipſis perferunt, imò primi in acie ſtantes uim aduerſariam ante omnes ſuos milites experiuntur & ſuſtinẽt. Talem ſe Apoſtolus inter fideles Chriſti ſemper exhibuit, niſi quòd nonnunquam à fratribus ſubductus fuit, ne in manus impiorum ueniret, id quod & Theſſalonicæ & Berrhœæ factum legitur.

Obſerua. Non dicit, ὅτι μέλλομεν ἀπολλύσθαι: id eſt, Fore ut pereamus: ſed, ὅτι μέλλομεν θλίβεσθαι, id eſt, Fore ut tribulemur. Tribulamur propter Euangelium Chriſti in hoc mundo, uerùm non perimus. Perire tribulantium eſt, non tribulatorum. Dum itaque tribulamur ab impijs ac reprobis, cogitemus utrum eligamus, tribulare ne fideles Chriſti, & perire, quæ ſors eſt impiorum: uel tribulari ab impijs, & cum pijs ſaluari, quæ conditio duputata eſt electis.

Quemadmodum & euenit, inquit, *& noſtis.*] Significat hac particula, conditionem hanc Chriſtianorum eſſe certam & fixam, ut propter Euangelium Chriſti tribulentur in hoc mundo. Et eſt ſenſus: Non modò prædiximus uobis, fore ut tribulemur, id quod futurum eſſe ſciebamus: ſed accidit etiam, & reipſa ſic factum eſt quod prædiximus, ut dubitare hac de re nequeatis. Quomodo autem tribulatio hæc euenire cœperit, Actorum decimoſeptimo uidere licet. Proſequutio quidem, ac continuatio illius non eſt literis comprehenſa: uerùm ex principio facilè conijci poteſt, quanta afflictio fideles poſt Apoſtoli diſceſſum cõprehẽderit.

Quapropter, inquit, *& ego non amplius ferens, niſi ad hoc ut cognoſcerem fidem ueſtram.*] Redit ad miſſionem Timothei, & cauſam illius ex ijs quæ commemorauit, iterum inculcat, ut quod ſuprà cœpit, dicens: Proinde cum non amplius ferremus, uiſum eſt nobis, &c. abſoluat. Sic dicit, Quapropter & ego non amplius ferẽs, miſi, &c. Q. d. Quoniam igitur euenit nobis ut tribulemur, non potui ferre & ſuſtinere diutius, quin mitterem ad uos Timotheum, quem & miſi ad hoc, ut de fide ueſtra certius cognoſcerem, &c.

Vt cognoſcerem, inquit, *fidem ueſtram.*] An ignorabat illorum fidem, quam ſuprà Capite primo, in omnem locum emanaſſe, & propter cuius opus Deo mox initio Epiſtolæ huius ſemper ſe gratias agere dixit? Haud erat (puto) illius ignarus. Quid igitur neceſſe erat ad hoc mittere Timotheum, ut fidem illorum cognoſceret?

Reſpondeo: Non ignorabat quid, & in quem crederent. Sciebat eos conuerſos eſſe à ſimulacris ad Deum uiuentem, illiq́ue Chriſtiana fide & religione ſeruire: de eo uerò ſollicitus erat, quàm in ea fide conſtanter & imperterriti afflictiones perferrẽt. Etenim remittente fide, remittit & conſtantia, tribulationes & afflictiones pro Chriſto perferendi. Hoc ſenſu dicit, Vt cognoſcerem fidem ueſtram: hoc eſt, fidei ueſtræ conſtantiam. Et hic loquendi modus uſitatus eſt in Scripturis & Eccleſia Chriſti, ut qualitas fidei opere aliquo declarata fides uocetur. Inde nanque cognoſcitur, quomodo ſit illa comparata. Sic Iacobus: Oſtende mihi, inquit, fidem tuam ex factis tuis, cap. 2. Deliquium fidei impatiẽtia afflictionum ac defectione proditur.

Ne quo pacto, inquit, *tentaſſet uos ille qui tentat, & inanis factus eſſet labor noſter.*] Sollicitudinem pẽctoris ſui exprimit, qua ſic mouebatur, ut diutius impulſum illius ferre non poſſet. Timebat, ne tentationibus ſatanæ uicti à fide Chriſti deficerent. Non loquitur hic ſimpliciter de externis afflictionibus, ſed de internis ſuggeſtionibus ſatanę, quibus afflictorum, tribulatorum ac preſſorum animos tentat, perturbat, & ad defectionem ſolicitat. Externa illos perſequutione afflictari ſolebat, ideoq́; timebat, ne quo pacto ſatan tentationibus ſuis fidem afflictorum labefactaſſet. Incredibile eſt, quanta ſit uis earum tentationum, quibus afflicti, abiecti ac deſolati ad defectionem ſollicitantur. Si ſponſa propter ſponſum ſuum à parentibus, cognatis & amicis abiecta, probris expoſita ac deſolata, deinde & ſponſi ipſius præſentia ac ſolatio deſtituta ab adultero ad frangendum fidem improbis ſollicitationibus tentetur, magnũ admodum periculum eſt, ne ſic tentata deficiat. Conſimilis erat & Theſſalonicenſiũ conditio. Deſponderat eos Chriſto Domino. Abſens igitur timebat, ne tam grauib. afflictionibus adobruti, à tentatore ſatana, tanquam adultero, circumuenirentur.

Vide autem quomodo loquatur. Non dicit: Ne quo pacto defeceritis à Christo, ac fidem illi datam fregeritis. Nam sic loquendo uisus fuisset non satis bene de integritate illorum sentire. Ideo, ut significet se improbitatem satanæ non ignorare, ideoque timere, ne impostor ille & adulter spiritus fidei ipsorum insidias strueret, sic loquitur: Ne quo pacto tentasset uos ille qui tentat. Nec dicit, Ne quo pacto uicisset uos satan: sed ut moneat, quid in illo potissimùm sit cauendum, Ne quo pacto, inquit, tentasset uos qui tentat: uel, si mauis, Tentator, ὁ πειράζων. Hac periphrasi reddit eos cautos, ut suggestiones satanæ diligentius ac uigilantius obseruent, ne per illas seducantur. Non dicit, Ne uos coegisset, qui uiolentiam in uos exercet: sed, Ne quo pacto tentasset uos ille qui tentat. Tentator est satan, non uiolentus impulsor. Circuit, quærit, simulat, dissimulat, suggerit, suadet, dissuadet, atque ita tentat, ut incautos fallat. Quare monet Petrus apostolus, ut illi resistamus fortes in fide. Nō poterit nos potestati suę subijcere inuitos ac resistentes, ideo utitur mendacijs, fallacijs imposturis ac deceptionib. quo incautos fallat, ac deceptos seducat. Ob hanc causam rectè uocatur πειράζων: id est, Tentator, ad quem modum & Matth. 4. in historia Christi agentis in deserto appellatur. Huius organa sunt omnes astuti, callidi, uafri, hypocritæ, qui tentationibus simpliciorum animos circumueniunt ac seducunt.

Et inanis, inquit, factus eßet labor noßter.] Quare nō dicit: Et inanis facta esset fides uestra: uel, Perdita esset salus uestra? An magis erat pro labore suo quàm pro fide ac salute illorum sollicitus? Respondeo: Apostolici laboris duplex respectus est. Primus ipsum operantem, alter operis fructum concernit. Quod attinebat laborem, fidem, diligentiam ac studium Pauli in opere Domini laborantis, nihil illi coram Deo per defectionem credentium, quemadmodū neque per obstinationem incredulorum decesit. Quare ad hunc operis ipsius respectum non pertinet quod dicit, Et ne inanis factus esset labor noster. Quod uerò fructum laboris ipsius concernebat, fidem uidelicet ac salutem credentium, timens ne ille quo pacto factus esset inanis: illis timuit, non sibi. Quare nihil aliud est quod dicit, Ne inanis factus esset labor noster: quàm, Ne inanis facta esset fides uestra, ac perdita salus, quam in Christo consequuti eratis.

Obserua hic perspicuum discrimen inter germanos ac fideles operarios Domini, & eos quos Scriptura uocat operarios iniquos. Illi cum Apostolo uehementer solliciti sunt, ne fructus laborum suorum per satanam reddantur irriti, atq; ita à salute sua excidant, quos Christo lucrifecerāt. Isti uerò quęrūt quidem & ipsi laborum suorum fructum: uerùm metiuntur hunc non fidelium, sed suo ipsorum emolumento. Laboribus suis quærunt ea quæ sunt huius mundi, gloriam, ocium, opes, luxum, delicias, &c. Vbi his non potiuntur, conqueruntur admodum, labores suos per ingratitudinem hominum fieri irritos.

Nuper autem cum uenisset Timotheus ad nos à uobis, & annunciasset nobis fidem ac dilectionem uestram, & quòd habeatis memoriam nostri bonam semper, desiderantes nos uidere, quemadmodum nos quoq; uos: idcirco consolationem accepimus fratres per uos super omni afflictione & necessitate nostra, per uestram fidem. Quoniam nunc uiuimus, si uos statis in Domino. Quam enim gratiarum actionem possumus Deo rependere de uobis, super omni gaudio, quòd gaudemus propter uos in conspectu Dei nostri, nocte ac die supra modum orantes, ut uideamus uestram faciem, & suppleamus quæ desunt fidei uestræ.

Exposuit in præcedentib. quo affectu, quo studio, & qua ratione ac sollicitudine miserit ad eos Timotheum: ad hoc uidelicet, ut confirmaret eos, & simul fidem illorum cognosceret: iá consequenter memorat, quàm sit impense per illum ad se recens reuersum exhilaratus. Nuper autem, inquit, cum uenisset Timotheus ad nos à uobis, &c. In Græco est ἄρτι δέ. Significat autem ἄρτι, iam, nunc, recens, pauloantè, pridem, &c. Pro nuper positum non inuenio in Apostolicis & Euangelicis literis. Ambrosius legit: Modò autem cū uenisset Timotheus ad nos à uobis, &c. Vulgata Latina sic: Nunc autem ueniente Timotheo ad nos à uobis. Et Germanica uersio, Nun aber. Mihi sanè magis placet legere cum Ambrosio, Modò autem: quàm cum Erasmo, Nuper autem. Nuper enim longioris temporis spacium nonnunquam significat, quàm ut hic conueniat menti Apostoli: qua significare uoluit, Epistolam hanc se mox post Timothei reditum scripsisse. cui sensui non conueniebat, ut diceret, Nuper: sed, Modò, cum esset ad nos reuersus Timotheus à uobis, &c. Quod si cui legendum cum Vulgata Latina uidetur, Nunc autem: poterit esse sensus talis, Ad hunc modū animatus, & anxiè pro uobis sollicitus eram, priusquam Timotheum ad uos misissem, ut per hunc de fide uestra cognoscerē: nunc uerò reuerso illo à uobis, & optima nobis de fide & electione uestra annunciante, &c. consolationem accepimus, & iam uiuimus.

Modò autem ubi Timotheus ad nos à uobis rediit, & annunciauit nobis fidem ac dilectionem uestram.] Græcè est,

est, καὶ εὐαγγελισαμένου ἡμῖν: id est, Euangelizauit nobis. Notum est autem, euangelizare, non esse simpliciter annnunciare aliquid, sed bonum adferre nunciũ. Vim uocis huius non debebant dissimulare interpretes.

Quod autem erat bonum illud nuncium? Imõ quid nam boni nunciari de Ecclesia illa tum temporis potuit, cum esset multis tribulationibus obnoxia? Audi: Et euangelizauit nobis fidem uestram ac dilectionem. hoc est: Magno cum gaudio exposuit nobis ac deprędicauit, quàm sitis adhuc in fide constantes, quamque omnis generis afflictiones firma fide perferatis, & in uera dilectione uiuatis. Ergo huiusmodi nuncium Euangeliũ est Apostolo Christi. Sic duplex habemus Euangelium in Ecclesia Christi. Vnum est, quòd prædicat Apostolus Christi Ecclesijs: alterum, quod Apostolo de Ecclesijs annunciatur. Quãdo felices essemus, si utriq; usus ac successus esset in mundo? Iam uerò magna dolore multis in locis neutri uidemus aliquid esse loci, in quib. nec permittitur ut Euangelium Christi liberè prædicetur Ecclesijs, nec sic comparatæ sunt Ecclesiæ, ut Euangelium aliquod de fide ac charitate illarũ annunciari possit. Vide, obsecro, qualis sit fides, & qualis charitas in nostris quoq; Ecclesijs, quibus tot iam annos liberè prædicatur Euangelium: & cogita, quale de illis Euangelium annunciari possit apud exteros.

Et euangelizauit nobis, inquit, *fidem ac dilectionem uestram.*] Non dicit, Et euãgelizauit nobis de pace ac tranquillitate status uestri, & quàm à contribulibus uestris amãter tractemini. Nihil horum nunciare potuit Timotheus à Thessalonicensib. ad Apostolum reuersus, sed omnino diuersa. Neq; expectabat tale quid Apostolus, cum prædixisset illis tribulationes & afflictiones, sciretq; illas iam ipsis accidisse. Et tamen bonum accipit nuncium de illis, quãtumuis afflictis ac tribulatis. Et euangelizauit nobis, inquit, fidem ac dilectionẽ uestrã. Sunt itaq; Christiani salui ac felices etiam in afflictionibus ac persequutionib. cõstituti, sic ut omnia de illis prospera ac felicia magno queãt annunciari cum gaudio, si in fide ac dilectione synceri permanserint. Tale Euangelium & hodie de fidelibus qui sunt in Gallia nunciatur à multis, à quib. prædicatur, quàm sint in fide constantes, paratiq́ue, amittere citius omnia, ipsam quoq; uitam, quàm ut à ueritate Christi ad Antichristi impietatem, eidolomaniam ac tyrannidem relabantur. Oro Dominum, ut in hac fide & nos & illos ad finem usque conseruet.

Et euangelizauit nobis, inquit, *fidem ac dilectionem uestram.*] Quam fidem, & quam dilectionem? Et ipse Antichristus exhilaratur per suos legatos, quando illi reuersi ad ipsum renunciant, quàm catholici principes ac reges in fide ac dilectione erga ipsum immoti persistant, & quantum sanguinis inter subditos suos propter ipsum fundant, quamq; parati sint Lutheranorũ sectam coniunctis uiribus exterminare, uel certè pedibus sanctitatis ipsius subijcere. Sic amat & ille fidem ac dilectionem Christianorum, præsertim regum ac principum. Verùm Apostolus Christi non quærebat hanc fidem, quæ esset erga se, sed quæ esset in Christum, ad salutem credentium: nec eam dilectionem, qua ipse, sed qua frater à fratre mutuò secundũ mãdatum ac spiritum Christi diligeretur

Obserua hoc loco, quę sint potissima Christianæ religionis capita, quæ cum primis obseruari, & de fidelib. prædicari debeant. Timotheus illa sciebat, ideoq; Apostolo de illis nunciabat. Cum Thessalonicam uenisset, obseruabat quomodo animati essent in fide Christi, & dilectione fraterna. Sciebat enim summam Christianismi comprehendi fide in Christum, & mutua fratrum dilectione. Quare & Apostolus duo hæc capita ubiq; uersat ac reuersat, quòd in illis tota Christiani hominis uita occupari debeat.

Et quòd habeatis memoriam nostri bonam semper, inqt, *desiderantes nos uidere, quemadmodũ nos quoq; uos.*] Meritò requiruntur hæc tria à Christianis hominib. Primum, ut sani sint in fide Christi, ac parati propter illam quæuis aduersa perpeti. Secundum, ut mutua prędicti sint inter se dilectione. Tertium, ut in precio habeant ministros Christi, per quos ad cognitionem ueritatis peruenerunt, & honestam ubiq; illorum mentionem faciant, acsi fieri queat, aspectu illorum delectentur. Tria hæc Timotheus cum gaudio de Thessalonicensib. Apostolo deprædicauit. De duobus priorib. hactenus facta est mentio, tertium hoc præsenti loco prędicatur ab Apostolo, cum dicit: Et quòd habeatis memoriam nostri bonam semper, &c. Quod in Greco est, ὅτι ἔχετε μνείαν ἡμῶν ἀγαθὴν πάντοτε: perinde est, ac si dicat, Quòd indesinẽter honestam nostri mẽtionem faciatis. Non enim loquitur de interna memoria, sed de mẽtione quæ uerbis fit, qua bene de illis loquimur, de quib. in corde nostro bene & honestè sentimus. Quoties incidebant in mentionem Apostoli, loquebantur de illo tanquam de Apostolo Christi, per quem conuersi fuerant ad Deum uiuentem, amanter & honorificè. Prædicabant illius labores, diligentiam, modestiam, mansuetudinem, paternam sollicitudinem, patientiam, & quæ alia cõsimilia in illo reipsa fuerant experti.

Obserua uerò, quòd non simpliciter dicit, Quòd habeatis memoriã nostri bonam: sed addit, Sẽper. Accidit sępenumerò, ut semel atq; iterũ bene loquamur de aliquo: uerùm mox mutati sentiamus & loquamur diuersa de eo, quẽ antea laudaueramus. Hæc incõstantia indiciũ habet animi insyncери. Qui syncero animo bene loqtur de ꝓximo, nõ poterit facilè sic muta

ri,ut malè de illo loq incipiat. Cũ igitur Apostolus hic laudat in Thessalonicẽsib. quòd honorificã sui mentionẽ faciant semper:ad hoc facit, ut candorẽ illorũ ac synceritatẽ cõmendet.

Desideramus uos uidere, inquit.] Nõ modò amoris hoc erat indiciũ,sed & bonæ cõscientiæ. Aliàs si malè sibi fuissent conscij,haudquaquã faciẽ Apostoli sui uidere desideràssent: sed perinde atque discipulus socors ac negligens nihil minus uidere gestit,quàm præceptoris sui faciem,ita & ipsi à facie Apostoli abhorruissent.

Quemadmodum nos quoq; uos.] Poterat dicere, Quemadmodum cõuenit uobis: uerùm maluit denuò desiderij sui mẽtionem facere,quo faciem ipsorum uidere cupiebat, quo mutui amoris ingenium exprimeret,inque eo animos eorum lactaret ac contineret. Amor enim amorem non modò allicit,sed & alit ac prouehit.

Idcirco, inquit, *consolationẽ accepimus,fratres,per uos super afflictione & necessitate nostra,per uestrã fidẽ.*] In Græco est παρακλήθημεν, de quo uerbo suprà paulo post initũ Capitis huius diximus, quòd aliquãdo consolandi sensu ponatur,id quod hic fieri uidemus. Cõmemorauit hactenus,quid de ipsis annunciauerit sibi Timotheus modò ad se reuersus:iã subiungit, quõ audita illius relatione fuerit affectus.Idcirco,inquit,consolationem accepimus,fratres,per uos,&c.Dum se consolationẽ accepisse dicit: spiritum suum recreatũ esse significat. Cum timeret,ne quo pacto tentati essent à tentatore,utiq; eiusmodi metu arctabatur,& anxius reddebatur ipsius spiritus.Ab eo metu cum per relationem Timothei liberaretur,recreabatur, & consolationẽ accipiebat.Ergo huiusmodi alterationibus Apostol' cum quoq; pectus erat obnoxium,quibus iam tristes ac solliciti reddimur,iam acceptа consolatione recreamur.

Et illud obserua Quemadmodũ anxia illius sollicitudo,qua metuebat ne fortè tẽtati essẽt à satanã,ex ignorãtia ueritatis erat:ita & cõsolatio per relationẽ Timothei accepta,erat ex eo quòd quæ uera erant,de statu illorum inde cognoscebat. Sic solet euenire amantib. qui ubi statum eorum quos amant ignorant,etiam ea quæ non sunt,rebus illorum saluis & integris, metuunt:à quo timore non liberantur,nisi per ueritatis cognitionem.

Per uos,inquit:& exponit cum subijcit,Per fidẽ uestrã.Poterat dicere, Per ipsum,uel,Per ipsius relationẽ.Verùm maluit dicere,Per uos,& per fidem uestram:ut significaret,sic se esse erga ipsorũ salutem animatũ,ut per ipsos uel cõtristetur,uel recreetur.Ad hunc modum afficitur pater erga liberos suos.Dũ abest ab illis,metuit illis omnia,ac sollicitus est plurimũ,ne quid mali patiãtur:ubi per certi hominis narrationẽ intelligit,omnia illorũ esse adhuc salua, & expectare eos magno cum desiderio ipsius aduentũ,recreatur & consolationẽ accipit.Ergo rectè dixeris,per liberos contristari,& per liberos recreari parentes. Consimili modo & Apostolus hoc loco per Thessalonicenses se consolationem accepisse dicit.

Per fidem uestram, inquit.] Suprà dixit, Vt cognoscerem fidem uestrã:deinde, Et annunciasset nobis fidem ac dilectionem uestram:& hic, Consolationem accepimus per fidem uestrã. Sic cum primis erat pro fide illorum sollicitus. Nam hac salua,saluum est caput nostræ salutis.Nõ modò de fide illorum annunciauerat Timotheus,sed & de desiderio,quo faciẽ ipsius uidere cupiebãt,& de cãdore,quo honorificã semper de ipso mentionẽ faciebãt:uerùm licet & utrunq; hoc in ipsis probaret,ideoq; & utriusq; mentionẽ faceret,omnẽ tamẽ consolationẽ fidei illorũ acceptam refert,ne magis ijs rebus quæ se,quàm ijs quæ salutẽ ipsorum cõcernebant,delectari uideretur:simulq; illi monerẽtur,tũ sibi placere ipsorũ desideriũ,& bonam de se existimationem & mentionem,si in fide Christi constantes ac synceri permanserint.

Super omni afflictione, inquit, *& necessitate nostra.*] Quod in Græco est ἀνάγκῃ, significat propriè coactionẽ quæ uitari non potest:à uerbo ἀναγκάζω, quod cogẽdi significationẽ habet. Et hic ponitur ab Apostolo pro pressuris uiolenter illatis.Germanicus interpres rectè uertit, *In allẽ vnſerẽ trubſal vnd not.* Loquitur autem non modò de præsentib.tribulationib.sed & de ijs quas cum apud ipsos esset propter Euangeliũ,quod ipsis prædicabat,pertulerat. Nec simpliciter dicit,Super tribulatione:sed,Super omni tribulatione ac necessitate nostra.Est & sẽsus : Sic nos cõsolatur uestra fides,ut nihil me pœniteat eorum quæ perpessus sum propter uos:nihil me grauet ex omni tribulatione & necessitate,quam etiamnum perfero. Sic non pœnitet agricolam omnium laborum & molestiarum,quibus agrum coluit,ubi lætã uidet illius semẽtem.Sic non pœnitet genitricem omnium parturitionis dolorum , omniumq; educationis laborum,ubi sobolem suam rectè honesteq; agere uiderit . Ex his facilè cogitare poterant Thessalonicenses,quàm molestæ ac graues futuræ essent Apostolo omnes tribulationes & afflictiones,si intelligeret aliquando,deficere ipsos à fide Christi.

Quoniam nunc uiuimus, inquit, *si uos statis in Domino.*] Reddit rationem consolationis, quam se per ipsorum fidem accepisse dixit.Et est sensus: Quoniam sic comparati sumus & affecti erga uos , ut uobis bene habentibus bene habeamus & nos : iam cum uos statis in Domino , nos quoque stamus ac uiuimus . Vtitur autem uerbo uiuendi , in sensu gaudendi, rectèq; ac feliciter agendi. Qui in rebus tristibus nihil consolationis inueniunt,haud uidentur sibi uiuere,sed esse se ueluti mortis tenebris adobrutos.Ecõtrariò,qui uoti sui cõpotes efficiuntur, etiamsi aliàs tribulationibus exerceantur, uiuere tamen se cũ gaudio gloriantur.

Sic

Sic erat affectus Apostolus, cùm Thessalonicenses in Domino stare intelligeret, atq; ita se uiuere dixit, licet adhuc admodum afflictaretur.

Illud, Si uos statis in Domino, non est dubitantis hoc loco: sed ex eo quod præmissum est, colligentis. Annũciauerat ipsi Timotheus, Thessalonicẽses adhuc fortiter stare in Domino. Inde colligit: Si uos statis in Domino, iuxta id quod exposuit mihi Timotheus, nos iam uiuimus. Non dubitabat de ueritate eorum quæ audierat ex Timotheo: sed quid inde sibi euenerit, commemorat. Videtur hic loquendi modus similis esse ei qui Genes. 45. in calce capitis sic habetur: Sufficit mihi, si adhuc filius meus Ioseph uiuit. Vadam & uidebo illum, antequã moriar. Non dubitabat amplius Iacob, uera esse quæ audierat de Iosepho à filijs suis, postea quam uiderat ea quæ illi miserat: sed sic exprimebat, quid iam facere uellet, siquidem Ioseph adhuc superstes esset. Et cap. 25. cùm Rebecca diceret: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere. non dubitabat futurum ne sic sibi fuerit, sed ex eò quod iam sentiebat, inferebat fruſtrà se concepisse. Eiusmodi loquutiones multæ sunt in Scripturis, in quibus uocula Si, pro Cùm accipitur: ut, Si uos statis in Domino, idem sit quod, Cùm uos statis in Domino. De methaphora autem Standi, quomodo hac utatur Apostolus, alijs in locis uidere licet: utpote 1. Cor. 15. 16. 2. Cor. 1. Galat. 5. Philippen. 1 & 4. Standum nobis est in Domino: hoc est, in fide, fiducia, ueritate, gratia, & euangelio Domini, perinde atq; militi standum est in acie, ut stationem quam accepit, non deserat.

Quam enim gratiarum actionem possumus Deo rependere de uobis, super omni gaudio quod gaudemus propter uos.] Exponit & amplificat, quod dixit: Quoniam nunc uiuimus, si uos statis in Domino. Et est sensus: Quomodo namq; non uiueremus, dum uos statis in Domino, cùm inde tanto afficiamur gaudio, ut sufficientes Deo gratias propter uos agere nequeamus? Sensum hunc interrogandi modo expressit, dicens: Quam enim gratiarum actionem (intellige condignã & sufficientem) possumus Deo rependere de uobis, super omni gaudio, quod gaudemus propter uos.

Obserua: Non modò gratias agebat Deo propter Thessalonicenses fratres, quòd starent in Domino: sed hanc illorum constantiam tanti faciebat, ut iudicaret, non posse condignas Deo propter illam rependere gratias. Neq; contentus erat, quòd sic penes se esset affectus, nisi id Thessalonicensibus per hasce literas significaret, quo & ipsi insignem hanc gratiam Dei in seipsis agnoscerent, ac plurimi facerent, Deoq; propter illam perinde atq; ipse, indesinenter gratias agerent. Periculum erat, ne non satis agnoscerent, quanto cum ipsorum bono cõstantes essent in fide Christi: uel, si id agnoscerẽt, ne proprijs hoc uiribus, & non gratiæ ac uirtuti Dei acceptum ferrent. Vtriq; periculo pulchrè occurrit, dum illis significat, quanti ipse constantiam eorum faciat, & quàm cõdignas Deo proptet illam gratias agere nequeat.

Et illud obserua, quòd non simpliciter dicit, Nam Deo gratias de uobis agimus: sed, Quã enim gratiarum actionem possumus Deo rependere de uobis? Græcè est, ἀνταποδοῦναι, quod significat, pro accepto beneficio condignam retributionem rependere. Non autem simpliciter Deo se rependere non posse, sed gratiarum actionem, quæ sufficiat, retribuere non posse, dicit. Facilè est agere gratias: uerùm reipsa retribuere ex æquo quod acceperis, non est ita facile, immò impossibile. Sic enim incomparabilia sunt dona Dei, ut ne gratias quidem agendo pares esse queamus, nedum ipso opere retribuendo. Quid retribuam Domino (inquit Propheta) pro omnibus quæ impendit mihi? At Apostolus hic: Quam gratiarum actionem (inquit) Deo de uobis rependere possumus. Attamen omnino fugiendum est ingratitudinis uitium, cùm primis erga Deum. Quid igitur? Quod opere non possumus, uerbis saltem grati animi indicibus præstemus: & quoniam magnitudine beneficiorum Dei superati sufficientes gratias agere nequimus, agamus quas possumus, modò ex animo syncero ac grato.

Super omni gaudio, inquit, *quod gaudemus propter uos.*] Hisce uerbis exponit, quòd se uiuere dixit, si ipsi starent in Domino. Viuebat perinde atq; uictores uiuere dicuntur, dum hostẽ superarunt, & magno cum gaudio uictoria potiuntur. Cùm intelligeret eos fortiter stando potiri uictoria, maximoperè propter eos gaudebat, & unà cum eis uiuebat. Et ut amplitudinẽ gaudij sui exprimat: non simpliciter dicit, Super gaudio: sed, Super omni gaudio, quod gaudemus propter uos. Non una tantùm erat causa, propter quam illorum nomine gauderet, sed multæ: utpote, quòd sermonem Euangelij, tanquam sermonem Dei cupidè acceperant, quòd propter illum afflictiones à contribulibus ipsorum illatas perferrent, quòd fides illorum in omni loco inuulgata esset, quòd omnibus fidelibus in Macedonia & Achaia typos uerorum Christianorum præferrent, quòd in fide Christi synceri persisterent, quòd mutuã inter se dilectionem exercerent, quòd erga se, ipsorum Apostolum, amanter affecti, honorificam sui mentionem facerent, faciemq; suam uidere desiderarent. Hæc & consimilia alia, quæ ipsi notiora erant quàm nobis, multas gaudendi propter eos causas præbebant, ut non fruſtrà dicat, Super omni gaudio, quòd gaudemus propter uos.

Illud, In conspectu Dei nostri, sic est positum, ut tam ad sequentia, quàm ad præcedentia

referri queat. Ad præcedentia sic: Super omni gaudio, quòd in conspectu Dei nostri propter uos gaudemus. Hoc sensu obseruádum est, qualia sint sanctorum gaudia: talia uidelicet, quæ non abducant corda illorum à conspectu ac respectu Dei, sicuti faciunt gaudia carnis ac mũdi: sed quę illa sistant in conspectu Dei, cuius beneficiorum sensu tanguntur & afficiuntur. Ad sequentia sic, Super omni gaudio quod gaudemus propter uos, nocte ac die supra modũ in conspectu Dei nostri orantes. Dubio procul & gaudebat & orabat in conspectu Dei propter illos. Quare nihil refert, ad sequentia ne uel ad præcedentia particulã hanc referamus.

Nocte ac die supra modum orantes, inquit.] Illud, Supra modum, in Græco est, ὑπερεκπερισσοῦ: id est, Superabundanter. Vulgata Latina habet, Abundantius: & Ambrosius, Abundantissimè: Germanica uerò uersio, *Vast sehr*. Existimo dictionem hanc non esse diuexandam, quasi ex superflua abundantia orauerit Apostolus pro Thessalonicensibus: sed simpliciter ad hoc esse positam, ut irremissum orandi feruorem significet. Et illud Orantes, in Græco est δεόμενοι: id est, Obsecrantes uel supplicantes.

Rursus uidemus gratiarumactioni orationem cõiungi: qua de re iam antea admonuimus. Harum coniunctio in perpetuo est piorum hominum exercitio.

Vt uideamus uestram faciem, inquit.] Hoc desiderio percitus semel atque iterum uolebat Thessalonicam proficisci. Impeditus à satana misit Timotheum, ut per hunc de fide ac statu illorum cognosceret. Ille reuersus euangelizauit talia de fide ac dilectione illorum, qualia optauerat Apostolus, indeq; plurimum consolationis & immensum gaudium accepit, ac Deo ex animo gratias egit. Et tamen ne sic quidem desiderio uidendi eos liberatus, adhuc noctes ac dies plurimùm obsecrat, ut uideat illorum faciem. Etenim quo lætiora de fide illorum audiebat, hoc magis uidere eos: & si quid illi deesse uideretur, supplere gestiebat. Vnde & subdit:

Et suppleamus quæ desunt fidei uestræ.] Quęritur hic, quomodo fidem illorum in præcedentibus tantoperè commendauerit, si sciebat illam adhuc esse imperfectam.

Respondeo: Existimo illud, Quę desunt fidei uestrę, sic positum esse, ut idem sit quod, Si qua desunt fidei uestræ. Hoc sensu non dicit aliquid fidei illorum deesse, sed optare se faciem illorum uidere & supplere si quid desit illorum fidei. Simul tamen negari non debet, fieri potuisse, ut fides illorum non esset adhuc sic perfecta, ut nihil in illa desiderari posset. Alioqui præter rationem dixisset, orare se ut uideat illorum faciem, & suppleat fidei illorum defectus. Erant enim adhuc in illa recentes: & licet constanter in ea persisterent, fieri tamen potuit, ut in nonnullis articulis illius nondum essent sufficiẽter instructi. Sunt hæc probabilia, & extra quæstionem. Donec sumus in hac carne, fieri non pôtest ut perfectionem siue fidei, siue cognitionis Christi apprehendamus, qua de re uidere licet 1. Corinthiorum 13. & Philippens. 3.

At illud adhuc in quæstione est, quomodo tantum gaudij & consolationis de fide illorum accipere, illamque hoc scripto tantoperè commendare potuerit Apostolus, cùm esset adhuc imperfecta.

Respondeo: Quemadmodum pater in filiolo suo admodum probat, exosculatur & deprędicat, si qua indicia subnascentis ingenuitatis, pietatis ac probitatis in illo deprehenderit, licet multum adhuc à perfectione distet, opusque habeat quotidie, ut ὑστερήματα illius supplean tur: ita accidit & Apostolo cum Thessalonicensibus. Videbat fidem illorum in Christum esse præclaram, & admodum constantem. Id uehementer probabat, ac plurimi faciebat. Simul tamen non ignorabat, fieri posse ut in nonnullis adhuc esset imperfecta, & defectibus obnoxia. Hos supplere gestiebat, tam aberat ut illorum nomine id quod dono Dei cõsequuti erant, floccifaceret ac damnaret, quod hodie à nonnullis fieri uidemus: qui, si uel modicũ aliquem defectum in fratribus deprehenderint, mox omnem illorum fidem ac religionem condemnant. Fidelis Christi minister probat & laudat in fratribus quę sana ac recta inuenit, Deoque illorum nomine gratias agere non cessat, defectus interim illorum, si quos obseruauerit, non exaggerat, sed uel emendare, uel supplere satagit. Emendare, si quid eos sapere ac credere, quod sit erroneum: supplere, si in ijs quæ credenda sunt ac tenenda, nonnihil deficere uiderit. Quod nostram fidem attinet, quæ est secundum Euangelij Christi doctrinam, errores in ea nullos: imperfectionem uerò ac defectus facilè agnoscimus, oramusque Dominũ, ut hos ille luce uerbi sui suppleat. Et hanc ob causam doctrinæ sanctæ indesinenter incumbimus, donec in hac carne uiuimus.

Et de eo nõnulli quærunt, quomodo sibijpsi tribuat Apostolus, quod est spiritus Dei, cùm dicit se orare ut faciem illorum uideat, & quæ fidei ipsorum desunt, suppleat. Etenim cuius est opus dare & augere fidẽ, eius est etiam, defectus illius supplere, Dei uidelicet. Verùm facilis hic est respõsio: Loquitur ut minister spiritus Christi. Respectu ministerij pduxerat eos ad fidẽ, & genuerat in Christo: eodẽ respectu cupiebat etiã supplere, quæ in fide illorũ desiderabãtur, uel certè desiderari poterãt. Plantauerat eos per ministeriũ uerbi, per idẽ eos etiã rogare ac prouehere desiderabat: sciens interim, nihil esse plantantem, & nihil riganté, Deum uerò esse, qui dat incrementum.

Ad-

Admonentur hic ministri uerbi, ut partes ministerij sui quod fidem attinet, considerent, easq; diligenter implere satagant. Prima est, docere & perducere ad ueram fidē eos qui nondum credūt. Secunda est, supplere defectus fidei in illis qui credunt. Tertia est, confirmare fidem eorum qui rectè credunt. Non cogitabat Apostolus, Quòd meum erat, feci. Perduxi eos ad fidem in Christum, idq; magno cum labore ac discrimine. Quod iam reliquum est, uiderint ipsi, quomodo in illa permaneant, & si qua adhuc desunt, suppleant: quæ cogitatio non est fidelis ministri, sed de salute illorum fideliter sollicitus, confirmare adhuc infirmos in fide, & defectus imperfectorum supplere ex animo gestiebat. Hoc illius exemplum summo studio imitandum est Christi ministris.

Ipse uerò Deus & pater noster, & Dominus noster Iesus Christus, dirigat uiam nostram ad uos: uos autem Dominus abundantes & exuberantes faciat mutua inter uos charitate, & in omnes, quemadmodum & nos in uos, ut confirmet corda uestra irreprehensibilia in sanctimonia coram Deo & patre nostro, in aduentu Domini nostri Iesu Christi, cum omnibus sanctis eius.

Materiam desiderij sui, quo ad eos uenire, faciemq; illorum uidere, ac fidem confirmare cupiebat, hisce uerbis claudit, quibus causam hanc Deo commendat, optatq; illis & apprecatur à Deo abundantem charitatem, confirmationem cordium, & irreprehensibilem sanctimoniam, usq; ad Domini nostri Iesu Christi aduentum.

Ipse uerò Deus & pater noster, inquit.] Non simpliciter dicit, Deus uerò: sed, *αὐτὸς δὲ ὁ θεὸς*: id est, Ipse uerò Deus, &c. Quasi dicat: Sic ego quidem erga uos sum animatus, & hoc meum est ueniendi ad uos desiderium: uerùm quoniam in manu mea non est, ut quod cupio perficiam, commendo causam hanc Deo, illumque oro, ut ipse inuito satana uiam nostram ad uos dirigat. Sic gratiam, uoluntatem & potentiam Dei opponit maliciæ & conatibus satanæ, oratq; ut quod ille impedire molitur, ipse dirigat.

Nec simpliciter dicit, Ipse uerò Deus: sed addit, Et pater noster, & huic coniungit filium, Dominum nostrum Iesum Christum. Admonemur, non esse nobis inuocandum Deum sine Domino Christo, per quem Deum habemus patrem, & ad quem pertinemus & nos, & quæ habemus omnia, quapropter & uocat eum Dominum nostrum. Si Deus pater noster est, consequitur esse nos filios Dei, ac competere nobis, ut eum cum fiducia, quæ filijs est erga patrem, inuocemus. Deinde, si Christus est Dominus noster, Dominus ergo est filiorum Dei, idque in domo patris. Et hoc illi ius est ex eo, quòd primogenitus Dei est. Quòd uerò ambos, & Deum patrem & Dominum nostrum Iesum Christum coniunctim inuocat, directionemque itineris ad Thessalonicenses ab utroque petit: manifestum argumentum habet, eandem esse utriq; diuinitatem. Haud enim sine impietate coniungi potest Deo in adoratione & inuocatione, qui non eiusdem est cum illo diuinitatis particeps. Quare quòd Papistæ beatam uirginem, matrem Domini inuocant, atque ita Deo patri ac Christo Domino coniungunt, manifestum habet deificationis argumentum, qua diuinitatis honorem creaturæ, etsi sanctæ & eximiæ, creaturæ tamen tribuunt. Vbi nec diuinitas, nec paternitas, nec perfecti dominij potestas est, ibi locum habere non possunt, inuocatio, adoratio & cultus.

Obsecro, cùm non simpliciter dicit, Deus & pater & Dominus Iesus Christus: sed, Deus & pater noster, & Dominus noster Iesus Christus, quē alium relinquit nobis inuocandum, quàm Deum nostrum, patrem nostrum, & Dominum nostrum?

Dirigat uiam nostram ad uos, inquit.] Per uiam suam intelligit cursum suū, quò erat, uel in Syriam, uel in alias regiones euangelizandi gratia excursurus. Non habebat hunc in sua potestate. Orat igitur Dominum, ut dirigat eum rectà ad Thessalonicenses.

Admonemur hoc loco de sententia Salomonis, qui Prouerbiorum capite decimosexto sic dicit: Cor hominis disponit uiam suam, sed Domini est dirigere gressus eius. Et capite uigesimo: A Domino dirigūtur egressus uiri. Quis autem hominum intelligere potest uiam suam? Reipsa experiebatur hoc Apostolus, ideoq; orat Deum ut uiam suam dirigat. Cōsimilis locus est in Epistola ad Romanos cap. 1.

Vos autem Dominus abundantes & exuberantes faciat, inquit.] Hactenus de desiderio suo ueniendi ad ipsos, iam subiungit de ijs quæ ipsis apprecabatur à Domino. Vos autem, inquit. quasi dicat: Mihi quidem hoc peto à Domino, ut uiam meā dirigat ad uos: quod uos uerò attinet, oro Dominum, ut reddat uos abundantes & exuberantes in charitate mutua. Græcè est, *πλεονάσαι καὶ περισσεύσαι*. Prius uerbum pluralitatis, posterius abundantiæ ac superfluitatis significationē habet. Quare uetus interpres Latinus reddidit, Multiplicet & abūdare faciat: ad quem modum legit & Ambrosius.

Potest autem hæc particula bifariā legi & exponi. Primò sic: Vos autem multiplicet Dominus: hoc est, Augeat. non imminuat uestrum numerum, & in charitate mutua reddat abundantes.

dantes. Sic duo illis apprecatur ex benedictione Domini, multiplicationem ſcilicet fideliũ, & abundantem inter ipſos charitatem.

Deinde ad hunc modum: Vos aũtem Dominus reddat in charitate mutua abundantes & exuberantes. Poſteriorem ſenſum amplexus eſt & expreſsit Eraſmus. Et qui legunt, Vos aũt Dñs impleat, & abũdare faciat charitate mutua inter uos. Priorẽ uerò exprimit uulg. Lat. quę ſic habet: Vos aũt Dñs multiplicet, & abũdare faciat charitatẽ ueſtrã in inuicẽ. Et Germanic. quoq; interpres ad hũc modũ reddidit: *Euch aber uermehre der Herr, und laſſe die lieb uollig vuerdẽ undereinander.* Chryſoſt. exẽplar quod in manib. habeo, in textu habet, πληρῶσαι ὑμᾶς περισσεύσαι: id eſt, Impleat & abũdare faciat: in expoſitione uerò πλεονάσαι καὶ περισσεύσαι: id eſt, Multiplicet & abundare faciat. Priorem lectionem & expoſitionem probarem, ſi in Græco ſic haberetur, ὑμᾶς δὲ ὁ κύριος πλεονάσαι, καὶ περισσεύσαι τῇ ἀγάπῃ ὑμῶν: id eſt, Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat dilectionem ueſtram, &c. quemadmodum uulgatus Latinus interpres reddidit. Tũ enim duo eſſent accuſatiui ſeparati, Vos & Dilectionem: quorum alteri uerbum πλεονάσαι, alteri περισσεύσαι coniungi poſſet. Iam cùm non ſit in Græco τῇ ἀγάπῃ ὑμῶν: id eſt, Dilectionẽ ueſtram: ſed ſimpliciter, τῇ ἀγάπῃ, id eſt, Dilectione, atq; ita unus tantùm ſit accuſatiuus in pronomine ὑμᾶς: id eſt, Vos: apparet duo uerba πλεονάσαι καὶ περισσεύσαι ambo eſſe ad illum referenda. Nolim tamen contendere cum illis, quibus prior lectio placet. Poſſunt enim eam ſic tueri, ſi legant: Vos autem Dominus multiplicet, & mutua inter uos charitate abundare faciat. Verùm iuxtà ſubmoneo illos, ut inſpiciant ea quę ſequenti Epiſtola eadem de re capite 1. ſcribit ad hunc modum: Gratias agere debemus Deo ſemper de uobis, fratres, ut par eſt, quòd uehementer augeſcit fides ueſtra, καὶ πλεονάζει ἡ ἀγάπη ἑνὸς ἑκάστου πάντων ὑμῶν εἰς ἀλλήλους: id eſt, Et multiplicatur, uel, ſi dicere liceat, purificatur dilectio uniuſcuiuſq; ueſtrũm omnium inuicem. Videmus hic uerbum πλεονάζειν cõiungi cum dilectione mutua, ſiue uertamus illud multiplicationis ſiue abundantiæ ſenſu. Sed forſitan iſta pluribus admoneo, quàm res hæc ipſa requirat.

Quæ ſierit hic quiſquam, cùm ἀρχὴ rerum in qualibet ſit cauſa quærẽda, & πλεονάσμοι in uerbis, ac πλεονεξία in rebus, quemadmodum & περισσία non laudi, ſed uitio dentur: quomodo excuſari poſsit Apoſtolus, quòd multis in locis fidelium animos ad πλεονεξίαν & περισσίαν prouocat & inſtituit? Vtpote in gaudio 2. Cor. 8. in ſpe: Rom. 15. in opere Domini: 1. Cor. 15. in gratiarũ actione: 2. Cor. 4. in quouis opere bono: 2. Cor. 9. in omni ſapientia & prudentia: Eph. 1. in gloriatione quæ eſt in Chriſto: Philipp. 1. in fide: Coloſſ. 2. in fructu: Philipp. 4. in dilectione: Philip. 1. hic & 2. Theſſal. 1. Eſt modus in rebus (inquit ille) ſunt certi deniq; fines. Quis autem modus eſſe poteſt, ubi ad abundantiam quærendam inſtituimur?

Reſpondeo: In rebus humanis, ad uſum noſtrum ſpectantibus, in quibus ſecundum modũ neceſsitatis rebus eſt utilibus & neceſſarijs utendum, peccatum eſt fieri per plura, quod fieri poteſt per pauca: & locum habet quod uulgò dicitur: *Zu vuenig und zu uil, uerderbent alle ſpil.* Hic certè uitioſa eſt πλεονεξία & περισσία: uerùm in uirtutibus ſpiritualibus, quales ſunt fides, ſpes, dilectio, gaudium, ſapientia, bonorum operum fructificatio, &c. fieri nõ poteſt, ut ſatis nedum plus æquo proficiamus. Locum hic habet quod prouerbio dicimus, *Es kann des guten nitt zuuil ſein.*

Mutua inter uos charitate, inquit, *& in omnes, quemadmodum & nos in uos.*] Charitas pro natura ſua gaudet exuberantia, neſciens modum aut menſuram. Quare & hac ratione competenter optauit illis exuberãtiam dilectionis, quæ ſine diminutione naturæ ſuæ non poteſt eſſe arcta, tenuis, parca & reſtricta. Loquitur autem non de quauis illius ſpecie: ſed primum de mutua, qua Chriſtiani ſeſe mutuò diligunt: deinde de generali, qua omnes homines diligere tenemur. Vtraq; præcepta eſt à Domino, Ioann. 16. Hoc eſt præceptum meum (inquit) ut diligatis uos inuicem, ſicuti dilexi uos. Et Matthęi 5. & bonos & malos, etiam inimicos noſtros diligendos nobis eſſe monet, idq; exemplo patris noſtri qui in cœlis eſt. Secundum priorem dilectionem debemus eſſe φιλαδελφοὶ, ſecũdum poſteriorem φιλάνθρωποι. Verùm, proh dolor, nec φιλαδελφοὶ ſumus hodie, nec φιλάνθρωποι. Sic extincta eſt charitas, ut nõ ſit amplius modica ac tenuis, ſed ut ſit iam propè nulla: ſint uerò omnia odijs, inimicitijs, diſsidijs, luxu, quæſtu, malis artibus, & incredibili auaricia & perfidia paſsim referta. Quis non uidet imminere extrema, & impleri quæ prædicta ſunt à Domino: quandoquidem uera fides rareſcit, charitas frigeſcit, & omnis generis iniquitas abundantiſsimè augeſcit?

Illud, Et in omnes, referendum eſt ad extraneos & alienos à fide noſtra. Neq; enim ὁμοπίστους duntaxat diligere debet Chriſtianus, ſed & omnes homines, ſiue illi ſint ἄπιστοι ſiue ἐχθροὶ, ſiue hoſtiliter nobiſcum, ſiue pacificè uiuant. Et hanc dilectionis ſpeciem uſq; adeò competere fidelibus cẽſet Apoſtolus, ut ipſam quoq; copioſam & abundantem à Domino dari petat. Verùm de dilectione uide in Locis noſtris.

Quemadmodum, inquit, *& nos in uos.*] Repete ex præcedentibus: ac lege, Quemadmodum & nos dilectione in uos abundantes & exuberantes facit. Q. d. Videtis quàm abundanti uos dilectione proſequar, idq; non potiores tãtùm, ſed communiter omnes. Neminem faſtidimus,

ſed

sed amanter, & paterno planè affectu complectimur omnes. Idem faciendum est & uobis, quo ueram dilectionem exprimatis.

Poterat suæ dilectiouis exemplo requirere ab illis, ut parem erga se quoque dilectionem ostenderent: uerùm debitum hoc uicariæ dilectionis relinquit illorum conscientijs, & id tantùm curat, ut mutuam inter se dilectionem alius in alium, deinde & in omnes alios exerceant.

Vt confirmet, inquit, *corda uestra irreprehensibilia in sanctimonia.*] Sanctimonia, uel si mauis, sanctitas, puritas est ac mundicies. Illa duplex est in Christianis. Vna corporis, & externæ uitæ, qua nos ab immundicia & impuritate scortationis, omnisq; lasciuiæ mundos custodimus. qua de Capite sequenti uidebimus. Altera, mentis est ac cordis, qua omnem ethnicæ impietatis, superstitionis, idolomaniæ, ac malarum concupiscentiarum prophanitatem & immundiciē uitamus. Hanc intelligit hoc loco, cùm dicit: Vt cōfirmet corda uestra irreprehēsibilia in sanctimonia. Sanctimonia cordis, est sana fides, qua per Spiritum sanctum corda nostra purificantur. Act. 15. ac uni Deo in Christo Iesu sanctificantur. Sic erant corda Thessalonicensium ab omni ethnica impietate, fide in Christum sanctificata: requirebaturq;, ut in ea sanctitate irreprehensibiles persisterent. Huc respiciens petit à Deo, ut corda illorum in hac sanctitate irreprehensibilia confirmentur. & addit:

Corā Deo & patre nostro, in aduentu Domini nostri Iesu Christi, cum omnibus sanctis eius.] Dixit, Vos autem Dominus abundantes & exuberantes faciat mutua inter uos charitate, & in omnes, quemadmodum & nos in uos, ut confirmet corda uestra irreprehensibilia in sanctimonia coram Deo & patre nostro: hic subiungendum uidetur, In aduentu suo, cùm omnibus sanctis suis. Alioqui inconueniens uidetur, si legamus: Dominus confirmet corda uestra irreprehensibilia, &c. in aduentu Domini nostri Iesu Christi. Quare quòd dixit, εἰς τὸ στηρίξαι ὑμῶν τὰς καρδίας: non erat uertendum, Vt confirmet, Dominus uidelicet: sed, Vt confirmentur corda uestra, &c. ut separatim post præcedentia legantur quæ ad finem usq; Capitis sequuntur. Sic & Germanicus interpres uertit, *Daß ewere hertzen gesterckt unnd unstreflich seien, &c.*

Irreprehensibilia, inquit, *in sanctimonia coram Deo & patre nostro.*] Id est: Vt sint irreprehensibilia coram Deo & patre nostro. Hic non requiritur iudicium mundi, sed Dei, qui est scrutator cordium.

Sed quæritur hoc loco, quomodo fieri possit, ut corda nostra sint irreprehensibilia coram Deo, cùm in conspectu illius nemo uiuens iustificetur, nec quisquam ausit dicere, Mundum est cor meum.

Verùm respondeo: Si relinquamur nobisipsis, impossibile est ut nostris uiribus reddamur corā Deo irreprehensibiles: ubi uerò sub gratia Dei sumus, per hanc tales reddimur, ut non dico inculpabiles, sed inculpati ac sine querela simus corā Deo patre nostro in sanctimonia cordium nostrorum, qua ipse nos per Spiritum suum in fide sanctificauit, ac purificauit. Quē admodum enim nulla est condemnatio his qui sunt in Christo Iesu, Rom. 8. ita nulla est & accusatio. Quis enim accusabit, ubi Deus ipse est qui iustificat & sanctificat credentes in Christum? Totum hoc est gratiæ Dei per Christum, non nostræ ipsorum iusticiæ. Vbi in hac sanctificationis gratia syncera & constanti fide confirmati perseueramus, utiq; corda nostra inculpata & sine querela sunt coram Deo patre nostro, etiamsi deficiamus aliàs in multis. In summa, quemadmodum corda filiorum coram patre ipsorum inculpata sunt & sine querela, ubi sunt erga illum syncera, candida & integra: qualia conuenit esse corda filiorum erga patrem, licet in plerisque labantur, ac per infirmitatē delinquant: ita comparata est & causa filiorum Dei in Christo Iesu.

In aduentu Domini nostri Iesu Christi, inquit.] Sunt qui particulam hanc sic legant: Vsq; ad aduē tū Dñi nostri Iesu Christi. Germanicus interpres uertit, *Auff die zukunfft.* Verùm in Græco est, ἐν τῇ παρουσίᾳ: id est, In aduentu. Iam tertiò meminit aduentus Domini: in calce primi, deinde in calce secundi, & hic in calce tertij capitis. Sic illis hunc inculcat, ut perpetuò ad eum prospicientes fidem ei seruarent, quem ad iudicium uiuorum ac mortuorum rediturum non modò non dubitarent, sed & bona cum conscientia expectarent.

Cum omnibus sanctis eius, inquit.] hoc est: Qui aduenturus est cum omnibus sanctis suis. Sic nonnullis exponendum uidetur. Verùm hic sensus materiam habet quęstionis. Poterit enim controuerti, quomodo omnes sancti uenturi sint cum Christo. Quare melius est ut sic exponamus: Vt cōfirmentur corda uestra, ut irreprehensibilia coram Deo patre nostro cum omnibus sanctis inueniantur in aduentu Domini nostri Iesu Christi.

Quarum autem rerum cōmemoratione efficacius eos de seruāda fide & cōstantia admonere potuisset, quàm primò Dei & patris nostri: deinde, aduētus Domini nostri Iesu Christi: & tertiò, societatis sanctorum omniū? Confer huc sortē eorū qui relicta ueritate mēdacio ac mūdo sese accōmodāt. Illorum corda reprehēsibilia inueniētur in die iudicij, & coniungentur cum diabolo patre ipsorum, & omnibus impijs. Quemadmodū igitur sors hæc impiorū horribilis est ipso cogitatu, nedū sensu: ita sors piorū ac fideliū reuera exoptatissima est, si indubitata ad illam fide prospiciamus.

Sanctos autem hic intelligit pro suo more, ueros Christi fideles. Et hinc admonemur, quæ sit illa sanctitas, cuius paulo antè meminit, in qua debeant corda nostra irreprehensibilia coram Deo patre nostro in aduentu Domini nostri Iesu Christi inueniri: ea uidelicet, qua omnes fideles Christi sanctificati sunt per Spiritum sanctificationis, propter quam & sancti uocantur. qua de re suprà diximus.

CAPVT QVARTVM.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Hortatur eos ad studium sanctimoniæ ac puritatis: deinde & æquitatis ac charitatis fraternæ, & ut suoipsius quisq; labore quæ necessaria sibi sunt, quærat. Postremò instruit eos, quomodo erga mortuos suos affecti esse debeant.

QVod supereſt igitur fratres, rogamus uos, & adhortamur per Dominũ Ie. ſum, quemadmodũ accepiſtis à nobis, quomodo oporteat uos uerſari & placere Deo, ut abundetis magis. Noſtis enim quæ præcepta dederimus uobis per Dominum noſtrum Ieſum.

Apprecationi ſubiungit adhortationem. Apprecatus illis eſt confirmationem cordium, ut irreprehẽſibiles coram Deo in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti inueniantur. Iam obnixè ad inculpabilem uitæ conuerſationam hortatur.

Quod ſupereſt igitur fratres, inquit.] Vocula οὖν, id eſt Igitur, illationem habet ex præcedentibus. Quaſi dicat: Cùm igitur gratiam hanc acceperitis à Domino, ut in fide illius firmi perſiſtatis, quemadmodum ex relatione Timothei cum ingenti gaudio accepi: quod iam reliquũ eſt, rogo & hortor ut conuerſemini, quemadmodum oportet, &c.

Rogamus uos, inquit, *& adhortamur per Dominum Ieſum.*] Græcè eſt, ἐρωτῶμεν ὑμᾶς, καὶ παρακαλοῦμεν. Verbum ἐρωτᾶν aliquando interrogare, nonnunquam rogare ſignificat. Hic poſteriori ſenſu poſitum eſt, deductum ab ἔρως, quod amorem ſonat: ut ſit non ſimpliciter, ſed amanter rogare. Verbum παρακαλοῦμεν uertunt nonnulli hoc loco, Obſecramus. Sic habent uulgata Latina, & Ambroſius. De illo iam antea diximus. Dum eos rogat, obſecrat & hortatur, magis patrono affectu utitur, quàm imperio magiſterij, quo gaudet Romana ſedes, dum illud Papale, Mandamus ſub rigore ſtrictæ obedientiæ, ex authoritate S. apoſtolorum Petri & Pauli intonat & inculcat. Conſilium Spiriſſancti in Apoſtolo erat non cogere imperando & mandando, ſed pollicere rogando & hortando: quia non quærit inuitos, ſed uoluntarios, utpote ſpectans non dominandi faſtigium, ſed fidelium hominum ſalutẽ. Romanorũ uerò pontificum uox eſt: Vbi eſt maioritas, ibi eſt & mandandi poteſtas. ut igitur illud, Mandamus, dominantis pontificis: ita hoc præſens, Rogamus & hortamur, euangelizantis Apoſtoli uox eſt.

Per Dominum Ieſum, inquit.] Græcè eſt, ἐν κυρίῳ Ἰησοῦ: id eſt, In Domino Ieſu. Aliquoties monuimus eſſe Ebraiſmum hunc Apoſtolo familiarem, quo Ebræi ſæpenumerò literam ב quæ ſonat In, ponunt pro בעבור, id eſt, propter: ut בירחוה idem ſit quod בעבור יהוה, id eſt, Propter Deum. Poteſt etiam, In Domino Ieſu, idem eſſe quod, In nomine Domini Ieſu. Prætexit Apoſtolus obſecrationi & hortationi ſuæ neq; perſonam ſuam, neq; authoritatem Apoſtolicam, ſed ipſum Dominum Ieſum, & ſuum & ipſorum communem Dominum ac ſeruatorẽ. Nihil habebat cuius reſpectus plus momẽti in animis Chriſtianorum habere debeat, quàm Dominum Ieſum, in quo uno omnis noſtra ſalus ſita eſt. Non uideo quomodo pro Chriſtiano haberi debeat, qui, ſi prætextu nominis Chriſti rogetur in cauſa honeſta, utili ac poſsibili, ſacroſanctum hunc reſpectum à ſe reijcit. Dum miniſter Chriſti rogat & hortatur in nomine Domini Ieſu, idque ſecundum illius uoluntatem ac ſuum miniſterium, an non perinde eſt ac ſi Dominus ipſe nos roget & hortetur? Vtique. Nam qui miniſtrum illius accipit & audit, ipſum accipit & audit. Ergo qui rogantem & hortantem in nomine Domini Ieſu miniſtrum contẽnit, reuera Dominũ ipſum contemnit, cuius nomẽ ac uoluntatẽ ſuſq; deq; facit.

Quid autem Apoſtolus tanto ſerio, tamq; religioſè rogat & hortatur in Domino Ieſu? Exprimit hoc, dum ſubijcit: Quemadmodum accepiſtis à nobis, quomodo oporteat uos uerſari & placere Deo, ut abundetis magis. Duę ſunt Chriſtianę religionis partes. Prima, eſt fidei: altera, conuerſationis. Prior mox initio Euãgelicæ prædicationis traditur, qua fides in Chriſtum ad ſalutem noſtram requiritur: poſterior illi eueſtigiò ſubijcitur, qua talis uitæ huius conuerſatio inſtituitur, quæ gratiæ Dei ad ſalutem nos uocantis reſpondeat. Hunc ordinem Apoſtolus cùm prædicando, tum ſcribendo diligenter ac fideliter ſeruauit, quemadmodum in concionibus & Epiſtolis illius, præſertim hoc loco uidere licet. Cùm eſſet Theſſalonicæ, prædi-

prædicauit illis primo loco gratiam redemptionis factæ per Christum, ac requisiuit ut in illum crederent. Deinde tradidit illis normas uiuendi, quomodo in gratia Dei uersari, Deoq; placere deberent. Huius eos admonens, dicit: Quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat uos uersari & placere Deo. Cùm dicit, Quemadmodum accepistis à nobis: significat se illis, cùm apud eos esset, tradidisse, quomodo uersari deberent. Tradidit hoc autem illis non uerbis tantùm, sed & conuersationis suæ exemplo: sicuti patet in Epistola posteriore, capite ultimo.

Quomodo oporteat uos uersari, inquit.] Obserua uerbũ δεῖ, id est, Oportet. Quemadmodũ ęgroto nõ sufficit accepta medicina, nisi sese illi p uictus & reliquarũ circumstãtiarũ tẽperantiam competenter accommodet, quo efficacia illius non impediatur: ita & ijs qui sunt in Christo Iesu satis ad salutem non est accepta cœlestis uocationis gratia, nisi conuersationem uitæ talem instituant, per quam accepta gratia non irrita & inefficax reddatur. De huius rei necessitate admonet, cùm dicit: Quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat uos uersari. Fidelis medici officium sedulò implens post traditam cœlestis gratiæ medicinam, quomodo in illa sese gerere ac conuersari deberent, præscripsit.

Et placere Deo, inquit.] Quemadmodum ut diligar, in mea potestate non est: ita in me situm non est, ut placeam. Quomodo igitur particulam hanc præcedenti coniunxit, cum illa quidem per Thessalonicenses præstari posset, ista uerò non ita? In ipsis quippe situm erat, rectè uersari: placere uerò Deo, non erat.

Respondeo: Beneplaciti duplex respectus est. Vnus, nullo studio ac proposito quæsiti, quale est, dum patri placet filiolus infans: qui ut placeat, ne cogitare quidem, nedum conari potest. Sic placebat Deo Iacob, cùm adhuc esset in utero matris. Alter, studiosè quæsiti, quo placemus ijs, quibus nos approbare satagimus. Sic placent Deo, qui Christo seruiunt, syncerè credunt, uoluntati ipsius obediunt, piè uiuunt, insticiæ student, ex animo ipsi approbare se satagunt. Hoc genus placiti intelligitur ab Apostolo, cùm dicit: Quomodo oporteat uos uersari & placere Deo: hoc est, satagere ut placeatis Deo, sic conuersari in Christo Iesu, ut conuersatio uestra Deo placeat. Sic ἀρέσκειν τῷ θεῷ, est μιμεῖσθαι πῶς ἀρέσκειν θεῷ. Sed de hac re & alibi diximus.

Non est autem ut dicas, Si non est in mea potestate ut placeam Deo, sed hoc tantùm, ut cupiam ac studeam pro uiribus illi placere, quorsum id conabor? Cùm certus esse nequeam, quòd id faciens, illi placeam? Etenim sicuti Petrus Actor. 10. dicit: Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente quisquis timet ipsum, & operatur insticiam, acceptus est illi. Quare qui placere illi studet ex animo, non luctatur in incertum, modò id faciat secundum uerbi ipsius præscriptum. Alioqui non placent Deo, qui per ἐθελοθρησκίαν cultibus arbitrarijs placere illi student: id quod & Iudæi & Turci, & Papistæ faciunt. Nam teste Domino ipso, frustrà colitur ab illis, qui doctrinas & mandata hominum sectantur, atq; ita propriæ ipsorum sese magis quàm ipsius uoluntati accommodant.

Vt abundetis magis, inquit.] Solet feruor pietatis post discessum doctoris remittere, ac paulatim deficere. Hoc timens Apostolus, rogat & hortatur Thessalonicenses, ut in conuersatione uitæ ac studio placendi Deo à præscripto, quod præsens ipsis tradiderat, tam non deficiant post suum discessum, ut magis adhuc in illo crescant & abundent. Adhæc, solet disciplina rectæ conuersationis initiò non præscribi talis, quæ omnes perfectionis numeros adimpleat: sed quæ adtemperata sit infirmorum capacitati ac teneritudini, & cum tempore, crescente fide & cognitione Christi, ad ulteriora possit extendi ac crescere. Dubio procul huic sese rationi accómodauerat Apostolus etiã apud Thessalonicẽses, cùm statim initio cõuersationis illorum de instituenda illis uitæ conuersatione præscriberet. Hic autem frequenter accidere solet, ut quod initiò non secundum perfectionis normas, sed secundum imbecillitatem fidelium attemperatum ac moderatum, adeoque & imperfectum præscribitur: successu temporum pro perfecto habeatur, ac tali, quod per omnia ad Christianæ uitæ conuersationem sufficiat, & cui nihil sit addendum amplius. Et hinc est quòd nonnullos hodie fratres mox initio reformationis Ecclesiasticæ, omnia quæ ad perfectam disciplinam requiri existimant, instituere uidemus: eo quòd consultum putant, ut recens conuersi statim à principio non dimidiatæ, sed perfectæ disciplinæ assuescant: simulque uerentur, ne ubi feruor, qui initio solet esse uehementior, resedit, non patiantur qui carnaliores adhuc sunt, ut aliquid ad imperfectam disciplinam adijciatur. Quid horum sententia & conatu perfici possit, sequentia tempora monstrabunt. Opto autem, ut conatibus illorum effectus ad gloriam Euangelij Christi respondeat. Quicquid sit, nos hic uidemus, requiri à nobis, ut in studio rectæ conuersationis non deficiamus, sed crescamus, & quotidie magis atq; magis abundemus. Nec debet hoc nobis graue, molestũ ac difficile uideri, quando homini auaro & φιλαργύρῳ haudquaquam molestum ac difficile est sic studio ditescendi ad ulteriora quotidie extendi, ut in omnem occasionem incumbere non cesset, quo abundantiores adhuc opes acquirat.

Nostis enim quæ præcepta dederimus uobis, inquit.] Græcè est, τίνας παραγγελίας ἐδώκαμεν ὑμῖν. Sonat autem παραγγελία non simpliciter præceptum aut iussum, aut mandatum: sed propriè denunciationem, quæ à superiori potestate accepta subditis per internuncium ac legatum denunciatur: maximè talis quæ non sit primaria, sed secundaria & annexa. Talis mihi uocis huius uidetur esse propria significatio. Iuxtà tamen scio, illam alio atq; alio sensu usurpari.

Quæ autem fuerint denunciationes illæ, quas Thessalonicensibus dederat, *in* sequentibus patebit.

Illud, Per Dominum nostrum Iesum: idem hic est quod, Per authoritatem Domini nostri Iesu. Aliàs non est Apostoli, denunciare subditis per Dominum, sed Domini, denũciare per Apostolũ, sicuti rex per ministros suos denũciat subiectis. Interim obserua ueri Apostoli cõditionẽ. Suprà rogauit & hortatus est propter nomen Dñi Iesu: hic dicit se denunciasse quędam per Dominũ Iesum. Vbiq; siue docendo, siue denunciãdo, siue rogando & hortãdo nomen Domini nostri Iesu Christi prætexuit. Nusquam addidit illi nomen aliud, neq; beatæ uirginis, neq; angeli, neq; Apostoli alicuius, constanter manens in termino uocationis, qua in Apostolum erat ab ipso Domino Iesu Christo uocatus. Per Christũ erat Christianus, per Christum Apostolus, utroq; nomine ubiq; Christum sonabat & prætexebat.

Hæc enim est uoluntas Dei, sanctificatio uestra, ut abstineatis à scortatione, & sciat unusquisque uestrũm suum uas possidere, cum sanctificatione & honore, non cum affectu concupiscentiæ, quemadmodum & gentes, quę non nouerunt Deum.

Rememorat quædam ad Christianam conuersationem pertinentia, de quibus illis initio etiam præscripserat. Non dicit autem simpliciter, Præcepi uobis de custodienda sanctificatione: sed iterum proponit illis authoritatem Dei, dicens: Hęc enim est uoluntas Dei, sanctificatio uestra. Ne quid illis suapte uideatur authoritate præcipere, admonet eos de uoluntate Dei. quasi dicat: Quòd uobis nonnulla designaui per Dominũ nostrum Iesum Christum, quæ custodire debeatis: non feci meopte consilio, sed ex uoluntate Dei. Vult enim ille, ut sitis sancti. Hoc sciens præscripsi uobis cùm apud uos essem, ad sanctificationem uitæ uestræ pertinentia. Poterat alias rationes prætexere, uerùm hæc una abundè sufficere uisa est. Nec immeritò. Quid enim populo Dei proponi potest, quod plus apud illum authoritatis habere debeat, quàm uoluntas Dei? Vbi illa cognoscitur, nihil relinquitur amplius, quod tergiuersationis excusationem recipiat. Non est quærenda nobis alia obedientiæ præstandæ ratio, ubi de uoluntate Dei constat: sed omnino ualet illud, Sit pro ratione uoluntas.

Sanctificatio uestra, inquit.] Per sanctificationem hoc loco puritatem uitæ intelligit. Hanc opponit prophanæ gentium immundiciæ. Sed quæri poterit hoc loco, cùm & alia non pauca requirat à nobis Deus, uelitq; ut ea seruemus ac faciamus, quid sit, quòd sanctificationis tantùm mentionẽ faciat Apostolus, dicens: Hæc'est enim uoluntas Dei, sanctificatio uestra.

Respondeo: Respicit non ad omnes totius Christianismi partes, sed ad eas tantùm quę ad reformandam uitæ conuersationem faciunt. Nec hasce omnes recensere uoluit: sed eas duntaxat, quibus crassiora ethnicorum uitia excludenda erant, in quibus immundicia passim regnabat. Hic summoperè necessarium erat, ut inculcaretur gentibus ad fidem Christi ac uiuentem Deum à simulacrorum cultura conuersis, aliam esse ueri Dei, ad quem conuersi erãt, & aliam falsorum deorum uoluntatẽ. Verum Deum amare, & à suis requirere puritatẽ uitæ, falsos uerò deos delectari omnis generis immundicia. Deinde, cõmuni hoc esse sensu omniũ æquissimum, ut cui se quis consecrauit & addixit, illius etiam se uolũtati totum accõmodet. Consecrasse autem se uero Deo, sanctificationis amanti, illamq; à suis requirenti. Ergo omnino requiri, ut secundum illius uoluntatẽ ethnica immundicia relicta puritati uitæ studeant.

Vt abstineatis à scortatione, inquit.] Sic comparata est omnis puritatis ratio, ut ubi de illa præcipitur, mox quęcunq; eam inquinare possunt prohibeantur. Sic hoc loco, ubi de custodienda sanctificatione admonet Apostolus, statim de uitanda scortatione subijcit. Illa namq; sanctificationem polluit, & inter gentes inualuerat: ob quam causam Apostoli Christianos ex gentibus cum primis ut scortationem fugerent adhortabantur. uide Actor. 15. 1. Corinth. 5. 6. 7. Galat. 5. & Ephes. 5.

Quid est autem quòd non dicit: Ab adulterio, à stupris, ab incęstu, à Sodomia: sed, A' scortatione? An' non multo est fœdior adulteriorũ, stuprorũ, incæstuum, & Sodomię, quàm scortationis impuritas? Respondeo: Est planè: uerùm scortationem, tanquam quæ minus uidebatur habere uitij, propterea uitandam esse monet: ut admoneamur, multo magis uitanda esse adulteria, stupra, incęstum & Sodomiam, quòd ea communi quoque sensu plus habere peccati censeantur.

Sunt qui scortationem hic pro omnis generis libidine & immundicia generaliter positã esse existimant, ut sub ea omnes reliquæ species comprehendantur. Huic sententiæ astipu-

lar

lari uidetur Chryſoſtomus, qui non ſimpliciter ἀπὸ πορνείας, ſed ἀπὸ πάσης πορνείας: id eſt, Ab omni ſcortatione, & legit & exponit.

Admonemur hoc loco, Chriſtianis omnibus, tanquam in Chriſto Domino ſecundum uoluntatem Dei ſanctificatis, fugiendam eſſe ſcortationem. Quanto igitur magis fugienda eſt illis, qui ſe in miniſterium Dei ſanctificatos & conſecratos eſſe gloriantur? Iam inſpice uniuerſum illorum ordinem, & uide quomodo ſcortationem fugiant. Ad uitandum ſcortationē unuſquiſq; uir uxorē ſuam, & unaquęq; mulier uirū ſuum habeat, inquit hic ipſe Apoſtolus 1. Cor. 7. Illi uerò abſit, inquiunt, ut uxores ducamus. Sumus homines Deo conſecrati, competitq; nobis ut ſimus cœlibes. Ecquomodo liceret nobis eſſe in coniugio? Audite, ô minimè omnium cœlibes: Quæritis quomodo poſsit uobis licere coniugium? Quare non potius quæritis, quomodo liceat uobis ſcortatio? Quod inſtitutum eſt à Deo, & impollutum, & honorabile, teſte Apoſtolo Ebr. 13. uitatis & abiuratis, quo poſsitis eſſe cœlibes: quaſi puritas cœlibatus per cōiugium polluatur, & interim perinde atq; ſus in uolutabro luti ſcortationibus eſtis immerſi. Quid prętexitis cœlibatū, à quo eſtis alieniſsimi? Quæ cōuenientia cœlibatus & ſcortationis? Coniungitis contraria, & conuenientia diſiungitis. Caſtitati & coniugio cōuenit optimè (teſte Paphnutio in concilio Niceno) ſcortationi uerò & caſtitati διὰ παντὸς diſconuenit. Illa diſiungitis, quod uos attinet: haſce uerò coniungitis. Verùm quod facitis facite, interim & Deus ipſe quod facit uobiſcum perficiet.

Et ſciat unuſquiſque ueſtrùm uas ſuum poſsidere, inquit, *cum ſanctificatione & honore.*] Dubio procul amplius quiddam dicere uoluit, quàm quod in præcedenti particula de uitanda ſcortatione dixit. Plus eſt uas proprium cum ſanctificatione & honore poſsidere, quàm à ſcortatione tātùm abſtinere. Fieri poteſt, ut haud quidem ſcorteris, uerùm interim uas tuum alijs atq; alijs immundicię ſpeciebus contamines. Subijcit itaq; generaliorem ſeruandæ puritatis normā, dicens: Et ſciat unuſquiſq; ueſtrùm uas ſuum poſsidere cum ſanctificatione & honore. Græcè eſt, τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος. Significat autem σκεῦος, uas, inſtrumentum, organum quodcunq;. Hic accipitur pro corpore. Et utitur Apoſtolus ſimilitudine eorum uaſorum, quæ in honore haberi ſolent, qualia ſunt aurea & argentea, & conſimilia alia precioſa, quæ non ad impuros uſus uſurpantur: ſed diligenti cura ſic poſsidentur, ut in puritate ſeruentur. Nemo ſic inſanit, ut pocula uel aurea uel argentea proijciendæ urinæ deputet. Cùm igitur uaſa noſtra, quæ precioſa ſunt, cum honore ac puritate poſsideamus: quanto magis curandum nobis eſt, ut ſuum quiſq; corpus, tanquam uas ſuum, omnium quæ habet precioſiſsimum, cum ſanctificatione & honore poſsideat?

Admonemur itaq; hoc loco, quid quiſq; de corpore ſuo ſentire, & quo illud loco habere debeat: loco uidelicet uaſis, idq; non cuiuslibet ac qualiſcunq;, ſed omnibus modis neceſſarij, omnium quæ poſsidet precioſiſsimi, utiliſsimè, ac ſic coniuncti, ut dehoneſtatio illius, noſtra ipſorum ſit dehoneſtatio, deniq; uehementer fragilis ac teneri: & hoc quoque nomine non temerè, ſed cum ſcientia ac diligenti cura tractandi. Quæ precioſa ſunt, quo minus habent roboris, hoc plus requirunt ſcientiæ ac curę, ne temerè frangantur. Eiuſmodi ſciētiam Petrus in poſteriore Epheſ. 3. à maritis, qua erga uxores utantur, requirit, cùm dicit, εἱ ἀνδρες συνοικοῦντες κατὰ γνῶσιν ὡς ἀσθενεστέρῳ σκεύει τῷ γυναικείῳ ἀπονέμοντες τιμὴν.

Sunt in hoc Apoſtoli præcepto duo uerba κέκτησθαι & κτᾶσθαι, quæ pulchrè ſunt ſimilitudini huic accomodata. In ſeculo non eſt ſatis habere ac poſsidere ſelecta, & uarij generis uaſa, niſi ſcias illis competenter ſecundum uniuſcuiuſq; qualitatem uti. Alioqui inanis eſt illorū poſſeſsio. Ergo ad poſſeſsionem illorum requiritur ſcientia, ad competentem uſum pertinens. Et huic egregiè ſtudetur. Conſimili modo in hac quoq; cauſa de qua loquitur Apoſtolus, ſcientia requiritur, qua corpora noſtra, tanquā uaſa precioſa, quo decet honore, pura ac ſancta poſsideamus, & competenti uſui accommodemus. Vſus autem illis competens, non eſt fœdæ libidinis immundicia, quæ per ſcortationem, adulterium, incæſtum, ſtupra, molliciem & Sodomiam exercetur, ſed legitima & honeſta coniugum ſocietas: nec eſt turpitudo, ebrietatis ac crapulæ, ſed ſobrietas: nec iniquitas furtorum ac latrociniorum, ſed iuſticia unicuique quod ſuum eſt relinquens: nec ignauia ocij ac deſidiei, ſed moderatus labor quæ honeſta & utilia ſunt operandi: nec ſeruitus qua ſatanę in peccatis, ſed qua Domino in uera pietate & iuſticia ſeruiatur. Norunt artifices qua ſcientia uaſis & inſtrumentis ſuis uti debeant: & ſciunt diuites huius mundi, cum qua puritate ac dignitate precioſa uaſa aurea & argentea & holoſerica poſsidere conueniat: & nos Chriſtiani non ſciemus cum qua ſanctificatione & honore corporibus noſtris, quæ habemus unica, tanquam precioſis uaſis uti debeamus?

Hac puto ſimplicitate duo iſta ſciendi ac poſsidendi uerba eſſe hic accipienda, ut non ſit neceſſe multis de illis diſputare. Interim fateor magnæ ſcientiæ rem eſſe, ſi quis corpore ſuo legitimè uti ſciat: denique non poſsideri illa à nobis, ſi ſeruiant immundiciæ, ſed poſsideri à peccato cui ſeruiunt. qua de re monuit Chryſoſtomus, dicens: ἄρα ὑμῖν αὐτὸ κτῆμά ἐστιν ὅταν ᾖ καθαρὸν· ὅταν δὲ ἀκάθαρτον, ἡ ἁμαρτία.

Quæsierit hic quisquam, quid nam honoris debeatur corporibus nostris? Meo iudicio, legitimus illorum honor est, primò si pro sua infirmitate seruiant gloriæ Dei, à quo sunt condita: deinde, si necessitatibus nostris famulentur, secundum quod à Deo sunt disposita: tertiò, si nullis peccatorum inquinamentis polluantur: postremò, si necessarijs alimentis ac curis non destituantur. qua de re uide Coloss. 2. circa calcem capitis.

Non cum affectu concupiscentiæ, inquit.] Quoniam opposita iuxta se posita, magis eluescunt: subiungit hãc particulam, qua per oppositum sanctificationis declarat, quomodo unusquisque uas suum cum sanctificatione & honore possidere debeat. Contrarij sunt inter se affectus sanctificationis, & affectus concupiscentiæ, quæ est in carne corporum nostrorum, & gignit scortationem, adulteria, & omnis generis immundam libidinẽ. Est itaq; corpora nostra possidere cum sanctificatioone, non indulgere concupiscentijs carnis, sed affectus illarum reprimere ac mortificare, quo seruiant illa non peccato, sed uoluntati Dei.

Et addit exemplum non imitandum, sed fugiendum, dicens: Quemadmodum & gentes, quæ non nouerunt Deum. Immunda gentium conuersatio erat ipsis duplici nomine cognitissima. Primo, quia & ipsi paulo antè in ea uixerant: altero, quia adhuc erat ipsis ob oculos quotidie inter gentes, cum quibus uiuebant. Non erat itaq; opus multa declaratione, quomodo corpora nostra cum affectu concupiscentiæ possideantur. Ipsa hoc ethnicæ uitæ impuritas reipsa declarabat. Simul eos etiam admonet, quàm inconueniens sit Christianis, si similes sint gentibus immundis, ac Deum ignorantibus, cùm ipsi sint per sanguinem Christi in baptismate mundati, & ad cognitionem Dei perducti. Ideo non simpliciter dicit, Quemadmodum gentes: sed addit, Quæ Deum non nouerunt.

Non est ut quęramus quõ gentes Deum non cognouerint, cùm passim in literis ethnicorum mentio Dei fiat, & Apostolus Roman. 1. dicat eos cognouisse quidem Deum, sed non ut Deum glorificasse. Cognouerunt Deum secundum id quod in illo ex operibus creationis cognosci potest: non autem cognouerunt eum ut solum Deum & patrem Domini nostri Iesu Christi, quæ illius cognitio ad uitam ac salutem requiritur. Vnde & Dominus Ioann. 17. Hæc est uita æterna (inquit) ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Loquitur Apostolus de cognitione Dei, quam si habuissent gentes, non fuissent affectibus concupiscentiæ subiectæ. Gloriantur & Iudæi nosse se Deum, uerùm factis comprobant diuersum. id quod & de Christianis illis rectè dixeris, qui non secundum spiritum, sed secundum carnem uiuentes, corpora sua cnncupiscentiæ illius subijciunt. De cæcitate & ignorantia gentium, uide Ephes. cap. 4. ubi sic dicit: Hoc igitur dico & testificor in Domino, ut iam non ambuletis, sicut gentes ambulant in uanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à uita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cęcitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudiciæ, in operationem immundiciæ omnis, &c. Vbi ergo uideris inter Christianos usqueadeò carnales homines, quocunque nomine uocentur, ut sese omnis generis immundiciæ tradant: an non manifesto argumento cognosces, sensus illorum esse uanos, intellectum tenebris obscuratum: esse eos propter cordium ipsorum cæcitatem ignorantes Dei, & à uita sancta, quæ Dei est, abalienatos?

Ne quis opprimat ac fraudet in negocio fratrem suum, propterea quòd ultor est Dominus de omnibus his, quemadmodum & antè diximus uobis, ac testati sumus. Non enim uocauit nos Deus immundicię causa, sed ad sanctificationem. Proinde qui reiicit, non reiicit hominem, sed Deum, qui dedit spiritum suum sanctum in uos.

Ne quis opprimat ac fraudet, inquit.] Græcè est, τὸ μὴ ὑπερβαίνειν τῷ πλεονεκτεῖν. ὑπερβαίνειν supergredi, & πλεονεκτεῖν insatiabili plura habendi cupiditate affici significat. Vulgata Latina editio habet, Ne quis supergrediatur, neq; circumueniat in negocio fratrem suum. Sic legit & Ambrosius. Germanicus interpres sic reddidit, *Vnd daß niemand zu vueit greiffe, noch uberforteile seinen bruder im handel.* Poterat sic reddi, *Daß niemand uberfare, und ubrenemme seinen bruder im handel.* Græcæ uoces ęgrè possunt Latinè exprimi. ὑπερβαίνειν non sonat opprimere, nec πλεονεκτεῖν fraudare, nisi quòd sic aliquo pacto sensus Apostoli reddi posse uidetur.

Ne quis opprimat, inquit, *ac fraudet in negocio fratrem suum.*] Laborant nonnulli, quomodo particulam hanc cum præcedenti coniungant. Coniungendam enim illi esse ob id putant, quòd sequitur: Non enim uocauit nos Deus immundiciæ causa, sed ad sanctificationem. Ex his est Chrysostomus, qui sic exponit: καλῶς εἶπε, μὴ ὑπερβαίνειν, ἐπάγων ὁ θεὸς ἀπίνεμε γυναῖκα. ὅρος ἔθηκε τῇ φύσει, τὸ μίξιν ἑκάνλω τὸν πρὸς τὸν μίαν. ὅταν ὁ πρὸς τὸν ἕτερον, παράβασις ἐστὶ, καὶ λαγνία, καὶ πονηρία. Et paulo post: ἐνταῦθα περὶ μοιχείας φησὶν, ἀνωτέρω δὲ περὶ πορνείας πάσης. quod sonat, si Latinè reddas ad hunc modum: Bene dixit, Ne quis supergrediatur. Vnicuiq; Deus uxorem deputauit, terminos posuit naturæ, commixtionem illam quæ est cum una. Itaq; si quis misceatur alteri, transgressio est, & latrocinium & nimia cupiditas. Item hic de adulterio loquitur, suprà uerò de omni scortatione. Hæc ille. Sententiã hanc & Theophylactus sequitur, quamuis & aliam annectit.

Horum

Horum expositionem probare non possum. Nusquam inuenio ὑπερβαίνειν ac πλεονεκτεῖν poni pro adulterari, nec minus rationis erat Apostolo disertè nominare adulteriũ, si de illo loqui uoluisset, quàm erat, ut scortationem nominatim exprimeret. Dicam quid mihi uideatur. Quod in præcedenti denunciatione dixit: Hæc est uoluntas Dei, id hic quoq; subintelligendum est. Illic, Hæc est uoluntas Dei, inquit, ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν: hic repete, Hæc est uoluntas Dei, τὸ μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἐν τῷ πράγματι. Non simpliciter dicit, μὴ ὑπερβαίνειν: sed quẽ admodum illic, ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν: & hic, τὸ μὴ ὑπερβαίνειν: ut intelligas alteram denunciationem subijci præcedenti, quæ & ipsa profecta sit ex uoluntate Dei.

Est autem fratrem in negocio ὑπερβαίνειν & πλεονεκτεῖν, modum æquitatis ad detrimentum illius excedere, plus ab illo petere uel extorquere, quàm per æquitatẽ liceat: id quod maximè ac passim nostra hac ætate in emptionibus, commutationibus, mutuationibus & contractibus, non in maioris tantùm momenti rebus, sed & minutioribus fieri uidemus: id quod omnino cum regula æquitatis pugnat, secundum quam quod mihi fieri nolo, id alteri facere non debeo.

Est itaque μὴ ὑπερβαίνειν καὶ μὴ πλεονεκτεῖν, ex æquo & moderato agere cum fratre, & haudquàquam indulgere cupiditati, sic ut excludatur quicquid est ὑπὲρ & πλεῖον, hoc est, iustum numerum, modum & mensuram, secundum negocij qualitatem excedit. Dedisti fratri mutuò centum aureos. Hic si ultra hunc numerum ab illo repetis, siue quinque siue unum tantum, nedum si plures, ὑπερβαίνεις καὶ πλεονεκτεῖς fratrem tuum. Quicquid enim sortem excedit, ὑπὲρ & πλεῖον. Sic de mercimonijs quoq; cogitandum est. Si nimio in illis lucro studetur, ὑπέρβασις est ac πλεονεξία uoluntati Dei contraria. Quoniam autem uerbum ὑπερβαίνειν metaphoricè positum est hoc loco, subiectum illi est πλεονεκτεῖν, quod sine metaphora propriè significat, plus quàm sit æquum exigere, atq; ita præcedentis metaphoram explicat. Si roges, quid sit supergredi fratrem in negocio? rectè respondetur, est πλεονεκτεῖν. Germanicè, Mehr vuellen haben dann billich ist.

Non est autem ociosum, quòd non dicit, Ne quis supergrediatur aliquem: sed, Ne quis supergrediatur fratrẽ. Aegrè persuadetur Christianis, ut alius alium fratris loco habeat, cumque illo sicuti conuenit cum fratre agat, præsertim in negocijs βιωτικοῖς. Vt igitur admoneret eos, cum Christiano agendum esse homini Christiano, perinde atq; cum fratre: sic loqui uoluit, Ne quis supergrediatur fratrem suum in negocio. Communi sensu non conuenit, ut tantùm exigat frater à fratre, quantum ab alieno. Vnde qui se uilioris quàm par sit uendidisse dicere uolunt, Vuann ein bruder (inquiunt) dem anderen hette zukauffen geben, kundte ichs im nit vuolfler haben geben. Hinc tamen non sequitur, licere Christiano supergredi quenquam in negocio, modò non fratrem, sed quòd aliàs non licet, multo minus licere erga fratrem.

Etenim ipsa hoc naturæ lex dictat, nemini faciendum esse, quod nobis fieri nolimus. Quod igitur illicitum est, etiamsi erga alienos fiat: multo magis illicitũ est, si fiat erga fratres. Sic 1. Cor. 6. dicit: Cur nõ potius iniuriam patimini? Cur non potius damnum accipitis? Imò uos iniuriam facitis, & damno afficitis, idq; fratres.

Obiter & illud obseruandum est, quòd dicit, ἐν τῷ πράγματι, id est, In negocio. Non dicit, Ne quis negocietur cum fratre suo, quod tamen dicendum fuisset, si Christiano non liceret negociari cum Christiano, sed necesse esset omnia illi dare uel gratis uel mutuò. Iam cùm dicit, Ne quis supergrediatur fratrem in negocio, non uetat negociari inter Christianos, sed cupiditatem iniquis lucris inhiantem restringit. Deinde si Christianus cum Christiano, magis ad huc cum ἀπίστοις licitè negociari potest, modò ὑπέρβασιν καὶ πλεονεξίαν fugiat. τῷ γὰρ ἀντιπιπτῶν ἀνάλογον συμβαίνει ὁ πόνος.

Propterea, inquit, quòd ultor est Dominus de omnibus his.] Non est usitatum, ut qui pauper est, supergrediatur in negocio diuitem ac potentem: sed econtrariò, ut diues sic agat cum paupere. Neque solet eiusmodi ὑπέρβασις in seculo à magistratibus competenti ultione coerceri. Nec in manu pauperis est, ut sese uindicet: neq; etiam si pius sit, uindicare se uolet. Propter eos igitur, quos non satis mouet, argumentum à uoluntate Dei ductũ, adijcit cõminationem diuinæ ultionis, dicẽs: Propterea quòd ultor est Dominus de omnibus his. quasi dicat: Etiamsi impunè iuxta seculum fieri potest, ut in negocio circumueniat aliquis fratrem suum, non fiẽret tamen impunè coram Deo. Nam ille ultor est, cuius manum ac uirgam nemo poterit effugere.

Neque ociosum est, quòd non simpliciter dicit, De his: sed, De omnibus his: id est, De omnibus huiusmodi iniurijs in proximum illatis. Admonemur, ultorem esse Dominum non modò potestate, sed & ipso opere. Inuenias iudicem & Magistratum, qui ex officio quidem sit ultor malorum, ipso tamen opere non sit. De hoc prædicari non potest, quòd sit ultor de malis omnibus. Verùm Dominus, quoniam non officio tantùm iudex est, & ultor reproborum, sed & illius exequutione pœnas sumit de reprobis, rectè ultor de omnibus malis esse prædicatur.

Dixerit quisquam: At mala multoties transire uidemus inulta. Quomodo igitur de omnibus ultor est Dominus? Respondeo: Quærat hoc qui nescit in fine mundi futurum esse iudi-

cium, in quo Dominus reddet unicuique secundum quod gessit in hac uita, siue bonum siue malum. Christianus hoc non quærit, sed religiosè cauet, ne ultionem diuinam in se prouocet: & si qua fuerit affectus iniuria, uindictam omnem ultori Domino tanquam iusto iudici commendat.

Quemadmodum & antè diximus uobis, inquit, *ac testati sumus.*] Ne quis diceret: Cùm apud nos esses, prædicasti nobis Dñm non ultorem peccatorũ, sed clementè ac propitiũ seruatorẽ. Quid est quòd iam facis eum ultorem? occupat, dicẽs: Quod iam dicimus, diximus uobis & antea, imò obtestati sumus. Quare non est, ut iam hac uos de re præter opinionem admonere uideamur. Quòd si ultionẽ Domini, in uos ipsi prouocaueritis, facietis hoc nõ mea, sed uestra culpa.

Quid est autem quòd non simpliciter hoc illis dixit, sed & testatus est? Obtestatio hæc nõ est sine urgenti ratione facta. Volebat illis præponere securitatem excutere, quę facilè carnalibus animis innascitur, ubi doctrinam Euangelij historica tantùm fide accipiunt, existimantq; nihil referre quomodo uiuant, postquam Christo nomen dederunt, ac per baptismum illi sunt accensiti. Illis grauiter inculcandum est, requiri hoc à Christianis, ut post acceptam gratiam inculpatè, purè ac sanctè uiuant, cùm quòd sit hæc uoluntas Dei, tum quòd Dominus sit ultor omnium eorum malorum quæ in hac uita non modò ab alienis, sed & ab illis qui nomini illius accensentur, sine resipiscentia admittuntur.

Non enim uocauit nos Deus immundiciæ causa, inquit, *sed ad sanctificationem.*] Græcè est, ἐπὶ ἀκαθαρσίᾳ, ἀλλ' ἐν ἁγιασμῷ: poterat perinde uertere, Ad immundiciam, atq; sequentem particulam uertit, Ad sanctificationem, cùm sit ἐν ἁγιασμῷ, id est, In sanctificatione. Reddit rationem à uocatione Dei, & ab accepto Spiritu sancto. Est autẽ illa accõmodanda ad superiora, quibus dixit: Hæc est uoluntas Dei, sanctificatio uestra, ut sciat unusquisq; uestrũm uas suum possidere cũ sanctificatione & honore. Et est sensus: Etenim si cogitemus ad quid nos uocauerit Deus in Christo Iesu: hoc est, quæ sit illius uoluntas, ad quã uocati ab eo sumus, nõ possumus dicere, quòd uocarit nos ad immundiciam uitæ, sed ad sanctificationẽ. Neq; enim talis Deus est, qui amet immundiciam, cùm sit non immundus, sed sanctus. Deniq; cum uocaret nos, eramus immũdi, ac uiuebamus in immundicia, ut opus non fuerit uocari nos ad immundiciam, ut immundi redderemur: sed magis ad sanctificationem, ut ex prophanis & immundis fieremus sancti. Perinde atq; si quis uocetur ad bãlneum, is non uocatur ad immundiciam, sed ad purificationem: ut ex immundo fiat mundus: & puer qui mittitur in ludum literarium, non mittitur ad barbaram ruditatem, sed ad eruditionem: & qui uocat ad se medicũ, uocat eum nõ ad infirmitatem, sed ad sanitatem: ita habet & uocationis nostræ conditio in Christo Iesu, qua non ad immundiciam, sed ad sanctificationem uocamur. qua de re cogitandum nobis est indesinenter, ne obliuiscamur uoluntatis Dei, cui nos per omnem hanc uitã nostram acõmodare debemus, ne à scopo uocationis nostræ abludamus.

Proinde qui reijcit, inquit, *non reijcit hominem, sed Deum.*] Græcè est, ὁ ἀθετῶν, id est, Qui aspernatur, frustrat, irritum reddit, & reijcit, ἀθετεῖ conditionẽ uocationis huius, qui mauult uitæ suæ retinere immundiciam, quàm sanctificationẽ illius ad quã à Deo uocatur, amplecti. Et ne hoc faciẽs grauitatẽ peccati sui, propterea non uideat, quòd nõ à Deo se, sed ab homine uocari, atq; ita nõ Deum, sed hominẽ reijcere existimat: subiecit ista ad præcedentẽ particulã, ex illa inferens, ac dicens: Proinde qui reijcit, non reijcit hominẽ, sed Deum. Non dixit simpliciter, Non enim uocati sumus: sed, Non enim uocauit nos Deus ad immundiciam, sed ad sanctificationem. Et hinc infert: Ergo qui uocationem hanc reijcit, non reijcit hominẽ, sed Deum ipsum. Quàm autem graue ac perditioni obnoxiũ sit, Deum reijcere, ipsis cogitandũ relinquit. Vbi dicit: Proinde qui reijcit, subintelligendum est, uocationẽ hanc ad sanctificationem, uel nostram contestationẽ & adhortationẽ: ut sequatur, Non hominẽ, sed Deum reijcit, cuius uoluntatem & uocationem irritam reddit.

Ambros. legit, Qui spernit hæc.

Locus hic diligenter notandus est. Vtiq; non Deum tantùm, sed & ipsum Paulum, adeoq; & hominẽ reijciebant, quicunq; obtestationẽ & admonitionẽ illius reijciebant. Et illi nõ credebant se Deum, sed hominẽ reijcere. Quid igitur est, quòd dicit: Proinde qui reijcit, non reijcit hominẽ, sed Deũ: cùm & homo & Deus, homo ut minister, Deus ut in ministro ac uerbo suo reijciatur? Respondeo: Nullius reputat Apostolus, si ipse reijciatur, imò negat se reijci, sed omne hoc peccatũ transfert ad Deũ, propterea quòd cõscius sibi est, nihil se facere in apostolatu suo ex seipso, sed omnia ex Deo. Est itaq; sensus: Proinde qui reijcit, non reijcit hominis uoluntatẽ, uocationẽ & cõtestationẽ, sed Dei: & peccat non in hominẽ, sed in Deum ipsum. Hac conscientia conuenit in ministerio suo esse Christi ministrũ, siquidẽ nihil ex seipso, sed omnia ex præscripto uerbi Dei gerit in Ecclesia. Sentẽtia hæc nõ pendet tã ab officio, quàm à recta illius administratione. Et Iudas in officio Apostolatus fuit, de quo tñ dici nõ potest, quisq; ipsum reijcit, nõ hominẽ, sed Deũ reijciat. Paulus reijcit factũ Petri, cùm uideret eum nõ recto pede ingredi ad Euãgeliũ Dei, Gal. 2. Dicemus ne illũ reiecisse nõ hominẽ, sed Deũ? Nequaquam. Non Deum, sed hominem reijciebat. Quantumuis enim apostolus Christi esset Petrus, Apostoli tamen officium haud rectè tum temporis administrabat: & Paulus non legitimum Apostoli factum, sed præuaricationem illius reijciebat. Transfer hæc ad

Roma-

Romanos pontifices, qui non hominem in se, sed Deum reijci contendunt, eo quòd sint apostoli Petri successores, & Christi uicarij. Etiamsi utrunque ex officio essent, propter præuaricationes tamen tam graues & horribiles Deus in illis reijci non potest, nedum cum ne officium quidem quod sibi uindicant, à Deo acceperint.

Qui dedit, inquit, *spiritum suum sanctum in uos.*] Vulgata Latina editio habet, In nobis, quasi sit in Græco εἰς ἡμᾶς, cum sit εἰς ὑμᾶς: quamuis & Chrysostomi Græcum exemplar habet εἰς ἡμᾶς, i. In nos. Duobus argumentis à uoluntate & uocatione Dei ductis addit tertium: ab eo uidelicet sumptum, quòd spiritum Dei in Christum credentes ac baptizati acceperant. Pertinenter autem non simpliciter dicit, Qui dedit suum spiritum: sed addit, Sanctum: utpote spiritum sanctificationis, per quem sanctificarentur. Qui hunc contaminat in se, ac reijcit, utique non hominem, sed Deum reijcit. Quòd autem spiritus Dei sanctus sit, non solum testantur elogia quæ illi in Scripturis dantur: sed & ipsius operationes, quas in cordibus credentium operatur, dũ concupiscentiã in illis excitat cõtra carnem: cuius opera sunt, adulteriũ, scortatio, immũdicia, lasciuia, simulacrorũ cultus, &c. sicuti uidere licet in ea quæ est ad Gal. cap. 5.

Obserua hic. Acceperant à Deo Spiritum sanctum, & tamen necessarium duxit Apostolus, ut rogaret, adhortaretur, admoneret & obstaretur eos ad sanctimoniam uitæ custodiendam. Non est igitur ut dicamus: Cum haberent in se spiritum Dei sanctum, quorsum opus illis erat Apostolicis adhortationibus ad hoc, ut uas suum quisque cum sanctificatione & honore possideret? Agit quidem spiritus Dei in credentibus: uerùm non semper solo interno actu, sed communiter utitur externo uerbi ministerio, ob quam causam Apostoli ministri spiritus uocantur.

Cæterùm de fraterna charitate non necesse habetis, ut scribã uobis. Ipsi nãq; diuinitùs docti estis, ut diligatis uos inuicem. Nam & facitis hoc erga cunctos fratres, qui sunt in tota Macedonia.

Chrysostomus legit, οὐ χρείαν ἔχομεν, i. Non habemus opus: ubi in nostris exemplaribus habetur οὐ χρείαν ἔχετε, i. Non habetis opus. Vulgata Latina habet, Non necesse habuimus. Et Ambrosius legit, Non habemus necessitatem. Et illud, Qui sunt in tota Macedonia: in Chrysostomo cùm in lectione tum in expositione habetur, τοὺς ἐν ὅλῃ τῇ μακεδονίᾳ, i. Etiã eos qui sunt in tota Macedonia. Quemadmodum præcedentia ad eam pertinent, quæ de sanctificatione præmisit: ita quæ iam subijcit, ad ea sunt referenda, quæ de non supergrediendo fratre in negocio monuit. Etenim fraterna charitas, quæ nobis est Dominico præcepto imposita, eiusmodi iniquitatem ferre non potest, qua frater fratrem in negocio supergrediatur ac grauet. Ideo de illa subijcit:

Cæterùm, de fraterna charitate, inquit.] Græcè est, περὶ δὲ τῆς φιλαδελφίας, i. De dilectione autem fraterna, quæ lectio non erat mutanda. Cum legis, Cæterùm de fraterna charitate: per uoculã Cæterùm, separas ista à præcedenti materia, cuius sunt gratia subiecta. Quare satius est ut legamus, De dilectione aũt fraterna: ut sit sensus, Quàm aũt cũ dilectio ne fraterna pugnet eiusmodi iniquitas, qua frater fratrẽ supergreditur in negocio, nõ est ut admoneã. Neque opus habetis, ut de dilectione fratrũ ad uos scribã. Ipsi uos scitis, quòd qui diligit, non supergreditur eum in negocio quem diligit. Vos autem diligitis fratres, sic edocti à Deo.

Non necesse habetis, ut scribam uobis, inquit.] Ad quid igitur scribit, si necesse non est ut scribat? Respondeo: Dum existimat, idq; scribẽdo significat, sic eos fraterna esse dilectione imbutos, ut necesse non sit de illa uel præcipere, uel admonere: plus urget ne faciant quod fraternæ dilectioni aduersetur, quàm si operosam de illa admonitionem institueret. Hoc enim pacto, ij qui non diligebant fratres, defectum suum agnoscere & emendare: qui uerò diligebant, in dilectione permanere ac pergere mouebantur.

Ipse nanq; diuinitùs docti estis, inquit, *ut diligatis uos inuicem.*] Lege, Vos ipsi nanq; docti estis à Deo. Est enim Græcè αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς. Reddit rationem, quare nõ habeãt necesse ut scribat ipsis. Quoniam causa scribendi ad eos erat, ut partim instrueret eos in ijs quæ ignorabant, partim adhortaretur segnes, corriperet delinquentes, consolaretur afflictos, & cõfirmaret infirmos: ipsi uerò nec ignorabant, diligendos esse fratres, non grauandos: nec adhortandi erant, ut diligerent fratres, cum eos diligerent: eam ob causam dicit, non esse necessarium, ut de fraterna illis dilectione scribat, propterea quòd essent docti à Deo, ut sese mutuò diligerent, & facerent etiam hoc erga cunctos fratres.

Nõ dicit simpliciter, Vos ipsi nãq; docti estis, ut intelligatis, diligẽdos esse fratres: sed, Vos ipsi nãq; à Deo docti estis, ut diligatis uos inuicẽ. Obseruãdũ hic est, qualis sit uera scientia ab ipso Deo acquisita, haud talis uidelicet, quę sola & inefficaci cõstet intelligẽtia, q̃ homo tradere, & mẽs humana tãq̃ ab homine traditã accipere q̃at, sed quę ipso ope fratrẽ diligere sciat ac diligat etiã. Aliàs iuxta cõmunẽ sensum dilectio nõ est capax scientię, sicuti nec odiũ: uerùm in Christianismo tãtum habemus scientię in fide, spe, dilectione, animi humilitate, patientia, timore Dei, &c. quantũ ope præstamus ac pficimus. Hãc scientiã, soli לִמּוּדֵי יְהוָה, i. discipuli Dñi ac ἐκδιδακτοὶ θεοῦ p operationẽ spiritꝰ Dei discũt, reliqua interim carnaliũ Christianorũ multitudo,

etiamsi quotidie doctrinâ fidei, spei, dilectionis, &c. ex optimorum Doctorum ore audiat, scientiam tamen hanc discere non poterit. Quare nemo miretur, unde sit quòd tam est hodie paucorum uera dilectio. Diligendos esse fratres, audimus ex uerbo Domini, & intellimus quid sit diligere fratrẽ, ac frequenter conquerimur, parum ubiq; reperiri dilectionis, at interea suos quique affectus abiecta dilectione sectamur.

Cum autem Apostolus hoc loco tribuit Thessalonicensibus quòd sint θεοδίδακτοι, omnino tribuit illis quod est filijs ueri Israelis Esaiæ 54. promissum, ubi sic legimus וכל בניך למודי יהוה, id est, Et ponã omnes filios tuos doctos Domini, uel dociles Domini: quę uerba sibi carnalis Israel frustra uindicat. Quomodo namque à Deo docti sunt, qui irremissa contumacia & stupenda cæcitate Spiritui sancto restiterunt semper, & in hodiernum usque diem ueritatem Dei blasphemant? Pertinent itaque hæc uerba ad spirituales ac ueros Israelitas in Ecclesiam Dei ex Iudæis & Gentibus diuinitùs electos, per euãgelium Dei uocatos, per fidem in Christum iustificatos, ac per spiritum illius sanctificatos. Hi soli sunt reuera θεοδίδακτοι.

Nam & facitis hoc erga cunctos fratres, inquit.] Probat eos esse doctos à Deo, ad diligendum fratres. Probat autem ex ipso opere quod faciebant. Diligebant fratres, & hinc cõstabat esse eos à Deo doctos. Vita & efficacia scientiæ, quæ ex Deo est, ipso illius opere declaratur. Mortua est omnis scientia, quæ opere non præstatur. Vbi uides efficaciam operis, agnosce uitam traditam à Deo. Mater à Deo docetur ut diligat liberos suos, & hoc comprobatur ipso dilectionis opere. Liberi, si essent & ipsi θεοδίδακτοι ad diligendum parentes suos, utique eos diligerent. Qui credit in Christum, à Deo audiuit ac didicit. unde hoc constat? Ex eo quòd credit in Christum. Nã ea fides nullo potest humano magisterio tradi & acquiri. Sed unde probari potest, quòd credamus in Christum? Ex opere charitatis, per quam efficax est fides. Et Seruator ipse dicit: In hoc cognoscẽt omnes, quòd discipuli mei sitis, si charitatem inter uos mutuam habueritis. Discipulum Christi esse, est esse discipulum Dei, ac per spiritum illius doceri. Ipse doctor charitas est. Est itaque & experimentum doctrinæ eius in uera ac uiua charitate. At hodie fidem ac scientiam Christi comprobamus non diligendo cunctos fratres, sed de mysterijs Dei fortiter, acutè & magistraliter disputãdo, & in Ecclesia Christi acerbissimè in eos qui à nobis uel leuiter dissentiunt, conuiciando ac sæuiẽdo. Et interim sumus, si Deo placet, egregiè θεοδίδακτοι, obliti Apostolicæ sententiæ, qua 1. Cor. 13. omnem omnium mysteriorum scientiam, omnemque fidem inanem ac nihil esse dicit, si desit dilectio: quæ contesta tio fidelissimi Apostoli sic hodie contempta iacet, ut rarus quisq; sit ex omni illo tam numeroso doctorum numero qui illam uel semel inspicere, deq; ueritate illius cogitare sustineat.

Erga cunctos fratres, inquit.] Non simpliciter, Erga fratres: sed, Erga cunctos fratres. Agnosce discrimen inter adulterinam, & eam quæ uerè Christiana est, charitatem. Adulterina dilectio est, qua non omnes fratres, id est, Christianos, sed eos tantum diligimus, qui nobiscum in singulari aliqua sententia facere uidentur. Sic diligit sectarius suæ sectæ socios, & hos tantum pro fratribus habet. Eiusmodi dilectionem nunquam probauit Apostolus, quia non est ex Deo, sed ex carne. Christiana uerò dilectio est, qua Christianus spiritu Christi imbutus diligit Christianos omnes, ut Christianos propter Christum, etiamsi complures ex illis haud per omnia secum faciant, & inter se quoque non in omnibus idem sentiant. Fratres suos metitur non sectario aliquo consensu, sed manifesta nominis Christi confessione. Omnes eos qui nomen ac fidem Christi confitentur, pro Christianis habet, & propter Christum diligit. Haud quidem cum omnibus per omnia consentit, id quod fieri nec debet, nec potest, propter interminabilem sententiarum uarietatem: erga omnes uerò quatenus Christiani sunt, amanter afficitur, seruata interim sanæ fidei regula, idem dicens quod Menelaus ad fratrem: συνεόρτων σοι βέλομ', ἀλλ' οὐ συμνεσῶν. De hac itaque fraterna dilectione loquens Apostolus, non simpliciter dicit, Non facitis hoc erga fratres: sed, Nam facitis hoc erga cunctos fratres.

Sed quæsierit hic quisquam: Si diligebant cunctos fratres, quid necesse fuerit præcipere illis, ne quis fratrem in negocio supergrederetur? cum nec charitas fraterna, nec θεοδιδακτία eiusmodi iniquitatem ferat.

Respondeo: Si legas, Erga cunctos fratres qui sunt in tota Macedonia, incertum relinquitur an etiam erga cunctos fratres id fecerint, qui erãt in Ecclesia Christi Thessalonicæ. Si uerò cum Chrysostomo legas, Erga cũctos fratres, etiam eos qui sunt in tota Macedonia: dubitatio hæc tollitur, & respondendum est, quòd hæc Apostoli uerba non sint accipienda de omnibus promiscuè qui erant Thessalonicę Christiani, quasi nemo inter illos fuerit reprobus. quod dicit: Vos ipsi docti estis à Deo, ut diligatis uos inuicem, non pertinet nisi ad electos & ueros Christianos. Illi sanè diligebant cunctos fratres, reliqui uerò non ita: sed ubi cõmodum ipsis uidebatur, grauabant fratres. Horum respectu admonuit, ne quis fratrem supergrederetur in negocio.

Qui sunt in tota Macedonia, inquit.] Metropolis Macedonię erat Thessalonica. Et hoc nomine qui

qui Christiani illic erant, haud parum occasionis habebant declarandæ in eos charitatis, qui Christiani erant in Macedonia. Habēt hic cuius admoneantur Metropolitani. Duo insignia tribuit Thessalonicensibus Apostolus. Vnum, quòd propter eximiam fidem typi essent reliquorum Christianorum in omni Macedonia & Achaia. qua de re suprà cap. 1. Alterum, quòd erga omnes fratres etiam in tota Macedonia fraternam charitatē declararent. Horum exemplum imitentur Metropolitani prælati, qui propter Metropolitanarum urbium prerogatiuā dominatum exercent in subiectarum regionum Ecclesias. Præluceant illis splendore fidei, & operibus fraternæ charitatis.

Obsecramus autem uos, fratres, ut abundetis magis, & in hoc incumbatis, ut quieti sitis, & agatis res proprias, & operemini proprijs manibus uestris, sicuti uobis præcepimus, ut uos geratis honestè erga extraneos, & nulla re uobis sit opus.

Sunt qui ista, Obsecramus, uel, si mauis, Hortamur autem uos, fratres, ut abundetis magis, ad præcedentia referant: quasi hortetur eos, ut quod faciebant erga fratres, diligendo eos omnes, id porrò magis ac magis facerent, inque eo quisque cùm alios, tum seipsum uincere contenderet. quæ sententia non ineptè præcedenti materiæ conuenit. Verùm, cum bona horum pace, simplicius esse puto, ut nouam hic sententiam poni sentiamus, qua eos redigat in ordinem, qui doctrina charitatis ad ignauiæ suæ, desidiei, curiositatis & quæstus occasionem abutebantur: nihil operis facientes, sed ociosè ac curiosè circumeūdo, ex aliorum laboribus uictitantes. de quibus in posteriore, Capite ultimo pluribus agit. Hos respiciens dicit: Obsecramus autem uos fratres, ut abundetis magis. hoc est: Vt magis in eo sitis, ut copiam eorum quæ ad uitæ huius sunt sustentationem necessaria habeatis, quàm ut penuriam patientes fratribus sitis oneri. Proprio uicio penuria rerum necessariarum premi, non est honori Christiano nomini, sed dedecori. Hanc ignominiam ac labem ab Ecclesia Christi auertere uolens, hortatur omnes ut eiusmodi turpem inopiam ac mendicitatem fugientes, contendant potius ut abundent, quàm ut egeant. Non loquitur autem de ea abundantia quæ seruiat turpi ocio, luxui & fastui, qualem uidemus esse diuitum huius seculi: sed quæ ad necessariam uitæ sustentationem honestè, ac sic faciat, ut non modò egestatem excludat, sed & fratrum necessitatibus aliquo pacto subuenire possit. Hoc genus abundantię intelligit, cum Philipp. 1. dicit: Scio abundare, & scio penuriam pati.

Et in hoc incumbatis, inquit, *ut quieti sitis, & agatis res proprias.*] Græcè est, καὶ φιλοτιμεῖσθαι, quod Vulgata Latina habet, Et operam detis: & Erasmus, Et in hoc incumbatis. Significat autem φιλοτιμεῖσθαι non simpliciter, sed sic in rem aliquam incumbere & conniti: quemadmodum solent ambitiosi, dum honores, quibus possunt laboribus ac studijs ambiunt.

Hortatur eos hoc uerbo, ut quemadmodum homines curiosi in id incumbebant, ut ociando, circumeundo, ac res curiosas & alienas inter fratres agitando non modò ex alienis laboribus uiuerent, sed & existimationis aliquid inuenirent: ita ipsi in id incumberent potius, ut quieti res suas agerent, & ab alienis abstinerent. Doctrina hæc admodum utilis est, non modò ad Ecclesiastici, sed & ad politici status tranquillitatem conseruandam. Quemadmodum enim politicus status per inquietos homines turbatur, qui relictis suis, alienis sese negocijs immiscent: ita accidit & Ecclesijs per eos Christianos, qui curiosi & inquieti non modò suisipsorum rebus agendis non incumbunt, sed & alios inquietudine sua turbant. Eiusmodi turbatio uitatur, dum singuli suas stationes retinentes, non aliena, sed quæ se concernunt, citra aliorum iniuriam agunt: perinde atque in corpore humano tranquillitas seruatur, dum unumquodque membrum stationi, ordini, & operi suo immoratur.

Vt quieti sitis, inquit, *& agatis res proprias.*] Illud, Vt quieti sitis, in Græco est, ἡσυχάζειν: quod non modò quiescere, sed & in silentio agere significat. Sic non quiescunt, qui perpetuò habent quod iam de fratribus, iam de ministris ac præpositis querantur. Nec illi quiescunt, qui omnia recepta in dubium uocantes, noua dogmata comminiscuntur, quo nominis aliquid in Ecclesia inueniant. Olim monachi sic uitam suam Apostolicæ huic regulæ conformabant, ut in desertis locis abditi agerent in silentio, & res suas curantes proprijs manibus operarentur, & usqueadeò non essent mendici, ut & peregrinos accipere ac reficere possent. Posteri uerò illorum ab hac regula descedētes, facti sunt inter Christianos inquieti, sic ut non solum cathedras docentium: sed & ipsum Romanæ sedis fastigium, & secularium principum dignitatem occuparint, ac toti facti sint mundani. unde illud est:

Quicquid agit mundus, monachus uult esse secundus.

Et agatis res proprias, inquit.] An mox quietus est, qui res proprias agit? Inuenias qui sic agant res proprias, ut nihil minus sint quàm quieti. Auarus sic agit res suas, ut & semetipsum & alios inquietudine sua turbet ac grauet, dum noctes ac dies accumulandis

landis opibus inhiat, & aliorum rebus emendo, uendendo & usurando plurimùm incommodat, & omnia ad sustentationē uitæ concernētia chara reddit. Horum hominum inquietudine fieri uidemus, ut nihil possit amplius emi, quod non sit antea nescio quoties ipsorum quæstu aggrauatum. Et tamen dum hæc faciunt, nihil agunt aliud quàm res suas. Verùm non agunt eas citra aliorum iniuriam, nec agunt modis licitis, sed illicitis & inhonestis. Quod igitur Apostolus hic dicit, Et agatis res proprias: non auocat Christianos à studio charitatis, per quam fratrum cura afficimur, magis quàm nostra ipsorum: sed ab inquieta curiositate, qua rebus proprijs relictis, alienis immiscentur homines curiosi, desides & inquieti. Aliàs probari non potest inter Christianos, quòd tam sunt multi, qui rebus proprijs agendis sic sint dediti, ut res fratrū, quantumuis afflictas, prorsus negligant. Nemo Christianus quod suum est quærit, sed quod aliorum: & interim tamen non est in aliorum negocijs curiosus, sed in proprijs agendis quietus.

Et operemini, inquit, *proprijs manibus uestris, sicuti uobis præcipimus.*] Ocium parit egestatem, & omnis generis uitia, præsertim inquietam curiositatem. Econtrà χειροπονία seruit quieti, & arcet egestatem, & præterea conueniens est præcepto Dei, humano generi mox initio post transgressionem impositō, Genes. cap. tertio. Hoc sentiens Apostolus, magno serio denunciauit fidelibus, ut proprijs manibus operando quietè agerent, egestatem uitarent, & necessariarum rerum copiam acquirerent, quo ueris egenis opem ferre possent.

Quid est autem quòd non simpliciter dicit, Et operemini: sed addit, Manibus uestris? Si labor manuarius requiritur ab omnibus Christianis communiter, quis locus erit illis in Ecclesia, qui manibus operari nesciunt, quales sunt plerunque nobiles, diuites, potentes, docti ac sapientes?

Respondeo: Erant tum temporis in Ecclesijs Christi non multi nobiles, diuites, potentes ac sapientes, sicuti uidere est 1. Corinth. 1. sed erat fidelium numerus collectus ferè ex hominibus plebeis, βαναύσοις, & operarijs. Quare necessarium erat, ut accommodaret se Apostolus conditioni fidelium, ac regulam uictus præscriberet talem, quæ multitudini conueniret. Interea tamen non reiecit eos qui ad manuarias erant operationes inepti, modò quieti & honestati studerent, nec alijs essent oneri.

Chrysostomus perstringit hoc loco eos qui prætextu operum spiritualium ab operibus manuū ociabātur. Sic enim dicit: *ποῦ ἐσμεν οἱ τὸ ἔργον ῥητοῦντες τὸ πνευματικὸν; ὁρᾶτε πῶς αὐτοῖς πᾶσαν περίφασιν ἀνάλυσιν ἀπὸν ταῖς χερσὶν ὑμῶν; ἆρα ναυπήγημά τι ἐργάζεται ταῖς χερσίν; ἀλλὰ παννυχίδας; ἀλλὰ χαμευνίας; τοῦτο δὲ ἄπιστον, ἀλλὰ περὶ ἔργου φησὶ τοῦ πνευματικοῦ. πνευματικὸν γὰρ ὄντως ἐστὶ, τὸ ἐργαζόμενον ἀτίρωτον παρέχειν. πρὸ τοῦδε ἴσον νάττη.* Hæc ille. cuius temporibus tam innumera non erat ociosorum uentrorum multitudo, qui omnes religionis precationum, ieiuniorum, strictarum regularum, templariorum boatuum, & Missarum prætextu prorsus nihil operis facientes de bonis Ecclesiasticis, quæ pauperum sunt, lautissimè uiuunt: similes illis, quos Seruator domos uiduarum sub prætextu longæ precationis deuorare dixit.

Non est autem ociosum, quòd non simpliciter dicit, Et operemini χερσὶν ὑμῶν, id est, Manibus uestris: sed addit, τοῖς ἰδίαις, id est proprijs, ad refutandum eos qui manus fratrum suas esse iudicantes, de laboribus illorum ipsi ocioli uictitant. Communicare uolunt non de laboribus, sed de bonis fratrum, prætexentes primæ Ecclesiæ exemplum, in qua fidelibus Christi omnia erant communia. Verùm iniqua est hæc communicatio, in qua manus fratrum alię laborant, aliæ ociosæ de laborantium laboribus comedunt. Ad reprimendum hosce fucos, disertè dicit Apostolus: Et operemini proprijs uestris manibus.

Sicuti uobis præcepimus, inquit.] Græcè est παρηγγείλαμεν: id est, Denūciamus. de quo uerbo & suprà alicubi diximus. Obserua uerò, quàtà cum diligentia causam hanc tractarit Apostolus. Nō erat contētus, quòd mox initio denūciauerat coràm, ne quis ociosus de aliorū laboribus uiueret: sed omnes proprijs manib. suis quod honestum esset opentur, nisi hoc se illis denunciasse per Epistolam hāc admoneret, cuius ad huc in posteriore copiosius eos erat admoniturus. Diligentia hac reuerà non est sine magnis rationibus usus in hac causa. Primò, imminebant Ecclesijs Christi grauissimæ persequutiones, proscriptiones & exilia, quibus futurum erat, ut fideles sedibus proprijs eiecti inter extraneos uersari cogerentur. Hic commodum erat non oberrare in ocio, & alijs siue fratribus, siue extraneis esse oneri: sed operari manibus, & de proprijs laboribus uiuere. Videmus hodie non paucos oberrare sub prætextu Euangelij, propter quod sint in exilium pulsi, inter quos pauciſsimos inuenias qui aliquid honesti operis facere uelint, unde sine fratrum detrimento sustentari possint. Magna pars passim oberrat in ocio, & ministrorum mensas sectatur, quibus tamen parcè satis dispensantur, quæ sunt cùm ipsis tum uxoribus & liberis illorum necessaria. Pars, ubi non satis lautè inter Euangelicos accipitur, redit ad ollas Aegyptias, quo possit in ocio ac delicijs saginari. Hæc possunt uitari, si sic instituerētur Christiani, ut Apostolicæ sese regulæ huic accommodarent.

Deinde,

Deinde, cauendum erat ne ignauis hominibus implerentur Ecclesiæ, qui perinde atque fuci uerarum apum, ita isti operantium fidelium laboribus deuorandis ocioſi incumberent. Nam hoc genus hominum insidioſum est Ecclesijs Christianorum, propter singulare benefaciendi, communicandi ac largiendi studium, quod ex spiritu & doctrina charitatis nascitur: non ut illud ipsi exerceant, sed ut ex eo ocioſi & nihil operantes uiuant.

Tertiò, consulendum erat ueris egenis. Neque enim fieri poterat, ut sufficerent fideles ocioſis & ignauis, unà cum ueris egenis alendis. Quare quicquid impenderetur in ocioſos uentres, id ueris pauperibus detraheretur. Necessarium itaque erat, ut singulari cura malo huic occurreretur. In Papatu non potuerunt iustæ contributiones fieri, quibus unaquæque Ecclesia suos egenos alere, & à mendicitate liberare debebat, propter infinitos sumptus quos rasa & uncta ignauorum uentrorum multitudo etiam ab inuitis extorsit. Vnde factum est ut ueri pauperes miserabiliter circuire ac mendicare in hodiernum usq; diem ad ignominiam Christiani nominis cogantur, dum interea ignauum ac delicatum pecus, fruges consumere natum, de bonis Ecclesiæ splendidè saginatur.

Quartò, amputanda erat uitiorum, scelerum ac flagitiorum occasio, quæ per ocium gignuntur, cuius rei nimis manifesta specimina per uniuersum Christianum orbem à rasis & unctis passim eduntur, quorum turpitudo omnia ferè collegia, monasteria & parœcias à summo ad infimum usque conspurcauit: ut summopere mirandum sit, quomodo diuina patientia tam catholica, tam manifesta, tam innumera, tam enormia, tam fœda ac spurca, tamque impudentia Ecclesiastici ordinis flagitia tot iam seculis perferre potuerit, quæ omnia ex ocio ac luxu in Ecclesias inundarunt.

Sunt & aliæ rationes, quæ Apostolum mouerunt ut hac de re tam diligenter præciperet: uerùm quas iam recensuimus, sic sunt comparatæ, ut satis indicent, magnopere fuisse necessarium hoc genus instituti ac præcepti, quod nostra iam magis quàm piorum Ecclesiarũ tempora experiuntur.

Vt uos geratis honestè, inquit, *erga extrarios.*] Reddit rationem, ad quid uelit eos proprijs manibus operari. Ne uidelicet, si ocio dediti sint, fiant egeni, ac sanis corporibus circumeant ac mendicent, atque ita causam obijciant extraneis, nomen ac religionem Christi blasphemandi. Et hoc fiebat etiam, cum increduli uiderent Christianos in ocio & ignauia indecenter circumire ac mendicare sub nomine Christi, unde & uocarunt eos χριστιανίζους, propterea quòd Christum ignauiæ ac quæstui suo prætexerent.

Admonemur hoc loco, quàm sit homini Christiano curandum, ut non modò piè, sanctè ac iustè, sed & ὡσχημόνως, id est, decenter etiam in oculis incredulorum conuersetur, & omnem ἀσχημοσύνην uitet. Deinde cogitandum hic est, si etiam ethnicorum hominum iudicio indecenter ambulat, qui cum sit sano corpore, mauult sectari ocium, egere & mendicare, atque ita alijs esse oneri, quàm honesto aliquo opere necessarium quærere uictum, quàm debeat nobis Christianis displicere & intolerabilis uideri huiusmodi ἀσχημοσύνη, quæ tamen iam passim inualescit, non modò in turba mendicãtium dũtaxat, sed & ciuiũ & incolarũ etiã in agro: ubi non Dominicis duntaxat diebus, sed & subsequentib. in quib. iussu Dei operandum est, noctes ac dies tabernis uinaris immorantur, & omnia sua concoquunt, Magistratib. interim ad tantum Christiani nominis dedecus, & uehementer noxiam ἀσχημοσύνην conniuentibus ac tacentibus.

Et nulla re uobis sit opus, inquit.] Græcè non est καὶ μηδενὸς πράγματος, id est, Nulla re: sed simpliciter, καὶ μηδενὸς χρείαν ἔχητε, id est, Et nullo opus habeatis, quod referri potest tam ad res necessarias, quàm ad extraneos. Priorem sensum tenuit Erasmus, posterior sic constat, ut uos geratis honestè erga extraneos, & nemine illorum opus habeatis. Ambrosius sic legit: Et nullius desiderium sit uobis. Et Vulgata Latina: Et nullius aliquid desideretis. Sensus est: Sic unusquisque uestrûm operetur manibus suis, ut effugiat egestatem, nec opus habeat, ut ex aliorum contributionibus uiuat. Aliàs fieri non potest, ut sic quisquam uiuat in hoc seculo, ut nulla prorsus in re operam alienam desideret: id quod ne regibus quidem contingere potest. Sic enim comparati sumus, ut mutuam inter nos operam necessariò requiramus. Verùm ea demum egestas turpis est, & ignominiosa, quæ ex ocio & ignauia nascitur.

Sunt itaque uitiosa ac fugienda hæc. Primùm, Ociari: deinde, turpiter egere: tertiò, mendicare, uel odio quouis modo alijs esse oneri: quartò, dedecori esse nomini Christiano coram incredulis: quintò, nihil impendere ueris egenis. Econtrà honesta ac persequenda sunt ista: Operari manibus aliquid honesti ac necessarij operis. Deinde, non egere turpiter, sed habere quæ necessarius postulat usus. Tertiò, neminem grauare. Quartò, decenter conuersari etiam coram incredulis. Quintò, pro uiribus opem ferre fratribus egenis.

Cæterùm, nolo uos ignorare, fratres, de ijs qui obdormierunt, ne doleatis,

quem-

quemadmodum & cæteri non habentes ſpem. Nam ſi credimus quòd Ieſus mortuus eſt & reſurrexit, ſic & Deus eos qui obdormierunt per Ieſum adducet cum illo. Hoc enim uobis dicimus in uerbo Domini, quòd nos qui uiuemus, & reliqui erimus in aduentu Domini, nequaquam præueniemus eos qui dormiunt. Quoniam ipſe Dominus cum hortatu & uoce archangeli, ac tuba Dei deſcendet de cœlo, & mortui in Chriſto reſurgent primùm: deinde nos qui uiuemus, qui reliqui erimus, ſimul cum illis rapiemur in nubibus in occurſum Domini in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus. Proinde conſolemini uos mutuò ſermonibus his.

Propoſitio textus huius eſt, non conuenire Chriſtianis ut mortuos ſuos ethnico more lugeant. Eam mox initio ſic ponit: Nolo autem uos ignorare fratres, de his qui obdormierũt, ne doleatis, quemadmodum & cæteri non habentes ſpem. Reliqua declarationis ſunt, & inſtructionis gratia adiecta.

Cæterùm, nolo uos ignorare fratres, inquit, *de ijs qui obdormierunt.*] Erant tum Chriſtiani in medio gentium perinde atque oues occiſionis, ſic ut non modò communi lege naturæ cum alijs eſſent mortalib. morti obnoxij, ſed ab impijs & incredulis morti propter Chriſtum quotidie traderentur. Quoniam autem humanis adhuc erant affectibus obnoxij, fiebat ut mortuos ſuos impenſius æquo lugerent, eaque in re uel nihil uel certè parum differrent ab incredulis. Hoc cum eſſet inconueniens Chriſtianis, propter ſpem reſurrectionis, corrigendum eſſe iudicauit Apoſtolus, ne probro Chriſtianam fidem afficerent.

Principiò, quoniam intelligebat eiuſmodi luctum mortuorum ex ignorantia naſci, dicit: Nolo uos ignorare de ijs qui obdormierunt, i. Nolo uos ignorantes eorum eſſe, quæ futura ſunt ijs qui obdormierunt. Significat hinc eſſe ipſis mortuorum luctum, quòd ignorantes eſſent, quid de illis ſentire ac ſperare deberent. Alioqui ſi id cognoſcerent, fore ut gauderent illorum nomine magis quàm ut contriſtarentur. Sic frequenter accidit, ut contriſtemur magis ex ignorantia, quàm ex ipſa cauſa, quam triſtem ac lugubrem eſſe putamus. Sic Iacob haudquaquam tantopere propter Ioſephum ſuum luxiſſet, ſi qualitatem & ſtatum cauſæ illius liquidò cognouiſſet, ex cuius poſtea cognitione abiecto luctu incomparabili gaudio affectus eſt. Dici non poteſt, quantum ualeant in nobis errores, & falſæ opiniones per ignorãtiam ueritatis conceptæ. Hac de re frequenter ſumus admonendi. Cogitandum nobis eſt: Homines ſumus, & ad errandum procliues. fieri poteſt, ut id quo contriſtamur, nihil habeat ueri, ſed ſit inanis opinio. Quorſum attinet autem, falſis uel incertis etiam opinionibus diuexari? Satis tempeſtiuũ erit, ut lugeamus, ubi ueritas patefacta triſticiã adferre cœperit.

Nolo uos ignorare, fratres, de ijs qui obdormierunt.] Vox hæc non eſt ſacrificulorum in Eccleſijs Papiſtarum, qui in materia hac, de qua loquitur Apoſtolus, luculentiſsimum quæſtum exercent. Is autem nunquam locum in Eccleſijs inueniſſet, ſi Chriſtiani cauſam eorum qui obdormierunt, probè cognouiſſent: inuenit uerò, poſteaquam illi ad ignorãtiam relapſi, ſollicitudinem quidem de ſalute mortuorum ſuorum retinuerunt, at conſolationem quæ eſt ex cognitione Chriſtianæ ueritatis amiſerũt. Nõ dicunt igitur Chriſtianis papiſtæ ſacrificuli & monachi: Nolumus uos ignorãtes eſſe, quid de ijs q̃ obdormierũt, ſentire debeatis: ſed in eo potius ſunt, ut Chriſtianã ueritatẽ incognitam illis reddant, quo ſecurius ac liberius quæſtũ cum ignorantibus exerceant. Et hoc faciunt primùm, ea quæ uera ſunt & cognoſcẽda fidelibus, non docendo, cum interim doctrinam hanc Apoſtolis in exequijs mortuorum Latinis uerbis cantillent: deinde, ueritatem, ſi quis eam in lucem proferat, reprimendo ac damnãdo: tertiò, quæ falſa ſunt, de purgatorio igne, de indulgentijs Romanis, de uigilijs ac miſsis pro defunctis, Eccleſijs obtrudẽdo. His medijs efficiũt, ut populus Chriſti ignoret quid de mortuis ſuis ſperare debeat, tam abeſt ut cũ fideliſsimo Chriſti Apoſtolo dicant: Nolumus uos ignorare, fratres, de his qui obdormierũt. Cogitet hic pius lector quo ſpiritu uerſentur in Eccleſia, qui data opa hoc agũt, ut ſuppreſſa ueritate omnia cæca ignorãtia obſcurentur.

Qui obdormierunt, inquit.] Poterat dicere, Qui mortui, uel, Qui occiſi ſunt: uerùm quo admoneret eos, mortem Chriſtianorum, ſiue morbo aut ſenio, ſiue morte uiolẽter illata moriantur, non eſſe mortem, ſed dormitionem: dicere maluit, Qui obdormierunt. qua metaphorica dictione, omnem eam triſticiam, quam mortis opinio adfert, in certam ac ueram conſolationem mutat. Quis enim contriſtatur, uidens amicum, fratrem, filium, parentem, &c. ſomno correptum dormire? Quis nam rem lugubrẽ incurſurum ſe iudicat, ſi obdormiat, & nõ magis ultrò ſe placido ſomno accommodat? Qui dormit, de illo ſpes bona eſt, quòd breui ſit multo alacrior ſurrecturus, quàm fuerit antea. Conſimilis eſt & morientium conditio, propter ſpem reſurrectionis. Vnde & de Lazaro mortuo, quem excitaturus erat, dicebat Dominus: Lazarus amicus noſter dormit: ſed uado, ut à ſomno excitem eum. Ioan. 11. Vſurpatur autem metaphora hæc obdormitionis non ſolum de illis qui conſueta moriendi lege moriuntur,

riuntur, ſed & de illis qui uiolenter occiduntur, ſicuti uidere eſt in Actis cap. 7. ubi de S. Stephano, quem Iudæi lapidarunt legitur: Et cum hoc dixiſſet, obdormiuit.

Ne doleatis, inquit.] Quid referebat, dolerent ne propter mortuos ſuos, uel ſecus? An non propius ad humanos affectus accedit, qui dolet ſuper mortuis ſuis, quàm is qui Stoico more nullum doloris ſenſum in morte ſuorum experitur?

Reſpondeo: Dolorem, qui ex naturali eſt compaſsione, non uetat, ſed moderatur: eum uerò inconuenientem eſſe Chriſtiano homini docet, qui ex ethnica ignorantia naſcitur. Ille namque impoſtoribus uiam aperit, ad quæſtum omnium turpiſsimum, & plus quàm ethnicum. Hi nunquam dicunt, Ne doleatis, ne contriſtemini, ne pro ſalute mortuorum ueſtrorũ anxiè ſolliciti ſitis: ſed admodum probant, ſi dolor & anxiatas ſit uehemens. Tum enim patẽtiſsimum aperitur omnis generis ſuperſtitionibus oſtium, & innumeræ offeruntur ad Simoniacum quæſtum occaſiones, qualibus Simoniaciſsimus Papatus abundat, maximè in funeribus diuitum.

Quemadmodum & cæteri, inquit, *non habentes ſpem.*] Iterum Gentium cæcitatem & ignorantiam Chriſtianis fugiendam eſſe monet. Gentes, inquit, admodum ſuper mortuis ſuis contriſtantur, id quod mirum non eſt, quandoquidem futuræ reſurrectionis ſpem non habent: uobis autem cum ſitis Chriſtiani, ſciatisque quid de ijs qui obdormiunt ſperare debeatis, non conuenit, ut ſitis ſimiles Gentibus, cognitione, fide ac ſpe futuræ reſurrectionis deſtitutis. Quare nolo uos ſic ſuper mortuis ueſtris contriſtari ac lugere, ſicut ipſi ſuper ſuis contriſtantur ac lugent.

Quid igitur? uultne ut in recepto, catholico ac publico ritu funerum diſcrepent à reliquis, hoc eſt, à patria Eccleſia? Neque enim luctus mortuorum arbitrarij erant, ſed legitimi ac catholici, ut ſine infamia & ſingularitatis nota nec omitti nec mutari poſſent. Notum eſt autẽ, quanta ſit unicuique genti ſua conſuetudo tyrannis. Vult ſanè, quátumuis ea res plurimum eſſet moleſtiarum allatura fidelibus, cuius rei exempla noſtris temporibus abundè multa in Papatu uidimus. Admonemur, non conuenire nobis ut in ſuperſtitionibus gentis noſtræ, utut Eccleſiaſticis, conſuetis & catholicis, relicta ueritate priſcam & auitam conſuetudinem ſequamur, ſiue faciendo quod faciunt alij, ſiue facientibus communicando, non modò in funeribus, ſed & nuptijs.

Nam ſi credimus quòd Ieſus mortuus eſt & reſurrexit, ſic & Deus eos qui obdormierunt, per Ieſum adducet cum illo.] Aetiologia eſt, ad declarandum quare non debeant contriſtari ſuper ijs qui obdormierunt, ſicuti gentes, quæ ſpem non habent. Nam, inquit, nos ſpem habemus, quam illi non habent. Spes autem noſtra hæc eſt, quòd, ſi credimus quòd Ieſus mortuus eſt & reſurrexit, per Ieſum eos qui obdormierunt adducturus ſit cum illo.

Nam ſi credimus, inquit.] Non dicit ſimpliciter, Nam ſi mortuus eſt Ieſus & reſurrexit: ſed, Nam ſi credimus quòd Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit. Dices, Ergo qui hoc non credunt, nõ reſurgent in die iudicij: atque ita nonniſi credentes reſurgent, & non erit omnium uniuerſalis reſurrectio?

Reſpondeo: Repetendum eſt uerbum Credimus, ad hunc modum: Nam ſi credimus quòd Ieſus mortuus eſt & reſurrexit, credimus etiam, quòd Deus eos qui obdormierũt, per Ieſum adducet cum illo. Atque ita per expreſsionem fidei Chriſtianæ ſimul & ſpes noſtra exprimitur. Deinde obſeruandum eſt, quòd non dicit, Sic & qui obdormierunt per Ieſum reſurgent: ſed, Sic & Deus eos qui obdormierũt, per Ieſum adducet cum eo. quod amplius eſt, quàm ſi diceret, Reſuſcitabit. & propriè pertinet ad eos qui credunt in Chriſtum, & in fide illius moriuntur. Aliàs reſurgent communiter omnes mortui, tam reprobi quàm electi & fideles: uerùm non omnes adducentur cum Chriſto, ſed ij tantum, qui per illum obdormierunt. Non eſt igitur ex hiſce uerbis colligendum, non reſurrecturos eſſe in die iudicij, niſi fideles tantum. Ea nanq; de re non loquitur Apoſtolus, ſed ſimpliciter explicat, quę ſit propriè ſpes Chriſtianorum, quam gentes incredulę habere nequeant: propterea quòd illa non niſi ex fide in Chriſtum haberi poteſt, quod ſignificans dicit: Nam ſi credimus quòd Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit, &c. Obſerua uerò quàm prudenter nõ dicat, Nam ſi creditis: ſed, Nam ſi credimus, ne de fide illorum dubitãter ſcribere uideatur, propterea quòd luctum mortuorum reprehendit, indeq; illos auocat, tanquam ab eo, qui cum fide Chriſtiana cõſiſtere nequeat, ſed planè ſit incredulorum. Quod itaque dicit: Nam ſi credimus, ad communem Chriſtianorum omnium fidem pertinet: addendumq; illi eſt, Quemadmodum utique credimus. Hinc enim ſpei noſtræ argumentum ducit.

Quòd Ieſus mortuus eſt, inquit, *& reſurrexit.*] Quid magni eſt credere, quòd Ieſus ſit mortuus? cum hoc omnes etiam Iudæi credant, nec à Gentibus negetur?

Reſpondeo: Credunt quidem Iudæi, Ieſum Nazarenum crucifixum eſſe & mortuum: uerùm non credunt crucifixum & mortuum eſſe Chriſtum. Paulus uerò dum Ieſum nominat, Chriſtum filium Dei intelligit, deque illo nos credere, dicit: quòd ſit mortuus, quòd Iudæi nullo modo credere ſuſtinẽt. In priore ad Corinth. cap. 15. dicit. Tradidi enim uobis cum primis,

mis, quòd & accepistis, quòd Christus mortuus sit pro peccatis nostris secundũ Scripturas, & quòd sepultus sit, & quòd resurrexerit tertia die secundum Scripturas. Hanc fidem nec Iudæi nec Gentes capiunt, sed est omnino donum Dei, & propriè Christianorum. Quare non est tam leuis momenti, quàm apparet. De morte, resurrectione, ascensione, & reditu Christi multa disputata sunt apud ueteres, & hodie quoq; à nonnullis curiosè ac scrupulosè magis q̃ pro Christiana simplicitate conuenit, disputatur & contenditur: quasi non sufficiat ad fidem Christianam, si simpliciter credamus, Dominum Iesum Christũ filium Dei mortuum esse in cruce propter peccata nostra, resurrexisse à mortuis ad iustificationem nostri: ascendisse ad cœlos, ibique sedere à dextris Dei, & inde rediturum cum potestate magna ad iudicãdum uiuos & mortuos: nisi ad innumeras curiosas quęstiones expeditè respondeamus, quę de morte, resurrectione, ascensione, dextera Dei, mansione cœlesti, qualitate corporis Christi, ac reditu illius ab ociosis hominibus mouentur, de quibus ne uerbo quidem meminit Apostolica doctrina, & quibus fides Christiana magis intricata redditur, quàm in cordibus fidelium ædificatur.

Quid futurũ aũt est credentib. quòd mortuus sit Iesus, & resurrexerit? Audi. Sic & Deus, inquit, eos qui obdormierunt per Iesum, adducet cũ illo. Ergo eiusdẽ felicitatis & gloriæ participes erũt cũ Christo. Quemadmodũ enim illũ Deus propter peccata nostra mortuũ è mortuis excitauit, & in cœlestem gloriam transtulit: ita & credentes in ipsum unà cum eo à mortuis excitatos adducet. Pro eo quod dicendum erat, Sic Deus & credẽtes in Iesum: dicit, Sic Deus & eos qui obdormierunt per Iesum adducet cum illo. Nõ est satis credere ad tempus, quòd mortuus sit Iesus, & resurrexerit: sed oportet in ea fide perdurare & obdormire. Fit autem hoc bifariam. Primò, quando propter fidem & Euangelium Christi in confessione illius occidimur & obdormimus. Deinde, quando in fide illius etiam in pace ad mortem usq; perseueramus. Vt huius eos admoneat, quo alacriores ad patiẽdum moriendumq; pro Christo fierent, & obdormitionem suorum, qui in Christo mortui erant, commodius ferrent, rectè dixit: Sic & Deus eos qui obdormierunt, per Iesum adducet cum eo.

Illud, Per Iesum, admonente etiã Chrysostomo, sic positum est, ut uel ad præcedens uerbũ Obdormierunt, uel ad sequens Adducet, referri possit: ac legi, Eos qui per Iesum obdormierũt, uel, Eos qui obdormierunt, adducet per Iesum cum eo. Si legamus, Qui obdormierunt p Iesum, mirum uideri poterit, quomodo dicantur fideles mori per Christũ, cũ id de Adamo rectius prædicetur, quòd per illũ moriamur: de Christo uerò, quòd per hunc uiuificemur. Quẽ admodũ namq; in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes uiuificantur. Verùm nihil est incommodi. Vtrumq; rectè dicitur. Moriuntur omnes per Adamum, per quem unum mors intrauit in mundum: & fideles per Christum moriuntur, dum propter illum ab impijs huius seculi tyrannis occiduntur. Et tamen Christus non est minister mortis, sed uitæ: minister uerò mortis est Adam.

Adducet cum eo, inquit.] Quò adducet eos cũ Christo? Ebr. 2. dicit: Decebat enim eũ, ꝓpter quẽ sunt omnia, & per quem omnia, q̃ multos filios ducit ad gloriã, ducẽ salutis ipsorum per passiones consummare. Ergo fideles, tanquam filios suos, adducet Deus ad gloriam, filiorũ Dei uidelicet, per ducem illorum Christum. Ea de re paulo infrà memorabit.

Obserua. Nõ dicit, Sic etiã qui obdormierũt resurgẽt: sed, Sic & Deus eos qui obdormierũt, per Iesum adducet cũ eo. Admonemur consolationẽ nostrã, super mortuis nostris & nobisipsis, non esse simpliciter in futura corporũ nostrorũ resurrectione, quãdoquidem & reprobi resurgent, idq; ad condemnationem: sed in eo, quòd per Christũ, & unà cum Christo à Deo patre ad cœlestẽ filiorũ Dei gloriã, à mortuis excitati & immutati adducemur. Omnino inæstimabilis erit adductionis huius gloria in eo potissimũ, quòd non nostro ipsorum arbitratu accedemus, sed àb ipso Deo patre adducemur: idque non solo angelorũ ministerio, sed per ipsum Christum, & sic, ut non simus nisi unà cum Christo.

Hoc enim uobis dicimus in uerbo Domini, inquit, *quòd nos qui uiuemus, & reliqui erimus in aduentu* Domini, *nequaquam præueniemus eos qui dormiunt.*] Modum exponit, quo nos Deus à mortuis excitatos unà cum Christo est adducturus. Præmittit autẽ eorum quæ dicturus est fidedignam authoritatẽ, quę rationis humanę iudicio ac refragationi opponatur, cũ dicit: Hoc enim uobis dicimus in uerbo Domini. Q. d. Nihil dico de meo, sed quo certi sitis, ex uerbo Dñi dico, quod dico. Quod si quis dubitat, nõ de meo, sed de Dñi uerbo dubitat. Dubitare aũt de uerbo Dñi, non est hominis Christiani. Christiani nanq; est, nulla in re de uerbo Domini hæsitare.

Quæritur hic, de quo uerbo Domini loquatur. Respondent nõnulli, de uerbo reuelationis, quod habebat ex spiritu Christi, q̃ ex ipso loq̃batur, de quo meminit, dicẽs: An experimentũ quæritis eius q̃ loquitur in me Christus? Sanè ex illo loq̃batur omnia. Videtur aũt hic loq nõ de illo, sed de peculiari quodã, qđ sit ex ipso ore Dñi, hac de re ꝓlatũ. Meo iudicio, loq̃tur de uerbo Dñi, qđ Mat. 24. legitur ad hũc modũ: Et mittet angelos suos cũ tuba & uoce magna, & cõgregabũt electos ei9 à quatuor uẽtis cœli, à summis cœlis usq; ad terminos eorũ. hãc electorũ cõgregationẽ accipit nõ de uiuis tãtũ, sed & de mortuis. quòꝺ ꝓtinet & illud qđ Ioã. 5.

sic

ſic eſt à Domino dictum: Nolite mirari hoc, quia uenient hora, in qua omnes qui in monumẽtis ſunt, audient uocem filij Dei: & procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem uitæ: qui uerò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij. Ex huiuſmodi uerbo Domini colligit, quod dicit: Hoc enim uobis dicimus in uerbo Dñi, quòd nos qui uiuemus, & reliqui erimus in aduẽtum Dñi, nequaquam præueniemus eos qui dormiunt. unde hoc conſtat? Quoniam, inquit, ipſe Dominus cum hortatu & uoce archangeli, ac tuba Dei deſcẽdet de cœlo, & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primùm, &c. Quod autem dicit, ἐν λόγῳ κυρίου, i. In ſermone uel uerbo Domini, apparet idem eſſe quod, Secundum uerbum Dñi, uel tanquam uerbum Domini: ut quemadmodum Ebræis nonnunquam בדבר יהוה, i. In uerbo Dñi, idem eſt quod כדבר יהוה i. ſecundum uerbum Dñi: ita hic quoq; per Ebraiſmum ἐν λόγῳ κυρίου, idem ſit quod κατὰ λόγον κυρίου. Vidit hoc Germanicus interpres, atq; ita uertit, *Dann das ſagen* Vuir euch als ein Vuort des Herren. Sũt quib. ἐν λόγῳ κυρίου idem hic eſſe uidetur, quod, In negocio uel cauſa Domini: uerùm quam aſsignaui ſententiam, ſimpliciorem eſſe puto.

Quòd nos qui uiuemus, & qui reliqui erimus in aduentum Domini, inquit.] Græcè eſt, ὅτι ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ κυρίου. i. Quòd nos uiuentes, reliqui in aduentum Domini, &c. Non loquitur de illis qui cum hæc ſcriberet, in uiuis erant: ſed de ijs qui in aduẽtu Dñi ſuperſtites futuri erant. Quare rectius uertit Eraſmus in futuro, Qui uiuemus, & reliqui erimus: quàm Vulgatus Latinus interpres in præſenti, Quia nos qui uiuimus & reſidui ſumus.

Non dicit autem ſimpliciter, ὅτι οἱ ζῶντες, i. Quòd qui uiuent: ſed, ὅτι ἡμεῖς οἱ ζῶντες. i. Quòd nos qui uiuemus. Neq; enim de omnib. in genere, qui tum in uiuis erunt, ſed de fidelib. tantum loquitur, quos ſub uocula Nos, tanquam fidelis & ipſe, & eiuſdem ſpei conſors intelligit. Non enim ſe quoque ad reditum Domini uſque in hac uita permanſurum exiſtimabat.

Et reliqui erimus in aduentum Domini, inquit.] Quòd in aduentu Domini futurus ſit ſtatus mũdi, qualis nũc eſt, & olim fuit temporibus præſertim Noe & Loth, ex ipſo uerbo Domini certum eſt, quod Matth. 24. & Lucæ 17. ad hunc modum legitur: Sicut in diebus Noe fuit, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium, comedentes & bibẽtes, nubentes & nuptui tradentes, uſque ad diem quo intrauit Noe in arcam: & non cognouerunt, donec uenit diluuium, & tulit omnes, ita erit & aduentus filij hominis. Tunc duo erãt in agro, &c. Et, Sicut factum eſt in diebus Loth, edebant & bibebant, emebant & uendebant, plantabant & ædificabant: qua die autem exijt Loth è Sodomis, pluit ignem & ſulphur de cœlo, & perdidit omnes. Secundum hæc erit qua de filius hominis reuelabitur, &c. In illa plenitudine mortalium, quæ tum erit ſuper terram, erunt quidem & Chriſtiani: uerùm pauci, & afflicti, & hinc inde diſperſi, & περιλειπόμενοι de numero uidelicet afflictorum & occiſorũ per orbem ſparſim ſuperſtites & relicti, quos Deus tanquam reliquias Eccleſiæ ſuæ in aduẽtum uſque Domini protectione ſua ſeruabit. Quare Apoſtolus admodum conſultè non ſimpliciter dicit, οἱ ζῶντες: ſed addit, οἱ περιλειπόμενοι: nec dicit, ἐν τῇ παρουσίᾳ ſed, εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ κυρίου. Nõ eſt citra ſingulare conſilium Dei futurum, ut reliquiæ Eccleſiæ Chriſti ſuperſtites ſint in aduentu Domini. Declarabitur ea in re potentia Dei, qua ſola contra impijſsimum Antichriſti furorem ad uſque Chriſti aduentum electi in hoc mundo ſeruabuntur.

In aduentu Domini, inquit.] Græcè eſt: εἰς τὴν παρουσίαν κυρίου. Significat autem παρουσία propriè præſentiam eſſentialem, à uerbo πάρειμι. Non aduenier Chriſtus uirtualiter tãtum, ſed in ſua ipſius perſona ueraciter & eſſentialiter, ad quem modum nemo Chriſtianus illũ iam & ſemper adeſſe dixerit.

Nequaquam præueniemus eos, inquit, *qui dormiunt.*] Non dicit, Nequaquam deſiderabimus eos qui dormiunt: ſed, Nequaquam præueniemus eos. Et eſt ſenſus: Vſqueadeò nihil damni inferet mors illis qui dormiunt, ut non modò non ſint in morte manſuri, ſed tam citò ac ſubitò reſurrecturi, ut à uiuentibus pijs præueniri nequeant, quo minus unà cum illis in occurſum Domini rapiantur. Videtur incredibile eſſe quod hic dicit. Neque enim ratio apparet, propter quam ij qui uiuunt, non ſint ad occurrendum uenienti Domino mortuis ac ſepultis expeditiores futuri. Subijcit igitur dicti huius declarationem, dicens: Quoniam ipſe Dominus cum hortatu & uoce archangeli, ac tuba Dei deſcẽdet de cœlo, & mortui in Chriſto reſurgent primùm: deinde nos qui uiuemus, qui reliqui erimus ſimul cum illis rapiemur in nubibus in occurſum Domini, in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus.

Illud, Cum hortatu, in Græco eſt, ἐν κελεύσματι quod Vulgata Latina habet, in iuſſu, quemadmodum & Ambroſius legit. Sonat autem κελεύσμα, quod imperatum eſt à ſuperiore, & ad alios per miniſtrum translatum, qui ſenſus non inconueniens eſt præſenti cauſæ.

Quoniam ipſe Dominus, inquit, &c.] Quare nos qui uiuemus, & reliqui erimus, in aduẽtum Domini, non præueniemus eos qui dormierunt? Quoniam, inquit, Dominus ipſe deſcendet de cœlo, & excitabit mortuos primùm: deinde nos qui uiuemus, ſimul cum excitatis mortuis rapiemur obuiam Chriſto. Non dicit, Quoniã mittet Dominus angelos ſuos: ſed, Quoniam Dominus ipſe deſcendet de cœlo. Satis accuratè loquitur. Non dicit ſimpliciter, Quoniam Dominus: ſed addit, Ipſe, ut exprimat perſonalem illius aduentum, & fidelium animos

non ſolum in fide harum rerum confirmet: ſed & ad deſiderium aduentus Domini inflammet. Quis enim uerus Chriſtianus, Chriſti Domini ſui amans, non omnium auidiſsimè eum diem exoptet, in quo ſciat Dominum ipſum cœlitùs ad liberandum ſuos, & ad imponendum perditiſsimo huic mundo finem, cum cœleſti gloria & Maieſtate deſcenſurum?

Cum hortatu, inquit, *& uoce archangeli, ac tuba* Dei *deſcendet de cœlo.*] Nõ ſimpliciter dicit, Quoniam ipſe Dominus deſcendet de cœlo: ſed ut Maieſtatem illius, cum qua deſcenſurus eſt, ſimul exprimat, addit, Cum iuſſu & uoce archangeli, ac tuba Dei. Hanc Chriſtus ipſe Matthæi uigeſimoquarto ſic exprimit: Et uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cœli, cum uirtute multa & Maieſtate, & mittet angelos ſuos cum tuba & uoce magna. Deſcendet tanquam rex regum, & iudex totius terræ, iam non ut antea ad ſaluandum, ſed ad iudicandum mundum: ideoque deſcendet non abſconditè, ſed palàm in oculis omnium: non in infirmitate, ſed cũ diuina Maieſtate: non cũ paucis piſcatoribus, ſed cum exercitu angelorum: non cum prædicatione Euangelij, ſed cum uehementi angelicæ tubæ ſonitu: non ad remittendum peccata, ſed ad iudicandum peccatores.

Cum iuſſu & uoce archangeli, inquit.] Inter angelos id eſt archangelus, quod primarius dux inter milites. De ordinibus angelorum non eſt ut diſputemus. Deſcenſum Chriſti Apoſtolus ad formam regiæ expeditionis deſcribit. Deſcendent cum eo omnes angeli, quorum quàm innumera ſit uis ac multitudo, quis nam ſanæ mentis explicare conabitur? Idem dico de illorum ordinibus. Veteres nonnulli dicunt, hunc archangelum eſſe Michaelem: ſed unde probabunt, quod dicunt? Ambroſius exponit de ipſo Chriſto. Sic enim dicit: Ipſe enim Chriſtus Dominus uoluntate patris, quaſi primus angelus Dei, cum exercitu cœleſti deſcendet de cœlo, ad gerendum bellum nomine Dei contra Antichriſtum. Quem Apoſtolus uocat archangelum, ipſe uocat primũ angelũ. Et paulò poſt: Eſt enim, inquit, ut ipſe dixit ad Ieſum filium Naue, dux & princeps exercitus Domini, propter quod archangelus dicitur.

Chryſoſtomus exponit ad hunc modũ: τὸν οὖν ἀρχάγγελον οἶμαι τὸν ἡγησόμενον τῶν ἀπεσταλμένων, βοῶντα τοῦτο, ὅτι ἑτοίμους ποιεῖτε πάντας. πάρεστι γὰρ ὁ κριτής. id eſt, Archangelum igitur exiſtimo eſſe præfectum illorum qui miſsi ſunt, uociferantem hoc: Paratos reddite omnes, adeſt enim Iudex. Mihi ſanè non ſatis probabile uidetur, quod ſic loquutus eſſet Apoſtolus: quoniam ipſe Dominus cum iuſſu & uoce archangeli ac tuba Dei deſcendet de cœlo, ſi per Archangelum Dominum ipſum intellexiſſet.

Cum iuſſu, inquit, *& uoce archangeli, ac tuba* Dei.] Nolim anxiè diſcernere inter κέλευσμα, uocem ac tubam. Archangelo tribuit κέλευσμα & uocem, nec dubium quin & tubam. Erunt illa, ſi ſpectetur authoritas, Dei ac Domini. unde & Chriſtus Ioan. capite quinto dicit: Amen dico uobis, quòd ueniet hora, & nunc eſt, quando mortui audient uocem filij Dei: & qui audierint, uiuent. Et paulò pòſt: Nolite mirari hoc, quia ueniet hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient uocem eius, & prodibunt, &c: Si uerò ſpectetur miniſteriũ, erunt archãgeli, qui non ſolum tuba Dei, ſed & uoce ac τῷ κελεύσματι Dño Chriſto unà cum reliqua angelorũ multitudine miniſtrabunt.

Ac tuba Dei, inquit.] Chryſoſtomus legit hoc loco, ἐν τῇ ἐσχάτῃ σάλπιγγι, i. in nouiſsima tuba. Sic Apoſtolus tubam hanc 1. Cor. 15. uocat. Et hinc colligit, præceſſuras hanc tubá alias quaſdá, quarum ipſa poſtrema ſit futura. Poteſt etiá propterea extrema uocari, quòd poſt illã non ſit futura alia, eo quòd per eam perficietur reſurrectio mortuorũ, & euocatio ad iudicium. Sic 1. Cor. 15. Nõ omnes quidẽ dormiemus, inquit, omnes tamẽ immutabimur, in pũcto tẽporis, in momento oculi, per extremam tubam. Clanget enim, & mortui reſurgent incorruptibiles, & nos immutabimur.

Deſcendet de cœlo, inquit.] Ad terram utique. Ergo cœlum, unde Chriſtus in fine mundi uiſibiliter uenturus eſt, ſupernè eſt: & terra in quam deſcendet, infernè.

Et mortui in Chriſto reſurgent primùm, inquit.] Iam incipit opus Chriſti, ad iudicandum deſcẽ ſuri, hactenus exponere, quatenus faciebat ad propoſitum. Erat autem propoſitum, perſuadere fidelibus, non eſſe ipſis propter mortuos in Domino lugendum, quemadmodum ſuos mortuos lugent homines ethnici, ſpe reſurrectionis deſtituti: & hanc eſſe ſpem Chriſtianorum, quòd mortui ipſorum, uirtute Dei reſuſcitati, colligẽdi ſint per angelos ad Chriſtũ, & apud hũc in ſempiternũ felices máſuri. Huic ſeſe propoſito accõmodãs, nõ recenſet omnia quæ futura ſunt in aduẽtu Chriſti: ſed ea tantũ, idq; in ſumma, quę cõcernũt ſalutẽ ac felicitatẽ fideliũ. de pditione uerò impiorũ, deq; ruina & mutatione totius mũdi, nihil meminit: ſic nõ dicit ſimpliciter, Et mortui reſurgẽt: ſed, Et mortui in Chriſto reſurgẽt, ut ſignificet, ſe loq; de mortuis fidelib. qui in fide Chriſti ad mortẽ uſq; pſeuerarẽt. & addit, Primũ: ad differẽtiá reli-

reliquorum, qui alieni sunt & erunt à Christo. Licet enim resurrecturi sint omnes mortui, fideles & infideis: fideles tamen priores erunt in resurrectione, quo unà cum uiuis electis congregentur ac rapiantur ad Christum.

Obserua uerò, quòd iam uocat eos mortuos in Christo, quos antea uocauit dormientes per Iesum. Propter ueritatem & gloriam resurrectionis agnoscẽdum ac fatendũ est, uerè mortuos esse qui obdormierunt in Domino. Rursus, propter fidem ac spem nostram in cordibus nostris alendam, rectè uocantur Dormientes, qui mortui sunt in Domino. Est autem mirabilis omnino somnus, in quo dormiunt mortui: & rursus non minus mirabilis mors, in qua qui mortui iacent, dormiunt. Si dormiunt, non sunt prorsus omni uita priuati: si mortui sunt, omni sunt uita destituti. Videntur hæc in oculis mundi non posse in ijsdem cõsistere, sic ut & motui sint & dormiant. Non considerant potentiam Dei, quemadmodum & Sadducæis dicebat Christus, Matth. 22. quòd uirtutem Dei ignorarent. Reipsa mortui sunt mortui, & quantum in ipsis est, manent mortui, usque in sempiternum: per uirtutẽ uerò Dei fit, ut sint dormientes, propter futuram excitationem, atque ita uitam suam non omnino amissam suo sint tempore recepturi. Et hanc potentiam Dei non considerant, quantumuis illa in plerisque animalculis singulis annis declaretur. Videmus muscas hyeme mortuas, uerno tempore prorepere uiuas. An non & illæ sunt simul & mortuæ & dormientes? mortuæ, quia nihil inest illis uitæ: dormientes, quia suo tempore ueluti euigilant, & denuò uitam recipiunt.

Et mortui, inquit, *in Christo.*] Si mortuus in Christo is est, q̃ in fide Christi moritur: de mortuis Christianorum infantibus quæsierit quisquam, quomodo illi in Christo mortui dici possint, si antequam in Christum credere incipiant, morte ex hac uita abripiantur?

Respondeo: Pertinent & illi ad Christum, etsi non propter fidem, quam morte præuenti consequuti non sunt: primum tamen propterea, quòd fidelium sunt parentum liberi, & cum illis fœderis Dei participes, iuxta illud: Ego sum Deus tuus, & Deus seminis tui: deinde propter sacramentum Baptismatis, quo in Christum Dominum sunt initiati, & in futuram fidem, si superstites manerent, Ecclesiæ Christi incorporati. Quare & illi cum reliquis Christianis primum excitabuntur, simulque in occursum Domini in nubibus rapientur. Includuntur etiam hic patres priorum seculorum, qui ante tempora Christi uixerunt. Nam & illi cum semine ipsorum propter fidem uenturi Seruatoris in Christo fuerunt.

Resurgent primum, inquit.] Potest uocula πρῶτον, i. primum bifariam accipi. Primò sic, ut intelligamus, mortuos in Christo prius quàm reliquos omnes mortuos resurrecturos. Sic nos supra exposuimus. Deinde sic, ut referendum sit ad uiuos fideles, sitque sensus: Mortui qui in Christo sunt, resurgent prius quàm uiui fideles Christo occurrant. Et hæc expositio conuenit proposito, & ei quod dixit: Nos qui uiuemus, & reliqui erimus in aduenum Domini, nequaquam præueniemus eos qui dormiunt. Huius enim causam in eo expressit, quod hic dicit: Qui mortui sunt in Christo, resurgent primùm: deinde nos qui uiuemus, &c.

Deinde nos, inquit, *qui uiuemus, qui reliqui erimus. simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aera.*] Mortui per resurrectionem liberabuntur à mortalitate & corruptione carnis, atq; ita reddentur incorruptibiles & immortales, ac corporibus ad hoc aptis, ut nubibus in aere ferri possint. De uiuis autem quæri poterit, quomodo illi unà cum excitatis mortuis in nubibus in occursum Domini in aera rapi poterunt, corporibus adhuc existentes mortalibus, ponderosis, & corruptibilibus. Hic non exprimit illorum mutationem, sed simpliciter asserit, fore ut simul cum resuscitatis fidelibus rapiantur in nubibus obuiam Domino in aera. Verùm 1. Cor. 15. hac de re sic loquitur: Hoc autẽ dico fratres, quòd caro & sanguis regni Dei hæreditatem assequi non possunt, neque corruptio incorruptibilitatis hæreditatem accipit. Ecce mysterium uobis dico. Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur, in puncto temporis, in momento oculi, per extremam tubam. Clanget enim, & mortui resurgent incorruptibiles, & nos (intellige, qui uiuemus) immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem, &c. Ergo subita illa immutatio per quam corpora eorum qui tum in uiuis erunt à corruptione & mortalitate carnis liberabuntur, & corporibus resuscitatorum morum conformia & æqualia reddẽtur, idem in illis efficiet, quod resurrectio in mortuis. Nec est ut hic anxiè cum Augustino disputemus, sint ne tum uiui uel in ipso raptu, uel antea, mortem aliquo pacto gustaturi, uel secus. Quid enim attinet ea de re quærere, quã Apostolica scriptura non exprimit, & nõ magis diuinam illam potentiam ac Maiestatem Christi in futura uiuorum mutatione, perinde atq; in mortuorum resurrectione considerare ac deprædicare? Per mutationem subitam ac momentaneam fiẽt corpora uiuorum immortalia & incorruptibilia. Hoc fide capiamus, & spe firma expectemus: quod reliquum autem est, Domino committamus.

Simul cum illis rapiemur, inquit.] Quid est quòd simul rapientur uiui cum mortuis, qui non simul in hac uita coniuncti sunt, sed & seculis inde ab initio mundi ad finem usque, & linguis

& moribus, & lucis admodum diuersis à se inuicem diuiduntur?

Respondeo: Hæc diuersitas ac separatio mortalium præsentis est mundi, qui pro sua imperfectione futuræ mortalium coniunctionis capax esse non potest. Post resurrectionem uerò sic erimus comparati, & sic erit futuræ uitæ status, ut iam non amplius diuisione pristina opus simus habituri, sed cum gloria Dei omnes omnium seculorum & Gentium electi simul cum Christo coniungamur. Tum erunt coniuncti ex electis innumeri, qui in hac uita cõstituti alij alios per errorem condemnarunt, inter quos erit & Paulus cum illis fidelib. quos ante conuersionem propter Christum persequutus est.

Rapiemur, inquit.] Græcè ἁρπαγησόμεθα. Significat rapi, uiolentet ac subitò aliquid abripi & auferri. Ergo ne raptus ille fidelium uiolentus erit, & continget inuitis? Nec uiolentus erit, nec cõtinget inuitis, sed erit subitus, uelut in momento, & in ictu oculi. Hanc ob causam usus est uerbo rapiendi. Si repentè ac subitò auferentur, ut nõ liceat deliberare, aut aliquid in hoc seculo disponere, uel cuiquam ualedicere. Duo erunt in lecto uno: quorum alter assumetur, alter relinquetur, duæ in molendino: unà assumetur, altera relinquetur. Sic per totum terrarum orbem subitò auferentur electi ac fideles: reliqui uerò, etiamsi sint coniunctissimi, relinquentur.

Fiet autem hic raptus per ministerium angelorum. Mittet enim Dominus angelos suos, cum tuba & uoce magna, & congregabunt electos eius à quatuor uentis cœli, &c. Matt. 24. An uerò angeli electos Dei, singuli singulos, uel unus plures sint rapturi, non est ut quæramus. Existimo tamen haud absurdum esse, si sentiamus unumquenq; electorum per peculiarem suum sibiq; deputatum angelum rapiendum esse, & in nubes auferendum.

Deinde raptus hic cõtinget, ut probabile est, non excitatis mortuis, sed uiuis. Nam post resurrectionem talibus erunt corporibus, qui è mortuis excitabuntur, ut non sint opus habituri eiusmodi raptu: uiui uerò, nondum immutatis, sed adhuc grauibus corporibus depressi, ac telluri huic affixi, non poterunt sese attollere ad cœlestia: quare opus illis erit ut angelico ministerio rapiãtur, & in ipso raptu immutentur. Quod si quis illud, ἅμα σὺν αὐτοῖς, i. Simul cum illis, sic dictum esse existimat, ut & excitatos mortuos rapiendos, & uiuos cum illis intellige re debeamus, per me licet sic sentiat.

In nubibus, inquit.] Et Christus ipse cum post resurrectionem cœlos ascenderet, in nube ascendit, in nubibus etiam redibit. Nubes sunt currus cœlestes, quibus filij Dei uehentur ad cœlestia. Hæ non erunt tenebricosæ, sed lucidæ: non terrestres, sed cœlestes.

De nubibus hisce admoneamur, quoties tribulationibus ac pressuris huius mundi exercemur. Sunt illæ instar nubis tetræ & tenebricosæ, uerùm mutabuntur in candidas nubes. Dum afflictamur, cuperemus uallem hanc omnis miseriæ relinquere, & ad cœlestia migrare. Verùm donec in carne hac sumus, ad cœlestia non possumus nisi per suspiria & uota leuari: tum autem dabuntur nobis nubes, in quibus è mundo hoc erepti instar uolucrum cœli sursum ad ipsum Christum perferamur. Cogita quæso, quanto cum gaudio nubes illas ingressuri, & infinitam electorum multitudinem, exercitusque angelorum & ipsam Seruatoris nostri faciem uisuri simus.

In occursum Domini, inquit.] Vide quantum discriminis sit inter electos & reprobos. Electi cum gaudio & bona cum fiducia occurrent uenienti Domino ac iudici Christo, dicẽtq;: Benedictus qui uenit in nomine Dei patris sui, quẽ iugi spe expectauimus. Reprobi uerò haud quaquam illi occurrent, sed insolabiliter angustiati ac gementes, dicent: Væh nobis, uæh nobis infelicib. Quò fugiemus? Venit ille, quem omnium minimè expectauimus, uenit ad perdendum nos longè citius quàm credidimus. Optabunt tellurem sibi dehisci, ut per illam saltem à facie Domini operiantur. Chrysostomus utitur hoc loco admodum eleganti simili: βασιλίων, inquit, εἰς πόλιν εἰσιόντων εἰ μὲν ἐντιμοί πρὸς ἀπάντησιν ἐξίασιν, οἱ δὲ κατάδικοι ἔνδον μένουσι τὴν πρέπουσαν. καὶ πατρὶς φιλοτέκνου παραγινομένου, εἰ μὲν παῖδες, καὶ ἄξιοι παῖδες εἶναι, ὥστ' ἐχόμενοι ἐξάγεσθαι, ἄσμενοι καὶ καταφιλῆσαι εἰ δὲ πρόσκαιροι τῶν οἰκείων ἔνδον μένουσιν. Hæc ille. Reuera occursus ille non erit nisi electorum, qui in hac uita syncero corde pendent à Domino, & aduentum eius diligunt, & omnium auidissimè expectant.

In aera, inquit.] Eph. 2. uocat satanam principem potestatis aeris. Hæc illi potestas adimetur per aduentum Domini, qui de cœlo ad nos per aera descẽdet, & ibi electos suos ad se colliget. Tum sanè expiabitur ac repurgabitur aer ab immundicia malorum spirituum, quemadmodum & terra ab inhabitatione impiorum hominum.

Et illud cogitandum est, Rapiemur in occursum Domini in liquidum aera. Hic non modò Dominus ipse, sed & nos in oculis totius mundi conspicui erimus, & implebitur quòd Sap. 5. ad hunc modum legitur: Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores ipsorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in tam subita & insperata salute, gementes præ angustia spiritus, ac dicentes intra se: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum & probrum. Nos insensati uitam illorum existimabamus esse insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo

do computati ſunt inter filios Dei, &c. Nunc ſumus obſcuri in oculis mundi, tunc erimus illuſtres: nunc habemur pro hæreticis, tunc nemo dicturus eſt, Ecce hæreticos. Implebitur tunc illud Coloſſ. 3. Vita ueſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. Cùm autem Chriſtus apparuerit, uita ueſtra, tunc & uos apparebitis cum illo in gloria.

Et ſic ſemper cum Domino erimus, inquit.] Cum Domino. Diceret ſaltem, Cum angelis. Erimus utiq; & cum angelis. Verùm maluit dicere, Cum Dño, quàm cum angelis, ne nõ cum Domino, ſed cum angelis tãtùm futuros nos eſſe putemus. Sic Dñs ipſe dicebat: Volo pater, ut ubi ego ſum, ibi ſit & miniſter meus. Et Ioan. 14. Iterùm ueniã & aſſumã uos ad meipſum: ut ubi ſum ego, ibi & uos ſitis. Aliter in hac uita nobiſcum eſt Dñs, per ſpiritũ ſuum, p gratiã & uirtutẽ & uerbũ, aliter cum illo erimus poſt hanc uitã, & corpore uidelicet & ſpiritu. Iam ſi Dominus corpore ſuo non eſt aliquo loco, ſed ubiq;, ſecundum dogma Vbiquetariorum, & nos erimus cum illo: ergo neque nos erimus aliquo loco, ſed ſimul cum illo ubiq; circumfuſi. Sed quis nam piorum doctorum unquam ſic docuit?

Non autem ſimpliciter dicit, Cum Domino erimus: ſed, Semp cum Dño erimus. Ne quis q̃rat, quid nã futurũ ſit nobiſcũ, poſteaquã in nubibus in occurſum Dñi in aera rapti ac ſublati fuerimus. Semper (inquit) cũ Domino erimus. Non eueniet nobis, quod in hoc ſeculo fieri uidemus. Vbi populus effunditur in occurſum regis ſui, peracto honoris officio nõ retinẽtur à rege ut cũ ipſo maneant: ſed dimittuntur, ut ad ſua quiſq; reuertatur. Lõgè aliter nobiſcum agetur. Abſoluto cœleſti occurſu nõ dimittemur, ut reuertamur ad ſedes priſtinas: ſed à Dño retinebimur, & cũ illo erimus in ſempiternũ. Nemo igitur q̃rat, ubi erimus ad cœleſtia perducti? & quid faciemus? Cum Domino erimus ſemp. Si ſciat ſe miniſter ſemper futurum cum Domino ſuo rege, admodum curioſus ſit oportet, ſi quærat quid nam ſit facturus.

Nec eſt ut quæras, ubi nã futurus ſit Dñs? Futurus eſt ubi uolet, & ubi Maieſtatem ipſius eſſe decebit. Id potius curabis, ut pares te in illius occurſum, ne ſi imparatus deprehendaris inter reprobos, relinquaris unà cum reprobis: & uideas quidẽ gloriam electorũ Dei, non aũt cum illis in occurſum Domini rapiaris, atq; ita neq; futurus ſis cum illo.

Nec ocioſum eſt quòd non ſimpliciter dicit, Et ſemper cũ Domino erimus: ſed, Et ſic ſemper cum Domino erimus. Quomodo ſic? An ſic ſemper cum eo hærebimus in aere? Non dicit, Et ibi ſemper: ſed, Et ſic ſemper cum Domino erimus. Intellige, quales tum erimus, tales & cum Domino manebimus. Et hoc pacto adducti ad illum, ſemper cum eo erimus. Non ſeparabimur poſt occurſum, ſed ſic ſemel illi cõiuncti, manebimus cum eo in ſempiternum.

Proinde conſolemini uos mutuò, inquit, *ſermonibus his.*] Græcè eſt, παρακαλεῖτε, id eſt, Adhortemini. Interpretes tamen maluerũt reddere, Conſolamini, reſpicientes ad id quòd Theſſalonicẽſes Apoſtolus inſtruere uoluit, quare non conueniat ipſis, ut mortuos ſuos lugeant, perinde atq; ij qui ſpem non habent. Meo tamen iudicio uerbum Hortandi non abludit à propoſito. Neq; enim hoc tantùm agere uoluit Apoſtolus, ut conſolationem pararet lugẽtibus: ſed & id, imò potius id, ut hortaretur eos ne lugerent. Sic iam concludens monet eos, ut hiſce uerbis mutuò ſeſe hortentur, ne quiſquam ipſorum propter mortuos contriſtetur.

Et hoſce ſermones Papiſtarum ſacrificuli in uigilijs & exequijs mortuorũ Latinè, lingua incognita pro quęſtu cantillant: perinde ac ſi dicat Apoſtolus, Itaq; ſermones hoſce pro mortuis ueſtris, ut è purgatorio igne liberentur, cantate. Interea ſinunt eos qui lugent, luctu ſuo liberè indulgere, cùm Apoſtolus longè diuerſum agat.

Nequeo autem ſatis admirari maiorum noſtrorum incogitantiam ac ſtupiditatẽ, qua non obſeruarunt, quo ſermone fideles inſtruat Apoſtolus in cauſa mortuorum, ne de ſalute ipſorum ignari fruſtrà contriſtentur. Hortemini uos mutuò (inquit) ſermonibus his. Quibus? De reſurrectione uidelicet, & coniunctione, qua in ſempiternum cum Domino erunt coniũcti. Quare non dicit, Videte, quomodo eos ex igne purgatorio per uigilias, miſſas, & Pontificias indulgentias liberetis? Si ea uia eſſet certa ad ſuccurrẽdum mortuis, nemo dubitet Apoſtolum diligenter de illa fuiſſe præceptur um. Iam cùm ex profeſſo de mortuis fidelium agat, & quid de illis ſentire ac ſperare debeamus doceat, nihil proponit aliud, quàm quæ illis in aduentu Domini ſunt euentura: & concludens, monet earum rerum ſermonibus, debere nos inuicem alios aliorum animos erigere & cõſolari. De tempore intermedio nihil prorſus meminit, in quo tamẽ Papiſtarum ſacrificos uberrimi quęſtus materiã quęſierunt, & inuenerũt, illaq; impudentiſsima impoſtura, ne hodie quidem in tam manifeſta luce uti ceſſant. Certa erat doctrina in Eccleſijs, de ſpiritibus defunctorum fidelium, quòd illi redeãt ad Deum, qui ipſos dedit, qua ſpe & hic ipſe Apoſtolus dixit: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.

Hac ſpe cõtenti erant olim fideles, priuſquam commentum ignis purgatorij ſub Antichriſto obtruſum eſt Eccleſijs.

CAPVT QVINTVM

ARGVMENTVM CAPITIS.

Tempus aduentus Domini monet, non esse curiosè inuestigandum, sed sobriè & uigilanter expectandum. Præpositos Ecclesiarum uult haberi in precio. Subijcit generalia quædam præcepta: & optat illis, ut per omnia in aduentum usq; Domini sanctificentur. Postremò commendat se illorum precibus, & Epistolã clausurus obtestatur eos ut legatur fratribus omnibus.

PORRÒ de temporibus & articulis temporum, fratres, non est opus ut uobis scribam. Ipsi enim planè scitis, quòd dies ille Domini, ut fur in nocte, ita uẽturus sit. Cùm enim dixerint, Pax, & tuta omnia, tunc repẽtinus eis imminet interitus, sicut dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient.

Ex ijs quę de aduentu Domini Capite præcedenti dixit, nascebatur quæstio de tempore quo uenturus esset. At ea quæstio Christianis non competit. Quare necessarium ratus est Apostolus, ut ab ea animos Thessalonicensium auocaret, & hortaretur potius ad irremissam Christianę uitæ sobrietatem ac uigilantiam.

Porrò, inquit, de temporib. & articulis temporum non est opus ut uobis scribam.] Quasi dicat: Expectatis forsan, fratres, iam de temporibus aduentus Dñi, ijs quę dicta sunt subijciã, quando uidelicet aduenturus sit dies ille Domini, in quo hæc omnia fiant. Verùm οὐ χρείαν ἔχετε ὑμῖν γράφεσθαι: id est, Non habetis opus ut scribatur uobis. Sic moderata ratione, de qua & Capite præcedenti diximus, auocat eos ab hac curiosa cogitatione. Poterat dicere: De temporibus aduentus Domini, & articulis eorum temporum nolo uos quærere. Est enim ea cogitatio admodum curiosa, & ab ipso Domino prohibita, ut quæ ad nos non pertineat. Sic enim discipulis suis dixit Actorum 1. Non est uestrum nosse tempora & articulos temporum, quos pater in suaipsius constituit potestate. Verùm maluit hac uti moderatione, ut diceret: De temporibus autem & articulis temporum, non habetis opus ut scribatur uobis. Significat simul, haud opus ipsis esse, ut quærant de illis. Vbi enim discendi necessitas non est, ibi non est etiam opus ut quæratur. Rationi huic si obtemperassent maiores nostri, non ita multis erroribus inuoluissent Ecclesias. In ea magna & noxia scrupulositate inquirere maluerunt, quæ neque Euangelistæ, neque Apostoli scripserunt, eo quòd nulla esset necessitas ut scriberentur, quàm ea quę & utiliter, & necessariò, & disertè scripta sunt, Ecclesijs fideliter proponere & inculcare. Hinc sunt disputationes nostrorum temporum de ἀγράφοις, quæ haud minoris authoritatis esse uolunt, quàm ἐγγράφα. qua de re aliquoties diximus. Vide Locos nostros, loco de sacris Scripturis.

Ipsi enim planè scitis, inquit, quòd dies ille Domini, ut fur in nocte, ita uenturus sit.] Αἰτιολογία est, qua rationem reddit, quare non habeant opus, ut de temporibus & articulis temporum ad ipsos scribatur. Propterea (inquit) quòd de die illo Domini, in quo ista sunt futura, planè scitis, quomodo sit uenturus, perinde uidelicet atq; fur in nocte.

Dixerit aliquis: Ratio ista non est pertinenter accommodata ipsi causæ, cui est subiecta. Videtur enim dicendum fuisse: Ipsi namque planè scitis, quando dies ille Domini sit uenturus. Verùm cùm dicit, Ipsi enim scitis quòd dies ille Domini ut fur in nocte, ita uenturus sit: trãsfert rationem à quando, quod quærebatur, ad quomodo, de quo non erat quæstio: quod perinde esse uidetur, ac si de morte sua pcontanti, quando nam sit moriturus, respõdeas, Nõ est tibi opus ut id quæras. scis enim moriturum te morte subita & improuisa: ubi adhuc quęstio manet, quando id sit futurum. Nostra hæc est curiositas, ut quoties de aduentu Domini audimus, de tempore illius, quando nam uenturus sit, cognoscere cupiamus. cui quæstioni non uidetur satisfacere, qui de quando rogatus, respondet de quomodo: id quod hic Apostolus facit.

Verùm si rectè inspiciatur hæc ratio, deprehendetur admodum pertinenter esse posita. Sciebant Thessalonicenses de die Domini, quæ & scire debebant, & cõtra curiositatẽ sufficiebant, quòd uidelicet certò sit uenturus: deinde, quòd uẽturus sit ex improuiso, cùm minimè expectabitur. Quare non habebãt opus ut de tẽpore aduentus illius quererent. Etenim cum sit ita constitutum à Domino, ut aduentus ipsius tempus sit absconditum, quomodo nobis competere poterit, ut de illo inquiramus? An ministris regis conuenit præscire tempus, quo rex ipsorum aliquem in locum sic uenire constituit, ut prorsus inexpectatus ueniat? An non hoc ipso, quod hanc sciunt esse regis sui uoluntatẽ, cohiberi debent, ne præscire uelint, quòd ille cognitum uult esse nemini? Sic Apostolus consultissimè rationem quam dabat à quando ad quomodo transtulit ad hunc modum: De temporibus & articulis temporum non habetis

betis opus ut ſcribatur uobis. Quare? Quia ipſi planè ſcitis, diem Domini uenturum cùm nó putabitur. Sic enim conſtitutum eſt à Deo. Cum hoc ſciatis, non eſt uobis opus, ut quæratis quod Dominus ipſe uult eſſe abſconditum.

Hac itaque ratione admodum irrefragabili cohibet eos, ne curioſitati indulgentes quærant quando uenturus ſit ille dies Domini. Nec ſimpliciter dicit, Dies enim Domini. ut fur in nocte, ita uēturus eſt: ſed, Ipſi enim ἀκριβῶς, id eſt, accuratè & exactè ſcitis, quòd dies ille Domini, &c. Quaſi dicat: Etenim cum uoſipſi planè ſciatis hanc eſſe uoluntatem Domini, ut abſconditum ſit, quo nam tempore dies ipſius uenturus exiſtat: haud ignorare poteſtis, non conuenire nobis, ut de illo quæramus, atque ita non eſſe uobis opus, ut quicquam hac de re ad uos ſcribatur.

Quòd dies ille Domini, inquit.] Non ſimpliciter, Quòd dies Domini: ſed, Quòd dies ille Domini. Hanc ſpecificationem articulus ὁ, in Græco exprimit. Reſpicit autem ad ea quæ præcedenti Capite in aduentu Domini futura eſſe prædixit: ut intelligas de die Domini, in quo illa ſint futura.

Magna autem conſolatione fidelium afflictorum tempus illud, quo de uiuis ac mortuis iudicabitur à Domino, & fideles ad illum undequaque congregabuntur, uocat diem Domini. Mundus iam uelut in ſuo die agit ut uult, & quod uult, & interim nec Domini nec fidelium illius ulla habetur ratio. Dominus ipſe ſic eſt ab oculis mundi abſconditus, ut pro fabulis habeantur, quæ de illo prædicantur. Fideles illius omnium ſunt abiectiſsimi, & impunè proteruntur ab impijs. Vita illorum abſcondita eſt cum Chriſto, in Deo. Verùm erit tandem dies, in quo manifeſtabitur Dominus, cum infinita maieſtate & gloria, & cum ꝯ fideles omnes. Hunc diem notanter uocat diem Domini, quo corda fidelium in illius aduentum dirigat & erigat. Chriſtus ipſe uocat eum, diem filij hominis, Lucę decimoſeptimo: diē nouiſsimum, Ioannis ſexto: diem iudicij, Matthæi decimo. Et Apoſtolus, diem Ieſu Chriſti, ad Philippenſes primo: diem redemptionis, Epheſ. 4. diem irę, Roman. 2. Et Petrus diem Dei, ſecunda Petri tertio: & diem uiſitationis, prima Petri ſecundo: & liber Apocalypſeos diem magnam, capite ſexto. Non eſt ocioſum, quòd dies ille hiſce nobis epithetis, qualis nam futurus ſit, & quid de illo nobis polliceri debeamus, in ſacris Scripturis proponitur.

Vt fur in nocte, ita uenturus ſit, inquit.] Quomodo fur domum aliquam furandi propoſito ingreditur? Latenter, cùm non expectatur. ideoque non ingreditur illam interdiu, clara luce, dum domeſtici uigilant: ſed noctu, ubi & patremfamiliâs, & omnes domeſticos ſomno exiſtimat eſſe obſoporatos.

Hoc ſimile proponit Apoſtolus, ut ſignificet, & Dominum ipſum tum aduenturum, quando omnium minimè expectabitur. Non reſtringit aduentum Domini ad tempus tenebroſæ noctis: ſed hoc ſimili furis ſignificat, adfore illum ſubitò, præter omnem expectationem. Fur ſic uenit occultè, ut non uideatur, ideo uenit in tenebris: Dominus uerò nō ueniet occultè, ſed manifeſtè, ſic ut conſpicuus futurus ſit omnibus. Verùm quatenus fur uenit inexpectatus, hactenus aduentus Chriſti ſimilis erit aduentui furis. Veniet enim & ipſe dormientibus omnibus, & planè ſecuris. Sic habetur in parabola Dominica Matthæi uigeſimoquinto, ubi ſic legitur: Tardante uerò ſponſo, dormitauerunt omnes, ac dormierunt. Medio noctis autem clamor factus eſt: Ecce ſponſus uenit, exite obuiam ei. In utroq; ſimili furis & ſponſi, dictio Noctis propriè: in aduentu Domini uerò, tanquam aſſimilato non propriè, ſed metaphoricè accipitur.

De propoſito autem uoluntatis Dei, quo diem illum toti huic mundo ex improuiſo imminere, hoc eſt, aduentum eius nemini præcognitum eſſe uoluit, non eſt ut quæramus. Quemadmodum enim ſecretum regis inueſtigare non licet, ita nec rationem illius ſcrutari conuenit. Idem nobis de eo quoque cogitandum eſt, quòd etiam mortis noſtræ uniuſcuiuſque diem, & horam, & modum præſciri à nobis non uult, ſed ſuæ uoluntati ac præſcientiæ reſeruauit. Nemo dubitet, conuenire hoc propoſitum Maieſtati illius: & rebus noſtris eſſe utilius, quàm ſi utriuſque, & mortis noſtræ, & aduentus ipſius præſcij redderemur.

Cum enim dixerint, Pax & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus.] Exponit, quòd diem Domini, inſtar furis qui nocte uenit, uenturum eſſe dixit. Etenim, inquit, ſic erunt ſecuri, ut exiſtimaturi ſint nihil eſſe mali præ foribus, ſed pacem atque omnia tuta: & ſic fiet, ut repentino & improuiſo aduentu Domini adobruantur, ac pereant. Loquitur autem de incredulis ac reprobis, qui perinde ſecuri peccant, & in peccatis, impietate & incredulitate ſua pergunt, ac ſi omnia ipſorum ſint in tuto ac ſumma pace. Et hoc facientes dicunt: Pax eſt, ac tuta omnia, nihil eſt periculi. Dicunt hoc, etſi non ore, ipſo tamen opere. Dum paterfamiliâs noctu ſecurè dormit, nihil rebus ſuis timens à furibus, an non reipſa dicit, eſſe omnia ſua in tuto?

Dum

Dum uerò cautus est, ac sollicitè uigilat, quid hoc faciens aliud dicit, quàm non esse sibi tuta omnia? ubi dux exercitus noctu securè dormit, & uigilias negligit, an non ipso opere dicit: Nihil periculi est ab hostibus, pax est & omnia tuta? Sic uidemus hodie propè omnium uitam sic esse comparatam, ut in suis quiq; peccatis altissimum dormientes ipso opere dicãt, Pax est, omnia nostra sunt tuta. Sic puto dicere, Pax est, & omnia tuta: idem esse quod, Omni abiecta sollicitudine, ac periculi metu, securè, ac perinde agere, ac si nihil uspiam sit periculi. Sic prior mundus cùm in malis suis irreuocabiliter pergeret, nec quicquam eorum futurum crederet, q̃ Deus ipsi per Noe minabatur, sed securè ederet, biberet, nuberet, ędificaret, plantaret: utiq; reipsa dicebat, Pax est, ac tuta sunt omnia.

Tunc repentinus eis imminet interitus, inquit.] Cùm dicẽt, Pax est, sunt nobis omnia tuta, tunc inopinus eis imminet interitus. Poterat dicere, Cùm dixerint pax, & omnia tuta, tunc ille (uidelicet dies Domini) repentinus aderit. Nam de illius aduẽtu loqui cœpit, dicens: Ipsi enim planè scitis, quòd dies ille Domini, ut fur in nocte ita uenturus sit: ubi subiungere poterat, Cùm enim dixerint, pax & tuta omnia, tunc ille repentinus aderit. Verùm quemadmodũ capite prędcedenti ea de aduentu Dñi meminit, quę in illo euentura sunt fidelib. ad salutẽ illorũ & gloriam: ita iam consequenter subijcere uoluit de reprobis & incredulis, quid illis futurũ sit in die Dñi: ideoq; securitatẽ illorũ perstringens, qua dicturi sunt, Pax & tuta omnia: simul de inexpectato interitu subiecit, dicens, Tunc repentinus eis imminet interitus: sic non solùm q̃ consolationis sunt proposuit fidelib. sed & q̃ ad cautionẽ aduersus securitatem faciũt, subiecit. Eodem etiam consilio pulchrè animos eorum erigit, qui inter impios uiuunt, & coràm cernunt quotidie, quomodo illi in bonis ducant dies suos, & quàm securè regnent, mala quæuis perpetrent, innocentes impunè opprimant, dicantq; reipsa, Pax & tuta omnia. Ne illi hæc uidentes offendantur: Tunc (inquit) imminet eis repentinus interitus, & in puncto ad inferos descendunt. Quid Dauidi acciderit ex eo quòd uidebat peccatores agere in pace, uide Psal. 73. ubi post recitatam tentationem, subijcit: Quomodo facti sunt in desolationem, subitò defecerunt, interierunt propter iniquitatem suam.

Cum dixerint pax, & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus.] Dixerit hic quisquam: Atqui iamdudum dixerunt impij, Pax & securitas, & tamen nondum aduenit dies ille, adferens illis interitum: sed pleno adhuc impetu in omni sua malicia & securitate pergunt, & prosperè agunt. Quomodo ergo uerum est quod Apostolus hic dicit: Cum dixerint pax, &c. tunc imminet illis interitus?

Respondeo: Non dicit hoc Apostolus, quòd interitus impiorum mox adfuturus sit, quàm primùm cœperint dicere, Pax & securiras. Neq; enim nostra hac ætate primùm securi esse cœperunt, sed iam olim dixerunt, Pax & securitas, & dicunt hodie, dicturiq; sunt ad ipsam usque perditionis ipsorum horam: sed hoc dicit, Vbi dies Domini aduenerit, sic erunt securi, utim prouiso sint exitio perituri. Atq; hoc illis ita prorsus eueniet. Securitas illa impiorum, qua se curè in malis pergunt, non est postremi tantùm temporis, sed omnium seculorum: propter quam non solùm in fine mundi repentino interitu perdentur, sed & inde à priore mundo inexpectato diluuio, igne cœlesti, & alijs atq; alijs plagis ex improuiso pœnas dederunt.

Sicut dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient, inquit.] Adhuc alio simili declarat, quàm sit repentinus futurus impiorum interitus. Perinde (inquit) atque euenit mulieri prægnanti, ut doloribus uterinis instante iam partu subitò comprehendatur, illosque effugere nequeat: ita eueniet & illis, ut subito interitu adobruantur, illumque nulla prorsus ratione effugere queant.

Dices: Similitudo hæc impertinenter est adducta. Nam subiti dolores, qui prægnantem mulierculam corripiunt, non inferunt illi materiam exitij unde doleat: sed partum uterini fœtus sui, unde impẽsissimè postea gaudeat. Impijs uerò in die iudicij imminebit ipsissimus & perpetuus interitus, in quo nullius omnino gaudij materia uel spes erit, sed æternæ perditionis horror. Quare inter dolorem prægnantis mulierculæ, & interitum impiorũ in die iudicij futurũ, non potest esse ulla comparatio.

Respondeo: Nulla similitudo sic adduci potest, ut rei assimulatæ per omnia correspõdeat. Apostolus hanc non aliter adduxit, quàm quatenus dolor parturientis subitò, & ex improuiso irruit, & hactenus illi interitum impiorum similem fore significauit.

Adhuc dices: At dolor parturitionis sic est comparatus, ut à prægnante muliere præsciri possit propter certum parturitionis tempus: interitus uerò impiorum sic præsciri ab illis nõ potest, ut non irruat super eos subitò & inexpectatus. Quare nec hactenus similitudo ista pertinenter est adducta. Respondeo: Quemadmodum prægnans mulier licet non dubitet euenturos esse sibi magnos parturitionis dolores, ubi parturiendi tempus aduenerit: articulum tamen temporis illius præscire non potest, imò ille sic inexpectatus irruere solet, ut mulierem in lecto, in mensa, in quouis opere domestico, ex improuiso corripiat, nec permittat ut quo pacto effugiat. Et hactenus utiq; aptissimè adducta est hęc similitudo. Etenim etsi haud ignoremus esse nos in nouissimis temporibus, & aduenturum diem Domini: articulos tamen

illius

illius præscire non possumus: atq; ita eueniet, ut corripiat nos ex improuiso, nec permittat cuiquam ut effugiat.

Nec effugient, inquit.] Græcè est, καὶ ὁ μὴ ἐκφύγωσιν: id est, Et haud quaquam effugiēt. In præsenti seculo mille inueniunt effugia homines impij ac reprobi, quo minus cum hominibus flagellentur. Tum uerò, siue sint principes siue reges, siue sapientes siue diuites, ultimum cogentur subire horrorem, iudicium & exitium: nec uspiam inuenient quò effugiant, quemadmodum accidit in diluuio.

Obiter obserua. Eodem simili utitur Christus Ioan. 16. dicens: Mulier cùm parit, dolorem habet, quia uenit hora eius. Cùm autē peperit puerū, iam non meminit anxietatis, propterea quòd gaudeat, hominem esse natum in mundo. Et uos igitur, nūc quidē mœrorē habetis, sed iterū uidebo uos, & gaudebit cor uestrū: & gaudiū uestrū nemo tollit à uobis, &c. Illic accōmodatur hæc similitudo fidelib. & aptatur illorū consolationi: hic uerò ab Apostolo usurpatur ad exprimendū horribilē impiorū sortē, quā effugere nō poterunt. Sic res eadem, secundum uarios respectus, diuersarum causarum declinationē ac similitudinem habere potest.

At uos, fratres, non estis in tenebris, ut dies ille uos tanquam fur opprimat. Omnes uos filij lucis estis, ac filij diei. Non sumus noctis, neque tenebrarum. Proinde ne dormiamus, sicut & cæteri: sed uigilemus, & sobrij simus. Nam qui dormiunt, nocte dormiunt: & qui inebriantur, noctu sunt ebrij. At nos qui sumus diei, sobrij simus, induti thoracem fidei & charitatis, & pro galea spem salutis. Quoniam non constituit nos Deus, ut iram nobis concitemus, sed ut salutem consequamur, per Dominum nostrum Iesum Christū, qui mortuus est pro nobis, ut siue uigilemus, siue dormiamus, simul cum illo uiuamus. Quapropter adhortemini uos mutuò, & ædificetis singuli singulos, sicut & facitis.

Ex eo quòd dixit, scire ipsos quòd dies ille Domini ut fur in nocte ita uenturus sit: occasionem sumit hortandi eos, ut sobriè ac uigilanter in fide, spe ac charitate Christi uiuant, ne cum impijs per aduentum Domini ex improuiso adobruantur.

At uos fratres, inquit.] Separat eos à reprobis & incredulis, quibus diem Domini sicut furē in nocte, & interitum repentè uēturum esse dixit. Hoc namq; agit, ut persuadeat ipsis, quæ iā de improuiso aduentu Domini dixit, non pertinere ad ipsos, sed ad incredulos.

Non estis in tenebris, inquit, *ut dies ille uos tāquam fur opprimat. Omnes uos filij lucis estis, ac filij diei. Non sumus noctis neq; tenebrarum.*] Ab eo quod erāt per gratiam, colligit quid facere, & quomodo se gerere debeant per uitæ conuersationem. Per gratiā Dei in Christo erant nō amplius in tenebris & nocte, sed erant filij lucis & filij diei. Vtitur autem dictionibus Tenebrarum & lucis, noctis ac diei sensu metaphorico. Per tenebras, ignorantiam: per lucem, cognitionem Dei: per noctem, regnum satanę: per diem, regnum Dei intelligere debemus. Est enim regnum satanę, regnū tenebrarum: regnū Dei uero, regnū lucis. Qui in Christo sunt, nō sunt in nocte ac tenebris, sed in die ac luce. hoc est, nō sunt amplius in regno tenebrarū, ignorantię uidelicet, & omnis generis errorū, sed in regno lucis, in quo ueritas est & cognitio Dei. Qui extra Christū sunt, in nocte ac tenebris agūt, ignorātes Deū, & lucē ueritatis nō uidentes. Dies aūt ille tanquā fur opprimet ex improuiso eos qui sunt in nocte. Ergo sic nō opprimet Christianos, qui sunt in luce. Sic dicit: Non estis in tenebris, ut dies ille uos tanquā fur opprimat. Q.d. Quę de die Dñi diximus, quòd uēturus sit sicut fur in nocte, non pertinent ad uos: sed ad eos qui iacent obsoporati in tenebris. uos namq; non estis in tenebris. Quòd igitur dies Dñi ueniet repentinus, & instar furis inexpectatus, eorū fiet uitio, qui securi uiuūt in tenebris, & in peccatis suis altùm dormiūt. Aliàs ijs qui pij sunt, ac uigilāt, similesq; sunt seruis dominum suum, quando à nuptijs ueniat, expectantibus: ueniet nō repentinus, sed expectatus.

Omnes uos, inquit, *filij lucis estis, ac filij diei.*] Comprobat, eos nō esse in tenebris. Non estis in tenebris, inquit. Estis enim filij lucis ac diei. Quemadmodū enim tenebræ non sunt in die ac luce, sed in nocte: ita qui sunt in die ac luce, non sunt in tenebris.

Quid est autem quòd non simpliciter dicit, Omnes uos estis in die ac luce: sed, Omnes uos estis filij lucis ac filij diei? Admonet eos gratiæ, per quam erant in Christo regenerati & illuminati, cum primum in illum, tanquam ueram lucem, credere cœpissent. Per fidem enim in lucem, erant filij lucis facti. Sic Christus ipse Ioannis duodecimo dixit: Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis. Secundum externum & animalem hominem sumus בני אדם, id est, Filij Adæ: secundum deprauationem naturæ, quæ est in nobis ex peccato, nascimur filij tenebrarum & iræ. Secundum gratiam quæ est in Christo, per fidem in illum renascimur, ac reddimur filij lucis, & gratię, ut non simus amplius filij tenebrarum. Christus enim uera lux, tenebras, opus satanæ, dispellit in illis qui in se credunt.

Dices: Quare uniuersaliter dicit, Omnes uos estis filij lucis ac diei, cùm fides illa, p quā filij lucis reddimur, non sit omnium, sed electorum tantùm? Respondeo; Scribit Christianis,

ſtianis. Illi autem omnes, quatenus Chriſtiani ſunt, filij lucis ſunt ac diei. Cùm itaq; dicit, Omnes uos: ſubintelligit, qui Chriſti eſtis. Erant deniq; omnes per baptiſmum ſacramentaliter regenerati in Chriſto, atq; ita filij lucis ſacramentaliter facti. Reſpectu itaq; ſacramenti huius, rectè dixit: Omnes uos eſtis filij lucis ac diei, quo reſpectu etiam rectè Chriſtianos omnes mundatos, iuſtificatos & ſanctificatos eſſe dixeris. Et interim uerum eſt, multos eſſe inter Chriſtianos, qui reipſa adhuc ſint filij tenebrarum, & in tenebris peccatorum ſecundum affectus carnis uiuant, homines iniuſti, immundi ac prophani.

Non ſumus noctis neq; tenebrarum, intellige, *filij*.] Secundum regulam oppoſitorum non poſſunt eſſe noctis ac tenebrarum, qui diei ac lucis ſunt filij. Poterat id ſatis intelligi, etiamſi non inculcaretur: uerùm quoniam huic ueluti fundamento ſuperſtructurus erat ea quæ ſubiecturus eſt, ideo tam diligenter in eo ponendo laborat.

Mutat autẽ perſonam haud ocioſè. Pro eo quod dicendum erat: Non eſtis noctis neq; tenebrarum: dicit, Non ſumus noctis neq; tenebrarũ. Q.d. Omnes uos filij lucis eſtis, & filij diei. Niſi Chriſtiani non eſtis. Quotquot enim Chriſtiani ſumus, non ſumus amplius noctis, ſed diei: non tenebrarũ, ſed lucis. Monet, eſſe hoc generale Chriſtianis omnibus, ut ſint filij diei ac lucis: ideoq; conuenire omnibus illis qui pro Chriſtianis haberi uolunt, ut cogitent ſe nõ eſſe noctis, neq; tenebrarum.

Proinde non dormiamus, inquit, *ſicut cæteri, ſed uigilemus, & ſobrij ſimus*.] Illud Proinde, in Græco eſt, ἄρα οὖν: quod non ſimpliciter ſonat, Igitur, itaq;, proinde: ſed illationem cum affirmatione fortificat. ut ſit, Sanè igitur: uel, Vtiq; igitur. Vſus eſt hac loquutione, & in ea quæ eſt ad Epheſ. cap. 2. ubi dicit: ἄρα οὖν ὑμεῖς οὐκέτι ἐστὲ ξένοι καὶ πάροικοι, ἀλλὰ συμπολῖται. Sanè certiſſima & irrefragabili illatione colligitur, non conuenire filijs diei ac lucis, ut ebrij ſint ac dormiant, ſicut filij noctis ac tenebrarum. Quorum enim diuerſa eſt & contraria conditio, diuerſa etiam & contraria eſſe debent facta & ſtudia. Diuerſa autem eſt conditio filiorum lucis & filiorum tenebrarũ. Igitur & ſtudia illorum conuenit eſſe non eadem, ſed diuerſa. Filij tenebrarum faciunt opera tenebrarum. Inebriantur omnis generis concupiſcentijs, & in peccatis ſuis obſoporantur ac dormiunt. Conuenit igitur filijs lucis, ut faciant non eadem, ſed diuerſa. Non inebrientur, ſed ſobrij ſint: non dormiant, ſed uigilent. Hoc igitur inferens, dicit: Proinde non dormiamus ſicut cæteri, ſed uigilemus, & ſobrij ſimus.

Proinde non dormiamus, inquit.] Ergo requirit à Chriſtianis, ut ſint ἀκοίμητοι, nihil prorſus dormiant. Hoc autem impoſsibile eſt naturæ noſtræ, quam Deus ita condidit, ut ſomno carere nequeat. Sciendum igitur, quemadmodum uoces haſce, Noctem, tenebras, diem & lucem, metaphorico ſenſu poſuit, non damnans, neque noctem neque tenebras, quæ perinde atque dies & lux ad opera Dei pertinent, & utiles ſunt rebus humanis: ita & uerba hęc, Dormire & uigilare, nõ ſunt propriè de corporalib. uigilijs & dormitionibus: ſed metaphoricè de ſomno & uigilantia mentium accipienda. Qui ſecuri ſunt & obſtupefacti in peccatis, dormire dicuntur. Hoc genus ſomni alienum eſſe debet à Chriſtianis, non illud quo corpora feſſa dormiendo recreantur.

Et illud, Sicut cæteri, non eſt referendum communiter ad id quod mortales omnes faciunt, dum neceſsitate naturæ impulſi, corporaliter dormiunt, ac dormiendo quieſcunt: ſed ad id quod cæteri: id eſt increduli & filij noctis, non ut homines naturaliter & inculpatè, ſed ut filij noctis ac tenebrarum uitioſè ac deprauatè faciunt, dum in regno tenebrarum peccatis ſuis indormiunt.

Sed uigilemus, inquit, *& ſobrij ſimus*.] Admodum pertinenter coniungit uigilantiam & ſobrietatem, ac tribuit utranque diei ac luci: & per conſequens à filijs diei ac lucis utranque requirit. Vbi ebrietas eſt, ibi uigilantia locum habere non poteſt: ſed grauantur & capita & pectora inſuperabili ſomnolentia. Quare uitanda eſt ebrietas omnib. illis, quibus incũbit, ut ſint uigiles, quales ſunt milites in excubijs conſtituti. Conſimilis planè eſt Chriſtianorũ conditio in hoc ſeculo. Illis uehementer neceſſarium eſt, ut uigilantiam ac ſobrietatem mentis indefinẽter retineant, maximè propter hoſtem ſatanam, qui ſaluti ipſorum inſidioſiſsimè aduerſatur. unde & Petrus hortatur, dicens: Sobrij eſtote, uigilate, quoniã aduerſarius ueſter diabolus, tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret.

Nam qui dormiunt, nocte dormiunt, inquit: *& qui inebriantur, noctu ſunt ebrij*.] Reddit rationem, quare non debeamus dormire ſicut cæteri, ſed uigilãtię ac ſobrietati ſtudere. Propterea (inquit) quòd dormire & inebriari eorum eſt, qui noctis ſunt ac tenebrarum: nos uerò non ſumus noctis ac tenebrarũ. Illi dormiunt nocte, & inebriantur nocte: quia ſunt noctis ac tenebrarum filij. Et corporaliter ſanè ita uſitatum eſt in illis regionibus, in quibus inter cœnandũ ebrietati indulgetur, ut noctu ſint ebrij & obſoporati: immò & inter eos qui totos dies calicibus epotandis uacant. Hinc admonet, obſoporationem & ebrietatem referrri ad opera noctis ac tenebrarum. Verùm uſqueadeò iam inualuit ebrietas, ut non modò noctu, ſed & interdiu paſsim uideas ebrios, qui diem in noctem uertant.

Obſeruandum eſt hoc loco, quales ſint regni tenebrarum ciues. Sunt ebrij ac dormitan-

tes.

tes. Ebrij præ affectibus, uoluptatibus, delicijs & concupiſcentijs carnis. Ebrij præ auaricia, ſuperbia, ira & furore. Dormitantes, præ ſtupiditate animi, incogitantia, amentia, & ſecuritate. Nō ſimpliciter dormit ebrius, ſed dormit prorſus obſoporatus: ſic ut ad ſobrietatē ac uigilantiam, uel omnium minimè, uel admodum difficulter excitari poſsit. Conſimilis eſt ſopor filiorum noctis. Apud illos ſunt omnia deplorata. Ibi nox eſt, ibi tenebræ, ibi ebrietas, ibi grauiſsimus lethargus, & illuſarum mētio oppreſsio. Finge ciuitatem eſſe, in qua neq; dies ſit neque lux ulla, ſed déſiſsima nox & catholicę tenebræ, ubi omnia plena ſint ebrietate, ſcortatione, adulterijs, & grauiſsima ſomnolentia. Tale eſt regnum ſatanæ, regnum noctis ac tenebrarum: cui prorſus contrarium eſt regnum Dei, regnum lucis ac diei.

At nos, inquit, *qui ſumus diei, ſobrij ſumus.*] Obſerua. Quemadmodum paulo antè non dixit, Proinde non dormimus ſicut cæteri, ſed uigilamus & ſobrij ſumus: ſed, Proinde ne dormiamus ſicut cæteri, ſed uigilemus & ſobrij ſimus: ita hic non dicit, At nos qui ſumus diei, ſobrij ſumus: ſed, At nos qui ſumus diei, ſobrij ſimus. Ergo quamuis ſumus non noctis, ſed diei filij, opus tamen habemus hac paræneſi, ut geramus nos ſicuti decet filios diei. Qui noctis ac tenebrarum filij ſunt, non habent opus, ut adhortationibus permoueantur ad opera tenebrarum: ſed ſuapte ſponte ad ea omnia quæ noctis ſunt, ultrò propendent, ultroque ea, & ſtudioſiſsimè faciunt. Tantum uidelicet ualet in illis corruptæ naturæ malicia, quæ & in electis ac fidelibus ſic operatur, ut bonum quod uolunt, non faciant: malum uerò quod nolunt hoc faciant, ideoque crebris opus habeant admonitionibus, quò in ſtudio pietatis pergant. *Rom. 7.*

Induti, inquit, *thoracem fidei & charitatis, & pro galea ſpem ſalutis.*] Vt aliquo ſimili declaret, quàm neceſſarium nobis ſit, ut uigilemus & ſobrij ſimus, proponit nobis militarem armaturam, thoracem uidelicet & galeam, ad cuius ſimilitudinem tanquam Chriſti milites fidem, ſpem & charitatem induti ſimus. Miles thoracem habet & galeam, non ut inebrietur & dormiat, ſed ut uigilans ac ſobrius hoſti reſiſtat: ſic Chriſtianus fide, ſpe & charitate armatur in hoc ſeculo, non ut ebrius ſecurè dormiat, ſed ut ſobrius in caſtris Chriſti contra hoſtem ſatanam uigilet. Vſus fidei, ſpei & charitatis non poteſt eſſe in animo ebrio & obſoporato, ſed in ſobrio ac uigilanti. Verùm de hac armatura fidelium pluribus egit in ea quæ eſt ad Epheſios cap. 6. ubi etiam quæ obſeruanda ſint annotauimus.

Hic meminit thoracis & galeæ, quibus miles ad corporis ſui protectionē utitur. Sic Chriſtianus fide, ſpe, & dilectione munitus, ſalutem ſuam aduerſus ſatanam tuetur. Et Petrus hortatur, ut ſatanæ inſtar leonis circumeunti fortes in fide reſiſtamus. Loquitur autem non de hiſtorica & ocioſa fide, ſed de ea quæ eſt in Chriſtum uiua, & per dilectionem efficax. Thoracem hic Apoſtolus comparat fidei ac dilectioni, propterea quod ut totum militis pectus antè & retrò thorace munitur, ita fide ac dilectione Chriſtiani hominis pectus per omnia protegitur.

Deinde addit: *Et pro galea, ſpem ſalutis.*] Galea in Græco eſt περικεφαλαία, eo quòd caput militis circumquaque tegendo communit. Maxima diligentia miles caput & pectus ſuum aduerſus hoſtem cuſtodit. His enim ſaluis, quæ reliqua uulnera accipit in conflictu facilè curantur. Conſimili modo ſi Chriſtianus ſaluus manſerit & illæſus in fide, ſpe & dilectione, reliqua incommoda & errata ſalutem illius ſubuertere non poſſunt.

Spem ſalutis, inquit.] Quod ſpes uictoriæ eſt militi, id eſt ſpes ſalutis homini Chriſtiano. Spe uictoriæ militat ille, & armis ſeſe aduerſus hoſtem communit: ſpe ſalutis iſte in fide Chriſti & dilectione permanet, contraque tentationes ſatanæ pugnat, & quæuis aduerſa propter Chriſtum tolerat. De fide autem, ſpe, & dilectione, quas hic Apoſtolus coniunxit, in Locis noſtris diximus.

Quoniam non conſtituit nos Deus, inquit, *ut iram nobis concitemus, ſed ut ſalutem conſequamur.*] Reddit adhuc aliam rationem, propter quam uigilantiam ac ſobrietatem in fide, dilectione, ac ſpe ſalutis cuſtodire debeamus. Eam ſumit à conſilio & propoſito uoluntatis Dei erga nos, quo nos per Euangelium ſuum ad ſe uocauit, ac filios regni ſui conſtituit. Debemus enim nos (inquit) propoſito gratiæ Dei accommodare, quo nos è tenebris uocauit, & filios lucis conſtituit. Illud autem non eſt, ut iram ipſius in nos cōcitemus ac pereamus: ſed ut in gratia permanentes, ſalutem conſequamur. Propoſito huic Dei repugnabimus, ſi pro ſalute iram & perditionem promerebimur: id quod faciemus, ſi cum filijs tenebrarum operibus tenebrarum ſtudebimus. Quis autem ſatis expreſſerit, quanta ſit hæc peruerſitas, ſi Deo nobis ſalutem diſponente, ſpreto illius propoſito perire maluerimus in ſempiternum, in regno ſatanæ per iram, quàm ſaluari in ipſius regno per gratiam.

Quoniam non conſtituit nos Deus, inquit.] Græcè eſt, ἔθετο, id eſt, Poſuit. Locus hic diligenter notandus eſt. Admonemur, eſſe nos Chriſtianos à Deo poſitos, idque non ad perditionem, ſed ad ſalutem. Quomodo ponit nos Deus? & in quo ponit? & ad quid? Ponit nos eligendo, præ deſtinando, uocando, trahendo, regenerando & iuſtificando. Noſipſi, quemadmodum nec naſcimur, ita nec ponimur à nobiſipſis: ſed utrunque à Deo accipimus. Ponit nos autem nō temerè quolibet, ſed in corpore Chriſti, ueluti membra. Qui palmites ac ramos in arbore, &

membra in corpore, quo uult tempore, numero ac modo ponit ac disponit: Idem ille in corpore Christi, Ecclesia uidelicet, Christianos constituit ac disponit. Tertiò ponit nos non ad perditionem, sed ad salutem. Aliàs poneret nos potius in regnum satanæ, quàm in corpus ac regnum Christi: in quo non est finis ad perditionem, sed ad salutem ac uitam æternam. Hæc cogitemus qui Christiani sumus: contentiones uerò, & curiositatem eorũ relinquamus, qui multis contendũt, quare aliquos, & non omnes: tales, & non diuersos posuerit: quibus disceptationibus non ædificatur, sed destruitur imperitorum hominum fides.

Vt iram nobis conciliemus, inquit.] In Græco est, Non enim posuit nos Deus εἰς ὀργὴν, id est, in irã, ne quis in uerbo conciliandi, quod interpres de suo posuit, philosophandum esse putet. Ponit autem iram pro ultione ac perditione. Admonemur hac particula, quamuis non posuerit nos Deus in iram: timendum tamen nobis esse, ne si cum impijs tenebrarum filijs inebriemur ac dormiamus in peccatis, perinde ac si tenebrarum noctisq; filij simus & ipsi, iram Dei pro gratia, & perditionem pro salute incurramus. Quemadmodum autem ubi dilectio in meritum odium mutatur, tanto grauius redditur odium, quanto maior fuerat dilectio: ita comparata est & mutatio gratiæ, qua in meritam iram nostro uitio mutatur. Contemptus gratiæ Dei iram illius grauissimam reddit. Quare non est ut dicas frater: Nihil periculi est, quomodocunque uiuam. Posuit me Deus non in iram, sed ad consequutionem salutis. Firmum sit necesse est, quod à Deo ponitur. Quare iram Dei incurrere nó possum. Necesse est, ut saluer. Si nõ es à Deo positus in iram, sed in salutẽ, agnoscas potius gratiã ac uoluntatẽ Dei, dicasq; ex animo: Absit ut peccem in gratiam ac uoluntatem Dei, iramque illius in me concitem, ac peream. Quin potius accommodabo me gratiæ ac uolũtati illius, qua nõ uult ut peream, sed ut saluer. In hunc me finem posuit, & Christianum esse uoluit. Geram igitur me, sicuti conuenit homini non ethnico, sed Christiano. Si ęgrotus dicat, Non refert quomodo me geram: edam, bibam, & faciam quæ mihi placuerint. posuit enim me medicus non ad mortem, sed ad sanitatem ac uitam, ideoque curabor & uiuam: an non eiusmodi uerba uel dementis, uel nebulonis esse, qui dignus sit exitio, dices? Assumit quidem medicus ægrotum non in mortem, sed in sanitatem ac uitam, datque illi medicinam non mortis, sed uitæ: uerùm iuxta præscribit etiam illi tam facienda quàm uitanda, & requirit ut præscripto suo sese accommodet. Talem cogitemus & nostram esse conditionem. Posuit nos Deus non in iram, sed in salutem, quam illius beneuolentiam animo omnium gratissimo exosculari debemus. Deinde dedit nobis non modò uerbum gratiæ, sed & præcepta uitæ: quorum illud credendo, hæc uerò obediendo amplectamur. Hoc si fecerimus, uoti compotes euademus: sin minus, amissa gratia iram illius incurremus.

Sed ut salutem consequamur, inquit.] Græcè est, ἀλλ' εἰς περιποίησιν σωτηρίας. Significat περιποίησιν prioriè, circa rem aliquam ad acquirendum illam satagere. Germanicè uocamus: Sich umb ihun. Hinc sonat hoc uerbum acquirere, consequi, asserere, uindicare, ac possidere. Existimant meritorum ac propriæ iusticiæ doctores, intelligendam esse hanc uocem περιποίησιν de studio ac conatu nostro, quo nostris operibus salutem nobisipsi comparemus. Sic exponit Lyranus: In acquisitionem salutis, ideſt, ut acquiramus uitam beatam ex operibus meritorijs. Sed hæc expositio extinguit gloriam gratiæ Dei in Christo. Etenim ubi salus constat nostris meritis, ibi non constat gratia Dei. Gratia namque merito excluditur. Quare res ipsa non est secundum hanc nocem, sed uox secundum rem de qua ponitur, flectenda & accipienda. Qui sub medici cura est ægrotus, an non & ipse recte dicetur positus esse in περιποίησιν sanitatis & uitæ: non quòd ipse suis illam operibus & meritis consequatur, sed ut opera medici curari se sinat? Hoc sensu in præsenti quoque causa accipiendum est, quod hic ab Apostolo dicitur. Eodem modo & filio, siue legitimo, siue adoptiuo rectè dixeris: Non es positus in iram, sed εἰς περιποίησιν hæreditatis. Quid autem minus proprijs meritis constat, quàm hæreditas?

Per Dominum nostrum Iesum Christum, inquit.] Ne acquisitionem salutis nostris uideatur deputare uiribus, operibus, iusticijs & meritis: data opera de mediatore ac seruatore Christo subiungit, dicens: Per Dominum nostrum Iesum Christum: & attexit opus redemptionis nostræ, quo ille salutem nobis in cruce acquisiuit, cum addit, Qui mortuus est pro nobis. Posuit igitur nos Deus in acquisitionem salutis, dum nos Christo Iesu filio suo incorporauit, ut per sanguinem illius in cruce pro peccatis nostris effusum salui simus. Ille nos acquisiuit sanguine suo, & nos per sanguinem illius salutẽ cõsequimur. Nihil est in tota hac causa, quod ad nostra ipsorum merita referri possit: sed omnia incomparabilem gratiam & philanthropiam Dei erga nos commendant. Hanc autem non agnoscere, non amplecti, non deprædicare, sed per doctrinam meritorum nostrorum obscurare, ualde impium est, & peccatorum omnium grauissimum.

Qui mortuus est pro nobis, inquit.] Ipsum opus mediatoris ac seruatoris Christi, quo salus nostra constat, ad hoc exprimit, ut recogitemus, quanto serio salutis nostræ rationem habere debeamus. Reuera uehementer ingratus & excors est, qui salutẽ suã sanguine ac morte

filij

filij Dei partam, susq; deque facit, & tam incomparabile redemptionis suæ precium depreciat. Dignus omnino est, qui nõ modò propter peccata sua, sed & propter contemptum Dominicæ mortis æterna morte pereat.

Non simpliciter autem dicit, Qui mortuus est: sed, Qui mortuus est pro nobis. Acquisitio salutis nõ in eo simpliciter est, quòd mortuus est Christus, iustus, innocens & filius Dei, quo nomine mors illius magis condemnationem, quàm salutem mundo huic conciliaret: sed in eo, quòd mortuus est pro nobis. Hactenus mors illius, redemptio est mũdi. Nos eramus propter peccatum morti obnoxij, & iræ filij. Mortem igitur ille pro nobis subijt, quo nos à morte liberati seruemur: perinde atque si quis debitorem liberaturus, debitum pro illo creditori soluat.

Atqui, inquies, adhuc morimur omnes, non increduli tantùm, sed & Christiani. Quomodo igitur mortuus est pro nobis Christus, & nos morte illius à debito mortis liberati? Quomodo debitum nostrum soluit, cum illo nos adhuc constringamur?

Respondeo: Mortuus est pro peccatis nostris, nosq; à reatu illorum condemnatione liberauit. Sic Roman. 8. Nulla condemnatio est illis qui sunt in Christo Iesu. Quòd igitur adhuc morte carnis morimur, qui sumus in Christo, non est ex ira Dei, & reatu peccatorum nostrorum: sed ex infirmitate carnis, ex Adamo contracta, quæ singulari consilio Dei, etiam post redemptionem nostram in nobis manet, quemadmodum & alij corporales defectus: quales sunt fames, sitis, fatigatio, omnis generis morbi, &c. quo & in nostris corporibus suo tempore uirtus Dei glorificetur. Efficacia mortis Christi non est in eo, ut à morte corporis liberemur in hac uita: sed in eo, quòd reconciliati sumus Deo, & ab æterna condemnatione & morte liberati, inq; æternam uitam ac cœlestem gloriam asserti.

Vt siue uigilemus, siue dormiamus, simul cum illo uiuamus, inquit.] Ad quid mortuus ꝓ nobis sit Christus, paucis exprimit. Mortuus est pro nobis Christus (inquit) ut uiuamus. Vtiq; qui ꝓ alio moritur, ad hoc moritur, ut ille uiuat. Aliàs quorsum pro illo moreretur, si is nihilo sit minus moriturus? Consimili modo & Christus, quo nos uiuamus, mortem pro nobis subire dignatus est. Morimur quidem & nos, sed non morte impiorũ ac damnatorũ, à qua liberati sumus morte Christi. Si quis ꝓ latrone liberãdo crucẽ subiret, liberaret quidẽ eum à morte latronis: uerùm nõ à morte hominis. Nã licet à morte crucis liberaretur, postea tamẽ cõmunem cũ alijs hominibus mortẽ subiturus esset. Sic mortuus est pro nobis Christus morte impiorũ ac dãnatorum, qua moriendum nobis erat, ut nos uiuamus. Licet enim ut homines moriamur adhuc, mors tamen illa quæ impiorum est, mortua nobis est, quando in ligno mortua uita fuit: & corporalis, quæ adhuc restat, uita nos, quam per mortem Christi consequuti sumus, priuare non potest.

Non est autem ociosum, quòd non simpliciter dicit, Vt uiuamus: sed, Vt simul cum illo uiuamus. Est hoc mirabile in oculis carnis. Qui pro alio moritur, morte quidem sua efficit ut ille uiuat: uerùm ut simul cum ipso uiuat, non ita. Potest se homo pro alio tradere in mortem: ut autem nihilominus uiuat, sic ut ille simul cum ipso uiuat, id demum efficere non potest. At Christus & mortuus est pro nobis, & uiuit: idq; effecit, ut non solùm uiuamus per ipsum, sed & unà cum ipso. Cum in cruce moreretur pro nobis, simul cum ipso moriebamur & nos (si enim unus mortuus est pro omnibus, igitur omnes mortui sunt) & cum deuicta morte reuiuisceret, in ipso, & cum ipso uitam consequuti sumus & nos. Vnà quippe cum illo à mortuis ad uitam excitati, & ad cœlestia subuecti sumus. Ephes. 2. Hoc uidelicet est quod dicit: Qui mortuus est pro nobis, ut simul cum illo uiuamus. Extra Christum itaque mortui sumus: in illo uerò & cum illo uiuimus, quantumuis in mundo hoc occidamur & moriamur. 2. Cor. 5.

Quòd autem addit: Siue uigilemus, siue dormiamus, aliter atq; aliter accipitur. Nonnullis idem esse uidetur, quod, Siue uiuamus, siue moriamur. qui sensus nihil habet incommodi, nisi quòd nescio, an uigilare alicubi pro uiuere accipiatur, sicuti dormire pro mortuum esse. Metaphoricè non possunt hic duæ istæ uoces accipi, quo sensu accipiendæ sunt, ubi suprà dixit, Proinde ne dormiamus sicut cæteri: sed uigilemus & sobrij simus. Haud enim ueraciter dici potest, nihil referre siue uigilemus cum fidelibus & sobrijs in uera Christi fide, spe & dilectione, siue dormiamus securè cum impijs in concupiscentijs & peccatis nostris: sed utrumlibet faciamus, simul nos uiuere cum Christo. Hoc inquam metaphorico sensu particula hęc stare non potest. Neque enim simul cum Christo uiuere potest, qui securitate peccandi obsoporatus dormit in peccatis. Quare existimo eam simpliciter esse, & proprio sensu accipiendam, ut significetur, non impedire nos quo minus simul cum Christo uiuamus, siue uigilemus siue dormiamus corporaliter secundum infirmitatem naturæ humanæ: ideoque quę sũt prà dicta sunt, non esse dicta de naturalibus uigilijs & dormitionibus. Sanè Christianus ut est in Christo, non minus cum dormit, quàm dum uigilat: ita & simul cum Christo uiuit non minus inter dormiendum, quàm inter uigilandum, qua uita ne mortuus quidem priuari potest.

Quapropter adhortemini uos mutuò, inquit, *& ædificetis singuli singulos, sicut & facitis.*] Eandem hanc adhortationem, qua hortatus eos est ut non dormiant cum impijs, sed uigilent ac sobrij sint, tanquam diei ac lucis filij, quo salutem in quam positi sunt à Deo, per Dominum nostrum Iesum Christum acquirant: sic iam illis commendat, ut quod ipse fecit, porrò faciant & ipsi, mutuò sese adhortantes & ædificantes. Quapropter, inquit. quasi dicat: Quoniam posuit nos Deus in lucem, ut sitis filij lucis, & salutem per Christum consequamini, qui pro nobis mortuus est, ut simul cum ipso uiuamus: debetis horum non à me tantùm admoneri, sed & mutuò uos admonere, ut ambuletis uigilanter ac sobriè, atque ita alius alium ædificare, &c.

Obserua, quomodo idem à fidelibus omnibus requirat, quod ipse tanquam Apostolus Christi sedulò faciebat. Hortabatur eos, & ædificabat. Erat hoc præcipuè fidelis Apostoli officium. Et tamen imponit illud etiam ipsis, idq; omnibus & singulis, dicens: Quapropter adhortemini uos mutuò, & ædificemini singuli singulos. Tam uidelicet abest, ut ægrè ferat si Christianus, ut ut plebeius, uel laicus, uel uulgaris, Christianum fratrem doceat, hortetur & ædificet, ut etiam hortetur omnes ut hoc sedulò faciant. Quàm sunt diuersimodè animati, qui iàm præsident Ecclesijs? Si facias hoc, non Ecclesiasticus, rasus & unctus: diceris manum mittere in messem non tuam, sed alterius, & forsan proclamaberis hæreticus. Sanctissimum pectus, quod facere coràm propter absentiam non poterat, nisi semel atq; iterum scribendo, & tamen necessarium esse sciebat, ut fieret ab omnibus & singulis, obnixè urgebat & hortabatur. Sic salutem omnium quærebat.

De metaphora Aedificandi, trita in literis Apostolicis, dictum est alibi. Qui Christianus est, ædificium est inchoatum quidem, sed nondum consummatum. In illo sedulitas ædificandi necessaria est, donec in hac carne uiuit: & sic comparata, ut possit præstari à singulis Christianis: quorum nemo est, qui non & opus habeat ut ædificetur: & uicissim eum à quo ædificatur ædificare, pro sua mensura à Domino accepta, possit & ipse. Est autem opus mutuæ huius ædificationis situm in structura noui & interni hominis, ut ille crescat & confirmetur ex omni parte: uelut in membris suis, quæ sunt fides, spes, dilectio, timor & obseruantia Dei, patientia in aduersis, perseuerantia, sanctimonia, & innocentia uitæ, iusticia, mansuetudo, & quæ alia sunt eiusmodi, quæ Apostolus Galat. 5. fructus spiritus uocat. In his crescere & confirmari, est ædificari: id quod fit docendo, admonendo, adhortando, corrigendo & consolando. Verùm studium hoc mutuæ ædificationis iam olim cessauit, propter extinctionem charitatis, sine qua nec præstari nec perferri potest. atque ita factum est, ut nescias utri pauciores sint, an qui neminem ædificare cupiunt, uel qui à nemine ædificari sustinent. Interea destructores passim abundè multi occurrunt, organa satanæ. cuius uox est: Nemo fratrem suum ædificet, sed destruite singuli singulos.

Sicut & facitis, inquit.] Hortatur itaque eos, ut in eò quòd benè cœperant, & faciebant, constanter pergerent. Cogitemus hic, quàm nunquam futurum sit in Ecclesia Christi, ut non habeamus opus Christianis adhortationibus: quando etiam illi qui quæ facienda sunt faciunt, admonendi & hortandi sunt, ut quod faciunt faciant. Etenim si hi rectè & necessariò admonientur, quanto magis illi qui remissiores sunt in eo quod facere debent? quibus Apostolus dicere non posset, Sicut & facitis: sed potius, Sicuti non facitis.

Rogamus autem uos fratres, ut agnoscatis eos qui laborãt inter uos, & qui præsunt uobis in Domino, & admonẽt uos, ut habeatis illos in summo precio, per charitatem, propter opus illorum: pacem habete cum illis.

Quoniam non solùm hortari nos, ut tanquam filij lucis uigilemus & sobrij simus, ne aduentus Domini super nos securos & dormientes ex improuiso irruat, sed & mutuæ adhortationis & ædificationis sedulitatem ab omnibus & singulis requirere cœpit: periculum erat, ne uniuersum ministerium uerbi, quod certis quibusdam personis diuinitùs & ordine Ecclesiastico imponitur, pro inutili & haud necessario haberetur, propterea quòd omnium esset & singulorum humeris mutuæ ædificationis officium impositum. Sic enim comparatum est peruersæ carnis ingenium, ut ex eo quod bene & utiliter præcipitur, incõuenientia & noxia colligat. Quorsum (inquit) opus est episcopis, senioribus, prępositis & ministris, si ad nos cõmuniter omnes & ad unumquemque pertinet, ut alius alium doceat, adhortetur, consoletur & ędificet? Ad quid paucis quibusdam deputabimus, quod est omnium & singulorum? Quę necessitas est sumptus facere non necessarios, quibus alamus homines ocioſos, illisque nos subijciamus? Huiusmodi paralogismi perinde habent, ac si discipuli admoniti à præceptore, ut alius alium instruat, doceat, admoneat & adhortetur, non tam admonitioni huic obediãt, quàm inde peruersè colligant: Ergo non habemus opus præceptore, *διδασκάλου & ὑποδιδασκάλου*, si nosipsi alius alium mutuò docere & erudire possumus ac debemus. Vbi nulla cõtrarietas est, sed subalternatio, ibi non est posito uno reijciendum alterũ, cum utraq; rectè & utiliter usurpari queant. Etsi discipulus discipulum docet, haud tamen inutile est præceptoris & prouiso-

prouisorum officium, quo generaliter omnes instituuntur, & in disciplina retinentur. Membrum membro operam suam impendit in corpore, nihilo tamen minus opus est membris omnibus, ut à communi capite regantur. Sic habet & Ecclesiastici corporis conditio. Considerans hoc Apostolus, singulari cura admonitionem hanc adhortationi, quam cœpit, immiscet, dicens:

Rogamus autem uos fratres, ut agnoscatis eos qui laborant inter uos.] Hæc summa est, quam per sequentia expolit. Græcè est ἐρωτῶμεν, id est, Amanter rogamus. Vsus est hoc uerbo & Philipp. 4. & in hac Epististola, cap. præcedenti. Haud præcipit seuerè, ne honoris sui & cooperariorum suorum magis quàm salutis ipsorum rationem habere uideatur. Ideo magis eos amanter rogat, idque tanquam fratres, quo omnem sinistræ suspicionis occasionem amoliatur. Quid rogat eos? ut agnoscatis eos (inquit) qui laborant inter uos. Græcè est, εἰδέναι: quod Eras. uertit, Vt agnoscatis eos. Vulg. Lat. habet, Vt noueritis eos. Ambr. Vt cognoscatis eos. Notũ est Latinè doctis, quid discriminis sit inter cognoscere & agnoscere, de quo alibi diximus. Rectius legimus cũ Eras. Vt agnoscatis eos, quàm cũ Ambr. Vt cognoscatis eos. Agnoscere nõ est simpliciter cognoscere aliquem quis sit, & qualis sit: sed & pro suo ut decet amplecti. Sic uxor agnoscit maritum, filius patrem, discipulus præceptorem, cuius magistratum suum, dum se illi sicuti conuenit accommodat. Poscit igitur Apostolus non hoc simpliciter, ut sciamus qui sint, qui laborant in nobis. ædificandis in Domino: sed ut amplectamur illos reuerenter, sicuti decet, amplecti ac uenerari eos qui à Domino nobis dati sunt doctores.

Qui laborant, inquit, *inter uos.*] Rectè leges, Qui laborant in uobis. Et Græcè est, ἐν ὑμῖν, quod quidem aliquando pro, Inter uos, ponitur: hic uerò nulla necessitate sic accipiendum est. Nõ enim laborat minister Christi inter fideles simpliciter, sed & in ipsis fidelibus docendis, & ædificandis, quemadmodum & præceptor in suis discipulis erudiendis ac fingendis.

Nec est præter rationem, quòd non dicit, Qui operantur: sed, Qui laborant in uobis. Græcè est, τοὺς κοπιῶντας, quę dictio sonat operis aliquid obire cum labore & molestia. Et reuera sic comparatum est ministerium uerbi in Ecclesia Christi, ut multum laboris ac molestiarum gignat fideli ministro, qui non solùm in cœtu Ecclesiastico statis temporibus docet, sed & noctes ac dies sollicitus uigilat, ne quid damni accipiat grex Domini fidei suæ commissus: unũquemque seorsum monet, & omnibus fit omnia, quo saltem aliquos Domino lucrifaciat. Interea falsi pastores susque deque faciunt quomodo quisque uiuat, unum hoc curantes, ut ipsis liceat agere in delicijs, & saginari de pane Christi, quem pinguem esse gloriantur.

Et qui præsunt uobis in Domino, inquit.] Græcè est, καὶ προϊσταμένους ὑμῶν, id est, Qui stant ante uos. Loquitur ad similitudinem ducis, qui milites suos non à tergo sequitur, sed πρὸ προσώπου αὐτῶν, id est, Stat ante illos militari gubernatione, & dexteritate gerendarum rerum, præsertim ubi ineundus est cum hoste conflictus. Consimili modo minister uerbi non sequitur fideles, quib. est præfectus, ut quod illi faciunt faciat, & quò tendunt tẽdat: sed præcedit eos, statq; ante illorũ conspectu, ut non solùm ex uerbo audiant, sed & ipsò illius exẽplo uideant, quomodo se in Domino gerere debeant. Hodie particula hæc refertur ad dignitatis præminentiam, & aptatur prælatis Ecclesiarum, quos præstiterit esse non προϊσταμένους, sed μετεσταμένους, ne ne plebs Christi ante oculos suos tot uitiorum exempla uideat, & sequatur.

Addit: In Domino, quæ particula specificandi rationem habet: ut significet, se loqui non de ijs qui in politia Thessalonicensium ciuibus, atque ita & fidelibus ciuiliter præerant: sed de ministris, senioribus & episcopis Ecclesiæ, à quibus in fide ac religione Christi instituebantur fideles. Debemus utique & eos agnoscere, qui præsunt nobis in politia externa, magistratus uidelicet, quibus nos Deus ciuiliter subiecit: uerùm non minore obseruantia agnoscendi nobis sunt, qui præsunt nobis in uerbo Domini, de quibus hic Apostolus specialiter loquitur. Significat item, habendos eos esse in precio maximè propter Dominum, in quo, tã quam illius ministri, præsunt Ecclesiæ. Loquutio hæc, In Domino, frequenter in literis Pauli nis occurrit, & ponitur aliquando pro, In fide Domini: aliquando pro, In nomine Domini: nonnunquam pro, Propter Dominum, iuxta qualitatem materiæ, in qua usurpatur.

Et admonẽt uos, inquit.] Græcè est, καὶ νουθετοῦντας ὑμᾶς. De dictione hac annotauimus in ea quę est ad Coloss. cap. 1. circa calcem. Vide autem hic qualem prefecturam tribuat προϊσταμένοις Ecclesiarum: talem uidelicet, in qua non sit amplitudo dignitatis quærenda, sed magnitudo curarum & laborum. Non dicit, Et imperant uobis: sed, Et admonent uos. Præmisit, Qui laborant in uobis: & hic subijcit, Et admonẽt uos. Sic quod dixit, Qui prẽsunt uobis in Domino: & antè & retrò circumscripsit, ut nequeat in hac præfectura Ecclesiastica ambitioni ad domi nandum aliquid esse loci. Nihilo tamen minus tanta uis ambitionis, tantaque dominandi libido, occupauit eos qui se gloriantur esse Apostolorum successores, ut pleno impetu dominentur in grege Domini, & interim labores docendi & admonendi uilissimis quibusuis imponant.

Vt habeatis illos, inquit, *in summo precio, per charitatem, propter opus illorũ.*] Quòd dixit: Vt agnosca-

tis eos, exponit hisce uerbis. Græcè est, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτοὺς ὑπερεκπερισσοῦ ἐν ἀγάπῃ: quod reddi potest, Et reputate eos, uel sentite de illis admodũ eximiè in dilectione. Ambrosius sic, Vt illis summum honorem habeatis in charitate. Vulgata Latina ad hunc modum: Vt habeatis illos abũdantius in charitate. Germanicus interpres, *Vnd habt sy desster lieber.* Non tam requirit externũ honorem, qui tamen & ipse ministris Christi meritò exhibetur, quàm honestam & condignã existimationem cum uera dilectione coniunctam. Monet nos, ut honorificè, reuerenter, eximiè & amanter de illis sentiamus, non ob id tantùm, quod æquum est ac Deo placitum, ad eum modum affici erga ueros ministros: sed & quòd opus ædificationis perfici non potest, si contemptim de illis senserimus. Tum enim & doctrinam illorum susque deque facimus, & simul spiritũ illorũ extinguimus, fitq; ut remissi ac negligẽtes redditi omnia pfunctoriè faciãt.

In charitate, inquit.] Sine hac frustanea est omnis hæc Apostoli admonitio. Non potest autem charitas ista haberi à carnalibus. Illi namque molestè ferunt, si sedulò admoneantur, corripiantur, & ab operibus tenebrarum auocentur, ideoque non diligunt fideles ac sedulos ministros, sed magis odio prosequuntur. Quare admonitio hæc prorsus requirit hominem timentem Dei, Christique, ac proprię salutis amantem. Qui sic animati sunt, intelligunt ministerij necessitatem & incomparabilem in seipsis utilitatem: & hanc ob causam diligunt, & in summo precio habent fideles ministros. Reliqui dicunt: Prædicate nobis placentia, et si sint in potestate constituti, non retinent in ministerio ueros ac fideles ministros: sed abiectis illis coaceruant sibi magistros concupiscentijs, & auribus ipsorum arridentes, iuxta uaticinium Apostoli, 2. Timoth. 4.

Propter opus illorum, inquit.] Particula hæc sic est ambiguè posita, ut referri queat tam ad sequentia, quàm ad præcedentia. Si ad sequentia, sensus est, Pacem habete cum illis propter opus illorum: si ad præcedentia, admonet ut eximiè de illis sentiant in charitate propter opus illorum, quod obeunt in Domino. Nihil autem refert utrouis modo legamus. Non dicit, Propter eminentiam dignitatis: sed, Propter opus illorum. Ergo locus hic haudquaquam pertinet ad magnificos nostros prælatos, homines ociosos, & inutiles Ecclesiæ: sed ad eos qui laborant in opere Domini. Non astringitur Ecclesia Christi, ut agnoscat & in precio habeat Papas, cardinales, episcopos, presbyteros, abbates, monachos: quia non uidet in illis opus Domini, sed mera inanium dignitatum spectra. Sunt opulenti. Verùm non dicit Apostolus, Propter opes: sed, Propter opus illorum. Maluerũt coaceruatis per Simmoniam opibus æquare principes, & in delicijs agere, quàm in opere Domini cum apostolis Christi laborare, & modico contentari: & interim apud reges & principes sunt in precio, imò nonnunquam timentur etiam propter opes & potentiam.

Nec dicit, Propter opera: sed in singulari, Propter opus illorum. Conuenit quidem, ut ministri Christi cum primis bonis operibus studeant, ad quæ hortantur alios, & fidelium est ob seruare in illis ueræ pietatis exempla, quæ imitentur: uerùm omnibus alijs operibus præferendum est opus ministerij, in quo docendo, admonendo, hortando, consolando, laborantes, regno Christi & saluti fidelium singulariter seruiunt. Propter illud potissimùm in summo sunt habendi precio, etiamsi aliàs plerisque adhuc sunt defectibus & uitijs (modò non enormibus & intolerabilibus) obnoxij.

Pacem habete cum illis, inquit.] Græcè est, ἀγλωίνετε ἐν αὐτοῖς: id est, Pacem habete, uel Pacifici este in ipsis. Auocat eos à studio dissidendi, contendendi, iurgandi & disceptandi, quo satanas recentium Ecclesiarum ædificationem perpetuo quodam ac singnlari studio mox initio impedire molitur: id quod non solùm Apostolorum, & proximè sequuta, sed & nostra tempora abundè satis demonstrant. Excitat aduersus ministros Christi primùm eos qui sunt inanis gloriæ cupidi, & singularitatis studiosi, qui suas ipsorum cogitationes & opiniones exosculantur, & Ecclesijs obtrudere satagunt: eoq; nomine aduersus legitimos ministros insurgunt, & aduersum illos quos poterunt abalienant. Hinc nascuntur hæreses & schismata. Deinde & eos qui tanquam carnaliores emendari non sustinent, eamq; ob causam ministros odio insectantur. Hoc non ignorans Apostolus, generaliter admonet omnes, ut pacificè agãt erga ministros, ne opus Domini destruant, uel saltem aliquousq; remorentur. Vtinam hunc spiritum dei Dominus Ecclesijs reformatis, ut cum ministris suis in pace uiuant, ac studia partium excludant. Admonet Apostolus, non eos qui à falsis doctoribus & pastoribus seducuntur, & cum illis pacificè agant: absit. ibi namq; satius est dissidere ab illis, quàm agere in pace: sed eos qui à ueris Christi ministris, Euangelica & Apostolica doctrina in fide, religione ac pietate Christi legitimè ac fideliter instituuntur. Quare præter mentem Apostoli est, quòd Papistæ defensores hoc loco probare nituntur, peccare nos contra doctrinam Apostolicã, in eo quòd à prælatis Ecclesiarũ dissidemus, & tã catholicã pacẽ discessione nostra rumpimus: quã nisi rũperemus, cũ ueris Christi ministris pacẽ retinere haudquam possemus.

Obsecramus autem uos fratres, monete inordinatos, consolamini pusillanimes, subleuate infirmos, patientes estote erga omnes. Videte, ne quis malum pro malo cuipiam reddat, sed semper quod bonum est sectemini, tum erga

uos

uos inuicem, tum erga omnes. Semper gaudete, indesinenter orate, in omnibus gratias agite. Hæc enim est uoluntas Dei, per Christum Iesum erga uos. Spiritū ne extinguatis, prophetias ne aspernemini. Omnia probate, quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete.

Hactenus de honorandis ministris quædam ualde necessaria inseruit, iam redit ad eam quam suprà cœpit adhortationem, ubi dixit, Quapropter adhortemini uos mutuò, & ædificetis singuli singulos: illamq; præsenti contextu duodecim adhortatiunculis, ueluti membris absoluit.

Obsecramus autem uos fratres, inquit.] Quod in præcedentibus dixit, Rogamus autem uos fratres, in Græco est, ἐρωτῶμεν: hic uerò est παρακαλοῦμεν, quod (ut sæpe monui) tam hortamur, quàm obsecramus uerti potest. Haud tamen displicet, quod uerterunt interpretes, Alius rogamus, alius obsecramus.

Monete inordinatos, inquit.] Primum hoc præsentis adhortationis membrum est. In Ecclesia Christi quæ non est ex angelis, sed ex hominibus collecta, multa quotidie correctionem postulantia occurrunt: quorum numerus sic est innumerus, ut possibile sit nemini omnia exactè recensere, & de singulis singulatim præscribere. Quare nusquam in Apostolicis literis talis reperitur præceptionum catalogus, in quo de omnibus rebus siue faciendis siue uitandis præcipiatur. Consueuerunt enim Apostoli de ijs tantum admonere fideles, quæ secūdum rationem & conditionem temporum, locorum & personarum præ alijs admonenda uidebantur. Consimili modo factum est & hoc loco. Primò, hortatur ut moneāt inordinatos: hoc est, eos qui inordinatè sese in Ecclesia gerebant, nihil operis facientes, & interim alios panem illorum gratis & ociosè manducando grauantes. Quod tales intelligat per ἀτάκτους, i. inordinatos, in posteriore Epistola cap. ult. patet, ubi dicit: Præcipimus autem uobis fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut subducatis uos ab omni fratre, qui inordinatè se gerit, & non iuxta institutionem, quam accepit à nobis. Nam ipsi scitis, quomodo oporteat imitari nos, quoniam non inordinatè gessimus nos inter uos, neque gratis panem accepimus à quoquam: sed cum labore ac sudore, nocte dieque facientes opus, ad hoc, ne cui uestrūm essemus oneri. Et paulò pòst: Audimus enim quosdam uersantes inter uos inordinatè, nihil operis facientes, sed curiose agentes, &c. Quoniam audiebat esse tales quosdam in Ecclesia Thessalonicensium, necessarium ratus est, ut de admonendis & corrigendis illis cūprimis præciperet. Hoc facit, dicens: νουθετεῖτε τοὺς ἀτάκτους: quod Vulg. Lat. habet, Corripite inquietos, quemadmodum & Ambrosius legit.

Fieri non potest, ut honestas & tranquillitas seruentur in populo, in quo uel nullus est ordo uiuendi & conuersandi: uel impune est, siquis inordinatè, id est extra constitutum uiuendi ordinem sese gerat. Et hæc est ratio, propter quam Apostolus homines ἀτάκτους in Ecclesia admoneri uult, ut ordini ac legibus parentes proprijs manibus operētur, ac neminem grauent. Hac de re denūciauerat illis, sicuti uidere est suprà cap. præcedenti, & in posteriore cap. ult. Quomodo uocabimus igitur eos qui hodie nihil prorsus operis facientes in omnib. ferè Ecclesijs ociosi saginātur? Vocat eos Apostolus ἀτάκτους, i. Inordinatos: at illi gloriātur de nescio quibus ordinibus, & uulgò uocantur *Ordens leut.*

Consolamini pusillanimes, inquit.] Quemadmodum in corpore humano hæc est diuersitas membrorum, ut alia sint robusta, alia imbecillia: ita & in corpore Ecclesiæ alij sunt μεγαλόψυχοι, alij ὀλιγόψυχοι, id est alij magnanimi, alij pusillanimes. Præcipit igitur iam secundo loco, quomodo tractandi sint pusillanimes. Solent enim illi contemni & irrideri à glorioſulis, qui se firmissimos esse iudicant. At in Christo calamus quassatus non est frangendus, & linum fumigans non extinguendum. Monet igitur Apostolus hac de re, dicens: Consolamini pusillanimes. In Græco est παραμυθεῖσθε, de quo uerbo suprà capite 2. annotauimus. Significat hominem tristem aut aliàs meticulosum ac pusillanimem affatu consolatorio animare & erigere. ut hoc faciamus, sedulò admonet, dicens: Consolamini pusillanimes. Tales enim Deus ipse usqueadeò non fastidit, ut propter ea uocetur Deus consolationis quòd infirmos ac pusillanimes in omnibus afflictionibus ipsorum consolari dignatur. Et hoc prædicat de eo Apostolus 2. Cor. 1. dicēs: Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater miserationū, & Deus omnis consolationis, qui consolatur nos in omni afflictione nostra. Quanto itaque excellentior est homine Deus, tanto minus conuenit nobis, ut fastidiamus pusillanimes: quos Deus ipse non fastidit, sed in omni tribulatione consolatur

Dices: Quorsum igitur opus est, ut nos consolemur eos, quos Deus ipse consolatur: quasi non sufficiat illis consolatio quæ est ab ipso Deo?

Respondeo: Hac argumentatione tolles uniuersum ueræ bonitatis ac beneficentiæ studium. Etenim, si propterea frustra consolamur pusillanimes, quòd illos Deus ipse consolatur: eadem ratione colligere licebit, frustra nos diligere iustos, frustra benefacere rectis, frustra misereri afflictorum, frustra pascere esurientes: propterea quòd Deus diligit iustos, benefacit rectis corde, miseretur afflictorum, & pascit esurientes. Absit.

Quin potius colligemus ad hunc modum: Quos Deus diligit, quibus benefacit, quorum miseretur, quos pascit, quos consolatur: hos conuenit & nos diligere, beneficijs afficere, miseri cordia prosequi, pascere & consolari. Diligit autem iustos, imò omnem hominem (est enim φιλάνθρωπος) benefacit rectis corde, miseretur afflictorum, pascit esurientes, & consolatur pusillanimes. Ergo & nobis cõuenit ut ista faciamus. Sumus enim filij ipsius, & requiritur à nobis, ut bonitatem ipsius imitemur. Præterea, uult ista per nos quoque operari, sicut & alia multa per nostrum ministerium operatur: ut simus ipsius non modò imitatores, sed & cooperarij.

Subleuate infirmos, inquit.] Eiusdem generis & hoc est cum præcedenti. Græcè est ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενῶν. Significat autem ἀντέχεσθαι id quod infirmum est, ac per se stare non potest, ne labatur sustentare: perinde acsi quis homini seni ac decrepito, uel ægroto, uel infanti nondum incedere ualenti, manum sustentandi gratia porrigat, quod alio uerbo ἀντιλαμβάνεσθαι uocant. Hoc metaphorico uerbo monet, debere nos infirmos in fide, ne deficiant & relabantur, manu sueto dilectiouis spiritu confirmare. Humanitatis est, curam eorum gerere qui corporaliter sunt infirmi: inhumanitatis uerò, nulla illorum commiseratione affici, sed contemnere eos & fastidire, propterea quòd sunt infirmi. Quanto magis nos, qui non solum homines, sed & Christiani sumus, sic animatos esse decet: ut in Christo, qui infirmitates nostras portauit, infirma nostra membra non negligamus, sed sustentemus, & pro suis quisque uiribus corroboremus, donec uirtute à Deo data in fide Christi conualescant. Sunt gentes quædam quæ infirmos suos mactant & comedunt, habeturque hæc illorum consuetudo pro horribili barbarie; uerùm uide an minor sit crudelitas in Papatu, in quo qui fide infirmantur, sicut ipsi iudicant, igni traduntur, & prorsus comburuntur, bonaque illorum uorantur.

Patientes estote erga omnes, inquit.] Græcè est μακροθυμεῖτε. Est autem μακροθυμεῖν, haud citò per impatientiam ab eo quod bene cœptum est, ubi non mox successerit, deficere: sed animo infracto ac molestiarum patienti pergere ac perseuerare. Virtutem hanc Longanimitatem uocant. Sine hac fieri non potest, ut corrigamus inordinatos, consolemur pusillanimes, & subleuemus infirmos. Caro namque in eiusmodi casibus mox pertæsa laborum deficit, ubi semel atque iterum quod cœpit, non succedere uiderit. Hoc sciens Apostolus, ubi de monendis inordinatis, consolandis pusillanimibus & subleuandis infirmis præcepit: confestim subiecit, Patientes estote erga omnes. Q. d. Ne citò desperetis de quoquam, ubi non statim successus responderit labori: sed siue moneatis inordinatos, siue consolemini pusillanimes, siue subleuetis infirmos, sitis patientes in opere bono, idque nõ modò erga tales, sed & erga omnes.

Videte, ne quis malum pro malo cuipiam reddat, inquit.] Sæpenumero accidit, ut deseramus in necessitatibus eos, à quibus aliquando læsi sumus, atque ita malum pro malo reddamus. Vbi hęc uindictę cupido locum habet, ibi opera charitatis perfici non poterunt. Dupliciter autẽ malum pro bono redditur. Primò, dum eos, qui nos aliquando læserunt, non iuuamus, ubi nostro opus habent auxilio: sed negligimus ac deserimus. Etenim non benefacere cum possis, & cum necessitas postulat, est malè facere: & non seruare periclitantem, est perdere, secundum argumentum Seruatoris, Mar. 3. ubi Pharisæos interrogat, dicens: Licet ne sabbathis benefacere, aut malè, animã seruare, uel perdere? Deinde, dum uicissim malum facimus, quo lædamus eum, à quo læsi fuimus. Inuenias multos qui se priore modo haudquaquam contra doctrinam Apostolicam peccare iudicant. Nolo, inquiunt, malè illi facere, at interea nolo etiam illi benefacere. uerùm non effugiunt culpam. Neque enim hoc tantum præcipitur, ne quid cuiquam mali faciamus: sed, ut bene faciamus omnibus. Ideo tam diligenter monet hic Apostolus, ne malum pro malo cuiquam reddamus, sed semper quod bonum est sectemur. Vide autem quanta hoc cum diligentia præcipiat.

Primò, non simpliciter dicit, Ne quis malum pro malo reddat, sed præmittit, ὁρᾶτε i. Videte. quo moneat quanto studio cauere debeant, ne malum pro malo reddant. Nec facit hoc frustra. Est enim propensio ad uindicandum, carni nostrę uehementer insidiosa, sic ut priusquam animaduertas, si non opere, uerbo tamen malum pro malo reddas. Deinde, maiori ex parte sic animati sumus, ut uicem talionis non inter delicta ponamus, sed iustam esse censeamus: cum tamen disertè dictum sit à Deo, Mihi uindictam, & ego retribuam. qua de re uide Rom. 12. circa calcem.

Secundò, non dicit, Ne malum pro malo reddatis, quod in genere ad omnes dicere poterat: sed, Ne quis malum pro malo reddat. Sic duplicem mali huius uitandi curam illis imponit. Vnam, qua unusquisq; caueat, ne cuiquam ipse malum pro malo reddat: alteram, qua uideant omnes, ne quisquam inter ipsos sit, qui semetipse ulciscatur, & malum pro malo reddat: & si talem deprehenderint, moneant ut desistat.

Tertiò, non dicit simpliciter, Ne quis malum pro malo reddat: sed, Ne quis malum pro malo cuiquam reddat. quasi dicat: Quicunq; tandem ille sit siue Christianus, siue ethnicus. Sed hanc particulã mox declarabit. Cogitemus itaque hic, quàm alienũ debeat à nobis esse,

ut cuiquam mortaliũ male faciamus, quando Apostolus tanta cum diligentia præcipiat, ne malum pro malo cuiquam reddamus. Deinde, quanto adhuc minus committendum sit, ut mala pro bonis reddamus: quando illicitum est, ut pro malo malum reddatur.

Sed semper quod bonum est sectemini, inquit, *tum erga uos inuicem, tum erga omnes*.] Si satis esset ad iusticiam regni Christi, nemini quod malum est reddere, nedum facere, non fuisset opus particulam hanc præcedenti adijcere: uerùm, quoniam perfecta iusticia non in eo consistit, si abstineamus à malo, sed requirit ut quod bonum est faciamus: perinde atque bonæ arboris fertilitas dimidiata tantum est, si non ferat malos fructus: perfecta uerò, si adferat bonos: ideo necessarium erat, ut ista perfectionis gratia adijceret, dicens: Sed semper quod bonum est sectemini, cùm erga uos inuicem, tum erga omnes.

Et hic uide quomodo loquatur. Non dicit simpliciter, Quod bonum est faciatis: sed, Quod bonum est sectemini. Accidit sæpenumero, ut cui benefaciendum est, bene sibi fieri non sinat: sed, quoniam inimicus esse cœpit, beneficentiam nostram auersetur. Hic quid faciẽdum nobis est? Id uidelicet quod faciunt uenatores. Persequenda nobis est omnis occasio benefaciendi, nec cessandum, donec tandem in se reuersus miteſcat, & bene sibi fieri patiatur. Hoc significans, dicit: Quod bonum est διώκετε, i. Persequamini. Nos autem, quoniam non agimur Christianę charitatis affectu, mox prima recusatione impediti desistimus, putãtes probè nos esse quod nostri sit officij exequutos.

Deinde non dicit simpliciter, Quod bonum est sectemini: sed addit, Semper. Tales nos esse uult, non per occasionem aliquam, sed ex animo: ut quemadmodum quæ naturaliter nobis sunt insita non facimus semel atque iterum tantum, sed semper: ita & quæ ueræ sunt bonitatis ac pietatis, indesinenter secundum noui hominis naturam non faciamus tantùm, sed & sectemur. Qui sic animati sunt, non habent opus multis adhortationibus, quibus ad benefaciendi studium impellantur, sed secundum regenerationis naturam: nunquam nõ ad illud propendent.

Tum erga uos inuicem, inquit, *tum erga omnes*.] Quòd suprà una dictione, Cuiquam uidelicet, attigit, id iam declarat, monens, studendum esse beneficentiæ non solũ erga fidei nostræ consortes, sed & erga omnes, etiam ethnicos. Cum primis quidem benefaciendum est fratribus: uerùm non solis, sed post illos etiam exteris. Hoc significans, dicit: Tum erga uos inuicem, cùm erga omnes.

Non est autem præter rationem, quòd huius eos admonet. Erant enim, dubio procul, inter Christianos qui nihil referre putabant, quomodo se gererent erga incredulos & exteros, modò rationem haberent eorum quiessent ἐμπόδιοι. Horum sentẽtiam corrigens, haud quidem negat, requiri hoc à Christianis, ut mutuæ inter se beneficentiæ studeãt: sed id cum primis præstandũ esse monet. uerùm iuxtà requirit ab illis, ut omnib. etiã alijs, quicunque illi sint, benefacere satagãt. Idẽ & Christus docet Matth. 6. proponens nobis exemplum patris nostri cœlestis, qui solem suum producit super bonos & malos, & pluit super gratos & ingratos. At hodie non est opus hac correctione. Nihil enim, uel admodum parum discriminis habetur inter Christianum & non Christianum, bonum & malum. Sic rapimur affectibus nostris, ut nihilo magis parcamus Christiano, quia Christianus nobiscum est, quàm si agendum sit cum Iudæis & Turcis. Olim, sicut in Apologetico Tertulliani uidere est, uitio uertebatur Christianis, quòd mutua se inuicem charitate impense complecterentur. Ecce, aiebant gentes, quomodo se inuicem diligunt. Hæc exprobratio iam nihil loci habet in Ecclesijs nostris: sed illa potuis, qua Tertullianus Gentibus obiecit, quòd mutuis se inuicem odijs prosequerentur. Reuera impletur illud Christi, Matthæi capite uicesimo quarto: Abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum.

Semper gaudete, inquit.] Philipp. 4. particulam hanc sic posuit: Gaudete in Domino semper, & iterum dico, Gaudete. Et initio capitis 3. gaudij huius meminit. Vtrobique uide quæ hic sint notanda. De eodem quippe gaudio & illic & hic loquitur, quòd uidelicet sit in Domino.

Indesinenter orate, inquit.] Græcè est προσεύχεσθε, i. Adorate, ad Deum uidelicet orate. Gaudio Christianorum annectit orationem. In hoc enim differt nostrum gaudium à gaudio carnis, quòd qui secundum carnem gaudent, securi redduntur, ut haud cogitent de imploranda cœlesti ope: nostro uerò gaudio magis accendimur ad inuocationem, & iuges preces. Nec est ut dicas, Quomodo fieri potest, ut indesinenter orem? Quando operabor ea quæ ad uitæ sustentationem sunt necessaria? Quando edam? Quando dormiam? Non hoc sensu iubet nos indesinenter orare: sed monet, ut siue tristia siue læta accidant, perpetuò ad Deum oremus. Euchitæ, genus quoddam monachorum, causam hinc sumpserunt, ut nihil operis facerent, sed perpetuo ocio orationibus incumberent: unde & Euchitæ uocari cœperunt. Horum sectæ non est author Apostolus. Neque enim de tali sedulitate orandi loquitur,

quæ

quæ corpora noſtra ab operibus neceſſarijs impediat,& ocium requirat: ſed de ea quæ uotis ac ſuſpirijs magis quàm conceptis uerbis & multiloquio perficiatur.

In omnibus gratias agite, inquit.] Non hic primùm gratiarum actionem orationi coniungit. Facit hoc multoties. Neque fruſtra facit. Donec enim in hac uita ſumus, quantumuis multis bonis diuinitùs cumulemur, nunquam tamen eò peruenimus, ut non habeamus opus cœleſti auxilio, adeoque & precationibus ad Deum. Sic neceſſe eſt ut pro acceptis beneficijs agamus Deo gratias ex animo, & pro ijs quæ nondum accepimus, ad illum bona cum fiducia oremus.

In omnibus, inquit. Si pro rebus lætis duntaxat agẽdæ eſſent Deo gratiæ, non diceret, In omnibus gratias agite. Hoc itaque dicens, monet, tam in triſtibus quàm in lætis agendas eſſe Deo gratias: uerùm hac de re iam aliquoties diximus. Qui ſemper gaudet in Domino, utique & ſemper & in omnibus gratias agit Deo, non ſolum de lætis, quæ per Dominum accipit: ſed & de triſtibus, quæ propter Dominum cum gaudio tolerat.

Hæc eſt enim uoluntas Dei per Chriſtum Ieſum erga uos, inquit.] Immiſcet præceptiunculis ſuis authoritatem Dei, ne carnalioribus minus ponderis habere uideantur, quaſi præſcribat hęc de ſuo ex nimia ſcrupuloſitate, qua res modici momenti perinde neceſſarias faciat, acſi ſine illarum obſeruantia fruſtra Chriſtiani ſimus. Poſtquam igitur de corrigendis inordinatis, cõſolandis puſillanimibus, ſubleuandis infirmis, patienter ferẽdis omnibus, malo nemini pro malo reddendo, ſemper gaudendo, indeſinenter orando, & gratijs in omnibus agendis præcepit: mox ſubijcit, Hæc eſt enim uoluntas Dei per Chriſtum Ieſum erga uos. Q.d. Eſt enim uoluntas Dei, ut in Chriſto Ieſu conſtituti, ad quem uos uocauit, ſic uos cùm erga ſe, tum erga fratres, & omnes etiam alios geratis. Suprà cap. 4. eandem rationem attulit, dicens: Hæc eſt enim uoluntas Dei, ſanctificatio ueſtra.

Sunt qui ἀντιλογίαν hanc ad proxime præcedentem præceptiunculam referant, ubi dixit: In omnibus gratias agite. uerùm non uideo quid impediat, quo minus ad præcedentes etiã reliquas pertineat, eo ſenſu quo expoſuimus.

Illud, Per Chriſtum Ieſum: in Græco eſt, ἐν χριστῷ Ἰησοῦ. id eſt, In Chriſto Ieſu. Idem eſt, quod, In gratia hac, ad quam uos in Chriſto Ieſu uocauit, uoluntas hæc Dei erga uos eſt, id eſt: Sic uult eſſe uos, qui eſtis in Chriſto Ieſu. Voluntas Dei erga nos gemina eſt. Vna, qua uult nos ſaluos fieri in Chriſto Ieſu. De hac Ioan. 6. Hæc eſt uoluntas Dei, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam. Et 1. Timoth. 2. Qui uult omnes homines ſaluos fieri. Altera, qua uult ut piè, ſanctè ac inculpatè uiuamus in Chriſto. De hac in præſenti ἀντιλογίᾳ loquitur, ad quam & illud pertinet, quod Capite præcedenti dixit: Hæc eſt enim uoluntas Dei, ſanctificatio ueſtra, ut abſtineatis, &c. Vbi uide, quæ de hac ſint uoluntate Dei dicta.

Spiritum ne extinguatis, inquit, *prophetias ne aſpernemini*.] In eo quod dicit, Spiritum ne extinguatis: metaphora eſt non modò in dictione Spiritus, ſed & in uerbo extinguendi. Quid propriè ſpiritus ſit, notum eſt ſatis. Hic uerò quomodo metaphoricè accipiatur, non eſt eadem omnium ſententia. Sunt qui accipiãt de Spiritu ſancto, qui tertia eſt in S. Triade perſona, ideoque diſputant, quomodo ille poſsit extingui. Auguſtinus Epiſtola 23. ad Bonifacium locum hũc ſic expoſuit: Dicit Apoſtolus, Spiritum nolite extinguere, non quia ille extingui poteſt: ſed quantum in ipſis eſt, extinctores eius meritò dicuntur, qui ſic agunt ut extinctum uelint. Et lib. 2. contra Epiſtolã Parmeniani, cap. 13. Nam & de ſpiritu, inquit, qui nullo modo poteſt extingui, dictum eſt: Spiritum nolite extinguere. id eſt: Quantum in uobis eſt, nolite ſic agere, tanquam conemini ſpiritum extinguere, aut tanquam ſpiritum extinctũ putetis. Et nomen Dei nullo modo pollui poteſt, & tamen dictum eſt: Filius & pater intrabant ad unam puellam, ut polluerent nomen Dei ſui. Hæc ille. unde ſatis patet, quòd locum hunc de Spiritu ſancto, tertia S. Triadis perſona intellexerit. Theophylactus per ſpiritũ hic intelligit ſpiritus gratiam ac donum. Ipſe ſpiritus Deus extingui non poteſt, donum uerò illius negligi & extingui perinde atque gratia Dei fruſtra & in uanum accipi poteſt, 2. Cor. 6. Eſt autẽ gratia Spirituſſancti uaria, de qua uarietate non eſt ut hic dicamus, neque tenuitatis meæ eſt, ut uarias illius operationes recenſere poſsim.

Dona Spirituſſancti inſtar ignis ſunt in cordibus fidelium. & quemadmodum ignis ſi negligatur, uel aqua perfundatur, extinguitur: ſi uerò adiecta materia illi conuenienti foueatur, magis ac magis prouehitur: ita & chariſmata ſpirituſſancti ſi negligantur, hoc eſt, non in legitimos uſus collocentur, uel, aquis carnalium affectuum ac ſtudiorum ueluti perfundantur, planè conſopiuntur & extinguuntur: ſi uerò colantur, & ritè uſurpentur, non modò prouehuntur, ſed etiamſi conſopiri aliquandiu uideantur, denuò excitantur. Sic ſecunda ad Thimotheum primo: Quam ob cauſam (inquit) commonefacio te, ut ſuſcites donũ Dei, quod eſt in te per impoſitionem manuum mearum. Græcè illic eſt ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ. Significat ἀναζωπυρεῖν, rem aliquam, quæ ueluti conſopita uidebatur, denuò inſtar ignicu li excitare ac uiuificare. Contrarium huius eſt extinguere. Quo ſenſu igitur Thimotheum

commo-

commonefacit,ut chariſma Dei,quod per impoſitionem manuum ſuarũ acceperat, ſedulo pietatis ſtudio & uſu in ſeipſo reſuſcitet:eodem planè & Theſſalonicenſes monet,ut caueãt ne ſpiritum,id eſt,chariſmata ſpiritus, quæ in Chriſto acceperant,ſocordi negligentia ac de generatione extinguant. Omnino quemadmodum ſingularis ingenij uiuacitas ſtudio & exercitio colitur,ac culta creſcit,negligentia uerò & ignaua ſocordia ſterileſcit,hebetatur ac perditur:ita & chariſmata ſpiritus,ſi legitimo uſu exerceantur,augeſcunt:ſi uerò negligãtur, intercidunt & extinguuntur.Erant primæ Eccleſiæ,ab Apoſtolis plantatæ,multis ac præclaris chariſmatibus ornatę:quæ tandiu durarunt,quandiu pietatis,fidei ac dilectionis fomenta inuenerunt: ubi illa deſierunt, & corda fidelium ſeculo immergi, magisque carnis quàm Chriſti ſpiritu duci cœperunt,quid aliud conſequi potuit,quàm ut dona ſpiritus Dei extinguerentur?

Extinguimus autem ſpiritum non modò in nobiſipſis, ſed & in alijs, in quibus dona illius floccifacimus : id quod paſsim miniſtris uerbi accidit, quando doctrina illorum contemnitur,ſic ut uel neglectim audiantur:uel quæ docent,nullum effectum ſortiantur. Hinc naſcuntur inſipidæ ac frigidæ conciones, quia doctores non loquuntur ex animo: & quoniam animum non habent, animum non faciunt. Et hac de re uidetur loqui,cum ſubijcit:

Prophetias ne aſpernemini.] Quomodo donum prophetiæ fuerit in primis Eccleſijs, 1. Cor. 14. uidere licet. Pro exuberantia ſpiritus, quæ tum erat,licebat cuiuis ſurgere in medio Eccleſiæ ad prophetandum,ſic ut cæteri audientes dijudicarent. Hic periculum erat,ne ſi ſurgeret ad prophetandum homo iuxta ſeculum indoctus,idiota & deſpicabilis, contemneretur illius prophetia,propter perſonæ humilitatem & obſcuritatem,atque ita donum Dei cõtemptui exponeretur,ac paulatim ſpiritus extingueretur. Ne id accideret,omnium pertinẽtiſsimè ſubiecit,dicẽs: Prophetias ne aſpernemini. Dubio procul plus admirationis,adeoq; & exiſtimationis inueniebat donum linguarum,quod tum uigebat in Eccleſijs,quàm donũ prophetiæ,cum hoc illo eſſet multo præſtantius & utilius ad ædificationem. Sciens hoc,admonet Theſſalonicenſes,ne prophetias contemnant. Hodie idem uſuuenire uidemus in Papatu,in quo quæ lingua incognita canuntur in templis,multo pluris æſtimantur, quàm uerbum doctrinæ, quod prorſus à prælatis & Epiſcopis neglectum iacet: quibus dedecoroſum uidetur, ſi lectioni ſacrarum Scripturarum, & miniſterio docendi ac prophetandi incumberent. Ideo concionandi munus,tanquam humile & ignobile alijs imponunt, & ipſi interea uacant rebus multo ſplendidioribus,& magis ad quæſtum facientibus.

Quod Euangelicas & reformatas noſtrorum temporum Eccleſias attinet, malum hoc inualeſcere uideo,ut fuci & ignaui homines Eccleſijs præfecti,quibus nihil eſt cordis & ſpiritus in miniſterio uerbi,nihilque ſanctimoniæ in conuerſatione uitę,cùm frigidis & ineptis concionibus,tum corruptione uitæ ſpiritum fidelium quibus præfecti ſunt, quotidie magis atque magis extinguant. Qui in culpa ſunt tam enormis mali,ſiue Magiſtratus ſiue paſtores & epiſcopi,portabunt iudicium ſuum in die Domini.

Omnia probate, inquit,*quod bonum eſt tenete.*] Pauciſsimis uerbis præoccupat,quod obijci poterat. Quoniam monuerat,ſpiritum non eſſe extinguendum,& prophetias non aſpernandas, audire poterat: Ergo quemuis ſpiritum,& quamuis prophetiam, ſine omni diſcrimine recipiemus? Quid hinc aliud ſequetur,quàm ut pſeudoprophetis omnes ualuæ aperiantur ad ſeducendum ac perdendum? Prætexunt omnes ſpiritum,prætexunt donum prophetiæ. Et tu præcipis ſimpliciter,ut nec ſpiritum extinguamus, nec prophetias contemnamus. Per occupationem itaque dicit: Omnia probate,quod bonum eſt tenete. Q.d. Non iubeo ut quemuis ſpiritum,& omnem,qualis qualis ſit,prophetiam ſine iudicio recipiatis. Volo ut nõ temerè quæuis reijciatis. Ne autem ſeduciamini,ueſtrum erit non modò ſpiritus, utrum ex Deo ſint:& prophetias,ſint ne fidei conſonæ:ſed omnia,quæcunque uobis proponũtur, probare:& quod bonum eſt retinere,quod malum uerò reſpuere.

Hæc igitur olim fuit in eccleſijs Chriſti regula, contra omne genus ſeductionis ab ipſis Apoſtolis preſcripta,ut probarent fideles omnia,& quæ bona eſſent retinerent,reliqua uitarent. Sed obſecro,ubi nunc eſt in Eccleſijs,quę hic requiritur,iudicandi ac probãdi libertas? ubi iudicium rerum ſpiritualium,ad probationem hanc neceſſarium? Iam populus omni caret iudicio,& prælati quiduis dominaliter proponunt & obtrudunt,ut nec liceat fidelibus, nec in ipſorum facultate ſit,probare omnia,& quod bonũ eſt retinere. Qui huic ſe regulæ iã accõmodare conãtur,ideoq; non mox omnia indiſcriminatim,quæ à prælatis tradũtur recipiũt,ſed cũ iudicio quæ bona ſunt amplectuntur,reliqua auerſantur: confeſtim hęreſeos accuſantur, ut hæreticũ eſſe ſit iam in Papatu,nihil aliud quàm omnia probare, & qđ honũ eſt tenere:hoc eſt,nõ uorare ſtatim omnia epiſcoporũ & monachorũ cõmẽta,& põtificũ Romanorũ decreta,& quoſuis ſeductorũ maiorũ noſtrorũ ritus:ſed liberè & cũ iudicio uerſari, ne

menda-

mendacium pro uero,& malum pro bono temerè amplectaris. Hæc duo ſummè neceſſaria, intellectus uidelicet iudicandi,& probandi omnia,& libertas quod bonum eſt retinendi,& quod malum,auerſandi, uſqueadeò ferre non poſſunt Eccleſiarum magiſtri,ut citius ſint orbem ſanguine mundaturi, quàm laturi,ut poſtliminiò in Eccleſias reducantur.

Illud interea fateor,non minus eſſe periculi, ſi populus indoctus & ſpiritualium rerum ac S. Scripturarum imperitus,ſumat ſibi hanc quiduis iudicandi libertatem,quæ ad tales nõ pertinet,nec à talibus utiliter uſurpari poteſt,ſicut hodie in Anabaptiſtis uidemus. Sic ſatan omni ex parte inſtructus eſt,ad corrupendum Chriſtianæ religionis ſynceritatem,quem Dominus ſpiritu ſuo conterat. Quare ſummopere neceſſarium eſt,ut miniſtri uerbi luce S. Scripturarum mentes fidelium illuminent,ac iudicia illorum dirigant, quo tanquam munda animalia inter uera bona & uerè mala diſcernere poſsint. Hoc Apoſtoli dicto multi hodie curioſitatem ſuam prætexunt,ut dum omne genus errorum & nouorum dogmatum audire uolunt,dicant: Scriptum eſt, Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Atque ita fit,ut nulli ſententiæ inhæreant,ſed de errore in errorem labantur,ſemper diſcentes nunquam ad ueritatis ſcientiam perueniant: quaſi Apoſtolus hac regula ſua curioſitati hominum leuium & inſtabilium patrocinari uoluerit,cum eam contra contemptores prophetiarum,non ad patrocinandum curioſis,leuibus & inſtabilib. poſuerit: qui,etiamſi ipſorum iudicio quod bonum eſt probando cognouerint,qua tamen ſunt leuitate in eo quod iudicarũt eſſe bonum, non permanẽt: ſed mox atque aliud, diuerſum à priori, allatum fuerit, pro curioſitate ſua relicto priori,nouo rurſus dogmati animum applicãt. Hoc autẽ non eſt τὸ καλὸν κατέχειν, i. quod bonum eſt retinere. In uerbo Retinendi poſcit conſtantiam in cognito bono, & diſertè reijcit curioſam inſtabilitatem.

Ab omni ſpecie mala abſtinete, inquit.] Longum eſt, omnes malas ſpecies perſequi. Mala ſpecies eſt, qua Chriſtianæ religionis ſynceritas & exiſtimatio in oculis mundi decoloratur, & infamiæ nota deformatur. Talia ſunt, non corrigere inordinatos, negligere puſillanimes & infirmos, impatientiam oſtandere erga omnes, malum pro malo reddere, & quæ alia ſunt eiuſmodi facere. Poterat dicere, Ab omni malo abſtinete. Verùm quoniam hæc in diſputationem trahi poterant, mala ne ſint uel ſecus, uoluit occurrere illis qui cauſari poterant, nõ eſſe ea mala: ideoque non ſic uitanda, ac ſi ſint omnino mala: atque ita dixit, Ab omni ſpecie mala abſtinete. Q. d. Non eſt, ut in quæſtionem rapiatis, ſintne hæc mala uel ſecus. Species certè illorum mala eſt. Oſtendunt enim animum admodum à ſtudio fraternæ charitatis alienũ. Et conuenit Chriſtiano homini, ut non à malo tantum ſed & à ſpecie mali abſtineat. Honeſtæ coniugis eſt, non ſolum ipſum adulterium, ſed & quantumuis leuem adulterij ſpeciem fugere. Germanicè dicimus *vuer nit ſtelen vuill, ſoll ſich nit diebiſch ſtellen.* Sic & quẽuis Chriſtianũ animatum eſſe conuenit. Sunt tamen qui particulam hanc ad proximè precedentem reſtringant, ſic ut ſentiat Apoſtolus, ubi inter probandum dogmata non certa dum ueritas reluxerit, ſed aliqua magis mala ſpecies apparuerit: non eſſe ut probandis illis immoremur, aut incognita recipiamus, ſed ut ab illis propter malam ſpeciem abſtineamus, quorum ſententia non eſt incommoda.

Abſtinemus, ut hoc obiter admoneam, duobus modis à mala ſpecie. Vno, ne hanc nos obijciamus alijs, & nomini Chriſtiano infamiam gignamus. Altero, ne quid in Eccleſia obtrudi nobis ſinamus, in quo ſpecies mali cuiuſdam appareat. Vterque modus ex æquo retinendus eſt.

Ipſe autem Deus pacis ſanctificet uos totos. Et integer ueſter ſpiritus, & anima, & corpus, ita ut in nullo poſsitis culpari, in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. Fidelis eſt qui uocauit uos, qui idem efficiet. Fratres, orate pro nobis. Salutate fratres omnes cum oſculo ſancto. Adiuro uos per Dominum, ut recitetur hæc Epiſtola omnibus ſanctis fratribus. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit uobiſcum.

Præcedentem adhortationem cum præceptiunculis illius conuenienti apprecatione claudit. Sciebat ipſe quidem ea quę præceperat perfici non poſſe, niſi operante in illis Deo, qui operatur omnia in omnibus pro bona ipſius uoluntate: uerùm ut illi quoq; ſcirent, omnia pendere à gratia Dei, & ad illam confugerent, per modum apprecationis materiam hãc claudit, dicens: Ipſe autem Deus ſanctificet uos totos. Q. d. Ego quidem ea uobis præcipio, quæ ad iuſtam uitæ ueſtræ ſanctimoniam & mutuam inter uos pacem ac tranquillitatem facere poſſunt: uerùm ut ea ſeruetis, præſtare uobis non poſſum, ipſe autem Deus, qui non eſt perturbationis & diſsidiorũ, ſed pacis Deus, ſanctificet uos totos, ut nihil ſit in uobis quod prophanum ſit, & à ſpiritu Chriſti alienum, &c. Poterant cogitare, Vnde hæc omnia ſeruabimus? Plura præcipis nobis quàm ſeruando ſimus. Admonet igitur eos, eſſe Deum ſanctificatorem in cœlis, à quo uires ſeruandi iſta petere debeant.

Ipſe autem Deus.] Admonemur & nos tam miniſtri quàm auditores, ut quoties mutuò nos

docemus

docemus,hortamur & corrigimus, tam qui docet quàm qui docetur, cordium noſtrorum uotis ad Deum reſpiciamus,optantes ac petentes,ut ipſe per ſpiritum ſuũ in nobis impleat, quod à nobis perfici non poteſt.

Ipſe autem Deus pacis, inquit.] Pro ſuo more Apoſtolus non tribuit Deo ocioſa epitheta:ſed talia quæ conueniant cauſæ de qua loquitur. Sic hoc præſenti loco uocat eum Deum pacis, quoniam quæ pręceperat,ſic erant comparata,ut ad pacem in Eccleſia ſeruandam facerent, modò perficerentur. Quoniam igitur obſeruantiam illorum apprecatur ipſis à Deo, commodùm uocat eum pacis Deum, ut eo maiore cum fiducia ea quæ ad pacem faciebant, ab ipſo peterent. Opus habemus miſerationibus & conſolationibus: uocemus Deum patrem miſerationum,& Deum omnis conſolationis: & hoc illum reſpectu inuocemus,ut ipſe noſtri miſertus in omni nos tribulatione cõſoletur. Deſtituimur unitate & pace? dicamus ex animo: Tu Deus unitatis & pacis, pacem & unitatem Eccleſiæ tuę in præſenti,hac rerum omnium perturbatione clementer largire.

Dices: Si Deus ac pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deus pacis eſt: quomodo Chriſtus illius filius dixit,Non ueni pacem mittere in terram,ſed gladium? Matth.10.

Reſpondeo: Non dicit ſimpliciter,Non ueni pacẽ mittere: ſed addit, In terram, hoc eſt, in mundum. Mundus non erat ſic comparatus,ut capax eſſet pacis à Deo datæ, ſed ut diſſidijs diuinitùs immiſsis electi ac reprobi à ſe inuicem,quod religionem attinet, ſepararẽtur. Ideo ſubiecit, Veni enim ut diſsidere faciam hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam,&c. Aliud eſt,pacis eſſe Deum,qualis eſt reproborũ: & aliud,eſſe Deũ pacis, qualis eſt electorum. Hoc Dei eſt,illud non eſt.

Sanctificet uos totos.] Sanctificare eſt,ex immundis ac prophanis facere mundos ac pios. Tales autem ea poſſunt,quæ in præcedentibus Apoſtolus præcepit, perficere ac præſtare. Eam ob cauſam apprecatur illis,ut à Deo ſanctificentur. Sanctificet uos totos,inquit. Q.d. Sic uos ſanctificet,ut toti ſitis ſancti,nec quicquam carnalium in uobis affectuũ remaneat. Græcè eſt ὁλοτελεῖς,id eſt,Totos conſummatos ac perfectos:id eſt, non in ſcientia tantum, & cognitione Chriſti,ac chariſmatibus ſpiritus,& fidei,&c. ſed & in charitate,patientia, manſuetudine,& ſanctimonia uitæ, et ſi quid adhuc aliud ad perfectionem Chriſtiani hominis requiritur.

Et integer ueſter ſpiritus, & anima & corpus, ita ut in nullo poßitis culpari, in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur.] Videtur hic locus nõnullis eſſe obſcurus, quorum alij per Spiritum,ſanctum Dei ſpiritum, alij donum ſpiritus Dei intelligunt. uerùm (meo iudicio) quòd in præcedenti particula una uoce,nempe, ὁλοτελεῖς, dixit,id iam conſequenter per illius partes explicat,quib. uidelicet,totus homo conſtat. Conſtat autem ſpiritu,anima & corpore. Corpus ex limo terræ,terrenum,fragile & mortale compoſitum eſt,conſtans carne,oſsibus, ſanguine, uenis, neruis,&c. Hæc pars hominis infima quidem eſt,attamen ſine illa non conſtat homo. Anima Ebraicè נפש,Græcè ψυχὴ,uita eſt corporis,quam Deus inſpirauit in corpus Adæ,ut uiuificaretur,ideoque in Scripturis ſpiraculũ uitæ uocatur. Sępenumero tamen anima ſumitur pro ſpiritu,& uocatur rationalis. ac tum duę tantum hominis partes conſtituuntur, anima uidelicet & corpus. Sic in Symbolo Athanaſij legitur: Sicut anima rationalis & caro unus eſt homo: ita Deus & homo,unus eſt Chriſtus. Et hoc ſenſu prædicatur de anima hominis, quòd ſit immortalis. Secundum præſentem uerò diuiſionem hominis,quam ponit Apoſtolus diũiduntur רוח & נפש,i. Spiritus & anima,tanquam duæ partes hominis, ſic ut anima ſit qua corpus uiuificatur,quemadmodum & beſtiarum corpora per animas ipſarum uiuificantur: Spiritus uerò ſit,quem Græci uocant, νοῦν, i. mentem: & ἡγεμονικὸν, quod per illum & anima & corpus regantur. Per hunc ſeparamur à beſtijs ratione deſtitutis,ſumuſque homines rationales facultatem habentes,ratiocinandi,intelligendi & iudicandi, approbandi ac reprobandi: per hunc genus Dei ſumus,ſecundum Apoſtolum. Per hunc ſumus,uel ſtulti,uel ſapientes,uel pij uel impij. Per animam uiuimus & mouemur,uidemus oculis, audimus auribus,tactu ſentimus,palato guſtamus,naribus olfacimus,& cætera naturalia facimus,quę cõmunia nobis ſunt cum beſtijs. Hoc ſenſu tres haſce partes hominis ponit Apoſtolus. Et Auguſtinus de fide & Symbolo cap.10. ſic dicit: Tria ſunt quibus homo conſtat,ſpiritus, anima & corpus: quæ rurſus duo dicuntur, quia ſæpe anima ſimul cum ſpiritu nominatur. Pars enim quædam eiuſdem rationalis,qua carent beſtiæ,ſpiritus dicitur: principale noſtrum ſpiritus dicitur. Deinde uita qua coniungimur corpori,anima dicitur. Poſtremò ille quod uiſibile eſt ultimum,noſtrum eſt corpus,&c. uide locum ipſum. Hæc illic: in libro uerò Definitionum Eccleſiaſtic. dogmatũ, capite 20. negat ſpiritum tertiam eſſe hominis partem. ibi náque ſic legitur: Non eſt tertius in ſubſtantia hominis ſpiritus,ſicut Didymus contendit, ſed ſpiritus ipſa eſt anima,pro ſpirituali natura: uel pro eo quòd ſpiret in corpore, ſpiritus appellata.

Anima uerò ex eo uocatur, quòd ad uiuendum uel uiuificandum animat corpus. Tertiũ uerò,qui ab Apoſtolo cum anima & corpore inducitur,ſpiritum, gratiã ſancti ſpiritus intel-

ligamus, quam orat Apostolus, ut integra perseueret in nobis, ne nostro uitio aut minuatur aut fugetur à nobis, quia Spiritus sanctus effugiet fictum. Hæc ibi. Quod si utraque scripsit Augustinus, uidemus quàm non semper idem senserit: si uerò non scripsit utraque, uidemus quàm non sint omnia Augustini, quæ Augustino adscribuntur.

Quicquid patres uel concorditer uel discorditer de partibus hominis senserint, Apostolus manifestè apprecatur Thessalonicensibus à Deo, ut toti sanctificentur: & mox exponés subiungit, dicens: Et integer uester spiritus, & anima & corpus, &c. seruetur. Ergo totus homo sanctificatur, quando sanctus est & integer spiritu, anima & corpore. quæ expositio pertinens ad propositum non est, si non totus homo spiritu, anima & corpore, tanquam partib. suis constat. Sed uideamus ipsa uerba.

Et integer uester spiritus, inquit.] Particula hæc trifariam accipi potest. Primò sic: Et spiritus uester seruetur integer. hoc est: Et spiritus uester sic seruetur, ut integer in aduentu Domini nostri Iesu Christi inueniatur. Deinde ad hunc modum: Et integer uester spiritus, id est: Et spiritus uester, qui integer iam est, usque in aduentum Domini nostri Iesu Christi talis seruetur. Tertiò sic: Et integer, id est, totus uester spiritus, & tota anima, & totum corpus ita seruetur, ut in aduentu Domini nostri Iesu Christi in nullo possitis accusari. ὁλόκληρον, quod uerterunt, Integer, in duabus prioribus sententijs pro integritate uirtutum, quæ in Christiano requiruntur, & incorruptione ac synceritate accipitur, quo sensu Ebræi uocem תמים usurpát, ac Deus ad Abrahamum dicebat: Ambula coram me. רחיה תמים, id est, & esto integer. In tertia uerò legitur non integer, sed totus, ut conueniat præcedenti, Sanctificet uos totos: sitque idem quod, Ex omni parte constans totum. Et hic mihi sensus simplicior esse uidetur. Expressit hunc Tigurina uersio, in qua sic legitur: *Vnd euuer gantzer geist, und seel, und leib, muße behalten Vuerden Vnstræflich, &c.*

Et anima & corpus, inquit.] Repete hic uocem ὁλόκληρον, & lege, Et tota anima, & totum corpus. Neq; enim de spiritu tantum solicitus est, ut ille totus seruetur inculpabilis: sed eádem solicitudine tenetur & de anima & de corpore.

Dices: Ergo & spiritus hominis, & anima, & corpus sic diuidi possunt, ut ex parte quidé sint inculpabilia, ex parte uerò culpari queant: quæ sunt igitur partes spiritus, quæ animę, & quæ corporis in hac causa considerandæ?

Respondeo: Nolim subtilius ista tractare. Partes spiritus, sunt opera, uel facultates spiritus: utpote, mens, ratiocinatio, intelligentia, iudicium, sentẽtia, approbatio, ac reprobatio. Totus spiritus inculpabilis est, quando in nullo horum culpari potest. Partes animæ, sunt omnes uires ac sedes animæ, utpote cor, sanguis, flatus, & naturales affectus, ad cõseruationem uitæ facientes. Inculpabilis est tota anima, quando omnes hæ illius partes sunt irreprehensibiles. Partes corporis sunt, omnes illius uires & membra, uel organa. Totum irreprehẽsibile est, quando in nullo horum delinquitur. Longum est persequi, quo modo in unaquaq; parte spiritus, animæ & corporis culpabiliter uel inculpabiliter agatur. Eam considerationem acutioribus & exercitatioribus hominibus relinquo.

Ita ut in illo possitis culpari, inquit.] Græcè exprimuntur ista unico aduerbio ἀμέμπτως, quod Vulgat. Latinus interpres uertit, Sine querela de qua uoce diximus suprà cap. 2. Quemadmodum ἄμεμπτος significat non solum inculpatum, sed & inculpabilem: ita ἀμέμπτως non modò inculpatè, sed & inculpabiliter sonat. Vidit hoc Erasmus, ideoq; non retinuit Vulgatam uersionem, quæ habet, Sine querela: sed uertit, Ita ut in nullo possitis culpari. Hac dictione expressit Apostolus quales eos totos seruari petat: tales uidelicet qui in nulla parte siue spiritus siue animę, siue corporis culpari queant.

In aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur, inquit.] Amphibolum est, quò referri debeat hæc particula, an ad præcedens aduerbium ἀμέμπτως, uel ad sequens uerbum, Seruetur. Si ad præcedens aduerbium, sensus erit: Et totus uester spiritus, anima & corpus ita seruetur, ut in nullo possit in aduentu Domini nostri Iesu Christi culpari. Si ad sequens uerbum, Seruetur, sic erit legendum: Et totus uester spiritus, anima & corpus, ita ut culpari non possitis, in aduentum Domini nostri Iesu Christi seruetur. Parum refert utram sententiam retineamus.

Iam quinquies meminit reditus & aduentus Domini, nempe in primo, secundo, tertio Capite, & initio, & hic circa calcem quinti Capitis. Diem hunc Domini nõ frustra inculcat. Quales enim in illo reperiemur, tales in sempiternum habebimur, & erimus uel salui uel perditi in æternum.

Fidelis est, qui uocauit uos, inquit, *qui idem efficiet.*] In Græco est, ὃς καὶ ποιήσει, id est: Qui & faciet. Quoniam apprecatus illis à Deo est, ut toti sanctificentur: id est, ut totus illorum spiritus, anima & corpus inculpabiliter usque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi seruetur, ne de re hac uelut impossibili desperent, promittit illis non defuturum ipsis Deum, si constanter in ipsius pietate & sanctimonia pergant. Et quo plus illis fidei faciat, non dicit simpliciter, Deus hoc faciet: sed, Fidelis est qui uocauit uos, qui & faciet. Vocati erant à Deo per

Euan-

Euangelium ad hoc, ut toti sanctificarentur ac seruarentur. Huius eos admonens, dicit, esse eum fidelem. Perfidus est, qui quos in spem salutis uocauit, deserit ac perdit. Deus non est perfidus, sed fidelis, ideoq; quos ad se uocauit, ut eos sanctificet totos, non deserit: sed quod promisit præstat. Debemus itaque hæsitanti carni frequenter inculcare, nõ esse Deum perfidum, sed fidelem, erga omnes eos quos ad gratiam suam & spem salutis in Christo filio suo uocari dignatus est, & facturum, quicquid à nobis fieri non potest. Qui de Deo prædicat quòd sit fidelis, quid aliud quærit, quàm ut illi fidamus, & spẽ omnem in illum collocemus? πιστοὶ uocamur, qui credimus promissionibus Dei. Et Deus πιστὸς uocatur, non quòd nobis credat, sed quòd in promissis suis seruans est fidei erga omnes sperãtes in se. Qui autem sperat in Deum, omnem suam curam in illum conijcit, & huic promittitur, quòd facturus sit Deus quod sperat. Sic Psal. 37. canit Propheta גול על יהוה וכוד כבטח עליו והוא יעשה, i. Deuolue ad Dominum uiam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Hinc apparet Apostolum desumpsisse, quod hic dicit, ὃς καὶ ποιήσει, i. Qui & faciet.

Quod Erasmus illud ποιήσει, i. Faciet, reddidit, Efficiet, præter necessitatem factum est. Etenim quæ Deus facit, efficit etiam. Homo plerunque facit quidem, sed quod facit, non efficit. De Deo autem nihil tale cogitandum est. Vbi Scriptura Deum facere dicit, simpliciter loquitur tanquam de Deo, qui quod facit, etiam efficit.

Fratres, orate pro nobis, inquit.] Non hoc tantum loco petit à fidelibus, quos in Domino genuit, ut pro se orent. qua de re Ephes. 6. annotauimus. Haud uerò simulanter hoc facit, sed serio. Sciebat sibi opus esse quotidie, ut gratiæ Dei in tantis periculis ac laboribus uersans commendaretur. Sciebat placere Deo hanc fidelium suorum pietatem ac charitatem, qua pro se inuicem & pro Apostolis ac pastoribus suis ad ipsum orant. Sciebat item eiusmodi studium pro mutuis necessitatibus ad Deum orandi alere in illorum cordibus fiduciam erga Deum, ac simul charitatem fraternam. Nequit enim fieri, ut non bene uelis ei pro quo ad Deum oras. Longè diuersa facit inuocatio mortuorum sanctorum, quæ in usu impio ac superstitioso est in Papatu. de quo alibi monuimus.

Salutate fratres omnes cum osculo sancto, inquit.] Vult inter fideles omnia fieri cum feruore charitatis, sicuti ipsius pectus charitate ardebat erga omnes fratres. Ideo hortatur eos, ut suo nomine salutarent non certos quosdam & præcipuos, sed in uniuersum omnes fratres: idq; non uerbis tantum, sed & osculo.

Salutate, inquit, fratres omnes. De officio salutandi ad quod propensissimus fuit Apostolus, iam antea in alijs Epistolis diximus. De eo quod addit, Cum osculo sancto, diximus in ea quæ est ad Romanos capite ultimo, & prima ad Corinth. capite ultimo. Quòd mandat illis ut salutent fratres omnes cum osculo sancto, id per ipsos suo nomine fieri uoluit: quòd per se fecisset ipse, si coràm præsens esse potuisset. Salutasset & osculatus fuisset omnes, tanquam fratres in Domino, quia impensissimè diligebat omnes. Hoc illis significans, dicit: Salutate fratres omnes cum osculo sancto.

Adiuro uos per Dominum, inquit, *ut recitetur hæc Epistola omnibus sanctis fratribus.*] Timebat futurum, quod tandem obtinuit in Ecclesijs Christi. Timebat ne qui seniores erant, Epistolam hanc sibi solis reseruarent, & Ecclesiæ non communicarent. Eam ob causam adiurat eos per Dominum, ut quod iniurati suapte sponte facere debebant, uel religione iuramẽti adacti haudquaquam omitterent. Illud, Per Dominum, Græcè est τὸν κύριον, pro κατὰ τὸν κύριον: Germanicè, Bey dem Herren.

Sanè quemadmodum Epistolas suas omnes disertè (nisi eas quę sunt ad Timotheum & Philemonem) fidelibus omnibus earum Ecclesiarum scripsit, quibus inscriptæ sunt: ita eas & omnibus palàm in Ecclesijs recitari uoluit. Quare non est putandum, quòd hanc solam omnibus fratribus prælegi uoluerit. Quòd autem hic tantum adiuratione usus est, existimo factum esse non sine certa ratione, ipsi cum primis cognita. Si iam nostris hisce temporibus in uiuis ageret, & Ecclesijs Christi scriberet, dubitaremus ne multo ipsum grauiore contestatione adiuraturum primiores Ecclesiarum, ut literas suas recitarent fratribus & fidelibus omnibus, quos uidemus hodie manibus ac pedibus obsistere, ne ipsius Epistolæ legantur à fidelibus?

Nec est ut dicant, Non dicit simpliciter, Vt omnibus, sed: Vt omnibus sanctis fratribus recitetur hæc Epistola. Hoc nos haudquaquam prohibemus. Dentur nobis sancti, & facilè permittemus, ut illi omnes hanc & alias Apostoli Epistolas legant: prophanis uerò & carnalibus hoc non concedimus, quibus nec ipse Apostolus ista communicare uoluit. Etenim tales ipsi sanctos quærunt, qualem neminem in uiuis agere censent, ideoque eos solos pro sanctis habent, qui in cœlestibus iam unà cum angelis agant, quos & inuocant & colunt. Hac autem ratione lectio Apostolicarum literarum non modò laicis fidelibus, sed & omnibus rasis & unctis adimenda esset. Verùm Apostolus uocat omnes Christianos ut fratres, ita & sanctos, sicut in omnibus illius Epistolis uidere licet, nec scrupulosè in singulorum uitam inquirit. Neque enim secundum hanc, sed secundum gratiam sanctificationis, qua in

baptismate sanctificamur omnes, sanctos appellat omnes: & licet arguat in multis illorum delicta, nihilo tamen minus ea quæ ad ædificationem scribit, omnibus uult esse cognita.

Gratia Domini nostri Iesu Christi sit uobiscum.] Est hæc usitata Epistolarum conclusio. de qua iam antea diximus.

IN POSTERIOREM EPISTOLAM APOSTOLI PAVLI AD THESSALONICENSES, PRAEFATIO.

QVANDO, unde, & per quos Epistolam hanc alteram ad Thessalonicenses miserit Apostolus, non uideo quomodo certò tradi possit. Neque enim ex ipsa hoc Epistola patet (de coniecturis non loquor, quas nonnulli fratres sequuntur) nec certi quicquam à quopiam adfertur: nec (meo iudicio) adeò magni momenti ea res est, ut operose sit scrutanda. Quare de eo duntaxat præfandum esse censeo, qua sit occasione motus, ut hanc post priorem Epistolam ad eos scriberet. Hic inuenio geminam occasionem: una est ex eo, quòd in priore Epistola de aduentu Domini aliquoties meminit, unde pseudapostoli, uel certè illorum sectatores, ansam arripuerunt, de die Domini affirmandi, quòd iam tum esset præ foribus. Agebat hoc satan, ut ædificationem Ecclesiarum interturbaret. Huic igitur occurrendum esse censens, per Epistolam hanc fideles instruxit, quid de aduentu Domini, quod tempus illius attinet, contra seductores sentire deberent: ubi & de Antichristo præmonet, qui reuelandus sit, priusquam dies Domini aduenerit. Altera occasio concernebat ἀτάκτους, qui ociosi circuibant, & curiosè agentes aliorum panem manducabant.

Audierat de illis, & quoniam quæ in priore Epistola hac de re scripserat, inefficacia fuisse uidebat: necessarium duxit, ut denuò scriberet, eique malo pro uiribus resisteret. Hæ duæ potissimùm causæ erant, cur alteram hanc Epistolam Thessalonicam mitteret. Concurrebat etiam perpetua illa cura, qua Ecclesias in persequutionum procellis fluctuantes, sedulò cõfirmabat, & consolabatur in Domino: id quod hic quoque mox primo capite facit.

CAP. PRIMVM.

ARGVMENTVM CAPITIS I.

Gratias se Deo semper debere dicit, propter augmenta fidei, charitatis & patientiæ ipsorum: & simul consolatur eos mentione iusticiæ Dei, qua ipsis refocillatio, aduersarijs uerò uindicta sit in aduentu Domini reddenda.

PAVLVS & Siluanus ac Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium in DEO patre nostro, & Domino IESV CHRISTO. Gratia sit uobis, & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.

HAbẽt ista subscriptionẽ, inscriptionẽ & salutationem, de quib. in priore Epistola diximus, ubi ad uerbũ habẽtur eadẽ. Videmus in consueta hac subscribendi, inscribẽdi & salutandi formula, quàm non fuerit Apostolus affectator aut ostentator multiloquij.

Quem-

Quemadmodum plurimi fecit gratiam Dei patris noſtri, & Domini noſtri Ieſu Chriſti: ita non piguit ipſum apprecationem illius ijſdem ferè ubique uerbis Epiſtolis ſuis præmittere, longè diuerſus ab illis: qui, ut copiam uerborum oſtentent, ſtudioſe cauent, ne rem eandem ijſdem uerbis denuò exprimant. Exiſtimant enim, copiæ & elegantiæ uerborum ſingularis cuiuſdam eruditionis deberi gloriam.

Gratias agere debemus Deo ſemper de uobis, fratres, ut par eſt, quòd uehementer augeſcit fides ueſtra, & exuberat mutua ueſtra omnium charitas cuiuſq; in alterum, adeò ut noſipſi de uobis gloriemur in Eccleſijs Dei, de tolerantia ueſtra & fide ſuper omnibus perſequutionibus ueſtris & afflictionibus, quas ſuſtinetis, documẽtum iuſti iudicij Dei, in hoc ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini.

Habent iſta exordium earum rerum de quibus ſcripturus eſt in hac Epiſtola. Exorditur autem pro ſuo more, perinde atque in præcedenti Epiſtola à gratiarum actione. Gratias agere debemus Deo ſemper de uobis fratres, inquit. Senſus eſt: Tanta eſt in uos diuinæ gratiæ dignatio, fratres, ut ſubinde magis atque magis fidem ueſtram, charitatem & patientiam afflictionum locupletet & illuſtret, atque ita fiat, ut ſemper de nouo debitores reddamur ad agendum Deo gratias pro uobis.

Vt par eſt, inquit.] Q.d. Par enim eſt, ut ubi continuantur & locupletantur beneficia Dei, ibi & debita gratiarum actio continuetur, quo ſemper prò noua gratia noua quoq; gratiarũ actio reddatur. Hoc autem dicens, ſimul eos admonet, quanti facere debeant, quòd fides ipſorum, unà cum charitate ac patientia quotidie diuino munere auctior redditur. Vnde & ſubdit:

Quòd uehementer augeſcit fides ueſtra, &c.] Præclara fuerat fides illorum mox initio, ſicut in priore Epiſtola patuit. Cum itaque iam dicit, Quòd uehementer augeſcit fides ueſtra, & exuberat mutua ueſtra omnium charitas cuiuſq; in alterum: proponit nobis exẽplum, in quo uideamus quàm non debeamus in eo quieſcere, quòd per gratiam Dei datur initio illuſtris cognitio ueritatis Dei, qualem multæ ſunt Eccleſiæ noſtra hac ætate conſequutæ: ſed perpetuò ad hoc luctari, ut augeſcat quotidie, poſitque & de nobis prædicari, quòd fides noſtra uehementer creſcat, & charitas fraterna inter nos magis atque magis exuberet. Sed, proh dolor, tã abeſt ut hoc de fide & charitate noſtra prędicari poſsit, ut diuerſum potius boni quiq; magno cum dolore conquerantur. Fides, quæ purior eſſe cœperat, iam non dico rurſus impuratur, ſed uſque adeò langueſcit, ut propediem prorſus moritura uideatur: charitas uerò, quæ nonnihil incaleſcere uiſa fuit, ita iam refriguit, ut uix frigidior fieri poſsit.

Et exuberat, inquit, *mutua ueſtra omnium charitas cuiuſq; in alterum.*] Quàm felix eſt ea Eccleſia, in qua nemo eſt cuius charitas non exuberet: uerùm quæri poterit, an reuera omnium ac ſingulorum fidelium in Eccleſia Theſſalonic. charitas exuberarit. Meo iudicio non fruſtra ſcripſit hoc Apoſtolus. Omnino inſignem fuiſſe oportet inter illos mutuæ dilectionis exuberantiam, licet probabile ſit haud extitiſſe eam parem in omnibus: ſed in alijs maiorẽ, in alijs uerò minorem. Sic tamen de illa loqui uoluit, ut eos ſtimularet, qui cæteros non æquabãt, quo & ipſi ad copioſiorem profectum contenderent.

Adeò, inquit, *ut nos ipſi de uobis gloriemur in eccleſijs Dei.*] Ergo gloriabatur in hominibus, contra illud, Qui gloriatur, glorietur in Deo?

Reſpondeo: Non gloriabatur in carne, cum in Theſſalonicenſium fidelibus gloriaretur: ſed in gratia Dei, per quam illorum fides & charitas exuberabant. Deinde, facieb.t hoc non ad ſuam ipſius gloriam, ſed ſtudio excitandi alias Eccleſias ad imitandum Theſſalonicẽſium exemplum. Tertiò, nec ſcribit hoc aſſentandi gratia, ſed ut eos ad ulteriora prouocet, & caueat ne remiſsiores reddantur: & pro laude, quam conſequuti erant in Eccleſijs Dei, cõtemptum incurrant. Erat enim hac in re geminus ſtimulus ad proficiendum. Vnus ex eo, quòd fides & charitas & patientia ipſorum tãtopere extollebatur ab Apoſtolo, perinde ac ſi diſcipulus diligentiam & profectum ſuum ab ipſo præceptore deprædicari uideat. Alter, ex eo, quòd alijs Eccleſijs exempli uice proponi ſe intelligebant. Hæc duo coniuncta plurimũ ualebant ad intendendum illorum zelum ac ſtudium.

De tolerantia ueſtra & fide, inquit.] Græcè eſt, ὑπὲρ τῆς ὑπομονῆς ὑμῶν. De hac uoce alibi diximus. Significat ὑπομένειν, permanere ac perdurare in cauſa & propoſito, ſic ut inde auelli nequeas. Et hinc eſt ὑπομονὴ, perſeuerantia. Permanebant Theſſalonicenſes in fide Chriſti, conſtantes & immoti, quam illorum ὑπομονὴν & fidem prædicabat Apoſtolus in Eccleſijs Dei. Vtraque omnino neceſſaria eſt ad ſalutem. Quemadmodum enim ſine fide in Chriſtũ, ita & ſine perſeuerantia in fide nemo ſaluabitur. Quoniam uerò eum qui in fide Chriſti conſtanter permanet, multa aduerſa, tentationes, tribulationes, perſequutiones, &c. tolerare ac perpeti neceſſe eſt, fit ut ὑπομονὴ pro eiuſmodi tolerantia ac patientia ſumatur.

Super omnibus, inquit, *persequutionibus uestris & afflictionibus quas sustinetis.*] Græcè est, ἐν πᾶσι τοῖς διωγμοῖς ὑμῶν, id est, In omnibus persequutionibus uestris. Sic & Vulgata Latina habet. Nescio quid Erasmum mouerit, ut uerterit, Super omnibus persequutionibus uestris. Gloriabatur Apostolus de perseuerantia & fide Thessalonicensium, quam in omnibus persequutionibus & afflictionibus quas sustinebant, firmam & immotam retinebant. Et hic sensus manifestus est, & conuenit uerbis. Si uerò legeris, Adeò ut nosipsi de uobis gloriemur de tolerantia uestra & fide super omnibus persequutionibus uestris, incommodam habes lectionem. Neque enim dicimus, Hic permanet in fide super omnibus persequutionibus: sed, Hic permanet in fide in omnibus persequutionibus ac tribulationibus quas sustinet.

Quas sustinetis, inquit.] Græcè est, αἷς ἀνέχεσθε. Significat autem ἀνέχεσθαι, incommodum aliquod supra se, quo supprimatur, habere ac perferre, unde & pro sustinere accipitur. Nos Germani uocamus, *Ob im haben*: dicentes, *Der mensch hatt vil muhe vnd arbeit ob im*, oppositum eius est ὑπέχεσθαι, id est supprimere.

Admonemur hoc loco, fieri non posse, ut permaneamus in fide Christi, si persequutio inferatur, nisi illam cum omnis generis tribulationibus sustineamus. Patientia ac tolerantia conseruant nos in ὑπομονῇ, ut permaneamus in fide & confessione ueritatis Christi. Quare qui donum fortitudinis & patientiæ non habent, quantumuis fideles esse uideantur, tribulationis tamen tempore deficiunt: sicuti uidere est in parabola seminis, Matthæi decimotertio. Rectè igitur Apostolus cum dixisset, Adeò, ut nosipsi de uobis gloriemur in Ecclesijs Dei, de perseuerantia uestra & fide in omnibus persequutionibus uestris, & afflictionibus: confestim adiecit, Quas sustinetis. Neque enim de eo gloriabatur, quòd persequutionibus impetebantur, sed quòd eas sustinebant ac perferebant propter Christum, ac sustinendo in fide illius perseuerabant. Sic aurum non in eo commendatur, quòd igni fuerit iniectum: sed, quòd uim ignis sustinuerit, ac essentiam & naturam suam firmam retinendo consumi nequiuerit, imò illustrius etiam euaserit.

Documentum iusti iudicij Dei, inquit.] Græcè non est παράδειγμα, sed ἔνδειγμα. Vulgata Latina habet: In exemplum iusti iudicij Dei, quasi sit in Græco, εἰς παράδειγμα: uel idem sit ἔνδειγμα, quod παράδειγμα, id est, ostensio, quod exemplum, cùm diuersus sit harum uocum sensus.

Quod pij in hoc seculo ab impijs affliguntur, non est exemplum iusti iudicij Dei, sed magis impietatis & maliciæ reproborum. Quòd Sodomitæ iustum Lot affligebant, & angelos Dei sceleratissimè tractare moliebantur, non erat iusti iudicij Dei: sed deploratæ illorum maliciæ, & impuritatis exemplum. Exemplum autem est iusti iudicij Dei, quando impij meritas pœnas luunt, & pij liberantur. ἔνδειγμα uerò, id est ostensio, iusti iudicij Dei est, quando pij affliguntur ab impijs.

Tum enim ostenditur, futurum esse aliquando, ut iustus iudex de tam insigni malicia & iniquitate iudicet, & quid utrisque sit ex iusto Dei iudicio expectandum. Cum ergo dicit, Quas sustinetis, ostensionem iusti iudicij Dei: idem est, Quòd quæ sunt uobis, uel esse debent, ostensio aut documentum iusti iudicij Dei: intellige futuri. Hoc ipso siquidem quòd in hoc seculo iusti affliguntur per impios, impij uerò regnant, omnium certissimum ἔνδειγμα fidelium oculis proponitur futurum esse iudicium Dei, iusti iudicis, in quo pœnas daturi sint impij, iusti uerò refocillationem inuenturi. Vnde & qui in hac uita iniusta ui opprimuntur, causas suas pariter & animas iudicio Dei iustè iudicaturi hac fide commendât, quòd omnia mortalium facta iudicio Dei sint obnoxia, quòd nemo euadere poterit nisi soli resipiscentes, & in filium Dei credentes. Quid aliud ergo faciunt impij, dum pios ac fideles homines persequuntur & opprimunt, quàm quòd ἔνδειγμα hoc iusti iudicij Dei tandem futuri, quotidie magis ac magis illustrant & confirmant? Tam uidelicet abest ut crudelitatem & tyrannidem illorum unà cum mundana & fluxa prosperitate uidentes offendamur, cogitemusque mundum hunc non esse iudicijs Dei subiectum: quæ cogitatio ex hoc spectro insidiosa est carni non impiorum tantum, sed & piorum, quibus & ipsis sæpenumero negocium facessit. Cogitemus potius, Hæc iniquitas tantùm non clamat, fore aliquando, idque necessariò, ut de impijs & reprobis iusto Dei iudicio iudicetur.

In hoc ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini.] Græcè est, εἰς τὸ καταξιωθῆναι ὑμᾶς τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ. quod malim uertere, In hoc quod digni habemini, quàm, Vt digni habeamini regno Dei. Quod pro regno Dei afflictiones per impios illatas perferebant, indicio erat, quòd coram Deo digni haberentur ipsius regno. Indicium hoc non reddebat

eos,

eos, ſoſtendebat, dignos eſſe regno Dei, pro quo patiebantur.

Dices: Atqui paſsiones huius temporis condignæ non ſunt ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis, Roman. 8. Quomodo igitur digni regno Dei propterea erant, quòd tribulationes pro illo patiebantur?

Reſpondeo: Etſi paſsiones ipſæ infinitæ illi gloriæ, quæ reuelabitur in nobis, æquiparari non poſſunt, nihil tamen impedit, quo minus per gratiam Dei in Chriſto digni reddantur regno Dei, quibus ab illo datum eſt, ut electi uocati, & per fidem in Chriſtum iuſtificati, inque filios adoptati, pro regno Dei quæuis aduerſa in mundo hoc ab impijs conſtanter ſuſtineant. Dignitas hæc non tribuitur noſtris meritis, ſed beneuolentiæ & dignationi Dei, per quam regno illius digni ſunt, quotquot ab illo digni redduntur & habentur.

Quare etiamſi uerba hæc, In hoc, ut digni habeamini regno Dei, referas non ad proximè præcedentem particulam, documentum uidelicet iuſti iudicij Dei, ſed ad id quod dixit, Quas ſuſtinetis: ut ſubijciatur, In hoc, ut digni habeamini in regno Dei: inde tamen conſequi non poterit, dignitatem hanc deberi paſsionibus ſanctorum, quæ nullo modo tantæ poterant eſſe gloriæ pares.

Pro quo & patimini, inquit.] Cauſa propter quam patiebantur, erat, quòd à cultu falſorum deorum ad fidem in Chriſtum diſceſſerant. Diſceſſum hunc increduli magiſtratus, ſacerdotes & ciues Theſſalonicenſes, impietatis, ſchiſmatis ac defectionis à patria & catholica religione damnabant, & hoc nomine fideles perſequebantur. Sic qui impij erant, impietatem ſuam non agnoſcentes, piorum hominum fidem perſequebantur. At Apoſtolus hoc illos pati pro regno Dei, interpretatur. Idem & hodie uſuuenire uidemus, ubi idololatræ & pſeudochriſtiani ueros Chriſtianos hæreſeos propterea damnant, quòd Euangelio Chriſti credentes, à catholicis erroribus, ſuperſtitionibus & idolomanijs diſceſſerunt. At hoc illi patiuntur reuera pro regno Dei. Tam uidelicet alienum eſt regnum Dei ab hoc mundo, ut qui illi adhærent, multis tribulationibus afficiantur.

Romani cardinales, cum à Pontifice ſuo in Germaniam mittuntur, ſicubi non ſatis lautè accipiuntur, ſic ut aliqua in re Romanis delicijs deſtituantur: mox, Ecce (inquiunt) quanta patimus pro regno Dei, cum legatio ipſorum omnium ſit à regno Dei alieniſsima, ſintque ipſi non regni Dei, ſed regni ſatanæ Apoſtoli.

Siquidem iuſtum eſt apud Deum, reddere ijs qui affligũt uos, afflictionem: & uobis qui affligimini relaxationem nobiſcum, cum reuelabitur Dominus Ieſus de cœlo, cum angelis potentiæ ſuæ, cum incendio flammæ, qui infligit ultionem ijs qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui pœnam luent, interitum æternum à facie Domini, & à gloria fortitudinis illius, cum uenerit ut glorificetur in ſanctis ſuis, & admirandus fiat in omnibus credentibus, quòd fides habita ſit teſtimonio noſtro erga uos in die illo: ad quod etiam oramus ſemper pro uobis, ut uos dignos habeat iſta uocatio ne Deus noſter, & compleat omne bonum propoſitum bonitatis, & opus fidei cum potentia, ut illuſtretur nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti per uos, & uos per illum, iuxta gratiam Dei noſtri, & Domini Ieſu Chriſti.

Vno contextu cohærent hæc omnia. Exponit quod de iuſti iudicij Dei documento in præcedentibus meminit. Huius duæ ſunt partes. Vna, qua reddetur afflictio impijs, qui pios in hoc ſeculo affligunt: altera, qua relaxatio continget pijs, qui per impios affliguntur. Hæc eſt ſumma præſentis contextus. Sed uideamus ſingula.

Siquidem iuſtum eſt apud Deum, reddere ijs qui, &c. inquit.] Reddit rationem, quare dixerit, afflictiones illas quas patiebantur fideles Theſſalonicenſes, eſſe oſtenſionem iuſti iudicij Dei. Propterea (inquit) quod ad iuſticiam Dei pertinet, retribuere unicuique ſecundum quod uel geſsit, uel perpeſſus eſt in hac uita. Vtitur uerbo ἀνταποδοῦναι, quod ſignificat alicui uiciſsim reddere ſecundum quod geſsit. Siquidem (inquit) iuſtum eſt apud Deum reddere. Iuſticiam hanc non agnoſcit mundus, in quo pios perſequuntur, obſequium Deo præſtare uidentur. At iuſtum eſt coram Deo reddere illis afflictiones. Ideo non ſimpliciter dicit, Iuſtum eſt: ſed addit, Coram Deo. Reuera fiet, quod iuſtum eſt coram Deo.

Est enim non modò potens ut possit: sed & iustus, ut uelit facere quod iustum est, ut fiat. Quare pij homines perpetuò rationem habebunt eorum quę iusta sunt coram Deo, non modò quo certi sint, impedire illa non posse, quo minus fiant: sed & quo ipsi caueant, ne quid admittant quod iniustum sit coram Deo. Sic animati erant Apostoli, cum principibus & senioribus populi, Actor. 4. responderent, dicentes: An iustum sit coram Deo, uos potius audire quàm Deum, iudicate.

Reddere ijs qui affligunt uos, afflictionem.] Quemadmodum duo sunt genera hominum, malorũ unum, bonorum alterum: ita & diuersa sunt illorum facta. Mali agunt iniustè, affligentes eos qui sunt pij, & Deo accepti. Boni ac pij student pietati ac iusticię, & hanc ob causam affliguntur à malis. Hinc consequitur, duas etiam fore iusti iudicij Dei partes, de quibus paulo suprà mentionem fecimus. De his toto hoc contextu tractabat in sequentibus. De ea parte qua retribuetur impijs piorum persequutoribus, loquitur priore loco, dicens: Reddere ijs qui affligunt uos, afflictionem. Atqui uidetur esse talionis æqualitas, qua par pari refertur, quando afflictoribus pro afflictione qua pios afflixerunt, redditur afflictio. Temporaria igitur & transitoria tantùm afflictatione punientur, quia talis est & ipsa afflictio qua pios in hoc seculo affligunt.

Respõdeo: Afflictio impiorum non erit temporaria, sed æterna, sicut in sequentibus patebit. Quare quod hic ab Apostolo dicitur, non est ad transitoriam talionis æqualitatem trahẽdum: nec est ut iusticiam Dei, qua impij punientur, ad illam astringamus. Etenim quòd temporariæ sunt sanctorum afflictiones in hac uita, non accidit id ex uoluntate & proposito impiorum, sed ex prouidentia Dei, & præsentis uitæ fragilitate: unde fit quòd licet mallẽt pios punire ac perdere in sempiternum, unde eos & satanæ & geennæ addicunt & occidũt: postquàm tamen occiderunt nihil habent amplius quod faciant, secundum dictum Seruatoris. Quare omnium iustissimè punientur in sempiternum, quo retributio futura, etsi non facto, uoluntati tamen ipsorum correspondeat, & implea ur illud Chrysostomi, *κατὰ τὴν γνώμην τὰ πράγματα κρίνεται.* Etenim si iudicandum sit de persequutionibus impiorum, quibus pios homines non modò corporaliter affligunt & neci tradunt, sed & spiritualiter condemnant, & quasi impios & hæreticos æterno igni adiudicant: iudicandum de illis est non solum secundum corporales & transitorias afflictiones, sed & secundum æternum exitium, ad quod eos destinato proposito condemnant, atque ita, quantum in ipsis est in sempiternum perdunt. Quod igitur uoluntate & proposito inferunt pijs iniustè & frustra, id omniũ iustissimè ipsis in die iusti iudicij Dei non frustra, sed efficaciter retribuetur.

Et uobis qui affligimini relaxationem nobiscum.] Pertinet hoc ad alteram partẽ iusti iudicij Dei, quàm hic obiter attingit. In Græco est, *ὑμῖν δὲ τοῖς θλιβομένοις ἄνεσιν*: id est, Vobis uerò qui atteriminì, uel tribulamini, requiem, relaxationem, remissionem, &c. qua uidelicet refocillantur ij qui molestè laborarunt, dum à laboribus relaxantur. Sic nanq; pij, qui hic atteruntur, in futura uita ab omnibus afflictionibus liberati refocillabũtur. Quemadmodũ aũt ijs qui in hoc seculo dies suos in bonis ducunt, hoc grauior erit futura afflictio, quo hic studiosius delicias carnis sectantur: ita pijs qui hic multis tribulationibus atteruntur, hoc iucundior erit relaxatio, quo iam pluribus & grauioribus malis affliguntur. Impij, piorum persequutores, ignorant quid sit afflictio, dum alios affligunt: experientur igitur, tum demum quid sit affligi, quãdo recipient ac patientur quod alijs intulerunt. Pij uerò, donec sunt in hac uita, ignorant quid sit relaxatio ac remissio, quia sine intermissione tribulãtur: sciẽt autem, ubi illam in futura uita experientur. Pertinenter ergo Apostolus retributionem impiorum afflictionem, piorum uerò remissionem uocat.

Non est autem ociosum quod addit, Nobiscum. Sic enim suo illos exemplo solatur. Affligebatur & ipse & hac consideratione iusti iudicij Dei, & spe futuræ relaxationis quasuis tribulationes patienter perferebat. Erat insignis Apostolus Christi, & plus cæteris omnibus pro regno Dei & operabatur & patiebatur, & tamen cõiungit sibi in sorte futuræ relaxationis omnes eos qui pro Christo affliguntur in hac uita. Cogitemus igitur quanto cum honore, quantoque cum gaudio futuri simus consortes Apostolorum in futura refocillatione, si in hoc seculo afflictionum illorum participes fuerimus.

Cum reuelabitur Dominus Iesus de cœlo, inquit.] Quoniam in hac uitâ tale iudicium Dei non apparet, in quo impijs piorum hominum persequutoribus afflictio, & pijs afflictis relaxatio retribuatur, adijcit illius tempus, dicens: Cum reuelabitur Dominus Iesus de cœlo, igitur iudicium hoc tum demum futurum est, quando reuelabitur Dominus Iesus de cœlo. Reuelabitur autem ille non nisi in fine mundi. In hoc itaque seculo, priusquam reuelabitur Dominus Iesus, nihil est expectandum aliud quàm ut impij persequantur, & multis afflictionibus atterant pios.

Cum reuelabitur Dominus Iesus, inquit.] Reuelatio non cadit, nisi in ea quæ sunt obscura. Nisi obscurus esset Christus, nulla esset reuelandi illius ratio. Reuelabitur autem in die iudicij. Ergo obscurus est usque ad illum diem. De manifestatione autem illius in fine mundi futu-

ra,

ta, diximus in ea quæ est ad Colossenses capite tertio. Obscurus & absc̃ditus est bifariam. Primò, quatenus non cognoscitur à mundo, quòd sit unigenitus Dei, seruator mundi, & Dominus omnium, quæ sunt in cœlo & in terra, sedeatq́ue à dextris maiestatis Dei in cœlis. Deinde, quatenus non uersatur corporaliter in terris, sed in cœlis ad eum usque diem, quo uenturus est ad iudicandum uiuos ac mortuos: in quo aduentu reuelabitur, & in omnium oculis conspicuus apparebit. Per eam reuelationem utraq; illius obscuritas tolletur. Tum enim & palam uidebitur, & irrefragabiliter cognoscetur ab omnibus.

Addit, De cœlo. De cœlo descendet, cùm adueniet ad iudicandum orbem. Vide 1. Thess. 1. & 4. Aduentus illius, erit illius reuelatio. Quare quod hic dicit, Cum reuelabitur Dominus Iesus de cœlo: nihil est aliud, quàm, Cum aduenier Dominus Iesus de cœlo.

Huius admoneo, ne quis scrupulosius in uerbo Reuelabitur, philosophetur, quasi reditus Domini ad nos non sit futurus per localem descensum de cœlo, sed per apparitionẽ, qua qui iam ubique sit implens omnia, ex inuisibili uisibilis fiat. Non dicit simpliciter, Cum reuelabitur: sed addit, De cœlo. De cœlo reuelari, non est ex inuisibili ubiquitate uisibiliter apparere: sed corporaliter & localiter de cœlo, non de terra in mundum hunc redire. Non loquitur de cœlo imaginario, de quo philosophantur Vbiquetarij, sed de cœlo illo supremo, & locali, in quod uidentibus Apostolis ascendit corporaliter & localiter, & de quo in die iudicij tanquam de cœlesti loco corporaliter & localiter descendet & reuelabitur. Sic & Chrysostomus hic dicit. Deinde & tempus adijcit, & per descriptionem animos ipsorum subuehit, tantùm non cœlos uerbo iam referans, oculisq; ipsorum rem ipsam repræsentans. Et circumdat eum exercitu angelico, cùm ἀπὸ τοῦ τόπου, id est, A loco: tum abijs qui cũ eo uenturi sunt, ampliorem faciens imaginem, quo eos uel parum recreet. Hæc ille. quibus uerbis disertè locum tribuit cœlo, de quo Christus reuelabitur.

Cum angelis, inquit, *potentiæ suæ.*] Quòd cum angelis suis descensurus sit Dominus ad iudiciũ, etiam ex ipsius uerbis Matth. 16. 24 & 25. uidere licet. Non est autem ociosum, quòd non simpliciter dicit, Cum angelis suis: sed, Cum angelis potentiæ suæ. Angeli potentiæ Dei, sunt ministri & exequutores potentiæ Dei. Angeli, qui Christo, in primo aduentu ministrarunt, angelos gratiæ Dei uocare possumus. Qui illi ministraturi sunt in secundo aduentu, rectè ab Apostolo angeli potentiæ illius uocantur. Per illos quippe potentiam suam exercebit, colligendo ad tribunal suum tam mortuos quàm uiuos, separando bonos è medio malorũ, malos tradendo gehennæ, bonos asserendo in uitam æternam, mundum hunc immisso igne terminando, & quæ alia in die illo facturus est perficiendo. De hac potentia loquitur Dominus Matth. 24. dicens: Et uidebunt filiũ hominis uenientem in nubibus cœli cum uirtute & gloria multa. id quod de exercitu angelorum intelligit, cum quo tanquam cœlestis ac potentissimus rex de cœlo uenturus est.

Cum incendio flammæ, inquit.] Græcè est, ἐν πυρὶ φλογὸς: id est, In igne flammæ. Intelligit ignem flammantem. Redit ad eam partem, quæ ultionem impiorum concernit. Angeli cum Christo uenturi, ministrabunt etiam electis, at ignis flammans armabitur in ultionem impiorum.

Potest autem particula hæc bifariam accipi. Primò, ut referatur ad præcedentem, qua Dominum de cœlo cum angelis potentiæ suæ uenturum, ac reuelandum esse dixit: ut intelligas illum uenturum non modò cum angelis suis, sed & cum igne flammãti. Deinde ut referatur ad id quod sequitur, διδόντα ἐκδίκησιν: id est, Dantis ultionem, legaturq́; ad hunc modũ: Cum reuelabitur Dominus Iesus de cœlo, cum angelis potentiæ suæ, qui per ignem flammantem daturus est ultionem, &c. Omnino aduentui Domini deputatus est ignis, idq́; duplic nomine. Primò, ut machina hęc cœli & terræ incendatur ac dissoluatur. qua de re uide 2. Pet. ul. ubi sic legitur: Qui nunc sunt cœli ac terra, eiusdem uerbo repositi sunt & seruantur igni, in diẽ iudicij & perditionis impiorum hominum. Et paul pòst: Veniet autem dies Domini sicut fur in nocte, quo cœli procellæ in morem transibunt, elementa uerò æstuantia soluentur, terraq́; & quæ in ea sunt opera, exurentur. De hoc igne & Ouidius Metamorphos. primo sic scripsit:

Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus
Quo mare, quo tellus, correptaq́; regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Id quod puto, ex uaticinijs Sibyllinis accepit. Deinde, ad hoc, ut æterno igne pereant impij, in quem uelut zizania per angelos abijcientur. Matth. 13. Veniet Dominus contra inimicos suos, non solùm cum exercitu angelorũ numerosissimo & inuictissimo, sed & cum igne exterminij, ad comburendum ac delendum illorum terram: perinde atque si rex terram hostilem inuasurus ac uastaturus, immittat illi uexillum incendiariorum, Germanicè, *Das brenfennlin*, ut post cædem ac direptionem omnia igne uastentur: quæ ultio maximæ iræ indiciũ habet. Sunt hæc admodum horribilia, sicubi uni genti acciderint: quantum horroris futurũ putabimus, ubi totus hic mundus per angelos potentiæ Dei incendio tradetur?

Qui infligit ultionem ijs qui non nouerunt Deum, inquit, *& qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi.*] Quoniam de futura ultione loquitur, legendum est, Infliget: uel Dabit, quantumuis sit διδόντος, id est, Dantis. Dixit iustum esse apud Deum, ut ijs qui fideles ipsius affligunt, afflictio: afflictis uerò relaxatio retribuatur, quando Dominus Iesus de cœlo cum angelis potentiæ suæ, & igne flammanti reuelabitur. Iam disertè exprimit, ipsum Dominum Iesum fore iudicem & ultorem, per quem de impijs sumenda sit uindicta.

Qui infliget ultionem, inquit.] Græcè est, διδόντος ἐκδίκησιν. Sonat autem ἐκδίκησις non quamuis ultionem, sed eam quæ iure, secundum iustum iudicium quod præcesserit, infertur: ut sit proprie exequutio iusticiæ, & differat ab ea ultione, quæ ex ira, odio & libidine uindicãdi nascitur. Sic præcedet iudicium illud uniuersale, quo iudicabitur de toto mundo, de mortuis & uiuis: ac tum sequetur ἐκδίκησις, qua merita uindicta sumetur de omnibus iusto iudicio condemnatis.

Quomodo autem daturus sit ultionem reprobis, Matth. 25. ipsius ore exprimitur: Statuet illos à sinistris, ac dicet, Discedite à me maledicti in ignem æternũ, qui paratus est diabolo & angelis eius, &c. Et ibunt hi in supplicium æternum. Et Matth. 13. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent è regno illius omnia offendicula, & eos qui patrant iniquitatem, ac mittent illos in caminum ignis.

Qui non nouerunt Deum, inquit, *& qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi.*] Pro eo quod dicendum erat, Iis qui uos affligunt, ut responderetur præcedentibus: dicit, Iis qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio. Ne soli persequutores piorum ultioni huic obnoxij futuri uiderentur, generaliorem reproborum impietatem expressit, qua non in homines tantùm, sed & cum primis in ipsum Deum & Christum Iesum filium illius impiè agunt. Verum est, quisquis fideles Christi persequitur, Christum ipsum persequitur (unde & clamabat cœlitùs: Saule, Saule, quid me persequeris?) & consequenter in Deum ipsum impiè agit. Ea tamen impietas species tantum est generalioris huius, quam Apostolus ponit, qua inuoluuntur nõ modò persequutores, sed & reliqui impij omnes. Nam etiamsi neminem ex fidelibus persequantur ipso actu, corde tamen sunt & à Deo & à Christo filio eius auersi.

Qui non nouerunt Deum, inquit.] Ergo ignorantia Dei usq; adeò damnabilis est, ut reddat homines æterna ultione dignos. Tribuitur illa & Iudæis & gentibus, non quòd ignorent esse Deum: sed quòd gentes non cognoscant esse eum solùm uerum Deum, & utriq;, tam Iudæi quàm gentes, esse eum patrem Domini nostri Iesu Christi, nec colant eum, sicuti conuenit. Sanè quemadmodum uita æterna est, cognoscere Deum, ut solum uerum Deum, & filium eius Iesum Christum, quem ille misit, Ioann. 17. ita mors æterna est, nec Deum, ut solum uerum Deum, nec Christum filium eius cognoscere.

Et qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, inquit.] Debebat dicere, Et qui non obediunt Euangelio ipsius. Nam ipsum Dominum Iesum ultionẽ dixit esse daturum ijs qui non nouerunt Deum, & Euangelio non credunt: non autem cõuenit, ut postquam dixit, Cum reuelabitur Dominus Iesus de cœlo, qui infliget ultionem ijs qui non norunt Deum, & qui nõ credunt Euangelio: addat, Domini nostri Iesu Christi. Neque enim dicimus, Dominus noster Iesus Christus ultionem infliget ijs qui non credunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi: sed ijs qui non credunt Euangelio ipsius. Quid igitur? Dabimus ne hoc incogitantiæ Apostoli, quòd sic loquutus est? Absit. Studio exprimere uoluit, loqui se non simpliciter de Euangelio Dei, sed de Euangelio Domini nostri Iesu Christi. Iudæus non agnoscit se non obedire Euangelio Dei. Nam putat se credere promissionibus gratiæ Dei, etiamsi in Christũ nõ credat. Poterat autem de Euangelio Dei accipi, si dixisset: Et qui non obediunt Euangelio ipsius, propterea quòd proximè præmisit illud, Qui non norunt Deum. Iudæus igitur quantumuis gloriatur de unius Dei cognitione, & gẽtes tanquam falsorum deorum cultores præ se fastidit, ultionẽ tamen inobedientiæ ac pertinaciæ non euadet in extremo iudicio, propterea quòd Euangelio Dñi nostri Iesu Christi, nõ obedit, quẽ pater in mũdũ misit, ut unicũ seruatorẽ generis humani, & in fine missurus est iudicẽ omniũ. Hoc. n. iudiciũ erit in. credulorũ, quòd nõ crediderũt in nomẽ unigeniti filij Dei, Ioan. 3. Quãuis igitur & gẽtes in eo culpabiles sunt, q. nõ obediũt Euãgelio Dñi nostri Iesu Christi, singulari tamen studio duas hasce impietatis species: unam, ignorantiam Dei: alteram inobedientiã eorum qui nõ obediunt Euãgelio, sic posuisse uidetur Apostolus, ut priore gentes, posteriore Iudæos perstringat, quo animos fidelium in fide Christi & patientia afflictionum confirmaret: ne per id quòd non solùm gentes unius Dei fidẽ, sed & Iudæi, quorũ Thessalonicæ magna erat & pertinacia & multitudo, Euangelium Domini nostri Iesu Christi odiosissimè persequebantur, offenderentur. Ideo utrosque ultioni Dei in aduentu Domini obnoxios fore dicit fideles, qui erant Thessalonicæ, propterea quòd relicto multorum deorum ac simulacrorum cultu conuersi erant ad Deum, ut seruirent non amplius dijs mortuis ac falsis, sed uni ac uero Deo, damnabantur ab ethnicis contribulibus suis inferendæ impietatis: & hoc nomine, quasi impij in deos, & paternam religionem, acerbissimè afflictabantur.

Supra 1. Thess. 1.

Deinde

Deinde quoniam per Euangelium Domini nostri Iesu ab erroribus τῆς πλανῆς ad unius ueri Dei cognitionem abducti fuerant, etiam hoc nomine, quòd Euangelio obediebant, non Iudæos tantùm, sed & gentes infensos habebant. Quare omnium conuenientissimè duo hæc coniunctim expressit, ignorantiam uidelicet Dei, & inobedientiam aduersus Euangelium Domini nostri Iesu Christi quo minus offenderentur fideles, scientes fore ultionem Dei super omnes eos, qui Deum ignorant, & qui Euangelio Domini nostri Iesu Christi non obediunt.

Et qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, inquit.] Quare non dicit, Et qui non credunt: sed, Qui non obediunt Euangelio? Respondeo: Requirit quidem Euangelium fidē, qua credamus uera esse quæ per illud de Domino nostro Iesu Christo prædicantur. Verùm maluit Apostolus uerbum obediendi ponere: quo significaret, incredulitatem eorum qui nō credunt Euangelio, esse contumacem inobedientiā, adeoque dignam quæ sempiterna ultione puniatur: fidem uerò in Christum, secundum illius Euangelium, esse obedientiam Deo præstandam, cui promissa est salus & uita æterna. Dubio procul sacerdotes & magistratus Thessalonicensiū eos qui Euangelio Christi obediebant, accusabant inobedientiæ, eo quòd mandatis ipsorum, quibus ad cultum deorum reuocabantur, non obediebant. Apostolus igitur uicissim tales magistratus ac sacerdotes, unà cum incredulis & immorigeris cæteris omnibus tanquam reuera inobedientes, subijcit iudicio & ultioni Dei: fideles uerò à culpa inobedientiæ absoluit, & uiris inobedientibus coniungit. Nostra quoq; ætate quotquot Euangelio Domini nostri Iesu Christi obediunt, inobedientes uocati sunt à Papistis, quibus plus peccati habere uidetur, non obedire Romano pontifici, quàm non obedire Euāgelio Domini nostri Iesu Christi. Sic qui reuera coram Deo sunt inobedientes, & in die Domini tanquā inobedientes damnabuntur, titulum sibi obedientiæ uindicant, atque ita & semetipsos & alios seducunt ac perdunt.

Quid est aūt non obedire Euangeli Dñi nostri Iesu Christi? Est nō simpliciter non audire, non credere, non acquiescere: sed nolle audire, nolle credere, nolle acquiescere, imò malle illi cōtradicere & reluctari. Euangelio obedit, qui se Christo Dño ex animo totū addicit, ad audiendum, ad credendū, ad fidēdum, ad obediendū, tanquā Dño suo ac seruatori unico. Medico obedit, qui uerbis illius credit, datāq; ab illo medicinā cupidè accipit, & instructioni illius in omnib. obtēperat. Qui hoc facit, non modò glorificat medicū, sed & propriæ sanitatis rationē habet. Sic qui obedit Euangelio Dñi nostri Iesu Christi, credit illius uerbis, & gratiam ab eo datā auidissimè accipit, & præceptis illius obedienter acquiescit. Et hoc faciens glorificat Christum, & propriam salutem, sanguine illius partam, sapienter curat.

Dices: Quid eueniet illis quib. nō est annunciatū Euangeliū? An illi quoq; pro inobedientib. habebūtur? Respōdeo: Impietatis & inobediētiæ huius dānari nō poterūt. Quō enim credere poterūt Euāgelio, q nō audiuerūt? Rom. 10. Inde tñ nō sequitur, quòd Dñi sint iudicium euasuri, qui ante tēpora Euāgelij in uiuis fuerūt. Etenim licet hactenus inculpabiles nō sunt, propter culpā tamē corruptæ naturę, & impietatē cordis ac uitæ, omnisq; generis iniusticiā iudicio Dei obnoxij erūt, quo unicuiq; retribuetur secundū ea quę gessit in hac uita. Iudiciū tamen illorum minus graue erit, quàm eorum quibus annunciatum est Euangelium, ipsi autem nec audire, nec credere, nec obedire uoluerunt.

Qui pœnā luent, inquit, *interitū æternū*.] Dixit: Qui ultionē infliget ijs qui nō nouerūt Deū, &c. iam exponit q̄ sit illa ultio, dicens: Qui pœnā luēt, interitū uel exitiū ęternū. Quod ęternū est, finē nō habet. Quare nemo se falli per eos sinat, qui nostris hisce tēporib. errorē de saluādis in uniuersum omnibus contra manifesta ipsius etiam Seruatoris testimonia resuscitarunt.

Aeterni autem impiorum exitij hæc est ratio. Tempora ignorantiæ, qua priora secula erraūerunt, & impiè egerunt, dissimulauit Deus, Act. 17. misitq; filium sum temporibus posterioribus, per quem aditus fieret ad lucem, reconciliationem, & salutem æternam, omnibus in ipsum credentibus, & Euangelio ipsius obediētibus, sic ut ut nulla relicta sit excusatio incredulis: qui posteaquam manifestatus est in carne Deus, & Euangelium salutis prædicatum est in mundo, in cęcitate cordium suorum permanentes, oblatam reconciliationis gratiam & uitam æternam contemnunt, atq; ita Euangelio Domini nostri Iesu Christi obedire detrectāt. Horum enim adeò enorme peccatum est, quo gratiam salutis contemnunt, ut omnem misericordiam Dei uincat, nec unquam capax remissionis fieri queat, qua post finale iudicium damnati liberentur. Hinc est quòd ultio illius æterna erit. Nam ira Dei manet super eos, qui non credunt in Christū. Vbi ira Dei manet, ibi nullus est gratiæ locus: sed & per consequens necesse est ut æterna sit cōdemnatio. Neq; enim futurū posthac est aliud redemptionis sacrificium, quo peccatū hoc expietur. Monet nos hæc consideratio, ut ualde cōdoleamus illis, q̄ Euangelio Dñi nostri Iesu Christi propter obedientiā Antichristo seruandā, obedire nolūt, oremusq; pro illis, ut detur eis à Deo resipiscentia, priusquam ex hoc mundo discedant, ne æterno hoc exitio in die iudicij tradantur, unde nunquam liberari poterunt. *Ioan. 3.*

Quòd aūt exitium impiorū futurū sit æternū, multis Scripturæ locis affirmatur, inter quę merito

meritò fidem damus indubitatam illis quæ ab ipso sunt filio Dei prolata, ut Math. 18. Bonum est tibi (inquit) ad uitam ingredi claudum, aut mutilum, potius quàm duas manus uel duos pedes habentem, mitti in ignem αἰώνιον, id est æternum. Et cap. 25. Discedite à me maledicti in ignem αἰώνιον. Et Marci 3. Qui conuicium dixerit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed obnoxius est æterno iudicio. His utique uerbis & alijs consimilibus asseritur æternum impiorum exitium.

Nec est ut argutulus quisquam dicat, αἰὼν significat spacium centum annorum: & αἰώνιον, quicquid spacio seculi durat. Ergo ὀλιγοχρόνιος & αἰώνιος, non est exitium æternum, sed centum annorum. Nam hoc argumento sequeretur, Deum ipsum non esse Deum æternum, sed centũ duntaxat annorum: nec competere illi æternam gloriam & potentiam, sed unius tantùm seculi. Nam Rom. 16. hic ipse Apostolus dicit, κατ' ἐπιταγὴν τοῦ αἰωνίου θεοῦ, id est, Secũdum denunciationẽ αἰωνίου Dei. Et 1. Timoth. 6. Cui sit (inquit) honor & imperium αἰώνιον. Quid autem magis impiũ excogitari poterit, quàm hoc dare Apostolo Christi, quòd Deum dicat unius tantùm esse seculi, & competere illi gloriam & imperium centum annorum?

Deinde sequeretur etiam, uitam electorum Dei in Christo futurum esse centum duntaxat annorum. Nam & hanc Dominus ipse uocat αἰώνιον. Luc. 18. Ioan. 3. 16. Sunt hæc irrefragabilia, quare non est ut multis agantur & confirmentur.

A facie Domini, inquit, *& à gloria fortitudinis eius.*] Significat, mox atq; comparuerint ante tribunal Christi, accepta sententia à facie illius in exitium æternum esse abducendos & conijciendos. Nam ibi nulla erit tergiuersatio. Propriæ conscientiæ testimonio inexcusabilis impietatis conuicti ac damnati, perinde atque rei à facie iudicis post oris ipsorum confessionem, abripientur in supplicium æternum. Non patietur eos Dominus stare in cõspecto suo: sed dicet, Discedite à me maledicti in ignem æternum. Digni namque erunt, qui in conspectu satanæ ignibus æternis crucientur, non qui faciem Christi uideant, quam electi cum gaudio in sempiternum uidebunt. Sic solent præcipui hostes à facie regum in supplicium abijci.

Et à gloria fortitudinis eius, inquit.] Græcè est, τῆς ἰσχύος αὐτοῦ: id est, Roboris ac potentiæ eius. Intelligit cœlestem potentiam angelorum, quam secum de cœlo deducet: ut A gloria potentię eius, idem sit quod, A glorioſa potentia eius. Suprà dixit, Cùm reuelabitur Dominus Iesus de cœlo cum angelis potentiæ eius: hic illos glorioſam potentiam eius uocat. Dicit impios daturos pœnas à facie Domini, & à gloria potentiæ illius: quod perinde est, ac si dicas hostes deuictos, pœnas dare à facie regis uictoris, & à glorioso illius exercitu.

Cum uenerit, inquit, *ut glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in omnibus credentibus.*] Transit iam ad alteram partem absoluendam, quæ gloriam ac felicitatem piorum concernit. Rem autem eandem bis dicit, sic ut subsequens præcedentem particulam exponat. Idem enim est, admirandum fieri in credentibus, quod glorificari in sanctis. Cum uenerit (inquit) ut glorificetur in sanctis suis. Quòd suprà dixit, Cum reuelabitur Dominus Iesus de cœlo, cum angelis potentiæ suæ, &c. id iam exponit, uocans aduentum illius: & quoniam illic subiecit de exitio impiorum, ne ob id tantùm uenturus putetur, ut ultionem infligat ijs qui Deum non norũt, & qui Euãgelio ipsius nõ obediuerũt: uisum est hic addere, Vt glorificetur in sanctis suis, &c. Non solùm ad ultionem & perditionem impiorum, sed &, idq; cum primis, ad gloriam ac felicitatem piorum uenturus est in fine mundi.

Vt glorificetur in sanctis suis, inquit.] Chrysostomus accipit hic præpositionem ἐν, id est In, pro Per: quasi uenturus sit Dominus, ut per sanctos suos glorificetur, & per credentes admirandus fiat. Germanicus uertit, *Mit seinen heiligen*. Non est necesse ut aliter legamus, quàm, In sanctis suis: &, In omnibus credentibus. Glorificabitur quidem Christus & per sanctos suos, & cum sanctis suis in die aduentus sui: uerùm & in illis glorificabitur, ideo retinenda est hęc locutio, quam Apostolus posuit. Per sanctos suos glorificatur, quatenus illi laudibus ipsum extollunt & glorificant. Cum sanctis suis glorificabitur, quia non ipse tantùm, sed & sancti ipsius glorificabuntur, iuxta illud Coloss. 3. Tunc & uos cum illo manifestabimini in gloria. In sanctis suis glorificabitur, quatenus in illis gratiam, ueritatem & potentiam suam declarabit & illustrabit. Glorificabor, inquit Deus Exod. 14. in Pharaone, & in omni exercitu eius. Quomodo glorificatus est in Pharaone? Neque per illum, neque cum illo: sed in illo glorificatus est, dum eum unà cum exercitu ipsius in mari rubro submersit ac deleuit. Glorificatus etiam est in populo Israele, quatenus hunc potenti brachio ex Aegypto liberauit, & per mare rubrum saluum perduxit. Sic in fine mundi glorificabitur in sanctis suis Dominus, excitando ipsos à mortuis, colligendo ipsos ad se, clarificandoque, & in sempiternum beatos reddendo.

Et admirandus, inquit, *fiat in omnibus credentibus.*] Exponit, quomodo glorificandus sit in sanctis suis. Mirabiliter illos liberabit, saluabit, beabit & clarificabit, & inde admirandus apparebit toti mundo pariter & angelis. Hæc enim in illis manifestè in omnium oculis operabitur. Et hodie mirabiliter in sanctis suis operatur: uerùm quoniam facit hoc modis absconditis,

non

non cedit in admirationẽ coram hoc mũdo: tum uerò sic acturus est palàm & manifestè, ut in omniũ oculis admirãdus appareat. Hodie mũdus quoniã nec Deum patrẽ, nec filios eius cognoscit, tã abest ut dona & operationes spiritus Christi in illis admiretur, ut magis illos hoc nomine pro stultis, uesanis, phanaticis, apostatis & hæreticis habeat, contemnat, rideat, conuicijs proscindat, persequatur affligat & mactet. Tum uerò quando palàm coniungentur cum Christo, & glorificabuntur, uehementer admirabitur, ac dicet: Ecce quos aliquando habuimus in derisum, & pontifices nostri hæreseos damnarunt, quomodo iam pro filijs Dei & ueris Christianis habentur? Reuera tum admirandus erit in illis Christus, quos contra totius mundi opinionem pro suis agnoscet, sibi coniunget, & in æternum glorificabit.

In omnibus, inquit, *credentibus.*] Quos sanctos Domini uocauit, hos iam uocat credentes. Vis scire, qui sint sancti non Romanæ sedis, sed Christi? Omnes in ipsum credentes. Romana sedes pro sanctis canonizat (ut loquuntur) eos qui uel miraculis claruerunt, uel multum ieiunarunt, uel cœlibes fuerunt, uel uitam singulariter austeram duxerunt, uel erga ordinem clericorum, sacerdotum, monachorum, liberaliter affecti fuerunt. Christus uerò sanctificat in se credentes, quos mundus habet pro stultis, & interim Papæ suos sanctos relinquit: quorum multis dicturus est, Discedite à me, non noui uos.

Et obserua quòd non simpliciter dicit, In credentibus: sed disertè, In omnibus credẽtibus, ne quis per sanctos Apostolos tantùm, Euangelistas, doctores, martyres, confessores ac uirgines intelligat. Fides sanctificat, iustificat, saluat, & ueros Christianos reddit. Apostolũ esse, Euangelistam, doctorem, martyrem, confessorem, & uirginem esse, ut Christianum non reddit, ita nec sanctificat, nec iustificat, nec saluat. Quare non est ut ista referamus ad eos tantùm, qui præcipui & eximij habentur, sed ad omnes in uniuersum, qui uerè in Christum credunt. Si diceret, In omnibus iustis: cogitaremus, At nos tales non sumus, qui inter iustos reputari debeamus: atq; ita futuram Christianorum gloriam ac felicitatem haudquaquam ad nos pertinere putaremus. Verùm cùm dicit: In omnibus credentibus, quis nam Christianorum est, qui inter credentes haberi nolit? Nam etiamsi infirmi sumus fide, haud tamen sumus increduli. Neque hic dicit Apostolus, In omnibus perfectè credentibus: sed simpliciter, In omnibus credentibus, ubi infirma & imperfecta fides haud quaquam excluditur. Vbi aliquid omnibus in uniuersum hominibus, ut hominibus deputatur, ibi non excluduntur infirmi ac morbidi homines. Tam enim homo est qui ęgrotat, quàm qui sanus est. Cõsimili modo & in hac causa sentire debemus. Qui credit in Christum, utut imperfectè adhuc credat, è numero credentium excludi non potest.

Quòd fides habita sit testimonio nostro erga uos, in die illo.] Reddit rationẽ, quare Dñs mirabiliter acturus sit, ut cum omnibus credentib. ita & cum ipsis Thessalonicensib. Propterea (inquit) quòd testimonio nostro, quod de ipso erga uos per Euangelij prædicationem testificati sumus, fides est habita. Propter hanc uestram fidem, qua obsignastis ueritatem Dei, ac Dominum glorificastis, glorificabit & uos, & admirandus fiet in uobis. Vide obsecro, quanti faciat fidem, qua Euangelio credimus, dum propter illam futurum dicit, ut æternam gloriam consequamur. Et aduersarij nostri doctrinam Apostolicam, secundum quam huic fidei iustificationem tribuimus, hæreseos damnant.

In die iudicij, inquit.] Dies ille non uenerat, sed adhuc futurus erat: quemadmodum nec dũ uenit, sed futurus expectatur. Quomodo igitur testimonium suum erga Thessalonicenses fidem in illo inuenisse dicit? Sunt qui sic exponant. In die illo, id est, De die illo glorificationis sanctorum: ita ut præpositio In, sit hic materialiter accipienda: quemadmodum cum dicitur, Imago Herculis est in lapide. Et Germanicus interpres sententiam hanc sequutus, sic uertit: *Dann unser zeugnuß an euch uon dem selbigen tag, habt ir geglaubt.* hoc est: Quoniam testimonio nostro erga uos de die illo credidistis. Verùm nõ est necesse, ut quod Græcè est, ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ: id est, In die illo: uertamus, De die illo, quasi nequiuerit Apostolus, si id sensisset dicere: περὶ τῆς ἡμέρας ἐκείνης, id est, De die illo. Quòd si locus alius proferri poterit, in quo præpositionem In, pro De positam ab illo constet, concedam ut hic quoq; sic accipiatur. Meo iudicio particula hęc, quòd fides habita sit testimonio nostro erga uos, per parenthesim interposita est, & rationis uice præcedenti adiecta, ut sic sit hic contextus ordinandus: Cum uenerit ut glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in omnibus credentibus (quòd fides habita sit testimonio nostro erga uos) in die illo. hoc est: Vt in omnib. credentibus admirãdus fiat in die illo, propterea quòd fides habita sit testimonio nostro erga uos. Vidit hoc Tigurinus interpres, ideoque rectè uertit: *Vnd wunderſam zu vuerden auff dem tag, in allen gleubigen, ſo glauben gegeben haben unſerer zeugnuß an euch.* hoc est: Et ut admirandus fiat in die illo in omnibus credentib. qui crediderunt testimonio nostro erga uos.

Hæc de lectione. Priusquã aũt hinc progrediar, admonendus est Lector, ut obseruet, prædicationem Euangelij de Christo uocari ab Apostolo testimonium erga uos quibus prædicatur. Requiritur ergo, ut qui prædicat Euangelium, sic prædicet, ut ea loquatur, quæ sciat

esse indubitata: quemadmodum eum qui testificatur, non hæsitare conuenit, sed certum esse de ijs rebus, de quibus testificatur.

Dices: Quomodo potest fieri, ut sic loquantur ministri uerbi de Christo, quemadmodum testificati de illo sunt Apostoli, qui cum illo ederunt, biberunt, omnia illius dicta & facta, tam quam indiuidui illius comites, audiuerunt ac uiderũt, cum ipsi nihil de illo habeant, quod oculis suis uiderint, sed omnia aliunde acceperint?

Respondeo: In teste requiritur, ut de quibus testificatur, certò testificetur, certus in conscientia sua, quòd uera loquatur: nec refert unde certò sciat, quòd non mentiatur. Qui uiderunt, dicere possunt: quod uidimus testificamur. Qui uiderunt oculis, sed aliunde ueritatem cognouerunt, conscientiæ suæ testimonio quod cognouerunt, affirmare possunt. Qui sic loquuntur, non dicunt frigidè, non fluctuant, non uariant in doctrina: sed magno serio & infracto tenore in eo quod docent, constanter pergunt.

Ad quod etiam oramus semper pro uobis, inquit.] Id est: Hac spe ducti preces nostras ad Deũ pro uobis fundimus indesinenter. Crediderunt quidem ipsius testimonio, cum prædicaret ipsis Euangelium de Christo, & certò sciebat admirandum fore Dominum in omnibus credẽtibus, in die aduentus ipsius: interea tamen sollicitus erat, timens ne persequutionibus & afflictionibus uicti deficerent ac relaberentur: atque ita fieret, ut gratiam Dei frustrà acceperint, & futuræ filiorum Dei gloriæ haudquaquam participes fierent: & hanc ob causam indesinenter pro illis, quemadmodum & pro reliquis fidelibus, ad Deum orabat. Et hoc se pro illis facere propterea scribit, ut admoniti, unà secum orent & ipsi, agnoscentes, necessarium sibi esse gratiam Dei, non modò inchoantibus, sed & ad progrediendum ac perseuerandum, & pro hac esse sine intermissione orandum.

Vt uos dignos habeat ista uocatione Deus noster, inquit.] Græcè est, ἵνα ὑμᾶς ἀξιώσῃ: quod uerti potest, Vt uos dignos reddat. Et sic habet Germanicus interpres, *Daß euch unser Gott vuirdig mache*. Vulgata Latina habet, Vt dignetur uos sua uocatione. Erasmus Ambrosium sequutus, uertit: Vt uos dignos habeat. Dignum cœlesti uocatione neminem inuenit Deus, nisi quem ipse dignũ reddit, & pro digno per gratitam suam habet. Erant Thessalonicenses, cum Apostolus ista scriberet, iam antea per diuinam dignationem ad regnum & gloriam æternam uocati, ob quã causam & Deo gratias agebat. Verùm quoniam ij demum uerè digni sunt hac uocatione, qui in illa ad finem usque perseuerant: indigni uerò, qui ab inchoationis gratia deficiunt, orat Apostolus ad Deum, ut iam antea uocatos tales reddat, qui uerè digni sint hac uocatione. Si dicas ad pauperem à principe aliquo adoptatũ: Vide ut dignũ te adoptatione hac reddas: nõ mones eum, ut dignũ se reddat qui adoptetur à principe, cum iam sit adoptatus: sed ut sic se gerat in gratia, quam accepit, ut uideat princeps, non esse ipsum adoptionis gratia indignum. Consimile est quod hic pro Thessalonicensibus à Deo petit Apostolus, ut ipse eos dignos reddat uocatione, qua iam erant in Christo uocati.

Non est autem ociosum, quòd dicit, Deus noster. Monet enim bona cum fiducia inuocandum esse Deum, eo quòd sit Deus noster. Dauid in multis ac magnis malis hoc se nomine ad inuocandum cum fiducia Deum animare solebat, quòd esset Deus ipsius. qua de re in Commentarijs nostris super Psalmos aliquoties annotauimus.

Et compleat, inquit, *omne bonum propositum bonitatis, & opus fidei cum potentia.*] Græcè est, πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης: id est, Omne complacitum bonitatis. Sensus est: Et quicquid in uobis secundum bonitatis suæ beneplacitum operari cœpit, etiam opus suum, quo fidem in corda uestra dedit, cum potentia sua adimpleat, perficiat, & ad finem suum perducat. Quæ iam tum consequuti fuerant Thessalonicenses in Christo, ea omnia bonitatis Dei beneplacito adscribit: petitque ab illo, ut ea adimpleat. Erant enim adhuc imperfecta. Significat autem esse ea non pauca, sed multa, cum non simpliciter dicit, Et compleat beneplacitum: sed, Et compleat omne beneplacitum bonitatis. quasi dicat. Quo illi placuit uocare uos ad se per Euangelium regni ipsius, dare uobis donum fidei, qua in Christum Iesum filium ipsius credatis, adijcere tam insignia charismata spiritus. & spem patientiamq; ad perferenda quæuis aduersa, & dilectionem inter uos mutuam, & quæ alia sunt eiusmodi multa.

Et compleat, inquit, *omne beneplacitum bonitatis.*] Obserua coniunctionem duarum istarum uocum, εὐδοκίας & ἀγαθωσύνης, id est, Beneplaciti & bonitatis. Duplex beneplacitum est in Deo, iusticiæ uidelicet, & bonitatis. Iusticiæ est, quo placet illi, ut secundum iusticiam agat. Hoc uocare potes εὐδοκίαν δικαιοσύνης. Bonitatis est, quo placet illi, ut ex bonitate secundum infinitam suam misericordiam nobiscum agat. Huic tribuit Apostolus totam salutis nostræ dispensationem, siue principium, siue progressum, siue adimpletionem illius respicias.

Et opus fidei, inquit.] Opus Dei, quo fidem in cordibus Thessalonicensium per Euangelium ac spiritum suũ operatus erat, opus fidei uocat: id quod admoneo, ne quis fidem ipsam opus uocari existimãs nõ sola fide, sed & ope iustificari hominẽ cõtendat. Opus suũ implet Deus, quãdo opus fidei implet in nobis. Implet aũt illud, quãdo fidẽ nostrã iustis incremẽtis pueruit, auget, & pro is generis tẽtationes & afflictiões ne deficiat, uirtute sua ad finẽ usq; cõseruat.

Hoc

Hoc significans addit: ἐν δυνάμει, id est, In potétia & uirtute. Reuera opus est potentia Dei, ad hoc, ut fides nostra in hoc seculo contra tentationes satanæ, dubitationes & infirmitatẽ carnis, & maliciam mundi conseruetur. Vnde & Dominus ad Petrum dicebat, orasse se pro illo ne fides ipsius deficeret. Nimium securi sumus in hac causa, quia nimium de proprijs nostris uiribus præsumimus, cum illæ multo sint infirmiores, quàm ut nos in modica saltem tentatione confirmare queant. Quare non est præter rationem, quod ad Deum orat Apostolus, ut opus fidei in credentibus compleat: & alibi monet, ut qui stat, uideat ne cadat.

Vt illustretur, inquit, *nomen Domini nostri Iesu Christi per uos, & uos per illum.*] Græcè est, Vt illustretur nomen Domini nostri Iesu Christi, ἐν ὑμῖν, καὶ ὑμεῖς ἐν αὐτῷ, id est, In uobis, & uos in ipso. Hæc lectio poterat sine ulla incommoditate retineri, ut necesse non esset uertere, Per uos, & uos per illum. Quæ monet, dirigit ad gloriam nominis Christi, cuius erat Apostolus. Perpetuus hic illi scopus erat. Illustratur autem nomen Domini nostri Iesu Christi in credentibus in ipsum, quando firma & immota fide quæuis propter Euangelium illius aduersa cum gaudio perferunt, ac piè, sanctè, iustè & inculpabiliter in hoc seculo uiuunt: deinde, quando in illo die cuius hactenus meminit, admirandus in illis apparebit, ubi & ipsi in illo glorificabuntur. qua de re suprà annotauimus.

Iuxta gratiam Dei nostri, inquit, *& Domini nostri Iesu Christi.*] Non æqua ratione glorificabimur nos in Christo, qua ille gloriosus fiet & admirandus in nobis. Dignus ille est, qui non in nobis tantum, sed & in omnibus quæ in cœlo sunt & in terra glorificetur. Nos uerò haudquaquam tales sumus, qui κατ' ἀξίαν τοῦ ὀνόματος glorificari queamus: sed quę communicabitur nobis in Christo gloria, communicabitur secundum meram gratiam, gratuito Dei patris nostri & Domini nostri Iesu Christi dono. Hoc significans Apostolus, postquam dixit, Vt illustretur nomen Domini nostri Iesu Christi in uobis, & uos in illo: ne quod nos concernit futuram gloriam merito aliquo nostro assignemus, confestim adiecit, Iuxta gratiam Dei nostri & Domini nostri Iesu Christi. Si iuxta gratiam constabat nobis futura in Christo gloria, ex merito nostro constare non poterit.

Poterit illud obijci: Esuriui enim, & dedistis mihi cibum, &c. & inferri: Ergo non solum ex gratia, sed etiam ex merito nostro regnum cœlorum consequemur. Verùm ad hanc obiectionem respondimus iam antea in Commentarijs nostris super Matthæum capite uicesimoquinto. Matt.

Studiosè autem cauet Apostolus, ne Deum patrem & Dominum Iesum Christum in opere salutis nostræ separet, quod & hoc loco facit, dum eandem utrique gratiam tribuit, per quam in Christo glorificemur. Et facit hoc non leui ratione, ne occasionẽ Iudæis relinquat, Euangelium Christi calumniandi, quasi unius Dei fidem & gloriam per fidem in Christum extinguat.

CAP. SECVNDVM.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Instruit eos de aduentu Domini, ne sinant sibi imponi per eos qui illum iam præ foribus esse tradebant. Et annectit de Antichristo, quem reuelari oporteat, priusquam Dominus ad iudicium ueniat.

ROgamus autem uos, fratres, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostri aggregationem in illum, ne citò dimoueamini à mente: neque turbemini, neque per spiritum, neq; per sermonem, neq; per epistolam, tanquã à nobis profectam, quasi instet dies Christi.

Quod lectionem attinet, illud, Per aduentum, in Græco est, ὑπὲρ παρουσίας, i. Super aduẽtu: potestq; legi, De aduentu Domini nostri Iesu Christi. Deinde, quòd sequitur, Et nostri aggregationem in illum, rectè legeretur, Et nostri aggregatione ad illum. Et sic reddidit Germanicus interpres: *Aber der zukunfft halben unsers Herren Iesu Christi, und unserer Versamlung zu ym.* Sensus itaque est, Quòd attinet uerò aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostri ad illum aggregationẽ, de quibus in priore ad uos Epistola scripsi: rogamus uos fratres, ne citò dimoueamini à mente, &c. quasi iam instet dies Domini. Vulgata Latina habet, Rogamus autem uos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum. & Ambrosius legit, In idipsum. uerùm (meo iudicio) simplicius est, ut retineamus lectionẽ, de qua admonuimus. Erasm. retulit ad aduentum, non ad ipsum Domini, eo quòd Græcum illius exẽplar habebat non, ἐπ' αὐτὸν: sed ἐπ' αὐτῶν, i. παρουσίαν. Verùm nostra exemplaria habent, ἐπ' αὐτόν.

Rogamus autem uos fratres.] In priore Epistola de uerbo Rogandi annotauimus, quomodo in illo Apostoli Christi affectus exprimatur.

Super aduentu Domini nostri Iesu Christi, & nostri aggregatione ad illum.] In priore Epistola magnō studio de aduentu Domini fideles instruxerat: & inter alia de eo quoq; scripserat, quomodo rapiendi simus ad Dominum in aera, & sic cum illo in sempiternum futuri. Et quoniam in posteriore hac in eandem materiam denuò inciderat, non ignarus quo studio satan ex ipsa sanæ doctrinæ ueritate mendacia sua consuere & adornare soleat, quo simplicioribus imponat, necessarium ratus est, ut illi occurrat: id quod presenti hoc Capite admodum diligenter facit. Summa eorum quæ de die Domini tradiderat, duobus hisce capitibus comprehendi potest: uno, aduenturum esse Dominum maxima cum potentia & gloria: altero, esse nos omnes quotquot ueri Christiani sumus, ad illum aggregandos. Hæc nos proprie cōcernunt: reliqua pertinent ad impios, & totius mundi transformationem. Quare aduentus Domini tantùm, & nostri ad illum aggregationis meminit, dicens: Rogamus autem uos fratres super aduentu Domini nostri Iesu Christi, & nostri aggregatione ad illum. Hæc duo connectit, ut admoneamur, quoties de aduentu Domini cogitamus, simul de eo cogitemus, quãto ad illum simus cum gaudio per angelos potentiæ ipsius aggregandi: & quoties esse cum Christo desideramus, aduentum ipsius ex animo accelerare optemus. Reuera quisquis hæc duo appetit, bonam erga Dominum cōscientiam habeat necesse est: secus uerò comparatus est, quisquis cogitatione illorum turbatur & contristatur.

Quòd si quis uulgatam lectionem retinendam, legendumque esse iudicat, Rogamus autē uos fratres, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostri aggregationem ad illum: cogitet, quomodo affectos oporteat eos esse erga aduentum Domini nostri Iesu Christi, & aggregationem ad illum, quos Apostolus respectu utriusque rogandos esse censuit. Solemus enim haud quaquam per ea rogare, quæ nullo, uel certè modico in precio esse nouimus: sed ea rogantes præteximus, de quibus non dubitamus, quin sint impensè chara & desiderata. Si roges mulierem per aduentum mariti ipsius, & sui cum illo coniunctionem, consulto hoc feceris, si sit amans mariti sui: secus uerò, si pluris absentiam illius quàm aduentum faciat.

Ne citò dimoueamini à mente, inquit, *&c.*] In Græco est simpliciter, ἀπὸ τοῦ νοὸς, id est, A' mente. Dubium non est, quin loquatur de ipsorum mente. Vnde & uulgata Latina uersio habet, A' uestro sensu. Potest autem bifariam intelligi.

Primò, sic: Ne citò σαλευθῆναι ὑμᾶς, id est, Moueamini uos cogitationib. mētis uestræ, ratiocinātes & colligentes intra uosipsos, quòd instet dies Dñi: propterea quòd in priore Epistola scripsimus, Nos qui uiuimus & residui sumus, haud prœuenturos esse eos qui dormiunt. Deinde ad hunc modum: Ne permittatis, ut quisquã uos citò à mente uestra, qua estis in fide & expectatione Domini præditi, dimoueat ac turbet, neque per spiritum, neque per sermonem, &c. Vtrumuis sensum retineamus, nihil erit incommodi. Quod priorem attinet, admonemur, primam adhibendam esse curam, ne nostræ ipsorum mentis cogitationibus fallamur, & in errorem à recepta ueritate seducamur. id quod multis accidere uidemus, qui suis ipsorũ ratiocinationibus liberius ac securius indulgēt, & proprias cogitationes perinde atq; fœtus suos cupidius quàm par sit amplectuntur.

In posteriore sensu admonemur, curandum nobis esse summopere, ne à sensu nostro, quē in causa aliqua Christianæ religionis per Apostolicam doctrinam accepimus, facilè nos, citò ac temerè dimoueri sinamus. Est enim hoc leuissimorum hominum, quibus impossibile est ut quod semel rectè acceperunt, constanter retineant. Quam inconstantiam fugiendam esse monens, non simpliciter dicit, Ne dimoueamini: sed, Ne citò dimoueamini. Hoc dicens, non cōcedit homini Christiano libertatē discedēdi à recepta ueritate, modò nō citò dimoueatur: sed requirit constantiã, q̃ nō primis statim tētationib. cedat: sed in recepta sentētia pduret, do nec manifesta ueritate uincatur. Citò dimoueri, & nunquã dimoueri, plerunq; reprobādum uenit. Vtrunq;, sic ut prius leuitatis, posterius uerò ptinacię sit, damnandũ. Si quis citò dimouetur, ut cognitum iam errorem reijciat, tam abest ut culpari debeat, ut laudem potius mereatur. Id uerò culpabile est, si quis receptam semel sententiam non iudicio, sed leuitate mentis citò deserat. Consimili modo rectè damnātur, qui sic sunt in errore obstinati, ut ab illo nulla, quamuis irrefragabili ueritatis declaratione dimoueri se sinant unquam: quales hodie nō paucos pertinaces uidemus, qui pertinaciam suam singularis constantiæ loco haberi uolũt. Illi uerò non sunt improbandi, qui ne ab errore quidem facilè resiliunt, nisi prius ueritate conuincantur. At hi supra modum laudandi sunt, qui à cognita ueritate non modò haud facilè, sed prorsus nunquam abduci se sinunt.

Neque turbemini, inquit.] Græcè est, μηδὲ θροεῖσθαι, pro, μηδὲ θορυβᾶσθαι. Vulgata editio habet, Neque terreamini. Et Germanicus interpres reddidit, Nitt erſchrecken. Duo ergo hęc uitia, inconstantiæ & perturbationis, fugienda sunt homini Christiano, qui nouit se in bona uersari causa: ut dicere possit, Etiamsi fractus illabatur orbis, Impauidum ferient ruinæ.

Neque

Neque per ſpiritum, inquit, *neque per ſermonem, neque per Epiſtolam, tanquam à nobis profectam, quaſi inſtet dies Chriſti.*] Poterat ſimpliciter dicere, Ne citò dimoueamini à mente ueſtra, neque turbemini, quaſi inſtet dies Chriſti: uerùm neceſſarium ratus modos illos nominatim recenſere, quibus ſatan mentes ſimplicium ſeducere conſueuit, ne per quenquam illorum turbari ſe ſinerent.

Neq; per ſpiritum, inquit.] Quoniam tum temporis frequentes erant in Eccleſijs operationes, chariſmata & reuelationes ſpiritus, hac occaſione abuſus ſatan ſeductiones ſuas nomine Spiritus prætexebat: unde & neceſſarium erat, ut admonerentur fideles ad probandũ ſpiritus, ex Deo ne eſſent, uel ſecus. Eadem ratione & hic meminit ſpiritus. In priore Epiſtola cap. 5. monuit, ne ſpiritum extingerent: iam in hac cauſa, ne quod illic dictum erat, indiſcriminatim acciperent, & ſub nomine Spiritus quaſuis de die Domini reuelationes amplecterentur: diſertè monet, ne ſinant ſe turbari, ne per Spiritũ quidem, ſi ſub illius nomine dies Domini præ foribus eſſe affirmetur. Non ſunt igitur mox recipiendi, quotquot ſe ſpiritu Domini duci iactant, quales hodie ſunt, qui ſe in Spiritu ſancto Tridenti ad œcumenici concilij celebrationem congregatos eſſe impudenter mentiuntur, & errorum ſuorum confirmationem ex reuelationibus Spiritus ſancti, quas comminiſcuntur petunt, quoniam authoritate uerbi Dei deſtituuntur.

Neq; per ſermonem, inquit.] Intellige, qui quaſi à nobis dictus ſpargatur. Erat hoc quoque ſatanæ perfacilè, ut ſermones uelut ab Apoſtolo dictos comminiſceretur ac ſpargeret, unde ſeductionem conflaret: deinde & ab illo dictos adulteraret & corrumperet. quod malum hodie quoque admodum eſt uſitatum, præſertim ubi contentiones ac ſectarum ſtudia obtinent in Eccleſijs.

Neq; per Epiſtolam, tanquam à nobis profectam, inquit.] Profectam non eſt in Græco: ſed ſimpliciter, *ὡς δι' ἡμῶν*: id eſt, Veluti per nos. Et referendum eſt non ad Epiſtolã tantùm, ſed & ad ſermonem. Quaſi dicat: Etiamſi fuerint, qui uos ſermone quodam, ſub meo nomine ſparſo, uel Epiſtola, quaſi per me ſcripta, turbare moliantur, ne moueamini. Nihil non audent miniſtri mendaciorum ſatanæ. Impudenter quiduis mentiuntur, reuelationes, ſermones, Epiſtolas, canones & traditiones Apoſtolorum, quibus fidelium conſcientias dementent.

Quare uehementer neceſſarium eſt, ut ab ipſo Apoſtolo præmoniti huiuſmodi falſos prætextus fugiamus. Habemus ſacras & canonicas ſcripturas, de quibus nemo fidelium ambigit quòd ſint ex Spiru ſancto conſcriptæ. Reliqua permittamus illis, quibus hæ non ſatisfaciũt. Nemo dubitet, quòd ab impoſtoribus ipſis adhuc ſuperſtitis Apoſtoli temporibus, ex diabolica præſumptione fieri potuit, multo eſſe poſt illa licentioſius præſumpta.

Quaſi inſtet dies Chriſti, inquit.] Hoc eſt, quod credi ac recipi ab illis nolebat. Poterat autem hic quęri, quare noluerit eos de die Domini ſentire, quòd iam tum inſtaret, cum ſic ſentientes plus haberent occaſionis uigilandi, ne ex improuiſo cum incredulis obruerentur, quàm ſi diuerſum ſentirent. Verùm cogitandum nobis eſt, non fuiſſe præter rationem, quòd ab hac illos ſententia abſtrahere uoluit Apoſtolus. Primò namq; non erat uera, ſed falſa. Chriſtianis autem non conuenit falſam aliquam ſententiam amplecti pro uera. Deinde multa adhuc reſtabant, diem Domini ac mundi finem præcurſura, quæ omnino erant adimplenda, priuſquã dies ille inſtaret, è quibus pleraque cùm in ſermonibus ipſius Domini, tum in literis Apoſtoli prædicta leguntur. Tertiò, periculum erat, ne ubi uiderent diem illum tardare, ac ſecus euenire quàm putaſſent, de aduentu illius dubitare primùm inciperent, deinde paulatim omnẽ illius expectationem abijcerent. Vide 2. Petri ultimo. uel certè ſecuriores quàm conuenit, facti negligentius, in uera ſeſe pietate gererent, quàm ueris fidelibus conueniat. Quartò, cauẽdum etiam erat, ne nomen Chriſtianum inter gentes ludibrio exponeretur, ubi reipſa deprehenderent iactare Chriſtianos res uanas & falſas pro ueris ac certis. Hiſce de cauſis, & alijs forſan Apoſtolo notioribus quàm nobis, neceſſariũ erat cauere, ne falſa illa perſuaſio de die Domini, quòd iam inſtaret, in Eccleſijs Chriſti locum inueniret.

Quomodo autem in prima ad Corinthios, capite decimo dicat: Hæc omnia figuræ contigerunt illis, ſcripta uerò ſunt propter admonitionem noſtri, in quos fines ſeculorum incidunt, non immeritò quęſierit quiſquam. Etenim ſi tum iam inciderant fines ſeculorum, quomodo non inſtabat dies Domini, per quem ſecula terminabuntur? Verùm in Commentarijs noſtris ſuper eam Epiſtolam annotauimus, quæ ad quæſtionis huius ſolutionem faciunt.

Ne quis uos decipiat ullo modo. Quoniam non aduenier Dominus, niſi uenerit defectio prius, & reuelatus fuerit homo ille ſceleroſus, filius perditionis, qui eſt aduerſarius, & effertur aduerſus omnem qui dicitur Deus, aut numen, adeò ut in templo Dei ſedeat, oſtentans ſeipſum eſſe Deum.

Ne quis uos decipiat ullo modo, inquit.] Per inculcationem monet, quare non debeant turbari ac dimoueri à mente, quasi instet dies Dñi. Propterea (inquit) quòd seductores sunt, qui hoc tradũt. Quare cauete, ne quis uos ullo modo decipiat, quicquid prętexat. Omnis generis prę textum excludit, cum dicit, κατὰ μηδένα τρόπον, quasi dicat: Nõ modò nec spiritui, nec sermoni, nec epistolæ, ueluti p nos missæ credatis: sed nullo in uniuersum modo decipi uos sinatis. Et hinc uidemus, quomodo accipiẽdum sit quod dixit: Ne citò dimoueamini à mẽte. Haudqua quam citò à sensu suo dimouetur, quisquis nullo se modo decipi sinit. Interim satis innuit, subornatos esse à satana seductores, quos uigilanter ac circũspectè cauere oporteat, eo quòd non simplici aliquo astu, sed multis ac uarijs modis ad fallendum sint instructi.

Quoniam non aduenier Dominus, inquit, *nisi uenerit defectio prius.*] Illud, Non aduenier Dominus, non est quidem in textu: uerùm desideratur ad implendum sententiam. Est enim in Græco, ὅτι ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον: id est, Quoniam nisi uenerit defectio primùm. ubi subiungẽdum erat, Non ueniet, scilicet dies Domini. At ea particula nusquam in sequentibus ponitur. Quare quo perfecta sit sententia, commodè hoc loco statim exprimitur, ne Lector frustrà interlegendum suspensus teneatur.

Dies Domini non ueniet, nisi præcesserint ea mala, quæ uentura sunt ante illius aduentum.] Multis ac uarijs tentationibus inde ab initio afflictata & comprobata est Ecclesia Christi, inter quas postrema est, quam infert ille Antichristus. Ideo Apostolus hanc sic ponit, ut diẽ Domini uenturũ nõ esse dicat, nisi illa præcesserit. Prima afflictatio & tentatio fidelibus Christi accidit à Iudæis, qui se populum esse Dei iactant, quæ illorum temporum Christianis plurimum offendiculi peperit, eo quòd ex illo populo natus esset Christus, & Euangelium è Sion prodijsset in mundum. Secunda illata est Ecclesijs Christi à gentibus incredulis. Tertia, quæ etiamnum durat, & in finem mundi, Christiique aduentum usque durabit, est à falsis Christianis, quorum caput est Antichristus. Hanc perstringit hoc loco Apostolus. Ea tum quidem initium acceperat, sed admodum occultum, ac tale, quod non à quolibet fidelium posset cognosci. Cõtradictio quæ erat, primò à Iudæis: deinde à gẽtibus, palàm grassabatur: tertia uerò, quã illaturus erat Antichristus, clanculum mysterium iniquitatis suæ agebat, donec acceptis uiribus in apertum prodijt, & pleno impetu grassari cœpit. Sed uideamus singula.

Quoniam non aduenier Dominus, nisi uenerit defectio prius.] Non simpliciter dicit, Quoniam non aduenier Dominus: sed addit, Nisi uenerit defectio prius. Non errabant in eo Thessalonicẽses, quòd credebant aduenturum Dominum, ideoque fides illa non erat in eis improbanda. In eo uerò errassent, si diem Domini iam tum instare credidissent. Ergo fieri potest, ut licet in summa rei rectè credamus, in circumstantijs tamen illius erremus. Iudæi rectè credebant uẽturum Christum, in eo autem errabant, quòd alias de illo sibi conceperant opiniones, quàm quæ ueritati conuenirent, unde factum est, ut præsentem non agnoscerent. Christus, aiebãt, ubi uenerit, nemo sciet unde sit: hunc autem scimus unde sit. Et: Christus manebit in æternum (inquiunt) & quomodo tu dicis, Oportet exaltari filium hominis? Nos Christiani rectè credimus, uenturum esse Antichristum, de quo Scriptura sacra prædixit. Verùm in circumstantijs & modi & temporis errant omnes, qui nondum illum uenisse, sed demum nescio quando & quomodo uenturum esse credunt. Nos illum iam olim uenisse scimus, atque ita fit, ut qui in summa rei huius consentimus, in circumstantijs discrepemus.

Nisi uenerit defectio prius, inquit, *& reuelatus fuerit homo ille sceleroſus.*] Græcè est, ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας: id est, Homo peccati. Erasmus propter articulum ὁ, uertit, Homo ille: quasi certus quidã homo designetur. Sed eadẽ ratione uerti poterat, Peccati illius, propterea quòd nõ simpliciter dicit, ὁ ἄνθρωπος ἁμαρτίας: sed, ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ut intelligatur de peccato nõ quolibet, sed de peccato defectionis, quæ per illum introducta est in Ecclesias Christi. Duo ergo hæc prǽcedere debent diem Domini, defectio uidelicet, & reuelatio hominis peccati, ac filij perditionis.

Nisi uenerit defectio prius, inquit.] Græcè est, ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον, quod Erasmus propter articulum ὁ, perinde uerti poterat, Nisi uenerit defectio illa prius, atq; quod ὁ ἄνθρωπος uertit, Homo ille. Loquitur enim Apostolus non de priuatis quibusdam defectionibus, quales multæ etiã Christi & Apostolorũ temporib. acciderũt, quarũ exemplũ in illis discipulis prǽcesit qui à Dño discessisse leguntur, Ioan. 6. sed de catholica integrorũ populorũ defectione. Quæ aũt illa sit, non est eadẽ omniũ sentẽtia. Tertull. in lib. De resurrectione carnis, de Romani regni defectione exponit, dicens: Nisi ueniat abscessio primò, huius utiq; regni. Et paulo pòst: Tantùm qui nunc tenet teneat, donec de medio fiat: quis? nisi Romanus status, cuius abscessio in decẽ reges dispersa Antichristũ superducet. hunc Ambros. & alij nõnulli sequũtur. Deinde sunt qui exponant de discessu ac defectione, quę fiat ab obediẽtia Romanę ecclesię. Hunc sensũ tenẽt Romanistę. Tertiò, q melius sentiũt, intelligũt de defectione, qua à doctrina, fide, religiõe & obediẽtia Christi discedetur. Hãc futurã prędixit 1. Tim. 4. ubi sic legitur: Spiritus aũt certò loquitur, quòd in posteriorib. tẽporibus ἀποστήσονται. i. deficiẽt (unde est uox ἀποστασία) quidam

quidam à fide, attendentes ſpiritibus impoſtoribus ac doctrinis dæmoniorum, per ſimulationem falſiloquorum, cauterio notatam habentium conſcientiam, prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad ſumendum cum gratiarũ actione fidelibus, &c.

Vbi defectionem hanc à fide & obedientia Chriſti conſidero, inuenio eam eſſe duplicẽ. Primam, quæ ſit Orientis: alteram, quæ ſit Occidentis. Quemadmodum enim duplex eſt ἀποστασία, quæ facta eſt à Romano Imperio, ſic ut prima ſit regnorum Orientis, altera uerò regnorum Occidentis: ita & hæc defectio à fide & obedientia Chriſti, de qua hic loquitur Apoſtolus, ſic eſt gemina, ut prior ſit Orientis ad impoſtorem Mahometem, poſterior Occidentis ad Romanum Antichriſtum facta. De priori notum eſt, quomodo in Ariana hæreſi initium ſumpſerit, progreſſum uerò & robur in ipſo Mahomete. De initio illius Baſilius in Epiſtola 70. ad Epiſcopos Galliæ & Italiæ ſic ſcripſit: Nos enim forſan primi quidem propter excellens peccatum noſtrum crudis iſtis hoſtium Chriſti dentibus, ut abſumamur, obiecti ſumus: fortaſsis autem quod & potiſsimum ueroſimile eſt, quoniam à noſtris locis exortum Euangelium regni in totum orbem egreſſum eſt: hac ratione communis animarum noſtrarum hoſtis, defectionis quoque ſeminaria, quæ in ijſdem noſtris locis initium cœperũt, in uniuerſum orbem traijcere contendit. Et Epiſtola 71. ad Alexandrinos: Acceſsit autem, inquit, ad haſce animi mei diſceptationes & iſta cogitatio, An Eccleſias ſuas prorſus reliquit Dominus? An nouiſsima hora eſt, & hoc pacto initium ſumit defectio, ut iam deinceps reueletur iniquus ille, filius perditionis, &c. Hæc ille. Ad poſteriorem pertinet, quod Bernardus in Pſalmum Qui habitat, Sermone 6. in fine conqueritur, dicens: Ipſa quoque Eccleſiaſticæ dignitatis officia in turpem quæſtum, & tenebrarum negocium tranſiêre: nec in his ſalus animarum, ſed luxus quæritur diuitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Eccleſias, miſſas celebrant, pſalmos decantant, pro epiſcopatibus & archidiaconatibus, abbatijs, alijsque dignitatibus impudenter hodie decertatur, ut Eccleſiarum reditus in ſuperfluitatis & uanitatis uſus diſsipentur. Supereſt ut reueletur homo peccati, filius perditionis, dæmonium non modò diurnum, ſed & meridianum: quod non ſolum transfiguratur in angelum lucis, ſed & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Hæc iſte, quibus de Romanę Eccleſiæ defectione conqueritur, ac palàm ſupereſſe dicit, ut hanc reuelatio Antichriſti ſubſequatur.

Inter utranque uerò Orientalem & Occidentalem apoſtaſiam hoc intereſt, quòd prior nominis Chriſti profeſsionem palàm ac prorſus abiecit, ſic ut nomen & obedientiam Maometis diſertè ſequatur & profiteatur: poſterior uerò nominis Chriſti profeſsione retenta reipſa Antichriſtum Romanum ſequatur, illiq́ue obedientiã uni Chriſto debitam præſtet. Sic iſta defectio perinde cõparata eſt, ac ſi unius mariti duæ uxores altera palàm deficiat, & adultero adhæreat: altera uerò diſsimulans adulterium, ac mariti ſui nomen cohabitationemq; retinens, fidem frangat, & reipſa ac corde ab illo ſcortãdo deficiat. Hæc apoſtaſia igitur, ſi reſpicias unde fiat, eadem eſt prorſus: ſi uerò conſideres ad quos fiat, diuiſa eſt & gemina. utraque ſit à Chriſto, altera uerò ad Mahometem, altera ad Romanum eidolum. Omnes illæ gentes quæ cũ Mahomete ſcortantur, Chriſtianæ fuerunt, & à Chriſto defecerunt. Et quotquot hodie aliter Chriſtiani eſſe nolunt uel neſciunt, quàm ut ſint Papiſtę, ex illis ſunt maioribus, qui olim nihil aliud quàm Chriſtiani fuerunt.

Quod igitur Apoſtolus dicit, Niſi uenerit defectio prius: tum temporis rectè dictũ eſt. Nondum enim uenerat hæc apoſtaſia. Iam uerò ſi dicas, Nõ ueniet dies Dñi, niſi uenerit primùm defectio, inconueniẽter dices. Tã enim quod tum futurũ erat, nunc in effectu, ut oporteat eos qui id agnoſcere non ſuſtinent, omni eſſe ſenſu deſtitutos. Quod olim ex ueteribus nõnulli ſuſpicari cœperunt, idiam reipſa experimur, & certò agnoſcimus. Papiſtæ uſq; adeò Occidentalem defectionem ſub Papatu Romano, & illius Eccleſijs impleri non agnoſcunt, ut non ſe, ſed nos pro apoſtatis habeant, propterea quòd ab obedientia Romanæ ſedis, purpuratæ illius meretricis defecimus. Non ſatis conſiderãt, qualitatẽ defectionis, à quo uidelicet, & ad quem primò maiores noſtri cum poſteris ſuis, in quib. & nos fuimus: deinde hac ætate nos ab ipſis ſeparati, defecerimus. Apoſtaſiæ duæ ſunt partes conſiderãdæ. una eſt ἀπό τινος, i. à quo: altera, πρός τινα. i. ad quem defectio fiat. Sic Græci de uoce ἀποστασίας loquuntur. Si conſiderarent à quo & ad quem maiores noſtri defecerint, facile intelligerẽt, diſceſsiſſe eos ab obedientia Chriſti ad obedientiam Romanæ ſedis, cuius præceptis, legibus, doctrinis & traditionibus, præceptis & doctrinis Chriſti contrarijs, uſqueadeò per conſcientiam ſeruire cœperunt, & hodie ipſi ſeruiunt, ut ſi quis ipſos auocẽt ab hac peruerſa ſubiectione ad obedientiam præceptorum, & fidẽ doctrinæ Chriſti Domini ac ſeruatoris noſtri, citius hunc hæreſeos damnent, & igni adiudicent, quàm audiant & ſequantur. Quid eſt obſecro à Chriſto deficere? An non deficiunt ab eo qui à uerbo, doctrina, fide, & obedientia illius deficiũt, & Romanæ ſedis authoritatem religioſius, quàm ipſius obſeruant? id quod multis & manifeſtis exemplis comprobare facillimum eſt. Quod noſtram uerò defectionem attinet, non

negamus, nos recepto Euangelio Christi factos esse apostatas. Sed à quo? Ab obedientia Romanæ sedis, inquiunt. Agnoscimus hanc ἀποστασίαν, tam abest ut ægrè feramus, quòd eam nobis obijciunt. Ipsi itaq; testes nostri sint in conspectu Dei, quòd non simus amplius Papistæ, sed ab obedientia Romani papæ defecerimus. Restat igitur ut considerent, ad quem defecerimus. Qualem qualem faciant suum Papam, nos illo relicto ad eum defecimus, quem nos Deus pater cœlitùs audire iussit, Christum uidelicet Dominum, cuius nos Euangelio adeò palàm addiximus, ut hoc nomine Euangelici uocari cœperimus.

Obsecro, si ad Alkoranum Mahometis defecissemus, an non rectè adipsum Mahometem defecisse diceremur? utique. Quomodo igitur non eâdem ratione, dum relictis doctrinis, præceptis ac traditionibus Papæ ad Euágelium Christi defecimus, rectè ad ipsum Christum defecisse nos agnoscunt? An aduersarij non satis ostendunt, quare doctrinam ac fidē nostram condemnent, dum codices noui Testamenti propter nos igni tradunt? Si quis contra Papam citet uerbum aliquod Christi, mox audit Hæreticus. Et dum Euangelici propter ueritatis confessionem condemnantur, carceribus includuntur, ad mortem ducuntur & comburuntur: quem alium sonant ore, quàm quem habent in corde, Christum Dominum uidelicet, propter cuius uerbum, cui sese addixerūt, hęc omnia ad extremum usque halitum patiuntur. Citamus eorum conscientias qui martyrijs illorum spectatores adstant, quid ex ore illorum audiant, quem spiritum sentiant, & quid in cordibus suis taciti & ingemiscentes cogitent. Ingrediantur conciones nostras, audiantque quid palàm doceamus, & quem Dominum nostrum prædicemus. Si nullum alium quàm Christum filium Dei, agnoscant, ad quem defecerimus, & in qua Ecclesij sumus. Considerent Sacramenta, quibus religiosè utimur. In Baptismate obseruent, in cuius nomen initiemur ac sanctificemur à puero. In Eucharistia cognoscant quem agnoscamus, prædicemus ac laudemus Seruatorem nostrum ac redemptorem, & cuius mensæ facti sumus participes. Alijs Sacramentis non utimur, quia Christiani sumus, contenti Sacramentis ab ipso Domino Iesu Christo acceptis. Assistant nobis morientibus, & audiant, cui & animas nostras & salutem commendemus. Si ex his Christianos nos esse non agnoscunt, expectent diem Domini, in quo manifestato Christo, ueri quoque Christiani manifestabuntur.

Et reuelatus fuerit homo peccati, inquit, *& filius perditionis.*] Ergo dies Domini non mox post apostasiam aderit, sed necesse est, ut post illam reueletur homo peccati, priusquam adueniat Dominus. Qua in re cogitandum nobis est de bonitate Dei, per quam fit, quòd non subitò in defectores meritum iudicium & exitium: sed quo qui sanabiles sunt, ad Christum Dominum reuocentur: uerbum reuelationis mittitur, per quod: ueluti per lucem, caput & author defectionis reueletur, & reuelatus deseratur. Græcè est, πρὶ ἀποκαλυφθῆι, id est, Detegatur. Si bonus est, & bonam causam habet, nec ipse, nec quisquam alius ipsius nomine tergiuersari & impedire debet, ne detegatur. Faceret enim detectio ad ipsius gloriam, sicuti Christus Dominus tum potissimùm glorificabitur, quando in fine mundi in omnium mortalium oculis detegetur ac manifestabitur: cuius detectionem nos non impedimus, sed optamus ex animo. Verùm quoniam malus est, iniquus, homo peccati, filius perditionis, aduersarius Dei, impostor ac seductor: præter rationem non est, quòd lucem detectionis Euangelium Christi, per quod opercula tantæ iniquitatis tolluntur, & ipse totus detegitur, nudatur, & quis sit omnibus conspiciendus ac detestandus proponitur, tam improbis conatibus opprimere sese tagit. Verùm nihil poterit contra prouidentiam Dei. Sic est diuinitùs constitutum, ut defectionem catholicam sequatur detectio ac manifestatio hominis peccati, ad quē facta est defectio, quo per illius reuelationem aperiantur oculi seductorum & apostatarum, cognoscátque à quo & ad quem defecerint, & ad lucem ueritatis reuocati resipiscant ac saluentur. Desinant igitur Reges & principes reluctari consilio Dei. Nam ut ille constituit, ita nolint uelint fiet.

Si roges, quid nam detegendum sit in homine peccati, defectionis author? Respōdeo: Id quod in illo hactenus latuit. Latuerunt autem in eo contraria publicę existimationi, & externæ apparētiæ. Habitus est pro homine pietatis & iusticię, pro filio salutis, pro amico & seruo Dei, eoq; singulari. Hoc operculo detracto, deprehēditur in eo homo peccati, filius perditionis & exitij, aduersarius Dei, imò supra Deum eleuatus.

Diximus detectionem hanc fieri per lucem Euangelij Christi. Si rem ipsam consideres, concurrit maturitas nequitiæ illius, per quam fit, ut reiecta hypocrisi ac ficta pietatis specie, palàm & impudenter semetipsum prodat quisq;, & qualis sit omnium oculis ingerat. Per lucem Christi illuminantur oculi electorum inter seductos, per impudentem & irrefragabilē ac continuam illius, manifestamque nequiciam, impietatem & iniquitatem sic reliquorum oculi aperiuntur, ut inexcusabiles reddantur.

Et reuelatus fuerit, inquit, *homo peccati, & filius perditionis.*] Quæritur, quis nam sit ille. Homo peccati, ac filius perditionis est, qui totus quantus quantus est, sic peccatis est deditus, & perditioni deuotus, ut ad peccandum natus, & perditioni destinatus esse uideatur.

At

At tales non unus tantum & alter, sed innumeri reperiuntur in hoc seculo, maximè temporibus hisce nouissimis. Apostolus uerò de uno ac certo quodã homine loqui uidetur, qui malicia sua sic excellat cęteros peccatores, ut non sibi tantum, sed & alijs sit perditionis author, & aduentum Christi proximè præcedat. Quis igitur ille est?

Exponunt omnes de Antichristo. Sentiunt autem ueteres, notari unum quendam hominem, qui paulo sit ante Christi aduentum, insigniter malus, & plenus diabolicæ nequiciæ, uenturus, & quosuis ad se partim imposturis suis illecturus, partim uiolenter adacturus. Et de hoc tradunt, quòd proditurus sit ex populo Iudæorum, de tribu Dan, & totus in peccato cõcipiendus ac nasciturus: & quòd in ipso conceptionis illius initio, matris eius uterum ingressurus sit diabolus, ac uirtute sua illum imbuturus, atque ita cum eo semper futurus, quo totus fiat iniquus ac perditus. Et de loco natiuitatis illius tradunt: hunc dicunt fore ciuitatem Babyloniæ. Educationi illius tribuunt ciuitates Bethsaidam & Corozaim, regno uerò Hierosolymam. Hæc & multa alia de Antichristo uenturo scribunt: quæ si uera essent, sequeretur, apostasiam illam, de qua loquitur hic Apostolus, nondum cœpisse, atque ita nec Maometicam nec Papisticam ad eam esse referendam.

Existimo occasionem erroris ex eo esse, quòd quæ hic de Antichristo scribuntur, ad unũ aliquem hominem restringuntur, propterea quòd ab Apostolo uocatur homo peccati, & filius perditionis. Si consulantur uaticinia Danielis, & quæ in Apocalypsi habentur de Antichristo, puto manifestum esse, nõ posse ea in uno homine cõpleri: quamuis in singulari uox Bestia, draco & cornu, ponatur: sed referenda esse ad integrum illius regnum, in quo multæ personæ dominium exerceãt. sicut & quarta bestia, quæ Rom. imperij typum in Daniele gerit, non unius tantum, sed multorum regum personas cõplectitur. Regnũ Antichristi πολυπροσωπον est, multos habẽs Antichristos, quos omnes p hominẽ peccati & filiũ perditionis, propter eiusdem maliciæ, iniquitatis & satanici regni continuationem, intelligendos esse iudicamus. Et regnum hoc Antichristi restringimus neque in Orientem tantum, neque in Occidentem: sed duas esse illius sedes sentimus, unam in Oriente, alteram in Occidente. ut etiã hoc nomine conferri possit bicorni bestiæ, cui in Apocalypsi duo cornua dantur. Quod igitur Maometanum regnũ attinet, non impedit illud, quo minus in Occidente sedẽ habeamus Antichristi, & in unoquoq; Rom. pontifice hominẽ illum peccati ac filium perditionis, quatenus quę hic ab Apostolo ponũtur, in illis reperiuntur: & quod Romanã sedẽ cõcernit, nihil impedit illa, quo minus Orientales populi, Romano Antichristo haudquaquã subiecti, Antichristum habeant in Oriente. Est autem ad reuelationem utriusque necessarium, ut qui regnum habet in Oriente, Orientalib. & qui dominatur in Occidente, Occidentalib. populis detegatur. Romanus Antichristus non dementauit Orientales, dementauit eos uerò Mahometana seductio: sic & Mahometes non seduxit Occidentales, seduxit uerò Oriẽtales. Quare quo plena fiat Antichristiani regni detectio, & seducti tam in Oriente quàm in Occidente ad ueritatis cognitionem perducantur, existimo futurum esse, ut priusquam ueniat dies Dñi, utrobiq; detegantur tam grauis apostasiæ authores. Dico, cum pace doctiorũ, quæ mihi uidentur esse probabilia: libenter cessurus, si quis certiora attulerit in medium.

Et reuelatus fuerit, inquit, *homo peccati, et filius perditionis.*] Non simpliciter dicit, Homo peccans, & perditus: sed, Homo peccati, & filius perditionis: Aliud est esse hominẽ peccantem ac perditum, quales sunt quotquot secundum carnem uiuunt: & aliud, esse hominem peccati, & filium perditionis, qui quasi ex peccato patre, & perditione matre natus, totus, quantus quantus est, peccatis ac perditioni, seducendo mundum, seruiat. Non est hic spectandum, quomodo Rom. pontifices per se scelerate uiuant, quorum alioqui uita & fastu & luxu & infanda libidine & impudentissima Simonia solet esse flagitiosa & damnabilis: sed quomodo authores sint mundo ad peccandum & pereundum. Si respiciamus defectionem Ecclesiarum ab obediẽtia uerbi Christi, ignorantiam Dei & S. Scripturarum, oppressionem ueritatis, impietatem cordium, eidololatriam catholicam, cultus plus quàm ethnicos, inundationẽ omnis generis uitiorũ, deprauationẽ doctrinę, corruptionẽ Ecclesiasticorũ, multitudinẽ sectarum, prophanationẽ Sacramentorũ, infinitã superstitionem, persequutiones, proscriptiones, afflictiones ac cædes piorum, & quæ alia innumera eiusmodi geruntur in Ecclesijs: obsecro quẽ statuemus omniũ horũ authorẽ, quàm sedem Romanã, sedẽ peccati ac perditionis, quæ peccare fecit & facit Ecclesias Christi: perinde atq; Hieroboã, uir peccati, de quo Scriptura satis inculcare nequit, quòd peccare fecerit Israelẽ, dũ induxit illũ ad apostasiã, à lege Dei ad grauissimæ eidololatriæ impietatẽ. Quõ itaq; Hieroboã rectè hominẽ peccati uocaueris, ꝓpterea quòd peccare fecit Israelẽ: sic planè Rom. Antichristꝰ homo peccati appellatur, ꝓpterea qđ Ecclesias Christi nõ modò pfida apostasia, sed & grauiss. multis ac uarijs impietatib. superstitionib. eidolomanijs, & scelerib. peccare fecit & facit. de quib. Rom. sedẽ uir Dei Lutherꝰ irrefragabiliter cõuicit, ad cuius scripta Lectorẽ mitto. Peccata quib. Rom. põtifices suã ipsorum uitã sceleratè cõtaminãt, & seculariter peccant, nõ habent opus detectione. Sunt. n. manifestè mala, & historicis quoq; scriptis notata: quantumuis contendãt, nemini licere, ut de

factis

factis ipsorum iudicet. Ea uerò peccata, quibus Ecclesias Christi inuoluerunt, opus habuerunt delectione, propterea quòd falsa persuasione, & catholica cæcitate fidelium animi impediebãtur, ne seductionem hanc pessimam & grauissimam cognoscerent. Et hactenus reuelandus ac detegendus fuit homo peccati, & filius perditionis: quod & iam sic est magna ex parte factum, ut paucos inuenias quorum conscientiæ sic sint illi astrictæ, sicuti ante hanc nostram ætatem omnes illi obnoxij ac subiecti fuimus. Optarim autem ex animo, ut quemadmodum reipsa Occidentalis Antichristi detectionem impleri uidemus, ita & Orientalis ij qui in Oriẽte decepti ac seducti sunt, manifestationẽ ac reprobationem uideant, & ad fidẽ obedientiamq; Christi nobiscum redeant.

Et filius perditionis, inquit.] Natus uidelicet ad perdendum. Mirum uideri potest, quomodo perdat ille, qui omnem sibi potestatem in cœlum, terram & inferos uindicat: qui quos uult, sanctos facit: qui pro modica pecunia plenissimas indulgentias, omnium scilicet peccatorum remissionem uenditat: sub quo potestas habetur absoluendi à uinculo condemnationis: sub quo quibuslibet pro pecunia prostat sacrificium Missæ, pro uiuis & mortuis: sub quo innumera sunt diuorum patrocinia: sub quo mater Christi pro peccatoribus haud frustra intercedit: sub quo tam sunt multa omnis generis religiosorum hominum monasteria, in quibus pro salute dantium aliquid oratur, uigilatur, ieiunatur, cantatur, missatur, &c. sub quo est satisfactio in hac uita, & post mortem satispassio in purgatorio pro peccatis: sub quo est etiam redemptio animarum è purgatorio. Sub quo igitur tot sunt rationes & media salutis, quomodo perire possunt, qui illi adhærent?

Respondeo: Hoc ipso filius perditionis est, quòd credentes sibi falsis rationibus fallit ac perdit. Hisce namque medijs saluatur nemo, sed perduntur, quotquot illis innituntur: quod perindè est, ac si quis impostor uenenum pro remedio contra uenenum imperitis uendat.

Dices: Ergo maiores nostri omnes, quotquot sub Papatu uixerunt, & medijs hisce usi sunt, perierunt?

Respondeo: Idem obijciunt nobis Turci, dicentes: Ergo maiores nostri Maometanam legem amplexi perierunt omnes? Consimiliter & Iudæi de maioribus suis obijciũt. Verùm pro maioribus nostris nostrum non est reddere rationem. Eundem habent iudicem, quem habemus & nos. Reddet unusquisque pro seipso rationem. Quod attinet Rom. pontificem, uel doceant qui illi adhærent, non esse eum hominem peccati: uel si id docere non possunt, concedant necesse est, esse eum simul & filium perditionis. Deinde, nõ dubitamus magnam fidelium multitudinem in Papatu quoque, etiam ante tempus reuelati Antichristi, per simplicem fidem in Christum esse saluatam, quorum animos uel Papistica seductio dementare non potuit, uel gratia Christi in mortis saltem articulo ad se traxit ac saluauit.

Et filius perditionis.] Iudam apostolum & proditorem uocat Christus, Ioan. 17. filium perditionis, dicens: Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis perijt, nisi filius ille perditionis, ut Scriptura compleretur. Vocat hunc filium perditionis propterea, quòd destinatus perditioni seruari cum reliquis Apostolis non potuit. In illo iam tum monstratum fuit, ex ipso ordine eorum, qui se pro successoribus Apostolorum haberi uolunt, prodituros Antichristos, filios perditionis, qui Christum ipsum uendant, & quantum in ipsis est, ad crucifigendum pro uili precio tradant. Hanc maculam Romana sedes, quæ se iactat Apostolicam, in sempiternum non delebit. Nõ est sedes Petri Romæ, sed Iudę proditoris, filij perditionis, qui palàm uendit claues, altaria, Christum.

Qui est aduersarius, inquit.] Græcè est, *ὁ ἀντικείμενος*. De hac uoce diximus in ea quæ est ad Philip. cap. 1. Sonat eum qui in omnibus agit diuersum, & opponit se quibus poterit modis, ex aduerso repugnans. Est autem hæc tertia nota, quam Apostolus Antichristo inurit. Aduersarius est Christi, uerùm neq; ut Mahomet, neque ut gẽs Iudaica, sed ut pseudapostolus, & ut malus seruus. Non ex manifesta professione aduersatur Christo, sed per impostu ram, uenditans se pro uicario Christi, pro primario ouium illius pastore, & pro capite Ecclesiarum, cum tamen in omnibus non Christi regnum, sed suum ipsius quærat: non Christi, sed suam ipsius authoritatem ac potestatem statuat: uerbum Christi irritum, suum uerò authenticum reddat: Ecclesiam, sponsam Christi, domino suo subijciat, seducat ac perdat. Sic itaque duplici nomine Antichristus est. Primò, quia aduersarius est altero, quia uicarium se Christi esse iactat. Vtrumq; sonat Antichristus, & aduersarium, & uicarium Christi. Nam præpositio *ἀντί*, & cõtra, & pro, significat: ut *ἀντιχριστὸς* sit & is qui aduersatur Christo: & uicarius Christi, qui locum Christi teneat, sicut *ἀντιβασιλεὺς*, & proregem (ut uocant) & aduersarium regis: & *ἀντιπατὴρ* tam propatrem quàm aduersarium patris: & *ἀντικύριος* non solum aduersarium, sed & uicarium domini sonat, & huius potestas *ἀντικυρία* uocatur. Quemadmodũ igitur qui se ipse proregem facit, cũ nihil à rege potestatis acceperit, hoc ipso regi aduersatur, & regiæ Maiestatis reus efficitur, etiãsi omnia se pro rege facere iactet, & ubiq; regis nomen factis suis prætexat: ita omnino Romanus pontifex hostis est Christi, & uerus Antichristus, dum non solum aduersarius est, sed & uicarium se illius esse iactat, omnem sibi potestatem

illius

illius ſumma temeritate uindicat,& nomen illius ſuis nequicijs ac præceptis prætendit. Et hoc nomine deteſtabilior eſt eidolo Turcorum Maomete: qui quoniam manifeſtè aduerſarius eſt regno doctrinæ,ac fidei Chriſti, Antichriſtus uocari poteſt, interim alienus ab inſigni hac & ſingulari nequicia,qua ſub nomine Chriſti regnum, doctrina & fides Chriſti deſtruitur.Hæc igitur Occidentalis Antichriſti nota eſt,unde agnoſcatur. Rectè quidē fratres aliquot ad hoc operam ſuam diligenter impenderunt,ut ſcriptis ſuis comprobarent, quomodo Rom.pōtifex,& in quàm grauibus cauſis Chriſto Domino palàm aduerſetur: uerùm id habet commune cum pſeudopropheta Turcorum. At in eo etiam proprio ipſius & ſuorum teſtimonio ſingularis Antichriſtus eſſe conuincitur, quòd ſe uicarium Chriſti facit, & omnem ad ſe poteſtatem Chriſti transfert,eoque nomine Eccleſiam Chriſti dominatui ſuo ac libidini ſubijcit.&in ſtupendam hanc ἀποστασίαν ab obediētia Chriſti abducit,ouiculas uocem Chriſti paſtoris ſui audientes magis quàm ſuam,mactat. Quàm ſunt hæc igitur manifeſta,tam manifeſtum eſt Rom.pontificem ſingularem ac præciputum eſſe Antichriſtum.

Et effertur, inquit,*aduerſus omnem qui dicitur Deus aut numen, adeò ut in templo Dei ſedeat, oſtentans ſeipſum eſſe Deum.*] Quartam Antichriſti notam ponit,plenam Antichriſtianę impietatis, qua nō modò Chriſto aduerſatur,ſed & ſupra Deum,tanquam ἀντιθεὸς effertur. Græcè eſt,ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν: id eſt, Qui ſuperfertur ſupra omnem qui dicitur Deus. Eraſmus uocula ἐπὶ uertit, Aduerſus. Poterat reddere cum Vulgata uerſione, Supra. Deinde Vulgata Latina habet in neutro genere, Supra omne quod dicitur Deus. Pro τὸν λεγόμενον, legit interpres τὸ λεγόμενον. Et Germanicus interpres conſimiliter uertit: *Vber alles das Got genennet wuirt.*

1. Primum,uocat eum ὑπεραιρόμενον, qua uoce ſingularem illius ſuperbiam perſtringit, qua planè contrarius eſt Chriſto,qui ſemetipſum humiliauit,ſumpta forma ſerui cū eſſet in forma Dei,& factus eſt Deo patri ὑπήκοος uſque ad mortem,eamque crucis: ille uerò cum eſſet in forma ſerui,præ diabolica cordis ſui ſuperbia exaltauit ſemetipſum,factus non ὑπήκοος, ſed ὑπεραιρόμενος. Et interim ut ſpeciem humilitatis uerbotenus retineret, uocauit ſeipſe Seruū ſeruorum Dei,cum reipſa gerat ſe Dominum dominantium.

Deinde,addit non gradus ſuperbiæ illius,quibus paulatim ad ſupremum faſtigium aſcēdit,ſed ſemel prorſus ſatanicam illius impietatem exprimit,dicens: Aduerſus, uel ſupra omnem qui Deus dicitur,aut numen. Quemadmodū enim,ſiquis uſqueadeò in regno aliquo eleuetur,ut ſupra ipſum quoque regem extollatur, non habet reliquum ſuperiorem uerticē quem ſuperare poſsit:ita & hic accidit. Non habet Antichriſtus excelſius aliquod faſtigium, in quod exaltetur,poſteaquam ſupra Deum ipſum factus eſt ὑπεραιρόμενος.

Sunt tamen certi quidam Antichriſtianæ ſuperbiæ gradus.

1. Primus eſt Epiſcopalis honor.Hic fundabatur,ubi ex miniſtris & ſenioribus Eccleſiæ unus aliquis qui cæteris præeminentior & Epiſcopus eſſet,eligi cœperat,unde eſt Epiſcopalis faſtus,quem interea Eccleſiæ abundè ſatis ſunt expertæ,& unde nobis faſtuoſus hic Draco prodijt.

2. Secundus eſt Ambitio primatus,pro quo contenderunt principalium Eccleſiarum Epiſcopi,Rom. uidelicet, Conſtantinopol.Antiochenus,& Alexandrinus, non contenti titulo Epiſcopatus,niſi & Patriarchæ,poſtea & Vniuerſales epiſcopi uocarentur. Ambitio hæc tandem in Romano,tanquam Occidentali Antichriſto peruicit,ac ſupremas obtinuit. Notæ ſunt concertationum illorum hiſtoriæ.Sic factum eſt,ut ex paruo initio maximus ſuperbiæ huic cumulus acceſſerit,& ex mediocri ſerpente factus ſit grandis & immanis draco. Nam ut ſerpens non fit draco,niſi deuoret ſerpentes:ita & Rom. Epiſcopus non potuit fieri Antichriſtus,niſi ſubiectos ſibi haberet aliarum Eccleſiarum epiſcopos, & eſſet Vniuerſalis patriarcha, omniumque epiſcoporum epiſcopus.

3. Tertius Antichriſtianæ ſuperbiæ gradus eſt,Quòd ſe dominum & caput,& ſedem ſuā dominam & matrem omnium Chriſti Eccleſiarum conſtituit,non ut eas regeret ac uerbo ſalutis paſceret,ſed ut ad omnem ſibi libidinem,quæſtum ac dominatum ſubiectas haberet: id quod obtinere nequiuiſſet,niſi primum reliquorum epiſcoporum miniſterium,officium, curam,& poteſtatem eneruaſſet,ac ſuo dominatui ſubieciſſet.Hinc illud eſt Diſt.40. Si papa ſuæ & fraternæ ſalutis negligens, &c. Pontifex habet omnem plenitudinem poteſtatis ſolus,reliqui epiſcopi ſolicitudinis quiſque partem. Cum enim epiſcopi ac paſtores non modò ad ingraueſcentem Romani lupi rapacitatem conniuerent,ſed & illi ſeſe ſubijcerent: facillimum eſſe cœpit ut ipſum etiam ouium Chriſti gregem truculenta beſtia inuaderet, corriperet,uoraret.

4 Quartus eſt, Subiectio Imperatorum,regū & principum.Poterat inualeſcens Antichriſti ſuperbia & tyrannis,poſtquam Epiſcoporum fracta erat authoritas, Imperatorum,regū ac principum poteſtate humiliari,niſi illos quoq; calice ſcortationis ſuæ inebriaſſet, ac ſibi, idq; ad oſcula pedū uſq; ſubieciſſet, dominiūq; terreni pariter & cœleſtis imperij uindicaſſet.uide 22.Diſt.ca. Omnes. Vnde etiā hanc ſibi temeritatē ſumpſit,ut Imperatores deponeret,ac ſubditos illorum à fide & obedientia debita abſolueret. Teſtantur hoc quoq; hiſtorię.

5. Quinto,

5. Quintò. Quoniam reſtabat uniuerſalium conciliorum per Imperatoriam poteſtatem congregatorum authoritas, qua inſolentiæ Antichriſtianæ frenum imponi poterat, hoc quo que præſumpſit impoſtor, ut neget licere uocari concilium, niſi per Romanum pontificem tantum: deinde contendat, Cõcilium non eſſe ſupra Papam, ſed Papam ſupra Concilium. De utroque uide Diſt. 17. per totum. Item 97. cap. 1 & 2. Et 2. quæſt. 6. Ideo. Et ca. Significaſti. de Elect. ubi & gloſſam uide, etiam Diſt. 15. ca. Sicut ſancti. Sic ſibi pulchrè cauit, ne ulla authentica poteſtate impediri queat, quo minus perpetuum agat Antichriſtum. quò etiam pertinet, quòd aſſerit ſe nullis prorſus eſſe legibus, nullis q́ue quorumcunque iudicijs ſubiectum: à ſe uerò iudicandos eſſe omnes, eo quòd ſit ipſe lex animata in terris.

6. Sextò, non contentus hac ſuperbia, qua ſe dominum totius orbis conſtituit, etiam eouſquè effertur, ut Chriſto Domino eam poteſtatem abripiat, quam illle à Deo patre accepit, cuius meminit, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Vindicat enim ſibi omnem poteſtatem in cœlo, terra & inferis, & eam ob cauſam triplex diadema in uertice geſtat. Et ut immenſæ huic poteſtati aliquid prætexat, iactat Chriſti eſſe ſe uicariũ, quem ſic poteſtatis huius uſu ſpoliat, ut ocioſum planè conſtituat, ipſe uerò interea regnet.

7. Poſtremò, cum non reſtet excelſius aliquod faſtigium, quàm ipſius Dei, etiam ſupra illud ſeſe extulit. Hanc execrandam illius impietatem notat Apoſtolus, cum dicit: Et effertur ſupra omnem qui dicitur Deus, aut numen, adeò ut in templo Dei ſedeat, oſtentans ſeipſum eſſe Deum. Videtur reſpicere ad uaticinium Danielis cap. 11. in quo ſic legitur: Exaltabit ſe, & magnificabit ſupra omnem Deum, & contra Deum deorum loquetur mirabilia. Rei pſa fieri non poteſt, ut creatura ſeſe ſiue cœleſtis ſiue terrena ſupra creatorem extollat. Non ſublimitas potentiæ, ſed impijſsimus conatus hiſce loquutionibus exprimitur.

Supra omnem, inquit, *qui dicitur Deus, aut numen.*] Non eſt ocioſum quòd non ſimpliciter dicit, Supra Deum: ſed, Supra omnem. nec dicit, Deum: ſed, Qui dicitur Deus. Inueniasqui per errorem uero Deo non obediant, ſed reſiſtant, interim tamen Deum aliquem obſeruẽt, quem uerum Deum eſſe putant. Hi ignorantiæ quidem & erroris accuſari poſſunt: impietatis uerò eorum non ita, qui prorſus nullius Dei religione tenentur. Ex horũ numero eſt Antichriſtus. In corde ſuo dicit, Non eſt Deus. Et enim ſi reuera Deum aliquem eſſe crederet, ſupra omnem Deum efferri non poſſet. Et omnis illius uita, omnia ſtudia, & totus Antichriſtianus faſtus nihil aliud clamant, quàm non eſſe Deum.

Qui dicitur Deus, inquit.] Ne errorem multorum deorum confirmare uideatur, non dicit: Supra omnem Deum: ſed, Supra omnem qui dicitur Deus. Multi dicuntur dij, cùm tamen non ſit niſi unus uerus Deus. Senſus eſt, Eſto, non probetur illi uerus Deus, aliquem ſaltem obſeruaret ex illis qui dij uocantur. Eſſet uel ethnicus, ubi multi pro dijs coluntur: uel Iudæus, ubi unus tantum obſeruatur: uel Chriſtianus, ubi ille unus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti declaratur. Verùm quoniam filius eſt ſatanæ, omnem Deum in corde ſuo ridet, & interim loco Dei ſeſe uenditat.

Aliud eſt per impietatem dicere, Non eſt Deus, & aliud etiam efferre ſeſe ſupra omnem Deum. Quomodo igitur datur Antichriſto, quòd ſeſe ſupra omnem Deum extollat?

Reſpondeo: Diabolicum illud, Et eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum, poſsidet illius pectus. Aſpirat ad diuinitatem corde, ideoq́ue ridet omnem Deum, & in cultu Dei pro ſuo libitu dominatur. Et hinc eſt quòd Diſt. 96. ca. ſatis euidenter pro ſe citat illud Conſtantini, ad Epiſcopos contentioſos dictum: Vos eſtis nobis, dij à Deo dati: & conueniens non eſt, ut homo iudicet deos, &c. Lib. 1. Ruffini Eccleſ. hiſt. cap. 1. Hinc etiam eſt, quòd poteſtatem ſibi ſumit diſpenſandi contra uetus ac nouum Teſtamentum. De conceſs. præbend. Can. Propoſuit: Gloſ. in uerbo, Supra ius, id quod multis modis facit, dum alia pro arbitrio ſuo ſumit, alia reijcit & improbat, uſqueadeò ut & in Teſtamento Domini noſtri Ieſu Chriſti manifeſtiſsimam communicationis inſtitutionem infringat, & quod à Domino dictum eſt, Bibite ex hoc omnes: propria temeritate ſic irritum faciat, ut econtrario dicat: Nequaquam bibite ex eo omnes, ſed ſoli ſacrificatores. Et anno præterito, 17. Sept. ſynodus Tridentina Antichriſtianam hanc poteſtatem confirmans, de communione corporis & ſanguinis Dñi ſic ſtatuit: An ſi honeſtis & Chriſtianę charitati cõſentaneis rationib. cõcedẽdus alicui uel nationi uel regno calicis uſus uideatur, ſub aliquibus, conditionibus ſit concedendus, & quænam ſint illæ, in aliud tempus, oblata ſibi occaſione, examinandum atque definiendum reſeruauit: nunc eorum, pro quibus petitur, ſaluti optimè conſultum uolens, decernit (S. Synodus) integrum negocium ad S. D. N. eſſe referendum, prout preſenti decreto refert, qui pro ſuo ſingulari prudentia id efficiat, quod utile Reipubl. Chriſtianæ & ſalutare petentibus uſum calicis, fori iudicauerit. Hæc illi, ἄλλα διὰ παθῶν, diuerſi ab eo qui dixit: Accepi à Domino quod & tradidi uobis. Illi non ſunt Chriſto Domino, ſed Antichriſto congregati, ideoq́; non habent rationem quid Chriſtus inſtituerit, ſed quid Antichriſtus prohibeat uel permittat. Præterea omnium eſt manifeſtiſs. quòd preęcepta & traditiones ſuas Antichriſtus pluris faciat quàm præcepta Dei: ideoq́ue uenia negatur ei qui in Decretalia Papæ peccauerit, ea ue

rõ quæ

rò quæ contra præcepta Dei peccantur, ridentur, & leuiſsimè remittuntur. Vide Diſt. 19. S. Romanorum.

Aut numen, inquit.) Græcè eſt σέβασμα, quæ uox aliquando cultum, aliquando id quod colitur ſignificat, ſiue ſit ſtatua, ſiue idolum. Et reuera ita factum eſt. Beſtia hæc plus cultus conſequuta eſt, quàm ullum uſpiam σέβασμα, imò ne uerus quidem Deus.

Adeò ut in templo Dei ſedeat, inquit, *oſtentans ſeipſum eſſe Deum.*] Declarat exempli gratia, quàm nõ occultè ac diſsimulanter, ſed palàm in omnium oculis aduerſus Deum efferatur. Scio alios exponere de templo Hieroſolymitano, quod faciunt qui locum hunc intelligunt de futuro Antichriſto, è Iudæis, ut putant, proditurо: alios uerò de eo quòd Antichriſtus Romanus regnat in Eccleſia Dei. Per templum enim Dei, Eccleſiam: & per ſeſsionem, regnum intelligũt. Et reuera ſic habet. Regnat aduerſarius Dei in Eccleſia Dei, idq; nomine ac loco Dei. Verùm, meo iudicio, perſtringit Apoſtolus hiſce uerbis faſtuoſiſsimam illam pompam ac ſuperbiam, qua Antichriſtus non ut miniſter ac ſeruus Dei, templum Dei, ut ibi Domino ſeruiat, & Euangelium prædicet, ſecundum ipſius Chriſti exemplum, pedes ingreditur: ſed inſtar eidoli humeris Leuitarum, ac ſi Deus eſſet, magna præcedentium ac ſequentium purpuratorum caterua baiulatur, inq; templum Dei ſuſpiciendus & adorandus collocatur. De hac Antichriſti pompa quid dicam? Notior eſt, quàm ut multis ſit explicanda. Non erat ſatis regium faſtum imitari: talis placuit, qui diuinitatem quandam præferret, qualis eſt pompa eidolorum: quæ, ſicuti Baruch 6. legitur, primò humeris baiulorum portantur: deinde, per turbam antecedentium & ſequentium adorantur. tertiò, auro, argento, ſerico, purpura, lapidibus precioſis & coronis aureis ornantur: quartò, præſtantiori loco in templis collocantur, non ut ibi aliquid agant, ſed ut ſuſpiciantur & adorentur. Eiuſmodi eidolum Sátan, è pontifice Romano fecit. Et hic faſtus alios quoque epiſcopos tentauit. ſicuti uidere eſt in concilio Baccarenſi tertio, capite quinto, ubi ſic legitur: Quorundam Epiſcoporum deteſtanda præſumptio noſtro ſe cœtui intulit dirimenda. Agnouimus quoſdam de epiſcopis, quod in ſolennitatibus martyrum ad Eccleſiam progreſſuri, reliquias collo ſuo imponant, ut maioris faſtus gloria apud homines intumeſcant: & quaſi ipſi ſint reliquiarum archa, Leuitę albas induti, in ſellulis eos deportent. Quæ deteſtanda præſumptio abrogari per omnia debet, ne ſub ſanctitatis ſpecie ſimulata uanitas prævaleat, &c.

Oſtentans, inquit, *ſeipſum eſſe Deum.*] Græcè eſt, ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν, ὅτι ἐστὶ θεός: id eſt, Oſtentans ſeipſum quòd ſit Deus. Quod dixit, Adeò ut in templo Dei ſedeat: exponit, ad quid, uel, ſi magis, quomodo hoc faciat. Et enim ſimpliciter in templo Dei ſedere, per ſe non eſt culpabile. Sedet in templo Dei miniſter uerbi, cui commiſſa eſt cathedra doctrinæ Euangelicæ. Sedet item auditor, ad audiendum. Verùm Antichriſtus ſedet in templo Dei neq; ut doctor, neque ut auditor, ſed ut eidolum, oſtentans ſeipſum. De quodam pontifice ſcribit Platina, quòd peregrinis ſeſe uiſendum præbere noluerit, niſi in pompa templaria, qua oſtentandi gratia cultu ſupramundano & eidololatrico proferebatur.

Deinde, ne de pompa regali loqui uideatur, addit, ὅτι ἐστὶ θεός, id eſt, quòd ſit Deus. Meo iudicio, dicere uoluit, Quaſi ſit Deus. Et uulgata latina editio habet, Tanquam ſit Deus. Scit Antichriſtus, naturà ſe hominem eſſe, non Deum. Edit, bibit, dormit, laſſatur, ſeneſcit, contriſtatur, ægrotat, moritur, ſepelitur. Verum ſerió cenſet ſe, licet natura ſit homo, officio tamen eſſe loco Dei, ideoq; habendum ab omnibus pro Deo. Et hinc eſt, quòd in proœmio Clementinarum, in uerbo Papa, pontifex Rom. quòd nec homo ſit, nec deus, ſed ſtupor mundi, prædicatur. Cum dicunt, quòd non ſit homo, non negant naturam, ſed non ut hominem inſpiciendum eſſe ſignificant. Cum addunt, quòd non ſit deus, reſpiciunt ad naturam, qua homo eſt. Hinc rectè inferunt, quòd ſit ſtupor mundi. Et hoc quæſiuit Antichriſtus, ut licet naturà ſit homo, exiſtimatione tamen imperitæ multitudinis, imò etiam primatum, loco Dei habeatur. Huic propoſito ſeſe accommodans, oſtentat ſeſe in templo Dei, in forma eidoli, quaſi ſit Deus, quo ſpectatores omnes in admirationem ac ſtuporem inducat.

Hæ ſunt itaq; quatuor Antichriſti notæ, ab Apoſtolo propterea poſitæ, ut illarum iudicio Antichriſtianiſmum cognoſcamus, ne per diabolicam illius impoſturam, hypocriſim, grandiloquẽtiam, & mendacia ſigna decipiamur. Et hæ in omnibus iam Romanis pontificibus deprehenduntur, etiam in illis qui minus uidentur eſſe ſcelerati. Qualis qualis enim quiſq; ſit, quod uitæ conuerſationem attinet, omnes tamen partes ſuas implent in Antichriſtianiſmo, ne quid omittant eorum quæ ad uerum papatum, primatum ac uicariatum requiruntur. Nemo illorum papatui ſatisfacere poteſt, niſi ſit uir peccati, filius perditionis, elatus, & ſupra omne quod dicitur Deus ac numen efferatur, ita ut ſedeat in templo Dei, oſtentans ſeipſum quaſi ſit deus. Quòd ſi quiſquam illorum, per impoſsibile, omni Papali pompa, faſtu, ſplendore, potentatu, primatu ac regno relicto, Seruatoris noſtri & Apoſtolorum ipſius ueſtigijs humiliter ingrediens, Euangelium Dei prædicaret, tam non poſſet haberi pro Papa, ut magis in præeminentiam ac dignitatẽ Romanæ ſedis inſigniter peccare cenſeretur. In ſumma,

ſic eſt comparata Romana ſedes, ut niſi Antichriſtum habeat, uerum Papam habere non poſ ſit. Verùm redeamus ad Apoſtolum.

An' non meminiſtis, inquit, *quòd cum adhuc eſſem apud uos, hæc dixerim uobis?*] Ergo mox initio cum primùm prædicaret Euangelium, de futura apoſtaſia & nequitia Antichriſti, illiusq; reuelatione, præmonuit eos qui Euangelio Chriſti credere cœperant: uoluitq;, ut præmonitionis huius memores, aduerſus myſterium iniquitatis ad retinendam eſſent fidei conſtantiâ communiti. Dubio procul autem non ſolis Theſſalonicenſibus iſta, ſed & cæteris Eccleſijs prædixit. Quin & in utriſq; quas ad Timotheum ſcripſit epiſtolis, de futura hac defectione præmonuit, utpote 1. Timoth. 4. mox initio, & in poſteriore cap. 3. non ut Timotheus iſta præſciret tantum, ſed & ut cęteros omnes præmoneret: uerùm quid Apoſtolica diligentia profecerit, poſteriora tempora declarant, in quibus quæ futura prædixerat, impleri cœperũt, nec quieuerunt donec ad ſummum uſq; nequitiæ faſtigium excreuerunt. Sciebat hoc futurum Apoſtolus: & tamen nõ cogitauit operam ſe nauare prorſus inanem, ſed pro officio Apoſtolatus ſui perrexit quoſuis præmonendo, quo ſaltem aliquos ſeruaret. Deniq;, quicquid tum temporis profecerit, certè poſtremis hiſce temporibus admodum proſunt nobis, quæ de hiſce rebus per illum Spiritus S. prędmonere uoluit. Plurimum enim faciunt ad reuelationem Antichriſti. Et huc poterant etiam maioribus noſtris ſeruire, niſi falſis fuiſſent expoſitionibus obſcurata.

Et nunc quid detineat ſcitis, inquit, *nempe ut reueletur ille in ſuo tempore.*] Poterant cogitare, Prædixiſti quidem iſta, uerùm nihil dum eorum accidit. Ei cogitationi occurrit dicens: Et nunc quid detineat ſcitis, nempe ut reueletur ille in ſuo tempore. Non ſimpliciter dicit, Reuelabitur ſuo tempore: ſed, Et nunc quid detineat ſcitis, ad hoc ut reueletur ſuo tempore. Etiam hac de re illos inſtruxerat, quòd uidelicet detineretur impedimento quodam, ne poſſet emergere ad id uſq; temporis quo erat reuelandus.

Sunt autem hic duo quærenda. Vnum, quod'nam fuerit illud impedimentum: alterum, quare hoc in hiſce literis exprimere noluerit. De priori, neſcio an certi quicquam reſponderi poſsit, quandoquidem nihil de eo eſt ab Apoſtolo literis expreſſè traditum. Vnde & Auguſtinus prorſus ſe, quid dixerit, ignorare fatetur. Sciebant hoc quidem Theſſalonicenſes, uerùm nec per illos literis ad poſteros tranſmiſſum eſſe legitur. Bene tamen habet, quòd tam neceſſarium nobis, quàm illis erat, non eſt, ut quale fuerit illud impedimentum ſciamus: quandoquidem ipſe nobis homo peccati & filius perditionis iam ſuo tempore, abundè maturo, planè detectus eſt. Itaq; nihil hic aliud præſtare poſſumus, quàm ea proferre in medium, quæ uero ſimilia uiſa ſunt partim ueteribus, partim recentioribus: & lectoris iudicio permittere, quid'nam probabilius dici cenſeat.

Principiò fuerunt qui manifeſta illa Spirituſſancti chariſmata, quæ miraculoſis operationibus in Eccleſijs Chriſti fiebant, impedimento fuiſſe ſentiant, quo minus ſpiritus ille nequam, qui clanculum radices agere cœperat, uires acquirere, & in lucem emergere poſſet: atq; hoc intellexiſſe Apoſtolum, cum ſcriberet: Et nunc quid detineat ſcitis, ad hoc, ut reueletur ille ſuo tempore. Verùm hanc ſententiam improbat Chryſoſtomus, exiſtimans haud fuiſſe rationem aliquam Apoſtolo, propter quam hoc non exprimeret, ſiquidem de illo intellexiſſet. Interea tamen fatendum eſt, multo fuiſſe difficilius ſpiritui nequam, ut uires ſumeret durãtibus adhuc in Eccleſia Chriſti miraculoſis Spiritus S. operationibus, quàm poſtea, ubi illæ ceſſarunt.

Deinde citat Auguſtinus eorum ſententiã, qui uerba hæc Apoſtoli de malis ac fictis Chriſtianis dicta eſſe exiſtimant, quorum tanta nondum fuerit in Eccleſia multitudo, ut apoſtaſia ſua ac diſceſſu ab Eccleſia uires adderent Antichriſto: atq; ita factum ſit, ut malicia illius adhuc detineretur, donec per falſorum Chriſtianorum defectionem inualeſcere inciperet. Hęc ſententia conuenit cum eo quod dixit, Niſi uenerit defectio prius: ac tum ſubiecit, Et reuelatus fuerit homo peccati, &c.

Tertiò, ſunt qui impedimentum hoc ad id referant, quòd nondum eſſet impleta uocatio gentium, qua toti orbi proponenda erat Euangelij Dei lux & ueritas, priuſquã defectio hæc ad Antichriſtum inciperet. Quare robur ille acquirere non potuit, donec nondum erant omnes gentes ad Chriſtum uocatæ. Erat enim regnum illius ex falſis Chriſtianis conflandum, quos undequaq; ad ſe pellecturus erat.

Quartò, reliqui intelligunt de Romano Imperio, inter quos ſunt Chryſoſt. Ambroſ. Auguſtin. Theophylactus, & recentiorum nonnulli. Chryſoſtom. ſic dicit: Alij intelligunt de Romano Imperio, quibus ego potiſsimùm aſtipulor. Et paulo pòſt: Tantùm qui tenet in præſentia, donec è medio fiat, hoc eſt: Quando è medio ſublatum fuerit Romanum Imperium, tunc ueniet ille. Et non abs re. Donec enim imperij illius timor fuerit, nemo Antichriſto ſtatim ſubdetur: quando uerò imperium hoc deſtructum fuerit, tunc uacantem Imperij principatũ inuadet, & tentabit ad ſe rapere & hominum & Dei imperium. Quemadmodum enim regna illa deſtructa ſunt, quæ ante Romanum imperium fuerunt, utpote regnum Medorum à Babylonijs,

bylonijs, Babyloniorum à Perſis, Perſarum à Macedonibus, Macedonum à Romanis: ita & regnum Romanorum ab Antichriſto, & ille à Chriſto, & poſtea nō amplius obtinebit. Et iſta nobis Daniel magna cum claritate tradit. Hæc ille.

Quod me attinet, quamuis nolim temerè de aliorum fratrum, ſecus exponentium, ſententia iudicare, magis tamen in eam inclino, quam quarto iam loco poſuimus: propterea quòd illa pulchrè cum reipſa, de qua loquitur Apoſtolus, & admodum pertinēter cum uaticinio Danielis, quæ habetur circa calcem capitis ſeptimi, conuenit. Romanum Imperium obſtabat, ne regnum Antichriſti emergere poſſet. Neq; enim iniquus ille regnum Chriſti, quod de hoc mundo non eſt, ſed regnum mundanum quærebat, quod Romano imperio erat intolerabile, tanquam illi prorſus aduerſarium: id quod ipſa nos docet experiētia. Quare quàm diu Romanum imperium uigebat, Antichriſtiana iniquitas robur acquirere nequibat. Et hoc quoq; diſcriminis eſt inter regnum Chriſti, & regnum Antichriſti. Regnum Chriſti non potuit impediri per Romanum imperium, quo minus per totum orbem propagaretur. Præterquam enim, quòd haudquaquam illi aduerſaretur (neq; enim arripit mortalia qui regna dat cœleſtia) ſimul etiam ſic eſt comparatum natura, & communitum uirtute ſua, ut nulla aduerſaria, ne Romana, imò ne infernali quidem potentia cohiberi potuerit, quo minus emergeret, & impleretur illud Pſal. 2. Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuā, terminos terræ: & illud, Dominare in medio inimicorum tuorum, Pſal. 110. Eſt enim natura ſua non terrenum, ſed ſpirituale & cœleſte: & uirtute non humana, ſed diuina prorſus inuictum. Antichriſti uerò regnum quoniam mundanum eſt, aduerſaturum erat Romano imperio: pro infirmitate uerò ſua criſtas erigere non potuit, donec illud dominabatur in mundo. Beſtia hæc non erat ſibi ſedem in Perſia uel India quæſitura, ſed in ipſa regia Romani imperij ſede, Romę uidelicet: & erat ſibi non codicem S. ſcripturarum, ſed coronam, gladium & ſceptrum regni Romani uindicatura. Quis autem Romanus imperator talem æmulum Romæ tuliſſet? Cuius tamen pedibus poſteri Imperatores in hunc uſq; diem ſubijciuntur, unà cum cæteris omnibus, qui calicem faſcinationis & ebrietatis illius guſtarunt.

Quare autem non expreſſerit Apoſtolus, de quō nam impedimento dixerit Theſſalonicenſibus, cum apud eos eſſet, puto uerosimilem eſſe rationem, quam aſsignat Chryſoſtomus, dicens: Quoniam uerò de Romano imperio iſtud dixit, meritò ænigmaticè & obſcurè loquutus eſt. Neq; enim uolebat ſuperfluas inimicitias, & inutilia pericula ſubire. Si nanque dixiſſet, Quoniam adhuc modicum, & deſtruetur Romanum imperium: confeſtim ipſum defodiſſent, ueluti corruptorem, & credentes omnes, quaſi in hoc uiuentes ac decertantes. Hæc ille. Ergo prudentia illa, qua non temerè locum damus periculis non neceſſarijs, nō eſt ne ab ipſis quidem Apoſtolis aliena. Imò commendata nobis eſt ab ipſo Chriſto, dicente: Eſtote prudentes ſicuti ſerpentes, &c. Matth. 10. Quoniam timendum erat, ne literæ quas fidelibus ſcribebat, in manus incredulorum aliquando inciderent, cautè ac prudenter nō expreſsit ea quæ maximum poterant fidelibus Chriſti excitare periculum, præſertim cum id Theſſalonicenſes fratres aliàs haud ignorarent.

Nempe, ut ille reueletur ſuo tempore, inquit.] Nempe, non eſt in Græco, ubi ſic habetur: *εἰς τὸ ἀποκα λυφθῆναι αὐτὸν ἐν τῷ ἑαυτοῦ καιρῷ*, id eſt: Ad hoc, ut reueletur ille ſuo tempore. Si legas cum Eraſmo, Et nunc quid detineat ſcitis, nempe ut ille reueletur ſuo tempore: uidetur hæc lectio expoſitionem habere, quid nam ſit illud *τὸ κατέχον*, id eſt, quid tum temporis detinuerit Antichriſtū, ne mox reuelaretur: id uidelicet, quòd nō erat reuelandus niſi ſuo tempore. Verum quidem & hoc eſt: at ipſe textus Grecus non fauet huic expoſitioni. Quare legendū eſt: Et nunc quid detineat ſcitis, ad hoc ut ille ſuo tempore reueletur.

Nam myſterium, inquit, *nunc agit iniquitatis, tantum qui tenet in præſentia teneat, donec è medio tollatur, & tunc patefiet iniquus ille*, &c.] Quoniam iniquum illum detineri dixit, ut ſuo tempore reueletur, ne ad futurum duntaxat proſpicientes, ſecurè & incautè agerent, ideoq; opinione citius ſeducerentur: particulam hanc adiecit, dicens: Nam myſterium iniquitatis nunc agit: uel, ſi mauis in paſsiuo, Nunc agitur. Eſt enim Græcè *ἐνεργεῖται*, quod uel actiuè uel paſsiuè legi poteſt. Significat iniquitatem illam Antichriſti ne tum quidem fuiſſe ocioſam, ſed agere cœpiſſe, etſi non palàm, attamen occultè. Idcirco, quod tum gerebatur, myſterium uocat iniquitatis. Myſterium eſt, quando aliud foris prætexitur, & aliud intus in corde latet & agitur.

Si uerbum *ἐνεργεῖται* ſenſu actiuo accipias, uidetur referendum eſſe ad ipſum Antichriſtum, qui iam tum myſterium iniquitatis ſuæ operari cœperit. Id autem non uideo, quomodo ad unum aliquem referre poſsit, qui ſtatim Apoſtolorum temporibus in uiuis fuerit, & demum per Chriſti ſit aduentum interiturus. Si uerò ſenſu paſsiuo accipias, referendum erit ad myſterium iniquitatis, quòd illud tum agi cœperit. Vterq; autem ſenſus innuit, fuiſſe tum quoſdam Antichriſti præcurſores, in quibus & per quos ſatan Antichriſtianæ iniquitatis fundamenta iecerit. Hi non fuerunt alij quàm pſeudapoſtoli, qui ſynceritatem Euangelij Dei in Eccleſijs Chriſti fermento iniquitatis ſuæ uitiabant, cum quibus Apoſtolo indeſinens certamen

Rom.ult. tamen erat. Meminit horum Rom. ult. dicens: Obsecro autem uos fratres, ut considere-
tis eos, qui dissidia & offendicula contra doctrinam quam uos didicistis gignunt, & declinetis
ab illis. Nam qui eiusmodi sunt, Domino Iesu Christo nō seruiunt, sed suo uentri, & per blan-
1.Cor.4. diloquentiam & assentationem decipiunt corda simplicium. Et 1. Cor. 4. perstringit eosdem,
cum dicit: Etiamsi innumeros habeatis pædagogos in Christo, non multos tamen habetis
2.Cor.11. patres. Et 2. Corinth. 11. Nam si is qui uenit, alium Iesum prædicat, quem non prædicauimus,
aut si spiritum alium accipitis quem non accepistis, aut Euangelium aliud quod non accepi-
stis, rectè sustinuissetis, &c. Et ibidem. Siquidem eiusmodi pseudapostoli operarij dolosi
sunt, sumpta persona Apostolorum Christi: idq; haud mirum, quandoquidem ipse satanas
transfiguratur in angelum lucis. Non magnum est igitur, si & ministri illius personam in se
transferunt, quasi sint ministri iusticiæ, quorum finis erit iuxta opera eorum, & quæ sequun-
Gal.1.2.5. tur. Et Gal. 1. Nisi quòd quidam sunt, inquit, qui turbant uos, & uolunt inuertere Euangeliū
6. Christi. Et cap. 2. Sed neq; Titus, qui mecum erat, cum esset Græcus, compulsus fuit circum-
cidi, propter obiter ingressos falsos fratres, qui subintroierunt ad explorandum libertatem
nostram, quam habemus in Christo Iesu, quo nos in seruitutem adigerent. Et cap. 5. Vtinam
& abscindantur qui uos labefactant. Et cap. 6. Quicunq; uolunt iuxta faciem placere in car-
ne, ij cogunt uos circumcidi, tantum ne ob crucem Christi persequutionem patiantur. Et
Ephes.4. Ephes. 4. Vt non amplius simus pueri, inquit, qui fluctuemus & circumferamur quouis uen-
to doctrinæ, per uersutiam hominum, per astutiam qua nos adoriuntur, ut imponant nobis.
Philip.3. Et Philip. 3. Cauete canes, cauete malos operarios, cauete concisionem. Et: Nam complures
ambulant, de quibus sæpe dixi uobis: nunc autem & flens dico, inimici crucis Christi, quo-
rum finis perditio est, quorum deus uenter, & gloria in dedecore ipsorum, qui terrestria cu-
Coloss.2. rant, &c. Et Coloss. 2. multis eos perstringit, quemadmodum & in utrisq; Epistolis ad Timo-
theum. In hisce uidelicet pseudapostolis operabatur satan iam tum Antichristianæ iniquita
tis mysterium. unde & Ioannes in canonica sua dicit: Filioli, nouissimum tempus est, & sicut
audistis, quòd Antichristus uenturus sit, etiam nunc Antichristi multi cœperunt esse. Vnde
scimus nouissimum tempus esse. E' nobis egressi sunt, sed non erāt ex nobis. Nam si fuissent
ex nobis, permansissent utiq; nobiscū. De his Apostolus dixit: Ego enim noui hoc, quòd in-
gressuri sint post discessum meum lupi graues in uos, non parcentes gregi. Et ex uobis ipsis
Act.20. exorientur uiri, loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se, Actorum 20.

Quomodo autem iam tum in illis mysterium iniquitatis agi cœperit, ex ijs quæ supradi-
ctis locis ab Apostolo commemorantur, satis patet. Iniquitas erat, quòd peruersa loquentes,
& Euangelium inuertere uolentes, dissidia contra doctrinam sanam excitabant, quòd cum
nec missi nec uocati essent, subingrediebantur Ecclesias, quòd libertati quæ est in Christo,
insidiabantur, & Ecclesias in seruitutem redigere moliebantur, quòd inimici crant crucis
Christi, quòd terrena sapiebant, canes insatiabiles erant: uentri suo, non Christo seruiebant,
quòd discipulos post se trahebant, quòd lupi graues, & gregi non parcentes erant, quòd uer
sutia & astutia ad decipiendum instructi, nemini non imponere conabantur. Hæc autem il-
lorum iniquitas prætextu nominis Christi obtegebatur, per id quod personam sibi Apostō-
lorum sumebant, Petriq; & Iacobi authoritatem prætexebāt. Hi Antichristi præcursores Ro
manam postea sedem occuparunt, ibiq; potissimùm futuri regni fundamenta iecerunt, ac
mysterium iniquitatis operati sunt. Chrysostomus & Ambrosius mysterium hoc Antichri-
stianæ iniquitatis referunt ad maliciam & persequutionem Neronis. Verùm illa non agebā
tur occultè, sed palàm, & ex professo: deinde, non loquitur Apostolus de ijs qui alieni erant à
fide Christi, qualis fuit Nero: sed de pseudapostolis, nomen Christi cōtra fidem Christi præ
texentibus. Neronem nemo prohibebat, quo minus palàm iniquè contra Christianos age-
ret. Erat enim maliciæ illius liberrimus & effrenis impetus, ἀκωλύτους ὁρμὰς. Illi uerò, quoniā
uersutia & astutia, non autem potentia ualebant, iniquitatem suam Antichristianis artibus
occultè exercebant, seq; in futuras occasiones, per quas emergerent, præparabant. Sic quæ
moliebantur, mysterium erant, id est, adumbratum indicium futuræ iniquitatis. Vt exempli
gratia: Apud Corinthios usq; adeò sese insinuauerant, mentes q; illorum dementauerant, ut
quamuis eos in seruitutem redigerent, exederent, acciperent, sese extollerent, & in faciem
eos cæderent: nihilo tamen minus tolerarentur ac magni fierent. qua de re uide in Commen
tarijs nostris super posteriorem Epistolam ad Corinth. cap. 11. Quid hoc erat aliud quàm fu-
turæ Antichristianæ dominationis, uoracitatis, auariciæ, superbiæ ac contumeliæ, quæ iam
tum parturiebatur mysterium? Prouerbio dicimus: Vrit maturè quod uult urtica manere.
Hanc futuri mali parturitionem intelligebat Apostolus, & quosuis ut intelligerent, obseruā-
rent, cauerentq; admonebat.

Tantum qui tenet, in præsentia teneat, donec è medio tollatur.] Græcè sic: μόνον ὁ κατέχων, ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γέν
ηται: id est, Tantum qui detinet, iam donec è medio fiat. Erasmus existimat desiderari uerbum
κατεχέτω, id est detineat, ut legatur adhunc modum: Tantum qui detinet nunc, detineat do-
nec è medio tollatur. Mihi uidetur hęc particula incommodam habere uocum dispositionē,

quæ

quæ tolli posit, si sic ordinetur lectio: μόνον ἕως ὁ ἄρτι κατέχων ἐκ μέσου γένηται: id est, Tantum donec qui nunc detinet, è medio fiat. Vel sic, μόνον ἕως ἄρτι κατέχων ἐκ μέσου γένηται: id est, Tantum qui usq; nunc detinet, è medio fiat. ut sit sensus: Mysterium hoc iniquitatis tandiu duntaxat agetur, donec è medio fiat: quo nunc detinetur, impedimentum: quo sublato, reuelabitur iniquus ille, &c.

Quoniam autē in masculino genere legitur ὁ κατέχων, id est qui detinet: non immeritò quæsierit quisquam, quid sibi uelit, quòd cum suprà in neutro dixerit, τὸ κατέχον, id est, Quod detinet: hic in masculino dicat, ὁ κατέχων: an de alio illic, & hic rursus de alio sit intelligendum, & quis nam ille κατέχων fuerit. De Romano quippe imperio accipiendum esse annotauimus, quod suprà in neutro dixit τὸ κατέχον. Meo iudicio, nullo modo de alio hic quàm de quo suprà dixit, impedimento loquitur. Vtrobiq; Romanum imperium intelligit. Potuit enim per errorem fieri, ut pro τὸ κατέχον, poneretur hic, ὁ κατέχων. Vel certè, si omnino rectè legitur ὁ κατέχων, non est de certa aliqua persona: sed de quouis Romano imperatore, iustum imperium potenter administrante, intelligendum. Sic enim comparati sunt αὐτοκράτορες, ut non sinant aduersariam contra se emergere potestatem. Quare donec Imperator fuit Romana potentia præditus, Antichristi regnum emergere non potuit.

Sunt qui uulgatam Latinam uersionem sequētes, quæ sic habet, Tantum ut qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat: exponāt ad hunc modum, Restat hoc tantum, ut qui catholicam fidem tenet, teneat eam firmiter in persequutione Neronis & aliorum tyrannorum sequentium, donec illa deficiat. Et hanc sententiam Tigurina uersio sequitur. Sic enim habet: *Allein balte ein ieder stif an, biß er hingenomen werde.* Verùm probabile non est, uerbum κατέχειν, quod bis ponitur in hac causa, alio atq; alio sensu poni. Quare non erat suprà pro detinere, hic uerò pro tenere accipiendum. Nec erat addendum, Teneat, quod in textu non habetur: neque illud, Donec de medio fiat, huic sententiæ conuenire poterit.

Donec è medio tollatur, inquit.] Sine magno discrimine non potuisset rem ipsam, de qua loquitur, exprimere, quòd Romanum uidelicet imperium tollendum esset è medio. Et tamen sic erat in fatis, ut suo tempore cessaret, quemadmodum & præcedentes monarchiæ fines suos sortitæ fuerant. Quod autem cessarit sic, ut nihil de illo nisi solum nomen supersit, res ipsa monstrat. Quomodo uerò cessarit, docent historiæ, ad quas lectorem mittimus. Contraxerunt illas in compendium Tigurini fratres, in Domino dilecti, Bullingerus in Commentarijs suis super Apocalypsim, & Gualtherus in concionibus suis de Antichristo. De interitu autem Romani imperij, Lactantius tempore Constantini Magni ad hunc modum libro 7 de Vita beata cap. 15 prædixit: Tunc peragrabit gladius orbem, metens omnia, & tanquam messem cuncta prosternens. cuius uastitatis & confusionis hæc erit causa, quòd Romanum nomen quo nunc regitur orbis (horret animus dicere: sed dicam, quia futurum est) tolletur de terra, & imperium in Asiam reuertetur, ac rursus Oriens dominabitur, atque Occidens seruiet. Nec mirum cuiquam debet uideri, si regnum tanta mole fundatum, ac tandiu per tot ac tales uiros auctum, tantis deniq; opibus confirmatum, aliquando tamen corruet, &c. Quousque autem progressus sit hic gladius, & quàm modica Christiani orbis portio supersit, nō est ut admoneamus, cum sit nimis alioqui notum.

Et tunc patefiet iniquus ille.] Quemadmodum defectio Romani Imperij non mox est, ubi cœpit, consummationem consequuta, sed longo tractu ad finem suum prolabitur: ita & Antichristi patefactio haud statim perficitur, etiamsi Romanum imperium iam olim ruere cœpit. Multorum annorum decursu creuit Romanum Imperium, & decrementa illius haud paucioribus absoluuntur. Consimiliter & Antichristianæ iniquitatis mysterium maliciam suam multis annis operatum est, donec tandem in lucem emergere cœpit: id quod & ipsum haud uno est impetu perfectum, sed paulatim magis atq; magis emersit, donec nostra hac ætate sic patefactum est, ut obtegi amplius nequeat, quantumuis reges & principes lucem reuelationis illius omnibus uiribus & artibus extinguere conantur. Hæc duo omnibus modis secundum iusti iudicij Dei dispositionem tam sunt manifesta, ut sine impudentia negari non possint: Romani uidelicet Imperij defectio, & Antichristi reuelatio.

Et tunc patefiet iniquus ille, inquit.] Græcè est, ὁ ἄνομος. Omnium autem pertinentissimè uocat Antichristum, τὸν ἄνομον. Sonat enim ἄνομος proprie, eum qui sine lege uiuit. Sic utitur hac uoce Apostolus 1. Cor. 9. τοῖς ἀνόμοις, inquit, ὡς ἄνομος, μὴ ὢν ἄνομος: id est, Iis qui sine lege sunt, quasi existens sine lege, cum non sim sine lege. Antichristus omnibus modis ἄνομος est, quia nullis legibus uult esse subiectus, nec diuinis nec Imperialibus: cum tamen interim animatam se legem in terris esse iactet, & omnia secundum scrinium pectoris sui faciat, liberaq; tyrannide dominetur in Ecclesijs, sic ut competat illi tyrannicum illud: Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas. Sic regnum Antichristi reuera regnum est ἐν ἀνομίαις, temerariæ, præfractæ, uiolentæ, & tyrannicæ iniquitatis, quæ nullis legibus Dei, nullis Imperatorum constitutionibus, nulla conciliorum: authoritate in summa, nulla prorsus ratione coerceri potest.

Quem Dominus conficiet ſpiritu oris ſui, inquit, *& abolebit claritate aduentus ſui.*] Vulgata latina habet. Quem Dominus Ieſus, quemadmodum & Ambroſius & Chryſoſtomus. Illud, Conficiet, in Græco eſt ἀναλώσει, id eſt conſumet. Vulgata latina habet, Interficiet. Et abolebit: in Græco eſt καταργήσει, id eſt ceſſare faciet, irritum & inanem reddet.

Particula hæc de abolitione Antichriſti aliter atq; aliter exponitur. Sunt qui per ſpiritum oris Chriſti, mandatum illius intelligant, quo iuſſurus ſit archangelo Michaeli, ut Antichriſtum fulmine percutiat. Rurſus ſunt qui exponant de eo quod dicturus eſt in extremo iudicio Dominus: Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Et: Ite maledicti in ignem æternum. Eorum uerò mihi ſententia magis placet, qui intelligunt de uerbo Euangelij, per quod regnum Antichriſti detegitur & conſumitur. Apparet enim, reſpicere Apoſtolũ ad uaticinium Ieshaiæ cap. 11. ubi inter cætera Chriſto tribuitur, quòd percuſſurus ſit terram uirga oris, & ſpiritu labiorum ſuorum occiſurus impium. de quibus uerbis, uide Commẽtarios noſtros in Ieshaiam. Quemadmodum illic per uirgam oris Chriſti, & ſpiritum labiorũ illius: ita hic per ſpiritum oris illius, ſceptrum ac uerbum Euangelij ipſius innuitur. Per Euangelij Chriſti ſpiritum, id eſt uirtutem, iam noſtris temporibus regnum Antichriſti conſumi cœpit. ad quam rem plurimum facit iniquitatis illius patefactio, non modò quæ fit iam per lucem Euangelicæ prædicationis: ſed & quæ olim per manifeſtam tyrannidem, iniquitatem, ſuperbiam, ac Simoniam fieri cœpit, quibus ipſe ſe filius perditionis prodidit, ac cognoſcendum præbuit.

Obſerua uerò, quòd non dicit, Quem Dominus conuertet & immutabit: ſed, Quem conſumet ſpiritu oris ſui. Quantumuis igitur immenſa ſit uis ſpiritus Chriſti in uerbo, luce ac ueritate Euangelij illius: expectandum tamen ſperandumq; non eſt, ut iniquus ille cum ſuis ſatrapis ad cognitionem ueritatis conuertatur: quandoquidem in fatis illius eſt, ut patefactus conſumatur. Admodum igitur deſipiunt, qui neſcio quam reformationem Romanæ ſedis ordinisq; Eccleſiaſtici per generale Concilium inſtitui poſſe ſperant. Etenim licet tale quid de concilio Tridentino polliceantur nonnulli, reipſa tamen nihil in illo parturitur aliud, quàm ut regni Antichriſtiani ruinæ reſtaurentur: & qui à ſede Romana defecerunt, tyrannidi illius denuò uel authoritate conciliabuli huius ſeducti, uel bello coacti ſubijciãtur. Verùm etiamſi Acheronta mouerint, fieri nunquam poterit, ut beſtiæ huius uulnera curent: quę ut cœpit, ita quotidie magis atq; magis ſpiritu oris Domini cõſumitur, idq; omniũ iuſtiſſimè: quo quemadmodum ipſa oris ſui ſpiritu ſanctos Dei conſumpſit, & ne hodie quidem cõſumere ceſſat, ita uicißim conſumatur à ſpiritu oris Domini, & retributionem accipiat, quæ Apocalyp. 18. prædicta eſt.

Et abolebit claritate aduentus ſui, inquit.] Perinde atq; ſol exoriens, mox claritate ſua noctis tenebras abolet: ita & aduentus Domini ſplendore apparitionis ſuæ regnum Antichriſti exterminabit, & prorſus abolebit. Tum uidelicet apoſtoli ſatanæ, qui pro angelis lucis & apoſtolis Chriſti haberi uolunt, cum principe tenebrarum, cui ſeruiunt, æterno igni adiudicati pœnas dabunt.

Ergo regnum Antichriſti quantumuis ſpiritu oris Chriſti paulatim confundatur & conſumatur, haud tamen prorſus abolebitur, donec Dominus ipſe aduenerit, & præſentiæ ſuæ claritate finem illi impoſuerit: tum uidelicet manifeſta erunt illius omnia, quæ iam Papiſtæ cognoſcere nolunt, quia ſpiritu oris Domini non mouentur, quo iniquitas illius detegitur: imò hunc blaſphemant, & extinguere moliuntur. Tum uidebunt, quo loco ſint apud Chriſtũ Romani pontifices, cum ſuis Epiſcopis: qualis ſit Romana ſedes, Apoſtolica ne uel apoſtatica: & cuius uicarius ſit Papa, Chriſti ne uel ſatanæ. Hæc inquam tum patefient per immenſam aduentus Chriſti claritatem, quando & reliqua omnia manifeſtabuntur, & iudicabuntur. Interea pergunt abſq; pudore, & damnant ſpiritum oris Domini. Induerunt enim frontem meretriciam, & erubeſcere neſciunt. Draco ille quo magis deprehenditur & manifeſtatur, hoc magis furit, & furoris ſui ignem expuit, maledicendo, execrando & condemnãdo, caudamq; mouens Reges ac principes aduerſus ſanctos Dei excitat. At interim etiam hoc furore ſuo Antichriſtum eſſe ſe demonſtrat.

Illud obiter obſeruet lector, quòd Eraſmus uertit claritatem: & uulgata Latina habet, illuſtrationem: in Græco eſt, τῇ ἐπιφανείᾳ. Sonat autem ἐπιφάνεια, ſuper re aliqua tenebris obſcurata illuceſcere: ad quem modum ſol exortu ſuo ſuper ea quæ nocturnis fuerant tenebris adoperta illuceſcit, eaq; patefacit. Conſimilis planè erit aduentus Domini ἐπιφάνεια, qua ſuper totum orbem illuceſcet, ac cuncta manifeſta reddet, quæ antea fuerant occulta.

Cuius eſt aduentus, inquit, *ſecundum operationem ſatanæ, cum omni potentia, & ſignis ac prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniuſticiæ.*] Mirum uideri poteſt, unde tanta poſsit ineſſe in homine impietas, ut author fiat defectionis ac ꝓditionis: aduerſeturq; Chriſto, quẽ tamẽ ore cõfitetur, & extollat ſupra oẽ qđ Deus dicitur aut numen, ſic ut in tẽplo Dei ſedeat, oſtẽtãs ſemetipſum quaſi ſit deus: deinde unde tantũ ſucceſsũ acquirat, ut hęc facere poſsit. Exponit igitur Apoſtolus, unde

ſtolus, unde illi hęc oĩa acciderũt, cũ dicit: Cuius eſt aduẽtus ſecundũ operationẽ ſatanę, &c. Ergo neq; à Deo, neq; ex humano aliquo ſtudio, ſed ex ipſo ſatana, id eſt ſpiritu aduerſario, qui ſeſe Deo opponit, conflatum eſt regnum Antichriſti. Aduentus Chriſti in mundum, fuit ſecundum uoluntatem & operationem Dei patris, ad ſalutem filiorum hominum. Huic excitauit aduerſarium ſatan, hominem peccati, & filium perditionis, & miſit in mundum diabolicis operationibus, ad perditionem reproborum inſtructiſsimum. Antitheos ſatan, princeps huius mundi, regnum ſuum contra regnum Dei obfirmare contendens, quemadmodum ſuos prophetas prophetis Dei, & cultus eidolorum cultui Dei: ita & apoſtolos ſuos apoſtolis Chriſti, & ipſi Chriſto Antichriſtum oppoſuit, inq; illis opus ſeductionis quàm potuit potẽter operatus eſt. Hoc ſignificans dicit, Cuius eſt aduentus ſecundum operationem ſatanæ, cum omni potentia, &c.

Obſerua uerò, quòd non dicit ὁ ἐρχόμενος, id eſt cuius erit: ſed, ὁ ἐρχων, id eſt cuius eſt aduentus ſecundum operationem ſatanę. Ergo iam tum iniquus ille aduenerat, & operabatur ſecundum operationem ſatanæ, cui conuenit & id quod ſuprà dixit: Iam enim myſterium iniquitatis operatur. Quod itaque de homine peccati, filio perditionis, aduerſario & iniquo loquitur, quẽ Dominus Ieſus claritate ſit aduentus ſui aboliturus, non poteſt de uno quodam homine accipi: ſed intelligendum eſt de ipſo regno Antichriſti, cum omnibus illius capitibus, id eſt Papis, eodem ſpiritu inuicem ſibi ſuccedentibus. Alioqui unde ſumeretur talis homo, qui inde à tempore Pauli ad finem mundi uſq; duraret, ac demum eſſet per Chriſti aduentũ è medio tollendus? Iuxta Dominicam parabolam mox atque bonum Euangelij ac regni Dei ſemen in mundum, uelut in agrum, ſeminatum fuit, inimicus homo, ſatan uidelicet, zizania ſua inter triticum regni Dei ſeminare cœpit. Quare admodum magnus error eſt, quo ueteres Antichriſtum paulo demum ante Chriſti reditum uenturum eſſe putarunt. Apparet tamen unum quempiam cæteris præſtantiorem fuiſſe, ueluti caput illorum, quem 2. Cor. 11. perſtringit dicens: Si is qui uenit.

Cuius eſt aduentus, inquit.) Non facit mentionem conceptionis & natiuitatis Antichriſti, ſed aduentus. Aduentus autem illius erat, quo neq; miſſus neq; uocatus, ſed ultrò inſtinctu ſatanę, in Eccleſias Chriſti diuerſa ab Euangelio Chriſti docendo, ſubingreſſus eſt. Aduenerunt pſeudapoſtoli neque in Synagogas Iudæorum, neque in templa ac delubra ethnicorũ (neutri enim regno ſatanæ obluctabantur) ſed in Eccleſias Chriſti: & in has tanquam agrum Dominicum, zizania ſua iniecerunt.

Secundum operationem ſatanæ, inquit.] Quoniam doctrinam ab ea quæ recepta erat à fidelibus Chriſti, diuerſam in Eccleſias inferebat, per quam Euangelium Dei, magnis portentis in mundo confirmatum inuertere moliebatur: neceſſarium erat, ut aduentus ipſius non eſſet in uerbis tantum, & ocioſus, ſed operatione quadam, eaq; ſuperhumana inſtructus: qualis erat aduentus Pauli, & aliorum Apoſtolorum Chriſti, quo fides doctrinis illius conciliaretur apud homines inſtabiles ac reprobos. Quare ſic miſſus eſt à ſatana, ut eſſet ipſius operatione ad miraculum uſq; inſtructus. Hãc ille adſcribebat Chriſto, cuius Apoſtolus uideri uolebat: uerùm Apoſtolus diſertè exprimit illius authorem, dicens: Cuius eſt aduentus ſecundum operationem ſatanæ, quo à fidelibus tanquam Apoſtolus ſatanæ uitaretur. Idem admonens 1. Timoth. 4. pſeudapoſtolorum iſtorum doctrinas, dæmoniorum doctrinas, illosq; 2. Cor. 11. miniſtros ſatanæ uocat. Diabolicæ huius iniquitatis augmentum & propagatio manifeſtè declarant, pſeudapoſtolos illos Antichriſtianæ ſeductionis fundatores, ab ipſo ſatana armatos & inſtructos, primùm Eccleſijs à Paulo fundatis negocium feciſſe, doctrinæq; illius reſtitiſſe: deinde Romam ſe contuliſſe, ibiq; ſub prętextu Petri, tanquam primarij apoſtoli, & excellentiæ Romanæ urbis cœptum iniquitatis myſterium proſequutos eſſe, & per ſucceſſores ſuos, continuamq; ſatanæ operationem, ad ſummum uſq; faſtigium prouexiſſe.

Cum omnipotentia, inquit, *& ſignis ac prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniuſticiæ.*] Exponit qualis fuerit operatio ſatanæ in aduentu præcurſorum Antichriſti. Erant illius duæ partes. Vna, uirtutem habens operandi ſigna & prodigia: altera, mendacio ac deceptione iniuſticiæ conſtans. Hiſce fundabatur regnũ Antichriſtianũ. Econtrà, operatio Chriſti qua ſermonem Euangelij ſui confirmabat, & regni ſui primordia per miniſteriũ Apoſtolorũ in orbe fundabat, coſtabat & ipſa omni quidem uirtute ſignorũ ac prodigiorũ: uerùm non in mendacio ac deceptione iniuſticiæ, ſed in ueritate Dei & doctrina iuſticiæ.

Cũ omni potentia, inquit, *& ſignis ac prodigijs.*] Nõ ſimpliciter, Cũ potẽtia: ſed, Cũ omni potentia: uel, Cũ omni uirtute, inquit. Ergo ne ſatanæ omnipotentiã tribuit Apoſtolus, ut & ipſe uocari poſsit omnipotens: cum tamen reuera nemo ſit omnipotẽs, niſi ſolus Deus? Abſit. Non tribuit illi omnipotentiam, ſed dicit eum cum omnis generis uirtute operatum eſſe ſigna & prodigia, intellige, ſecundũ uires creati ſpiritus: quę utiq; magnæ ſunt, & ualde efficaces, & ſecundum permiſsionem diuinam. Satanicæ potentię multa ſunt in Scripturis exempla. Volebat uidelicet ſatan haud diſsimili ac leui, ſed quoad eius fieri poterat, conſimili ac magna uirtute, regnum Antichriſtianum fundare, qua regnum Chriſti confirmari

uidebat, aduersum quod omnes uires suas intendebat. Experiebatur enim, quanta cum potentia regnum ipsius per Spiritum & uerbum Christi subuerteretur.

Et signis & prodigijs, inquit, *mendacibus.*] Futurum hoc & Christus ipse Matth. 24. prædixit, ubi sic legitur: Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi, ecce prædixi uobis. Et cap. 7. eosdem perstringit dicens: Multi dicent mihi in illa die: Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? Et tunc cõfitebor illis, dicens: Nunquam noui uos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Ex hisce Christi uerbis facilè colligi potest, qualia fuerint Pseudoapostolorum signa & prodigia. Prophetarunt, dæmonia eiecerunt, & eiusmodi uirtutes multas, idque in nomine Domini Iesu fecerunt. Agebat hoc satanas, ut Apostolorum suorum signa & prodigia, nec dissimilia nec imparia essent ijs, quæ à ueris Christi apostolis ad Euangelij Dei confirmationem magna cum uirtute & admiratione spectantium fiebant: ideoq; consimilia & ipse per suos apostolos (qua potuit potentia) operatus est, eo planè consilio quo olim per Iamnem & Mambrem, perinde atque Moses uirgam suam in serpentem, & aquam in sanguinem mutauit, ac immensam uim ranarum produxit: ita & ipse eadem coram Pharaone fecit, quo ille induraretur, ac Deo resisteret. cuius meminit Apostolus 2. Tim. 3 dicens: Quemadmodum autem Iamnes & Mambres restiterunt Mosi, ita & hi resistunt ueritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, &c.

Et signis & prodigijs mendacibus, inquit.] Quomodo mendacia fuerunt pseudapostolorũ miracula? Mendacia fuerunt uel actu, uel prætextu, uel scopo. Actu, quatenus non uerè sic agebantur, sicuti spectantibus apparebant: sed fingebantur, ut essent præstigia. Eiusmodi innumera facta sunt in Papatu. Nota est historia Dominicastrorum, qui hic Bernæ in eiusmodi nequitia deprehensi sunt, ac flammis traditi. Eiusmodi miraculorum artifices abundare cœperunt in Papatu, ubi cultus eidolorum, & quæstus Ecclesiasticorum ac monachorũ inualuerunt, cui nequitiæ magicæ illusiones subseruierunt.

Prætextu mendacia fuerũt, propterea quòd cũ satanæ essent apostoli, & operatione illius signa & prodigia facerent, nomen ac uirtutem Christi prætexuerunt. Operatio erat Satanæ, prætextus uerò Christi. Hoc genus mendacij tamdiu durauit in Ecclesijs, quamdiu ueri ministri sub Christi nomine miracula edebant. Posteaquam uerò inuocatio mortuorum sanctorum introducta est, ibi sanctis tribui cœperunt miracula, quæ operatione malorum sunt spirituum facta: unde natus est omnis ille diuorum cultus.

Scopo dico eos fuisse mendacia, eo quòd cum instituta essent ad subuertendum Euangelium Christi, confirmandum doctrinam & regnum satanæ, seducendosq; & perdendos eos qui in Christum credebant, prætexebatur assertio doctrinæ Christi, ueritatis & salutis Christianorum. Sic pseudapostolorum signa, quibus operante satana fundatum est Antichristi regnũ, triplici nomine, actu, prætextu & scopo mendacia fuerunt: quæ uerò per ueros Christi Apostolos fiebant, & actu, & prætextu, & scopo uera erant. ueraciter enim fiebant, & ueraciter Christi uirtute fiebant, & ueraciter ad confirmationem doctrinæ Christi & salutem credentium faciebant.

Et cum omni deceptione iniusticiæ, inquit.] Loquitur de altera parte Antichristianæ seductionis, falsa uidelicet doctrina ad decipiendum instructa. Quemadmodum enim Euangelij doctrina ad illuminandas hominum in ueritate Dei mentes in mundo per Apostolos Christi prædicabatur, & qui illi credebant ad ueram iusticiam, quæ est in Christo Iesu, instituebantur: ita & falsa doctrina per pseudapostolos subintroducebatur in Ecclesias, per quam qui eam recipiebant, à uera quæ in Christo est iusticia, ad falsam, quam rectè uocat iniusticiam, decepti seducebantur. Apostoli prædicabant iusticiam fidei, quæ est in omnes & super omnes eos qui credunt in Christum: pseudapostoli econtrà prædicabant iusticiam operum, ut eam quæ fidei est subuerterent, & paulatim gratiam ac uirtutem sanguinis Christi extinguerent. Neque enim fieri poterat, ut uia ad seductionem Antichristianam pararetur, nisi per doctrinam propriæ iusticiæ, liberi arbitrij & meritorum, doctrina gratiæ & iusticia fidei euerteretur. Notandum itaque est, unde sit in Ecclesias Christi doctrina propriæ iusticiæ introducta, & quid illa à fidelibus uocari debeat. A satana est, ad id introducta, ut impediatur iusticia Dei, ne illi credentes in Christum subijciantur. Nam qui propriam iusticiam cum Iudæis sectantur, iusticiæ Dei non sunt subiecti. Rom. 10. Ob quam causam rectè iniusticia uocatur ab Apostolo, eaque non crassa & manifesta, sed talis quæ composita sit ad deceptionem, per splendidum iusticiæ titulum. Per manifestam enim iniusticiam nemo facilè decipitur. Probabilis doctrina uidetur, qua prædicatur iusticia, & poscitur ut unusquisque sua ipsius iusticia coram Deo promereatur, ut uitam æternam possideat. At hæc doctrina decipit, promittens quod præstare non potest: imò ipsissima est iniusticia, dum iusticiæ Dei, quæ est per fidem in Christum IESVM, aduersatur: & perdit, dum homines à gratia Dei in Christo, per quam solam salus est, abducit, & sub ira Dei perituros detinet. Vides

quid

quid ſit, quod Antichriſto unà cum mendacibus miraculis omnem iniuſticiæ deceptionem tribuit? Huic iniuſticiæ multiuariæ ſunt deceptionum ſpecies coniunctę, quæ palàm in Papatu uiſuntur. Vnde non ſimpliciter dicit, Cum deceptione: ſed, Cum omni, id eſt cum omnis generis deceptione iniuſticiæ. Deceptio iniuſticiæ eſt, quãdo homines imperiti, p titulo iuſticiæ ſeducti, putant ſe facere quod iuſtum ſit ac rectum, cum faciant quod coram Deo iniuſtum eſt & iniquum. Vt exempli gratia: Iuſtum eſſe putatur, ut Deum ueneremur & colamus in ſuis ſanctis. Et hoc prætextu eidolomania cum omni diuorum cultu obtinuit in Eccleſijs. An non hac in re pernicioſiſsima eſt iniuſticiæ deceptio introducta? Conſimiliter iudicandum eſt & de reliquis Papiſticis ſeductionibus, quarum omnes ſpecies nemo facilè recenſere poterit. In omnibus tamen prætextus eſt uel pietatis, uel religionis, uel iuſticiæ, uel caſtitatis, uel ſanctimoniæ, ad decipiendum imperitos.

In ijs qui pereunt, inquit.] Quoniam aduentum filij perditionis ſecundum operationem ſatanæ cum omni ſeductione iniuſticiæ eſſe dixit, ne per hanc omnes fideles indiſcriminatim ſeducendos eſſe putarent: adiecit particulam hãc, qua ſignificaret, in quibus illa locum eſſet habitura. In ijs inquit, qui pereunt. Diſcriminat inter Chriſtianos, diuidens eos in ἀπολλυμένοις & σωζομένοις, id eſt in pereuntes, & eos qui ſaluantur: quo diſcrimine utitur & 1. Corinth. 1. dicens: Nam ſermo crucis, ijs quidem qui pereunt, ſtultitia eſt: at nobis qui ſalutem conſequimur, potentia Dei eſt. Et 2. Corinth. 2. Quoniam bona Chriſti fragrantia ſumus Deo, in his qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt: his quidem odor mortis ad mortem, illis uerò odor uitæ ad uitam. Quemadmodum igitur Euangelium Chriſti ſtultitia eſt, & odor mortis ad mortem pereuntibus: potentia uerò Dei & odor uitæ ad uitam ijs qui ſaluantur: ita & operatio ſatanæ ad deceptionem iniuſticiæ efficax eſt in ijs qui pereunt, ſecus uerò in ijs qui ſaluantur.

Eſt itaq; Antichriſtiana iniuſticiæ ſeductio manifeſtũ ſignum, perire eos qui per illam ſeducuntur. Et ab hac perditione non liberantur ullo uel multitudinis, uel catholici conſenſus, uel antiquitatis prætextu. Non mentitur Spiritus Domini in uerbo Apoſtoli, cum dicit operationem ſatanæ cum omni ſeductione iniuſticiæ efficacem eſſe in ijs qui pereunt. Ergo tum quoque in ipſis fidelibus, qui per Apoſtolos Chriſtiani facti erant, non erant omnes σωζομένοι, ſed & non pauci erant in Eccleſijs ἀπολλυμένοις, qui ſeductioni Antichriſtianæ locum in ſe dabant. Quis autem adeò deſipit, ut meliora de poſteriorum temporum Eccleſijs ſperãdum eſſe cenſeat?

Pro eo, inquit, *quòd dilectionem ueritatis non receperunt in hoc, ut ſalui fierent.*] Exponit quare uocet eos pereuntes, in quibus ſeductio Antichriſtiana locum inuenit. Reddit rationem non occultam, de reprobatione, ſecundum quam dicere poterat, propterea quòd ſunt de numero reproborum: ſed manifeſtam cuius reſpectu indubitato de illis iudicare poterat, quod ſuapte uitio perirent. Quæ eſt illa? In ijs qui pereunt, inquit, propterea quòd dilectionem ueritatis non receperunt, in hoc, ut ſalui fierent. Quaſi dicat. In ijs qui ſaluari poterant, ſi ueritatem Chriſti dilexiſſent: iam uerò, cum hanc non recipiant, ut ſaluentur, pereũt. In talibus efficax eſt operatio ſatanæ ad ſeducendum, &c. Quemadmodum de ægroto facilè pronunciari poteſt, quòd ſit ἀπολλυμένος, ſi nec cibum, nec medicinam recipere ſuſtineat, unde conualeſcere poſſet: ita ſanè & ij comparati ſunt qui cibum ac medicinam ueritatis Dei in Chriſto faſtidiunt, unde ſalutem conſequi poterant. Donec enim tales ſunt, indicium de ſe præbent, quòd ſint de numero ἀπολλυμένων.

Propterea, inquit, *quòd dilectionem ueritatis non receperunt.*] Non dicit: Propterea quòd ueritatem non audiuerunt, uel non cognouerunt, uel blaſphemarunt: ſed, Quòd dilectionem ueritatis non receperunt. Audiuerunt quidem, & intellexerunt, ſed auditam & cognitam, non dilexerunt: ideoque auditum ab illa ad fabulas auerterunt. Vult ueritas non ſolùm audiri, & intelligi, ſed & diligi, & ex animo magna cum gratiarum actione recipi. Qui non diligit illam, mox receptam faſtidit ac deſerit: ideoque & ſalutem non aſſequitur: perinde atque is non ſanatur qui medicinam non diligit, ſed faſtidit & abijcit. Maiores noſtri ueritatem quidem Euangelij Dei audiuerunt, & in ſpeciem alij per principes coacti, alij aliunde adducti receperunt: uerùm maxima ex parte receptam non dilexerunt. qua de re Apoſtolus 2. Timoth. ult. ſic prædixit: Erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi doctores, ij quibus pruriunt aures: & à ueritate quidem auertent aures, ad fabulas uerò conuertentur. Et hac noſtra ætate omnino inter Euangelicos multi ſunt qui receperunt quidem doctrinam ueritatis Chriſti à magiſtratibus, regibus ac principibus coacti, uel per curioſitatem aut carnalis libertatis affectum inducti: dilectionem uerò illius non receperunt. De illis non eſt ſperandum, quòd ſalutem conſequantur, quantumuis Euangelici uocentur, etiamſi Papiſticis abominationibus abſtineant.

In hoc,

In hoc, inquit, *ut salui fierent.*] Significat, misisse Deum Euangelium regni sui ad hoc in mundum, ut ad cognitionem ueritatis perducamur ac saluemur: ideoq; meritò perire eos, qui illam non cupidè recipiant. Sic 1. Timoth. 2. cum dixisset, Qui uult omnes homines saluos fieri: subiecit, Et ad cognitionem ueritatis uenire. Et Ioan. 3 hanc Seruator condemnationem esse dicit, quòd lux, id est ueritas, uenit in mundum: homines uerò tenebras diligunt magis quàm lucem. Ergo omnium est hoc iudicium iustissimum, quo pereunt, qui seruari non sustinent: & maledictionem incurrunt, qui benedictionem recipere nolunt, iuxta illud Prophe
Psal. 109. tæ, Dilexit maledictionem, & ueniet super eum: noluit benedictionem, & elongabitur ab eo, &c.

Et hic considerandum est, quanta sit humanarũ mentiũ corruptio, per quam fit, ut nõ modò ignoremus ueritatem Dei, & ambulemus in tenebris omnis generis errorũ: sed & usque adeò diligamus tenebras, ut lucis ac ueritatis dilectionẽ haudquaquá recipiamus. Ipsa natura nostra sic est deprauata, ut spiritũ ueritatis recipere nequeat. Est enim ab ijs quæ illa requirit, ex diametro diuersa. Non uult credere, sed ratiocinando colligere ac scire: non uult seipsam abnegare, & tota à uoluntate Dei, sed à seipsa pendere: non uult seipsam damnare, ut per misericordiam Dei seruetur in Christo, sed magis iustificare ac deificare: non uult sperare futura, sed mordicùs amplecti præsentia, dicens, Δός μοι τὸν σήμερον, καὶ λάβε τὸν αὔριον: non uult ex toto corde, mente & anima Deum, & proximum sicuti seipsam diligere, sed uult diligi & in precio haberi ab omnibus: iusticiam non amat, sed magis iniusticiam: uersatur ea quæ sunt spiritualia, & inhiat terrenis. Cum ad hunc modum sit comparata, & ueneno serpentis infecta, fieri non potest ut dilectionem Euangelicæ ueritatis ac regni Christi recipiat, nisi singulari gratia Dei iuuetur ac mutetur. Vnde & Christus Ioan. 3. dicit: Nisi quis regeneratus fuerit è superno, non potest uidere regnum Dei. Et cap. 6. Nemo uenit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum.

Et propterea, inquit, *mittet illis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio, quo iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, sed approbauerunt iniusticiam.*] Tria dicit, ad iusticiam iudicij Dei pertinentia. Primum, quid facturus fuerit Deus in hac causa, de qua loquitur. Mittet illis Deus, inquit, efficaciam illusionis, ut credant mendacio. Secundum, quare hanc missurus illis fuerit. Propterea, inquit, intellige, quod dilectionem ueritatis non receperunt, ut salui fierent. Tertium, ad quid. Quo iudicentur, inquit, omnes qui non crediderunt ueritati, sed approbauerunt iniusticiam. Videamus singula.

Et propterea, inquit, *mittet illis Deus efficaciam erroris.*] Non dicit, Misit: sed, Mittet illis Deus efficaciam erroris. Suprà dixit: Cuius aduentus est secundum ἐνέργειαν: id est, efficaciam satanę, quam uocem & hic ponit. Est ergo duplex efficacia satanæ in seductione Antichristiana. Vna est, quæ operabatur cum omni potentia & signis & prodigijs mendacibus. Huius suprà meminit. Ea iam tum uenerat, & mysterium iniquitatis operabatur. Altera est, per quam futurum erat, ut prior operatio satanæ efficaciam ad seducendum sortiretur. Hanc exprimit, cum dicit: Mittet illis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio. Errorem ipsum, id est, doctrinam falsam & erroneam non dicit missurum esse Deum, sed illius efficaciam. Neque enim dicit, Mittet illis Deus errorem: sed, Mittet illis Deus efficaciam erroris. Duo sunt, error & efficacia erroris. Non possunt ambo simul tribui nec Deo nec satanæ. Error & mendacium sunt non à Deo, sed à satana. Efficacia erroris, hoc est, ut error inductus ac receptus potens sit ad seducendum reproborum mentes, non est à satana, sed à Deo. Si in potestate satanæ esset cuiusuis erroris efficacia, nihil obstaret, quo minus omnes in uniuersum mortales seducerentur. Rectè ergo suprà efficaciam signorum & prodigiorum, omnisque seductionis iniusticiæ, satanæ: hic uerò efficaciam erroris Deo tribuit. Priorem iam tum operabatur satan: posterior uerò suo demum erat tempore futura, & à Deo mittenda. Quemadmodum tentatio quidem est à satana, unde & tentator in Scripturis uocatur, efficacia uerò tentationis in manu est non illius, sed Dei: ita & mendacium à satana est, efficacia uerò illius non in illius, sed Dei est potestate.

Obserua uerò, quòd non dicit simpliciter, Et mittet Deus: sed, Et mittet illis Deus efficaciam erroris. Quibus illis? Qui dilectionem ueritatis non receperunt, ut salui fierent. Talibus meritò mittit Deus efficaciam erroris.

Vt credant mendacio, inquit.] Exponit, de qua erroris uel seductionis, aut illusiõis efficacia loquatur: de ea uidelicet, per quã fit, ut mẽdacio credatur. Hãc, inquit, mittet illis Deus. Quomodo mittit illã Deus? Tradendo eos in reprobũ sensum, ac magis atq; magis excęcando, ut mendacio Antichristiano pertinaciter credant & adhæreant.

Monet hic locus, ut obseruemus unde sit incredibilis illa cæcitas in Antichristiano papatu, qua omnis generis mendacijs, quantumuis absurdis & impijs sic creditur, ut ab illis fascinatorum hominum mentes auelli nequeant. An non reipsa patet, missam illis esse à Deo efficaciam seductionis, ut credãt mendacio? Hactenus rectè Missa uocatur corruptio

illa

illa cœnæ Dominicæ. Est enim reuera tam insignis seductionis ea efficacia, non nisi à Deo reprobris hominib. immissa. Credere aũt mẽdacio posuit, pro credere mẽdaci doctrinę, quã iam tum in Ecclesias inferebant apostoli satanæ, Antichristiani regni fundatores.

Et propterea, inquit.] Propter quæ? Propterea uidelicet, quòd dilectionẽ ueritatis nõ receperũt, ut salui fierẽt. Pertinet hæc secũda particula ad causam, ꝓpter quã Deus efficaciã erroris incredulis misit. Tradidit eos in reprobũ sensum nõ temerè, & sine illorũ culpa. Obtulit illis ueritatẽ, per quam seruarẽtur: hãc ipsi nõ dilexerunt, sed contẽpserunt ac respuerũt. Meritò igitur misit illis efficaciam erroris, ut crederent mendacio.

Quo iudicentur omnes, inquit, *qui non crediderunt ueritati, sed approbauerunt iniusticiam.*] Tertio loco exprimit, ad quid missurus fuerit Deus efficaciam erroris, ad credendũ mendacio. Ad hoc uidelicet, ut iudicentur, qui nõ crediderunt ueritati, &c. Hoc est, ut iusto iudicio cõdemnentur ac pereant, idq; duplici nomine. Primò, propterea quòd non crediderunt ueritati, nec dilectionẽ ueritatis receperũt. Deinde, propterea quòd mendacio crediderunt, imò & approbauerunt iniusticiam. fidem habent, τῷ ψεύδει habent, sed utranq; peruersam. Habent fidem ad credendum mendacio, ad credendum ueritati non habent. τῇ ἀληθείᾳ habent erga iniusticiam, erga ueritatem Dei non habent. An non duplici nomine patet, perire eos omnium iustissimè. quemadmodum & ægrotus duplici nomine filius est mortis: uno, si cibum & medicinam non recipiat: altero, recipiat uerò uenenum.

Quò iudicẽtur oẽs, inquit, qui nõ crediderũt ueritati. Nõ est ociosum, qd dicit, non simpliciter, Quo iudicentur: sed, Quo oẽs iudicẽtur, qui nõ crediderũt ueritati, ne paucis quibusdã hoc esse iudiciũ timendũ putes. Omnes, inquit, qui nõ crediderunt ueritati. Quàm latè patet ista incredulitas, tam latè patet etiã illius condemnatio. Non refert hic, qui sint, & quales iuxta seculũ, neq; refert quàm infinita sit eorũ multitudo, qui nõ crediderũt ueritati, approbauerunt uerò iniusticiã. Quicũq; sint, & quantumuis multi, imò innumeri etiam, omnes iusto iudicio condemnabuntur. Obseruet hic diligens lector, quàm falsum sit ac pernicioſum, quod nonnulli iactant, quo seipsos & alios quoque seducant, dicentes: Vnumquemq; in sua fide saluari, qualis qualis illa sit: quasi non referat, quid quisque credat. Vtiq; & illi fidem habent, qui credunt mendacio: & tamen, tam abest ut inde saluentur, ut etiam perditioni propter illam adiudicentur. Quare uiderit quisque cui credat, mendacio ne ad perditionem, uel ueritati ad salutem.

Sed approbauerũt iniusticiã, inquit.] De iniusticia hac paulo suprà diximus. Dixerit hic quisquã: Quis nã adeò demẽs est, ut sciẽter credat mẽdacio, & approbet iniusticiã? Imò fieri nõ potest, ut credat qsquã ei dogmati, qd certo nouit esse mẽdaciũ. Respõdeo: Nõ dicit Apostolus, qd sciẽter credat mẽdacio, & approbẽt iniusticiã. Ideo suprà dixit, aduentũ Antichristi esse cum omni deceptione iniusticiæ. Nemo sic decipitur, ut scienter credat mendacio. Deceptio quippe scientiam ueritatis excludit. Quare non est ut dicant Papistæ: Absit ut tales simus, qui mẽdacio credamus, & iniusticiam approbemus. faciunt enim ista haud quidem scienter, sed seducti: at interim faciunt, licet non agnoscant. Approbant ea quæ iunt iniusta, etsi non ut iniusta: non tamen ideo quòd sint ex uerbo Domini, sed quòd sint authoritate Papæ tradita & præcepta: quam pluris faciunt, quàm expressum uerbum Domini.

Hactenus insignem hunc Apostoli locum non ut par erat, sed ꝓ nostra mediocritate exposuimus, in quo de Antichristo ista in summa traduntur.

1 Primò, mysterium illius iam tum, cum hæc scriberet Apostolus, agi cœpisse.

2 Secundò, aduentum illius fuisse secundũ operationẽ satanę, cũ omni potentia signorũ ac prodigiorum falsorum, cumq; omni deceptione iniusticiæ.

3 Tertiò, esse eum hominem peccati, filium perditionis, aduersariũ elatũ, etiã supra Deũ ipsum, & legum omnium contemptorem.

4 Quartò, Non potuisse eum emergere in plenam tyrannidem, donec Romani imperij potentia durabat.

5 Quintò, sublato Romani imperij obstaculo subsequutam esse illius emersionem ac tyrannidem.

6 Sextò, defectionem à synceritate fidei & obedientia Christi, esse ab illo introductam.

7 Septimò, missam esse à Domino illius reuelationem.

8 Octauò, tollendum eum esse è medio per claritatem aduentus Domini.

9 Nonò, quod attinet reprobos Christianos ab illo seductos, esse in illis tãquã perituris, efficacem operationem satanæ. Efficaciam erroris missam illis esse à Deo, ut credant mendacio, propterea quòd non crediderunt ueritati, ut salui fierent, ideoq; finem illorum esse iustissimam condemnationem.

Nos autem debemus gratias agere Deo semper de uobis, fratres dilecti à Domino, quòd elegerit uos Deus ab initio in salutem, per sanctificationẽ spiritus ac fidem ueritatis, ad quod uocauit uos per Euangelium nostrũ, in acquisitionem gloriæ Domini nostri IESV Christi.

Post-

Postquam de Antichristiana seductione, deq; reprobis, seductis ac pereuntibus quæ cognoscenda sunt cõmemorauit: relictis illis, uertit sermonẽ ad ueros Christi fideles, extollitq; in illis inæstimabilem gratiam Dei, per quam sint à numero pereuntium separati. Sic dicit:

Nos autem debemus gratias agere semper de uobis fratres. Per id quod dicit, Nos autem: separat se cum reliquis Thessalonicensium fidelibus, à seductione Antichristiana. quasi dicat: Sic sunt isti comparati, homines cęci, seducti, credentes mendacio, approbantes iniusticiam, ac pereuntes, futuræq; condemnationi obnoxij: quod uerò nos & uos attinet, ubi considera mus incomparabilem gratiam Dei, per quam ab hac estis perditione liberati, debemus non semel atque iterum, sed indesinenter Deo pro uobis agere gratias. Sic excitat animos illorũ, ut considerent acceptam à Deo gratiam, illamq; perpetuò cum gratiarumactione agnoscãt, plurimi faciant ac deprædicent. Iisdem uerbis & suprà cap. præcedenti, & cap. primo prioris Epistolæ utitur.

Dilecti, inquit, *à Domino.*] Prædicat non quamlibet gratiam Dei, sed principalem illam, quæ causa erat propter quam nihil in illis loci habebat Antichristiana seductio. Hanc complectitur dilectione Dei, electione, uocatione ac sanctificatione. Dilectionem Dei ponit, dum uocat eos dilectos à Domino. De electione subiungit dicens.

Quòd elegerit uos Deus ab initio in salutem.] Meo iudicio loquitur de eadem electione Dei, de qua Eph. 1. loquitur dicens: Quemadmodum elegit nos in ipso antequam iacerentur fundamenta mundi, ut essemus sancti. ut quod hic dicit ἀπ' ἀρχῆς, id est ab initio, idem sit quod, Priusquã iacerentur fundamenta mundi. Est enim electio Dei, qua quos uoluit, sibi elegit ad uitã, priusquam mũdus fieret, ab æterno facta, de qua non est ut hic dicamus. Diximus de illa in Locis nostris.

Cùm dicit, In salutem: exprimit finem electionis, ad quem elegit nos Deus ab initio. Is est, ut saluemur à communi condemnatione ac perditione, cui per peccatũ facti eramus obnoxij, perinde atq; cæteri homines. E multitudine perditorũ elegit, quos seruaret. Et hæc electio, ante cõditum mundum facta, omnem salutem nostram soli gloriæ gratiæ Dei uindicat. Neq; enim meritis aliquis potuit esse locus in nondum existentibus, potuit uerò in illis habere locum electionis ac dilectionis diuinæ gratia.

Per sanctificationem spiritus, inquit, *& fidem ueritatis.*] Græcè est, ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος, καὶ πίστει ἀληθείας: id est, in sanctificatiõe spiritus, ac fide ueritatis. Sic habet & uulgata Latina, & Ambrosius. Chrysostomus tamen dicit, ἐν positum esse. pro διὰ, id est, in pro per. ad quem respexit Erasmus. At Germanicus interpres uertit, *In der heiligung des geists, und im glauben der warheit.* Non dicit illos electos esse à Deo constitutos in sanctificatione spiritus, & fide ueritatis. Etenim cũ nondum essent in rerum natura, elegit eos ante constitutionem mundi: quare sanctificatio spiritus, & fides ueritatis, electionem hanc præcedere, in ijs qui nondum erant, nequiuerunt. Quid igitur dicit? Hoc uidelicet, electos eos esse à Deo ab initio ad salutem, quam adepti erant in sanctificatione spiritus, & fide ueritatis. Salutem hanc, ad quam electi sumus ab initio, per sanctificationem spiritus, & fidem ueritatis acquirimus.

Per sanctificationem spiritus, inquit.] Obserua. Electi Dei spiritu illius sanctificantur. Dat illis suum spiritum, per quem illuminantur, purgantur, & obsignantur. Est autem gemina sanctificatio in Christo, quæ fit per spiritum Dei. Vna, qua spiritus nostri: altera, qua corpora nostra sanctificantur. Prior fit regeneratione & renouatione, posterior uerò lauacro aquæ in sacro baptismate. Prior contingit solis electis, posterior & electis & reprobis.

Ac per fidem ueritatis, inquit.] Fides ueritatis est, qua credimus Euangelio Dei, sermoni uidelicet Christi, per quem ueritas prædicatur in mundo. de quo Dominus ipse Ioan. 8. dicit: Si manseritis in sermone meo, cognoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos. Et 1. Timoth. 2. hic Apostolus: Qui uult, inquit, omnes homines saluos fieri, & ad cognitionẽ ueritatis uenire. Per hanc fidem, qua ueritati Dei credimus, contingit electis salus, ad quam sunt ab initio electi. Igitur cum dixisset, fideles Thessalonicensium electos esse à Deo ab initio ad salutem, adiecit duas hasce electionis notas, sanctificationem uidelicet spiritus, & fidẽ ueritatis. quas utrasque ignorare non poterant, ne quis temerarium esse iudicaret, quod tam diserte dixit: Quòd elegerit uos Deus ab initio ad salutem. Est enim electio hæc aliàs ab omnium mortaliũ sensu abscõdita, nisi certis notis reueletur & cognoscatur. Credit Iudęus Deũ esse unũ, esse æternũ, esse summè bonũ, esse iustũ, esse omnipotentẽ, creasse omnia q̃ in cœlo sunt & in terra, conseruareq; & gubernare omnia, & quæ alia consimilia de Deo prædicantur. An non & hæc fides, fides est ueritatis? Est utiq;. Est ergo nota electionis, qua monstratur, Iudęum hęc credentem electum esse à Deo ad salutem ab initio. Quid igitur prærogatiuæ Christianæ fidei relinquitur? Respondeo: Non quælibet ueritas saluat credentem. Qui credit diabolum esse immundum spiritum, & aduersarium Dei: non mendacium, sed quod uerum est credit. Qui credit Deum potentiorem esse diabolo, fidem habet non mendacij, sed ueritatis. At interim hæc credens non saluatur, nisi fidem habeat eius ueritatis, quæ per Euangelium Dei prædicatur in mundo, per cuius prædicationem placuit Deo saluos facere credentes. Ipse

diabolus

diabolus multa uera de Deo credit, unde tamen non ſaluatur. Filium ſuum Deus ſeruatorem unicum miſit in mundum, ut qui credit in eum non pereat, ſed habeat uitam æternam. Huius ueritatis fides ſola ſaluat, quia per hanc ſolam iuſtificantur credentes.

Ad quod uocauit uos, inquit, *per Euangelium noſtrum.*] Græcè eſt, εἰς ὅ, id eſt, In quod: uel, Ad quod. Ambroſius legit, In quam, ſicut & Vulgata Latina: quaſi ſit in Græco εἰς ἥν. Et ea ſanè lectio commodior eſt. Poteſt enim referri uel ad ſalutem, uel ad fidem ueritatis, cum Græca lectio non habeat, Quo illud, ad quod referri poſsit, niſi referas ad ſpiritum, πνεῦμα, cuius meminit: legasque, In quem uocauit uos. Sunt qui abſolutè legant, Quò uocauit uos. Ad hoc uidelicet, ut in ſanctificatione ſpiritus, & fide ueritatis ſalutem conſequamini. Sic neq; ad fidem, neque ad ſanctificationem ſpiritus, neque ad ſalutem ſeparatim: ſed ad rem ipſam totam referri poteſt hæc particula. Sed hæc de lectione.

Eſſe eos dilectos Domino, & electos à Deo ad ſalutem ab initio, teſtificabantur ſanctificatio ſpiritus & fides ueritatis, tanquam teſtes duo indubitatiſsimi, quibus iam & uocationem adiungit de eiuſdem gratiæ certitudine teſtificantem. Et ut admoneat eius gratiæ, ad quam uocati erant, addit: Per Euangelium noſtrum. Notum ipſis erat Euangelium, quo erant uocati ad Chriſtum, in quo abundè expreſſa erat ipſa regni Dei gratia, ad quam erant uocati. Non uocat Euangelium Chriſti ad obſeruantiam legis, ad propriam iuſticiam, & propriæ iuſticiæ merita ac ſatisfactiones, legalesque ſanctificationes: ſed ad fidem in Chriſtum, ſanctificationem ſpiritus, ac ſalutem ſanguine Chriſti partam, ad quam electi ſumus ab initio. Sic ſe uocatos eſſe per Euangelium ignorare non poterant.

Nõ dicit aũt ſimpliciter, Ad quod uocati eſtis: ſed, Ad quod uocauit uos, Deus uidelicet, q & elegit uos ab initio. Nec dicit ſimpliciter, Per Euangeliũ: ſed Per Euangeliũ noſtrũ. Iactabãt & pſeudapoſtoli Euangeliũ: uerùm per illud nemo uocabatur a Deo ad ſanctificationem ſpiritus, & fidem ueritatis Dei, adeoque & ad ſalutem, ſed magis ad obſeruantiam legis, & iuſticiam operum, & circumciſionem: quare Euangelium illorum erat Euangeliũ adulterinũ, longè aliud ab eo quod Apoſtoli à Chriſto ipſo acceperunt, & mundo annunciarũt. Sed hac de re in Epiſtola ad Galatas uidere licet. Rectè igitur Apoſtolus, non ut ſibijpſi uendicaret Euangelium Dei: ſed, ut uerum Euangelium, per quod Deus electos ſuos ad ſalutẽ in Chriſto uocat, ab adulterino quod à pſeudapoſtolis prædicabatur, ſepararet, dixit: Ad quod uocauit uos per Euangelium noſtrum. Sic ſimul cauet, ne de quocunque Euangelio intelligatur, & uocationem ipſorum non ſibi, ſed Deo adſcribit.

In acquiſitionem, inquit, *gloriæ Domini noſtri Ieſu Chriſti.*] Ergo non modò ad hoc electi ac uocati ſumus à Deo per Euangelium, ut accepta peccatorum remiſsione iuſtificemur ac ſeruemur, ne cum hoc mundo pereamus: ſed & ad hoc, ut gloriam æternam cum Domino noſtro Ieſu Chriſto acquiramus. Gloria Domini noſtri Ieſu Chriſti, eſt gloria unigeniti & primogeniti Dei, Domini omnium quæ ſunt in cœlo & in terra. Huius gloriæ uult nos pater hactenus eſſe participes, quatenus nos in filios ſuos, hæredes & cohæredes Chriſti adoptat & ſanctificat. Ad huius nos acquiſitionem uocat per Euangelium. Inæſtimabilis eſt hæc dignitas, quæ ſi contigiſſet angelis, cœleſtibus illis ſpiritibus, nullius peccati condemnatis, ſatis deprædicari nopoſſet. Iam cum peccatoribus, impijs, in ipſa natura deprauatis ac perditis per fidem in Chriſtum contingat, quis nam mortalium ſatis perpenderit, quàm ſit incomparabilis hæc diuinæ philanthropiæ erga nos dignatio?

Sunt qui particulam hanc exponant de gloria, qua Chriſtus credentes in ſe, tanquam à patre acceptos poſsideat: quaſi περιποίησιν, i. acquiſitio. uel poſſeſsio tam paſsiuè quàm actiuè accipi poſsit hoc loco. ut ſit ſenſus: Ad quod uocauit uos per Euangelium noſtrum, quo poſſideamini à Domino noſtro Ieſu Chriſto ad ipſius gloriam.

Poſſet & hic ſenſus aſsignari: In acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Ieſu Chriſti. hoc eſt: Ad quod uocauit uos per Euangelium noſtrum, in id temporis, quo gloriam ſuam acquiret Dominus noſter Ieſus Chriſtus, inq; illa illuſtris apparebit coram toto mundo, quando & uos cum illo manifeſtabimini in gloria. Exiſtimo tres hoſce ſenſus nihil habere periculi, nec admodum referre, primum ne, uel ſecundum, uel tertium retineamus.

Itaq; fratres ſtate, & tenete inſtitutiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonẽ, ſiue per Epiſtolam noſtram. Ipſe uerò Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Deus ac pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam, per gratiam, conſoletur corda ueſtra, & ſtabiliat uos in omni ſermone & opere bono.

Concludit materiam de aduentu Domini, & defectione à Chriſto, deq; homine peccati ac filio perditionis, quam hoc Capite tractauit. Sũt autem cõcluſionis huius duo mẽbra. unum habet adhortationem: alterum, apprecationem. Hortatur eos, dicẽs: Itaq; fratres ſtate, & tenete inſtitutiones quas dediciſtis, &c. Apprecatur conſolationem ac ſtabilimẽtum cordium ipſorum, cum ſubiũgit: Ipſe uerò Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Deus ac pater noſter,

ſter, q̃ dilexit nos, &c. cõſoletur corda ueſtra, & ſtabiliat uos in omni ſermone & ope bono.

Itaq; fratres ſtate, inquit.] Quoniam non ſimpliciter dicit, State fratres: ſed, Itaq; ſtate fratres: manifeſtum eſt, quòd ad præcedentia reſpiciat. Q.d. Quoniã igitur non adueniet Dominus, niſi defectio prius uenerit, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c. nolite locum dare impoſtoribus illis, qui diem Domini iam inſtare nugãtur: & hoc inter uos agunt, ut dimoueamini à mente ueſtra, ac turbemini: ſed ſtate firmiter, & tenete inſtitutiones quas didiciſtis, &c. Sic puto quod hic dicit: Itaq; ſtate fratres, idẽ eſſe cum eo quod initio capitis huius dixit, Ne citò dimoueamini à mente ueſtra.

Et tenete inſtitutiones, inquit, *quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolã noſtrã.*] Græcè eſt, κρατεῖτε τὰς παραδόσεις, i. Et tenete traditiones. Haud exprimit, de quib. traditionib. loquatur. Papiſtæ exponunt de cæremonijs ac ritib. alij de ipſa Euangelij doctrina, illiusq; capitib. Negari non poteſt, iuxta doctrinam & externas quaſdam traditiones datas eſſe Eccleſijs ab Apoſtolo, de quib. uidere licet 1. Cor. 10 & 11, & cap. ſequenti, & in Locis noſtris communib. Hinc tamen non poterunt euincere Papiſtæ, mox licere cuilibet prælato, traditiones præſcribere Eccleſijs, quarũ uinculis conſcientię fidelium ligentur. Gloriantur de traditionib. Apoſtolorũ: at interim nõ probãt, uerè Apoſtolicas eſſe, quas hoc nomine ſeruari uolunt. Quas traditiones ab Apoſtolo acceperint Eccleſiæ, nõ eſt ut diuinemus. Reperinntur enim in illius Epiſtolis, de quib. non licet ut dubitemus: de cæteris nemo cogitur, ut Pauli eſſe credat.

Quas didiciſtis, inquit, *ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram.*] Nõ quaſuis traditiones illis cõmendat, ſed quas ipſe tradiderat. Imò, ſi res ipſa conſideretur, ſic uult teneri ab illis quæ tradiderat ipſe, ut aliorum traditiones uitẽt. unde & tam diligenti ſpecificatione cauet, ne alias obtrudi ſibi ſinant: ſed eas teneant, quas ipſe uel cum apud eos eſſet uiuo ſermone, uel per priorem Epiſtolam tradidiſſet. Haud obſcurè ſignificat, fuiſſe impoſtores, qui ſub nomine Apoſtolorum ſua ipſorum commenta Eccleſijs obtruderent.

Nec ocioſum eſt quod non dicit, Quas accepiſtis: ſed, Quas ἐδιδάχθητε, i. edocti eſtis, uel, didiciſtis. Traditiones Apoſtolicæ non ſpirant Pontificale imperium, ſed doctrinam Chriſtianæ pietati, fidei, ſanctimoniæ, uocationi ac charitati conuenientem, & ualde utilem. Alienæ ſunt ab omni quæſtu, dominatu & ſuperſtitione. Diſcuntur autem bifariam. Primò, ut ſciatur quid faciendum ſit, quid non ſit. Deinde, ut ratio traditionis intelligatur, quo non modò operetenus, ſed & ad utilitatem & ædificationem ſeruetur. Et hanc ob cauſam per modum docendi magis quàm imperandi præſcribenda eſt Eccleſijs, ne ſine ſcientia ſuperſtitioſè magis quàm piè & utiliter ſeruetur.

Ipſe uerò Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ac Deus & pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpẽ bonã per gratiã, conſoletur corda ueſtra.] Alterũ hoc membrũ præſentis eſt cõcluſionis Hortatus eos eſt, ut perſiſterent ac tenerẽt traditiones, quas cùm ex ſermone, tũ ex Epiſtola ipſius didicerãt. Iam quoniã hoc ſine ſingulari gratia & ope Dei facere nõ poterãt, optat illis auxiliũ à Dño, per quod adiuuẽtur & cõfirmentur. Et eſt ſenſus: Ego quidẽ tradidi uobis doctrinã ueræ pietatis, ſalutis ac uitæ: in qua ſi perſtiteritis, ſalutẽ, ad quam eſtis uocati, unà cũ futura gloria conſequamini, & uos illam didiciſtis: uerùm niſi corda ueſtra ducantur & cõfirmentur à Deo, fieri non poteſt ut perſiſtatis. Quare oro Dominum, ut ipſe corda ueſtra conſoletur, & ſtabiliat uos in omni ſermone & opere bono.

Ipſe uerò Dominus noſter Ieſus Chriſtus, inquit, *ac Deus & pater noſter, &c.*] Poterat ſimpliciter dicere, Ipſe Deus det uobis effectum ac ſtabilimentum: uerùm Apoſtolico ſtudio ſic circunſcribit Deũ, & gratiã illius deprædicat, ut animos fideliũ ad hoc erigat, ut bona cum fiducia, & ipſi opem illius ſperẽt & implorent. περίφρασις Dei eſt, cum dicit: Ipſe uerò Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ac Deus & pater noſter. Periphraſim hãc Dei nemo Iudæus, nemo Turcus, nemo ethnicus, ſed Chriſtianus tantũ recipit. Hæc eſt noſtra, qui Chriſtiani ſumus, ſtulticia, imò inſania, iudicio ſeculi, qua Ieſum crucifixum, Chriſtũ Dei, ac Dominum noſtrũ, & Deũ, patrem noſtrum eſſe credidimus: & ut credimus, ſine ulla diſſimulatione confitemur ac prædicamus, & hanc ob cauſam omnis generis diſcrimina ſubimus. Iudei Ieſum crucifixum pro ſeductore habent: Turci agnoſcunt quidem eſſe eum inſignem prophetam Dei, uerùm pro Dño ſuo & filio Dei non agnoſcunt. Iudæi, itẽ Turci & ethnici, tam non concedunt eſſe Deũ patrem eorũ qui Ieſum crucifixũ pro Domino ſuo agnoſcunt & colũt, ut magis iudicẽt eſſe eos coram Deo abominabiles & damnatos. Quid igitur? Hæc eſt Chriſtiana fides: quare neceſſe eſt, ut uel feramus hanc ignominiam à mundo illatam, & ne latum quidem digitũ à confeſsione Chriſtianæ fidei diſcedamus: uel, ſi mundo placere uoluerimus, totum Chriſtianiſmum negemus. Deum, qui fecit cœlum ac terram, habemus patrem, quia adoptauit nos in filios ſuos: Ieſum Chriſtum habemus Dominum, propterea quòd eſt primogenitus Dei, & omnem à Deo patre poteſtatem accepit in cœlo & in terra: denique & nos morte ſua redemit, & in peculium ſuum redegit. Cum tantis itaque prærogatiuis Deo patri ac Chriſto filio eius coniuncti ſimus, quomodo fieri poterit ut ope diuina, in quibuſcunque afflictionibus iactemur, deſtituamur?

Qui

Qui dilexit nos, inquit.] Non est ut cogites: Inuenias patrem qui quos adoptauit, non admodum diligat, ubi uitia illorum animaduerterit. Deinde inuenias dominos, qui subditos suos susque deque faciant. Quid si idem nobis contingat, propter uitia nostra, quib. meritò diuinæ Maiestatis oculis displicemus? Ne hoc cogitemus subiungit, Qui dilexit nos. Non solum adoptauit nos pater, non solum Dominus noster est Iesus Christus: sed & dilexit nos uterque. Et ne de caduca aliqua & momẽtanea dilectione intelligamus, addit & opus diuinę dilectionis, dicens: Et dedit consolationem æternam, & spem bonam per gratiam.

Et dedit consolationem æternam, inquit.] Chrysostomus intelligit de bona spe, quam Apostolus mox subijcit, dicens: Et spem bonam: uerùm nisi esset copula Et, posset hęc particula per expositionem adiecta uideri. Meo itaque iudicio, loquitur de cõsolatione quam habebimus post hanc uitam in futuro seculo, ueram uidelicet & æternam felicitatem, quam & Dominꝰ ipse Lucæ 16. in uerbis Abrahæ ad diuitem in gehenna constitutum, consolationem uocat, dicens: Fili, recordare quòd acceperis bona tua in uita tua, Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolationem habet, tu uerò cruciaris. Hanc consolationem uocat æternam, quia non est habitura finem: ad differentiam earum consolationum, quæ contingunt in præsenti hac uita. Consolationes præsentis uitæ acceperat diues, Lazarus uerò temporarijs refocillationibus destitutus, æterna est consolatione post uitę huius miserias potitus.

Obserua uerò quàm pertinenter futuram felicitatem, consolationem æternam uocet. Afflictabantur Thessalonicenses propter Christum. Erigit igitur animos illorum commemoratione æternæ consolationis, qua propter præterita mala refocillandi erant. Cõsolatio non habet locum in illis, qui in pace ac delicijs uiuunt: sed in tribulatis & afflictis. Hanc ob causam futuram felicitatem uocat cõsolationem: quia scribit fidelib. qui multis mõdis pro nomine Christi afflictabantur.

Deinde nec illud ociosum est, quòd non dicit in futuro, Qui dabit: sed, Qui dedit nobis consolationem ęternam. Significat illam nobis sic esse deputatam ac destinatam, ut perinde iam nostra sit, nosque certo expectet, ac si in ipsas nobis manus nostras sit tradita. Dedit nobis eam ab æterno, dum nos elegit ante conditum mundum: dedit prædestinando, dedit filium suum pro redimendis nobis dando, dedit per Euangelium suum uocando: dedit adoptando, regenerando, sanctificando, & iustificando: dabit ipsa post hanc uitã glorificando.

Et spem bonam, inquit, *per gratiam*.] Aeternam consolationem à Deo nobis datam, uocat spem bonam. Spem propterea, quòd illam nondum possidemus, sed sperando expectamus. Bonam, propter incomparabilem illius felicitatem, & propter infallibilem certitudinem, qua dono & gratia Dei nititur. De spe autem Christianorum uide in Locis nostris.

Addit, Per gratiam. Grecè est, ἐν χάριτι, i. In gratia. Excludit omne nostrum meritum, quo donum Dei commendet. Humana ratio existimat nõ posse firmam ac certam esse spem, quæ non ueniat ex meritis. Quoniam igitur consolationem futuram à Deo nobis datam, spem bonam uocat: ne illam meritis nostris assignari putemus, diligenti cautione adiecit, In gratia. Qua gratia? Qua nos elegit cum nondum essemus, qua dilexit, & in peccatis existentes in regnum suum uocauit, in filios adoptauit, per spiritum suum sanctificauit, & iustificauit. In hac etiam gratia, uitam nobis, felicitatem & consolationem æternam dedit. Sic omnis nostra salus liberè ac prorsus immeritæ gratię Dei debetur.

Consoletur uestra corda, inquit, *& stabiliat uos in omni sermone & opere bono*.] Admodum in loco iam apprecationem subiungit, posteaquam immensam diuinę erga nos dignationis gratiam deprædicauit. Ex illius enim consideratione summa concipitur persuasio & fiducia de omnibus illis à Deo impetrandis, necessarijs rebus, quæ præsenti huic nostræ uitæ quacunque ratione competere possunt. Pulchrè autem consolandi nerbũ in apprecatione repetit, quod in prædicatione gratię Dei posuerat: quo moneat nos, fieri non posse ut temporariam consolationem neget illis, quibus ex mera gratia dedit æternam. Sic ualde conuenienter dicit: Qui dedit consolationem æternam & spem bonam per gratiam, consoletur corda uestra. Non dicit autem simpliciter, Consoletur uos: sed, Consoletur corda uestra. Loquitur enim de consolatione in præsenti tribulatione necessaria. Futura consolatio totius hominis erit, & spiritum & corpus complectens: ea uerò quæ in præsentis uitæ tribulationib. requiritur, sic est comparata, ut corda tantum erigat & confirmet, ne in afflictionibus concidant, & à ueritate Dei deficiãt. Cordibus namque deuictis, nec fides, qua credimus ad iusticiam, nec studium pietatis in operibus bonis consistere poterit.

Rectè igitur subiungit: Et stabiliat uos in omni sermone & opere bono. Nequit enim quisquam stabilis esse in bono, si corde langueſcat & concidat. Illud uerò, In omni sermone, Græcè ἐν παντὶ λόγῳ, bifariam accipi potest. uel de nostro sermone, uel de doctrina sana. Posteriorem sensum & Chrysostomus, & Ambrosius, & Germanicus interpres, & nonnulli recentes Theologi sequuntur: priorem ego existimo non esse alienum à Christianis, quorum est non in opere tantum, sed & in sermone bono constanter perdurare. Haud tamen ignoro, cum primis necessarium esse, ut in omni sermone doctrinę Christianæ firmi persistamus.

Vide autem quàm prudenter de ſtabilitate bonorum operũ ac ſermonum ſeruanda mo neat, poſteaquam gratiæ Dei omnem noſtram ſalutem attribuit. Cauendum enim erat, ne locus daretur carnalibus hominibus, qui ubi aliquid de gratia Dei perſuaſionis conceperũt, mox omne bonorum operum & rectę conuerſationis ſtudium ueluti non neceſſarium amplius, abijciunt. cuius rei hodie paſsim occurrentia exempla in Eccleſijs noſtris uidemus. De bonis autem operibus ſi quis inſtrui cupiat, uideat in Locis noſtris, quid de illis rectè ac piè ſit tenendum.

CAP. TERTIVM.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Petit à Theſſalonicenſibus, ut pro ſe ad Deum orent: deinde præcipit, ut ſubducant ſe ab illis qui ſe inter ipſos inordinatè gerebant, de quibus audierat. & ſic claudit Epiſtolam.

QVod ſupereſt, orate fratres pro nobis, ut ſermo Domini currat & glorificetur, ſicut & apud uos, & ut eripiamur ab abſurdis ac peruerſis hominibus. Non enim omnium eſt fides, ſed fidelis eſt Dominus, qui ſtabiliet uos, & cuſtodiet à malo.

Priuſquam Epiſtolam claudat, adijcit præcedentibus unam adhuc & alteram adhortationem. Prior eſt de precatione, quam ad Deum pro ſe facere debeant: poſterior de corrigẽdis, uel certè uitandis illis qui inordinatè uerſabantur inter ipſos. De priori: Quod ſupereſt, inquit, orate pro nobis fratres. Non hoc tantum loco petit à fidelibus, ut pro ſe orent. Idem facit & Rom. 15, & Coloſſ. 4, & 1. Theſſ. 5. Sciebat eiuſmodi preces pro doctoribus ad Deum à fidelibus factas, plurimum ualere in conſpectu Dei: denique multum ad hoc facere, ut dilectio fidelium erga ſuos propoſitos in cordibus illorum alatur. Nequit enim fieri, ut qui pro Apoſtolo, paſtore ac doctore ſuo, preces ad Deum fundit, non ſit erga illum amanter ac reuerenter affectus.

Quid autem pro ſe petere debeant à Deo, exprimit dicens: Vt ſermo Domini currat & glorificetur, ſicut & apud uos, & ut eripiamur ab abſurdis & peruerſis hominibus. Nõ dicit: Vt nomen meum currat & glorificetur. (neque enim ullo tenebatur nominis & gloriæ ſuæ affectu) ſed ut totus inhiabat propagando & glorificando Euangelio Chriſti, ita & propagationem & glorificationem illius nõ per ſeipſum tãtum, ſed & à fidelib. omnib. obnixè à Deo petendam eſſe cenſebat. Et hic uerè germanus ac ſyncerus eſt miniſtri Chriſti affectus.

Notanda eſt autem metaphora currendi, qua utitur dicens, Vt ſermo Domini currat. Erat Euangelium tanquam cœleſtis regni præconium emiſſum in orbem ad uocandum omnes nationes, & hoc nomine cõpetebat illi celer & expeditus curſus, quo in omnem terram ad ipſos uſque fines orbis excurreret ac pertingeret. Hoc conſiderans monet, petẽdum eſſe à Deo, ut ipſe proſperum faciat & expeditum illius curſum: hoc eſt, ut aperiat paſsim oſtium illi, quo cupidè recipiatur. Sanè ubi Dominus curſum dat uerbo ſuo, incredibile eſt, quanta cum energia ſpiritus breui tempore integra regna percurrat. Exemplum eſto in Apoſtolatu Pauli, qui inde à Hieroſolymis ad Illyricũ uſque mirabili celeritate Euangelij curſum extendit. Et noſtra hæc ætate an non uidimus renouati Euangelij curſum uſqueadeò expeditum, ut intra paucos annos Septentrionem, Orientem, Meridiem & Occidẽtem inuitis inferorum portis percurrerit?

Et glorificetur, inquit.] Currit Euangelium, quando expeditè ac latè ſparſum propagatur: glorificatur uerò ut Lyranus dicit, per miracula: ut nos uerò, quãdo fide, charitate, ſanctimonia uitæ, omnis generis probitate, beneficentia, manſuetudine ſpiritus, & patientia, quaſi fructibus ſuis decoratur, & impletur illud Chriſti: Sic luceat lux ueſtra corã hominib. ut uideãt opera ueſtra bona, & glorificent patrem ueſtrum qui in cœlis eſt. Et huc reſpiciens Apoſtolus, Tit. 2. de ſeruis inſtituendis ſic præcipit: Seruos dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes: ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes, ut doctrinam Saluatoris noſtri Dei ornent in omnibus. Et 1. Tim. 5. Quicunque, inquit, ſub iugo ſunt ſerui, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur. Hæc igitur uera eſt Euangelij Dei glorificatio, qua propter præclaros ipſius fructus etiam ab exteris glorificatur: cuius oppoſitum eſt, quando propter carnalium Chriſtianorum uitia ac ſcelera blaſphematur. Papiſtæ putant ſe glorificare Euangelium, quando in templis illud inter miſſandum non prædicant, ſed adhibitis cereis ardentibus decantant: interea uerò lucem ac ueritatem illius quibus poſſunt modis obſcurant, imò extinguunt.

Sicut & apud uos, inquit.] Intellige, Glorificatur. Glorificabatur Theſſalonicæ per illuſtrē pietatem, fidem, ſpem, dilectionem, beneficentiam & patiētiam eorum qui in Chriſtum credebant. qua de re & ſuprà initio primi cap. & in priore Epiſtola uidere licet. Dum hoc laudis Eccleſiæ Theſſalonicenſium tribuit, quòd glorificatum apud illos fuerit Euangelium Dei: non modò pro ponit alijs Eccleſijs illorum exemplum, ſed & ſimul admonet eos ut caueant ne præclaram hanc laudem amittant, ſi inſtabiles in omni ſermone & opere bono facti fuerint. Quare & ſupra eos ad ſtabilitatem hortatus, illamque ipſis à Deo apprecatus eſt.

Et ut eripiamur, inquit, *ab abſurdis ac peruerſis hominibus*.] Græcè eſt, ἀπὸ τῶν ἀτόπων καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων. Magis placet quod Vulgata Latina habet, Ab importunis & malis hominibus. Sonat quidem ἄτοπος aliquando abſurdum: uerùm propriè ſignificat eum qui ubique importunitate ſua rebus agendis negocium faceſſit: nec quicquam agit, quod alicui loco conueniat, perinde ac ſi lapidem uoces ἄτοπον, qui ſic eſt ineptus, ut nullum in toto ędificio locum inueniat, cui adaptari poſſit. Sumitur hæc uox aliquando pro re mala & incommoda: ut Act. 28. ubi de uipera, quæ de manu Pauli pependerat, Lucas ſic ſcribit: Et ille quidem excuſſa uipera in ignem, mali nihil paſſus eſt. At illi exiſtimabāt, futurū ut incenderetur, aut concideret repentè mortuus. Diu autem illis expectantibus & intuentibus, μηδὲν ἄτοπον εἰς αὐτὸν γινόμενον: quod Eraſmus uertit, quemadmodum & Vulgatus interpres, Nihil mali illi accidere. Sic poterat & hic uerti, A' malis hominibus. πονηροὶ ſunt non ſimpliciter mali, ſed homines nequam, uerſuti, praui ac peruerſi, unde hęc uox & ſatanæ in Scripturis tribuitur.

Petit igitur per preces fidelium liberari à malis, importunis ac peruerſis hominibus. Quare? Quia omnis illorum conatus eò tendebat, ut curſum Euangelij Dei impedirent. Non tam ſibi conſuli hac in re cupiebat, quàm conatibus improborum reſiſti, quo curſus Euangelij inoffenſe propagari poſſet. Qui autem illi fuerint, non exprimit. Alij exponunt de prorſus alienis à Chriſto, incredulis uidelicet Iudæis, à quibus & Rom. 15. liberari cupiebat, ubi ſic dicit: Vt me laborantem adiuuetis precationibus pro me ad Deum, ut liberer ab incredulis in Iudæa, &c. Alij uerò intelligunt de pſeudapoſtolis & falſis fratribus, qui & ipſi quidem nomen Chriſti profitebantur: uerùm reprobi erant circa fidē & Euangelium illius, ideoque Apoſtolatui Pauli ubique reſiſtebant: qualis erat Alexander ærarius, & conſimiles alij multi. Dubium non eſt, quin multo plus periculi ac molestiarum ab illis acciderit Apoſtolo quàm ab alienis, & nomen Chriſti palàm blaſphemantibus ſiue Iudæis, ſiue ethnicis. Quare præter rationem non eſt, quòd ſentit ſe libero curſu Euangelium Dei propagare non poſſe, niſi ab importunis illis & peruerſis hominibus cœleſti auxilio liberetur. Et nos hodie abundè experimur, quanto diſcrimine falſorum Chriſtianorum malicia, improbitas & peruerſitas Turcorum ſtudia aduerſus ueritatem Dei excellat, uſqueadeò ſcilicet, ut quemadmodum Dauidi tutius erat agere inter incircumciſos Philiſtæos, quàm inter circumciſos Iudæos: ita etiamnū ſecurius ſit homini Euangelico uiuere inter Turcos, quàm inter Antichriſtianos pſeudadelphos, Chriſtianorum baptiſmate tinctos.

Non enim omnium eſt fides, inquit.] Reddit rationem, quare periculum ſibi ſit ab improbis & peruerſis hominibus: propterea uidelicet, quòd reperiantur in Eccleſijs homines circa fidē reprobi, ſitque uera Chriſti fides non mox omnium eorum qui Chriſtiani uideri uolunt. A' ueris fidelibus nihil erat illi periculi, erat uerò multum à falſis: qui quemadmodum non erāt fideles, ita erant & improbi ac peruerſi, ſanam Euāgelij doctrinā ferre non ualentes, adeoq; & curſum illius quouis modo impedire molientes.

Poterat dicere, Sunt enim tales multi: uerùm maluit generalem hanc gnomen ponere, non omnium eſſe fidem: per quam admoneamur, non debere nobis mirum uideri, ſi incidamus in malos & improbos homines, falſò religionem Chriſti profitentes: denique ne offendamur, ſi multos à doctrina fidei abhorrere uiderimus. Neceſſe eſt enim, ut hæc fiant, quandoquidem ſic eſt comparata Chriſtiana fides, ut omnium eſſe non poſsit.

Poteſt hæc particula uariè accipi, qua de re obiter admonendus eſt Lector. Si roges, quomodo fides non ſit omnium: alius dicit, quatenus non omnes fidem habent: alius, quatenus non omnes doctrinam fidei audiunt: adhuc alius, quatenus etſi omnes audiant, non tamen omnes quæ audiunt, fide accipiunt. Sanè hæc omnia uera ſunt. Apoſtolus tamen nihil horum dixit: ſed, Non enim omnium eſt fides, inquit. quibus uerbis non perſtringit ſimpliciter eos qui nondum credunt, ſed reprobos: qui, ut reprobi fidei capaces eſſe non poſſunt, quæ reproborum non eſt, ſed electorum tantum. Si roges quare non ſit in omnibus ſcientia, prima ad Corinthios capite octauo, reſponderi poteſt: uel, quia non omnes docentur: uel, quia non omnes diligenter diſcunt: uel, quia non omnes amant ſciētiam: uel, quia non omnes ualent ingenio ad diſcendum. Poſſunt hæc ueraciter reſpōderi. uerùm ſi dicas, Quare non omnium eſt ſcientia? reſpondendum uidetur, quia non omnibus datum

est à Deo, ut docti euadant. Consimili modo, cùm Apostolus hic dicit, Nõ enim omnium est fides, nõ hoc tantum dicit, quòd non omnes fidem habeant: sed quòd non detur omnibus à Deo, sed electis tantum. Cum Christus Actorum 1. dicit, Non est uestrum scire tempora & articulos temporum, quos pater in sua ipsius constituit potestate: non simpliciter dicit eos ne scire tempora, &c. sed scientiam hanc non esse ipsis destinatam à Deo.

Sed fidelis est Dominus, inquit, *qui stabiliet uos, & custodiet à malo.*] Dicens, Non enim omnium est fides: non sibi tantum, sed & ipsis periculum esse à falsis fratribus, reprobis ac peruersis hominibus significauit, ideoque mox consolationem subiecit ad ipsos pertinentem. Poterat dicere: Sed fidelis est Dominus, qui stabiliet me, & custodiet à malo: uerùm quoniam cõmune illis & ipsi periculũ erat ab improbis & peruersis hominibus, imò ab ipso satana: maluit sic loqui, ut intelligerent simul non sibi tantùm, sed & ipsis fidelem esse Dominum, qui non sit ipsos deserturus, sed stabiliturus & custoditurus à malo.

De eo quòd fidelem dicit esse Dominum, alibi diximus, uide prima Corinth. 10, 2. Cor. 1. 1. Thess. 5.

In eo quòd dicit, Qui stabiliet uos, & custodiet à malo: geminum opus diuinæ protectionis exprimit, qua fideles in hoc seculo contra omne genus tentationum & afflictionum in uera fide conseruantur. Primò, stabilit illorum corda, contra omnem hæsitationem ac fluctuationem, dum eos firmos & immotos in fide, spe ac patientia reddit. Deinde custodit eos à malo ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, id est, à peruerso, satana uidelicet, non permittẽs illi ut eos pro malicia sua tentet, suprà quàm ferre queant. Et hac custodia Deus non modò stabiles, quorum ipse cõrda firmauit, sed & infirmos in fide, ne perinde atque firmi tentationib. satanæ impetantur, custodit & conseruat, ut in pace tantisper agant, dum acceptis uiribus minori cum periculo rebus aduersis exerceantur. Hæc igitur speranda nobis, tanquam summè necessaria, & petenda sunt à fideli Domino, nõ modò dum in tribulationibus, sed & dum adhuc in pace cõstituti sumus.

Confidimus autem per Dominum de uobis, quòd quę præcipimus uobis, & faciatis, & facturi sitis. Porrò Dominus dirigat uestra corda in dilectionem Dei, & in expectationem Christi. Præcipimus autem uobis, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut subducatis uos ab omni fratre, qui inordinatè se gerit, & non iuxta institutionem quam accepit à nobis.

Hinc ad conclusionem usque Epistolæ præcipit Thessalonicensibus, quomodo se debeant ordinatè gerere, secundum institutionem, quam tradiderat ipsis. Tractat autem causam hanc satis diligenter, quoniam antea traditam ipsis institutionem à nonnullis cõtemni audiebat. Confidimus autem per Dominum de uobis, &c. Habent ista præfationem, qua cauet, ne non admodum bene de ipsis sentire, sed quod à nonnullis delinquebatur communiter omnibus imputare uideatur. Sinistram hanc suspicionem prudenter auertit, dũ sibi persuasum de ipsis esse dicit, quòd quæ præcipiat faciant, facturique sint in posterum.

Confidimus autem per Dominum de uobis, inquit.] Non dicit, Scimus autem: sed, Confidimus. Non significat quid sciat, sed quid confidat, quidque sibi persuadeat & polliceatur de illis. Candidi ac synceri pectoris argumentum est, si quis bene de aliquo sentiat, credat, speret & confidat, etiamsi certus non sit, recte ne uel secus confidat. Non autem sic tantum animatus erat, Apostolus erga Thessalonicẽses, sed id eos quoque scire uolebat, ne diuersum suspicantes, institutam admonitionem minus commodè ferrent.

Addit, Per Dominum, Græcè est ἐν κυρίῳ, i. In Dño. quod uarijs modis accipi potest. Aut, ut idem sit, quod In obedientia uestra erga Dominum. Sic nonnulli exponunt. Aut, ut sit, Propter Dominum, in nomine Domini, in causa Domini. Aut, In gratia Domini. Chrysost. sic: πέποιθε, τῇ φιλανθρωπίᾳ αὐτοῦ πιστεύων, λέγει. Spe gratiæ & opis Domini bene confidebat de Thessalonicensibus, ideoque adiecit, In Domino: ne quid hac in re carnis uiribus tribuere uideatur. Si respiciamus carnis iusticiam & uirtutem, non est ut de quoquam mortalium confidamus, quòd firmus sit permansurus in bono: uerùm si consideremus gratiam Domini, qua necessitatibus fidelium suorum succurrit, illius respectu de quolibet fratre bene sperare poterimꝰ. Fiducia hæc, qua omnia bona nobis de fratribus pollicemur, partim ex fide gratiæ Dei, partim ex charitate nascitur. Qui credit opem Domini paratam esse fidelibus, ex hac fide, quanuis nihil tribuat carni: hanc tamen fiduciam sibi concipit de fratribus, quòd cõstantes sint in uera fide ac pietate permansuri. Et qui diligit fratres, pro natura charitatis omnia de illis credit, & omnia sperat, quæ sint recta ac syncera.

Quod quæ præcipimus uobis, inquit, *& faciatis, & facturi sitis.*] Nisi hac erga illos fiducia præditus fuisset, haudquaquam quæ facere deberent præcepisset. Alias enim frustra illis præcepta dedisset. Quis nam medicus ita desipit, ut ægrotis quæ faciant præcipit, si sciat illos

sibi

sibi haud fore obtemperaturos? Quemadmodum igitur ægroto medicus ex eo quid faciat, præcipit, quod facturū id fore confidit: ita & Apostolus, quoniam confidebat de Thessalonicensibus, quòd facerent, facturiq; essent, quæ præcipiebat, diligenter officium suum erga illos exequtiur, & fideliter quæ faciant præcipit.

Consimilis fiducia summoperè necessaria est ministris Christi, sine qua fieri non potest, ut diligenter ac fideliter populum Domini doceant, corripiant, confirment & consolentur: quę omnia tum sedulò facient, si confidant, quòd labor ipsorum non sit inanis futurus in Domino. Sciendum quidem est, fidem & obedientiam non esse omnium: iuxtà tamen confidendū est, nec incredulitatem & inobedientiam esse omnium. Aliud esse, quòd fides non est omniū: & aliud, si dicatur, quòd sit prorsus nullius. Satis sit, si aliqui credant & obediant. Propter illos facienda sunt omnia, quo lucrifiant: sicut Apostolus omnibus factus est omnia, quo saltē aliquos lucrifaceret.

Et faciatis, inquit, *& facturi sitis*] Non simpliciter, Faciatis: sed, Et facturi sitis, inquit. Non est satis initiò quidem obedire præceptis, nisi porrò id facientes, perseueremus in obedientia. Aegroto nō sufficit ad recuperandā integrā sanitatē, si semel atq; iterū præscripto medici sui obtēperet, postea uerò desinat: sed opus est, ut faciat hoc cōstanter, donec plenè conualescat. Consimilis est & nostra conditio, qui præscripto Apostolico ad ueram salutem instituimur.

Porrò Dominus dirigat uestra corda in dilectionem Dei, inquit, *& in expectationem Christi.*] Græcè est, ὁ δὲ κύριος, id est, Dominus uerò, quod rectius legitur, quàm, Porrò Dñs: sicut & aliàs monui. Deinde illud, In expectationem Christi, in Græco est, εἰς τὴν ὑπομονὴν τοῦ χριστοῦ: id est, In patientiā Christi. Rursus more suo immiscet apprecationē, optans illis gratiā operationis Dei, per quā corda illorū dirigātur, ad diligēdū Deū, & perseuerādū in patiētia afflictionū Christi. Significat haud fore eos cōstāter obediētes in faciēdis ijs q̄ præcipiebat, nisi Deū syncero corde diligāt, & ppter Christū oīa aduersa cōstāter pferāt, imò nisi Deus ad utrūq; corda ipsorū dirigat.

Dñs uerò dirigat corda uestra in dilectionē Dei, inquit.] Corda nostra sic sunt cōparata, imò depraua ta, ut nisi spiritu Dei dirigātur, distorta sint ac puersa, praua & ab oñi uera pietate ac iusticia mirū in modū auersa. Prauū est cor hominis & inscrutabile, &c. Hier. 17. Optat igitur, ut corda fideliū dirigātur à Domino, in uerā dilectionē Dei, quę infunditur nobis per spiritū Dñi, Rom. 5. Quare & nobis indesinēter orandū est pro directione hac spiritus Dei, ne affectib. carnis abrepti, exorbitemus à uera dilectione Dei ac ꝓximi in φιλοξίαν, φιλοδοξίαν, φιλαδελφίαν & φιλοπορνίαν.

Et in patientiā Christi, inquit.] Potest hæc particula bifariā accipi. Si legerimus cum Eraſm. Et in expectationē Christi: intelligendū est de expectatione qua firma fide ac spe aduentū Christi expectāt fideles. Si cū uetere interprete placuerit legere, Et in patientiā Christi: accipiēdū est de patientia afflictionū, q̄ propter Christū inferūtur fidelib. in hoc seculo. Vtrūq; sensū amplexus est Chrysost. Sic. n. exponit, τί ἐστιν, εἰς τὴν ὑπομονήν; ἵνα ὑπομένωμεν ὡς ἐκεῖνοι καὶ ὑπέμειναν, ὦ ἵνα ἐκείνας πράξωμεν ἃ καὶ ἵνα μὴ ὑπομένῃς ἀναμένωμεν αὐτὴν, τουτέστιν, ἐμπαράσκευοι ὦμεν. ἐπειδὴ γὰρ πολλὰ ἐπηγγείλατο καὶ αὐτὸς ἤρξατο κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, ἵνα ἀναμένωμεν αὐτὴν, καὶ ὑπομένωμεν. ἵνα δὲ ἂν ὑπομονὴν λέγῃ πάντως θλῖψιν αὐτὸ δέδεικται, τοῦτο γὰρ ἦν ἀγαπᾶν τὸν θεὸν, τὸ ὑπομένειν, καὶ μὴ διαρρᾶδαι. Hæc ille. Ambrosius priorem lectionē posuit ad hūc modū: Dñs aūt dirigat corda uestra in dilectione Dei, & expectatione Christi, & exposuit hisce uerbis: Hoc illis exoptat à Deo, quod nō ambigit posse præstari, ut in charitate Dei cor eorū proficeret ad expectandum aduentū Domini, ut contempto seculo desideretur aduentus eius, qui seculum uicit. Hunc Erasmus in uersione sua sequutus est.

Diligenter aūt obseruandū est, quòd dilectionē Dei, & patientiā Christi cōiungit. Reuera ubi in cordib. nostris locū obtinet dilectio Dei, ibi firma & insuperabilis est patientia Christi, sic ut nullis afflictionib. superari possimus. Expresit hoc Apostolus Rom. 8. dicēs: Sed in his omnib. supamus ꝓpter eū, qui dilexit nos. Certus. n. sum, quòd neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates: neq; instātia, neq; futura: neq; altitudo, neq; pfūditas, neq; ulla creatura alia poterit nos seperare à dilectione Dei, q̄ est in Christo Iesu Dño nostro.

Percommodè autem patientiam fidelium Christo adscribit. Non dicit, In dilectionem & patientiam Dei: sed, In dilectionem Dei, & patientiam Christi. Mundus hic affligit fideles, non tam propter Deum quàm propter Christum. Non uult Deo, sed Christo aduersari uideri. Et Iudæi plurimùm de dilectione Dei gloriabantur, & hodie quoq; gloriantur, quemadmodum & Turci. Competenter igitur neq; simpliciter dicit, Dominus dirigat corda uestra in dilectionem Dei, ne dicat Iudæus, Atqui illam habemus & nos: sed addit, Et patientiam Christi in qua separamur à cæteris omnibus, à fide Christi alienis. neq; dicit, In dilectionem ac patiētiam Dei: ne patientiam Christianorum cum ea confundat, qua & Iudæi pro Deo suo multa à gentibus perpeti se iactant. & illud Psalm. 44. כי עליך הרגנגר כל היום נחשבנו כצאן טבחה id est, Quoniam propter te occidimur tota die: uel, Omnibus diebus, reputamur instar ouium mactationis, &c. sibi uindicant. quæ uox non est carnalis Israelis, sed spiritualis, uerorum scilicet, piorum ac fidelium Dei.

Præcipimus aūt uobis fratres, inquit, *per nomē Dñi Iesu Christi, ut subducatis uos ab omni fratre qui inordinatè se gerit, et non iuxta institutionem quam accepit à nobis.*] Hactenus præfatiuncula ad præparandum illorum corda usus est: iam subijcit, de qua nam præceptione loquatur, imò eā ipsam ponit,

dicens: Præcipimus autem uobis fratres, &c. ut subducatis uos ab omni fratre, qui inordinatè se gerit, &c. Præcipit hoc generaliter omnibus, infrà uerò specialiter præcipiet ἕτερον. Duo illis præcepta proponit in hac causa, quæ omnes communiter Christianos concernunt. Vnum est, ne quis inordinatè & inquietè se gerat, sed suum quisq; panem proprijs manibus laborando comedat. qua de re & Epistola precedente, cap. 4. præcepit. Alterum, ut cõmuniter omnes ab omni se fratri subducãt, qui inordinatè se gerit, quod hic statuit. Cũ apud eos esset, simpliciter illis prius præceptum proposuit, sperans fore ut sibi obtemperarent omnes. Posteaquam uerò intellexit, quòd nonnulli illud in ipsius absentia contemnerent, ac diuersum agerent: tum demum reliquis omnibus per hanc Epistolam denunciauit, ut ab illis sese subducerent. Ideo non dicit in præterito, Præcepimus: sed in præsenti, Præcipimus autem uobis.

Per nomen Domini nostri Iesu Christi, inquit.] Græcè est, ἐν ὀνόματι τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ: id est, In nomine Domini nostri Iesu Christi. & ea lectio retineri poterat. Est autem præcipere aliquid in nomine Domini nostri Iesu Christi, nihil aliud, quàm ex authoritate ac potestate ab illo accepta, & ipsius loco, perinde præcipere ac si ipse illud præsens in propria persona præcipiat. Huiusmodi autẽ in Ecclesia Dei præcipiendi authoritas ac potestas esse non potest, nisi eorum qui illam à Domino acceperunt. Solenne est Romanis pontificibus, ut imperium suũ exercentes, quæcunq; uolunt in nomine Dei præcipiant: cum tamen nihil eiusmodi potestatis à Domino acceperint. Sed hac de re in Locis nostris, titulo de Nomine Dei diximus.

Vt subducatis uos, inquit, *ab omni fratre qui inordinatè se gerit, &c.*] Exprimit quid ipsis præcipiat: quomodo uidelicet gerere se debeãt erga immorigeros, qui contẽpto Apostolico præcepto, inordinatè uiuunt. Vt subducatis uos (inquit) ab omni fratre, qui inordinatè se gerit, & non iuxta institutionem, quam accepit à nobis. Non dicit, Vt excommunicetis eum qui inordinatè se gerit: sed, Vt subducatis. Vel, ut uulgata Latina habet, Subtrahatis uos. Qui ociosè ac curiosè circũeunt, in more hoc habent, ut eos qui operis aliquid faciunt, nugis suis remorẽtur, atq; ita sese illis insinuent, ac mensæ illorum insidientur. Monet igitur, imò præcipit, ut subducant se ab illis, nec aliquid loci curiositati ac nugacitati illorum præbeant, quo confusi resipiscant: & intelligant, quàm displiceat fratribus ipsorum ocium, ignauia & curiositas. Sic intelligo uerbum hoc στέλλεσθαι, quo utitur hic Apostolus. Existimo subductionem hanc nõ eam esse, de qua 1. Cor. 5. præcipit, dicens: Si quis cũ frater appelletur, fuerit scortator, aut auarus, aut simulacrorum cultor, aut conuiciator, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi ne cibum quidem capiatis. Quantum enim discriminis est inter ociosum ac curiosum, & eum qui criminibus illis quæ illic recensẽt, deditus est: tantum puto differt ista subductio, qua declinamus ab ocioso, ab illa abalienatione, qua ne cibus quidem sumendus est cum scortatore, auaro, simulacrorum cultore, conuiciatore, ebrioso, ac rapaci fratre.

Potest etiam uerbum στέλλεσθαι hoc loco accipi pro constringere, contrahere, uel, si mauis, retrahere: ut sit sensus, Volo ut constringatis ac retrahatis uos, id est, omnem uestram cõsuetudinem cùm uerborum, tum largitionum & communicationis, ab omni fratre qui inordinatè se gerit. Charitas non constringit, sed dilatat & extendit se erga fratres, quibus ex animo ac largiter communicat suæ omnia. Contrarium huic est στέλλεσθαι hoc, de quo loquitur Apostolus, præcipiens fidelibus ne facultates suas communicent ociosis ac curiosis hominibus, sed retrahant eas, quo tandem pudore affecti resipiscant. Maiores nostri profusione bonorum suorum ociosos & inutiles homines in Ecclesijs passim magno numero saginare cœperunt, id quod posteri iam in Papatu nolint uelint, facere coguntur.

Ab omni fratre, inquit.] Non simpliciter à quolibet, sed ab omni fratre, id est, Christiano. Sic & 1. Cor. 5. Si quis frater nominatur, inquit. Ergo præceptum hoc non habet locũ in illis qui sunt extranei & alieni à Christo: sed in illis qui cum Christo nomen dederint, ociosi & curiosi inter Christianos uiuunt.

Dixerit quisquã: Quid si frater eiusmodi ociosè & curiosè inter Christianos agens, sit mihi pater secundũ carnem? Teneor ne uigore huius præcepti constringere ac retrahere ab illo beneficentiã meam, quã liberi parentib. suis secundũ legem Dei, ipsi quoq; naturę inditã, debent? Si aperuero illi manũ, negligo præceptũ Apostoli: si clausero, transgredior legẽ Dei, & inhumanus, imò impius in parentẽ fio. Quid igitur faciam? Respondeo: Legẽ Dei non reddit irritam præceptum Apostoli. Quod hic præcipit, præcipit Christianis: non ut filijs, sed ut Christianis. Vt Christianus erga Christianũ, serua quod præcipit Apostolus: ut filius erga parentes, imple legẽ Dei, sic tamen ut si Christiani sint & ipsi, reuerẽter illis subinde eorũ quæ Christianos decẽt admoneas. Consimili moderatione & uxor erga maritũ suum utetur.

Cogitandũ etiam hic est de ualidis mendicis & circulatorib. qui nihil operis faciẽtes, toti sunt ociosæ & inhonestæ mẽdicitati dediti, quorũ iam tantùm uidemus esse numerũ, ut nemini mirũ esse debeat, quòd omnia sũt furtis, pditionib. latrocinijs & incẽdijs repleta: quos magistratus mox initio ad operandũ aliquid honesti cogere, uel certè prorsus abigere debebat. Hic omnino Christiani hominis est, ut manum suam claudat & retrahat.

Qui

Qui inordinatè se gerit, inquit.] In præcedenti Epistola, cap. 5. mentionem τῶν ἀτάκτων, id est eorum qui inordinatè se gerunt, fecit dicens: Admonete inordinatos. ubi de sensu uocis huius diximus. Inordinatè se gerit, qui ordinem suum ac stationē deserit, cui deputatus est à Deo. Nemini concessum est ingnauum ocium, sed omnibus iniunctum, ut pro sua quisque conditione quod honestum est, operetur. Nec Deus ipse ociosus est, nec ulla creatura quiescit: & quomodo homini conuenire poterit ocium, nedum Christianis, filijs Dei, quorum uox esse debet cum Christo: Pater noster operatur adhuc usq;, & nos operamur? Chrysostomus neminem hic excipiens, dicit: μή μοι τὴ πάσσιν ἄπτεις, μή μοι τὸν πένητα, μή μοι τὴ ἁγίαν. τοῦτο ἀταξία ἐστί. Itaque nec opes, nec egestas, nec uitæ sanctimonia ignauum ocium excusant, sed ordo laborandi diuinitùs institutus, omnes tam diuites quàm pauperes, tam religiosos, ut uocant, quàm laicos ac plebeios constringit. Præter rationem non est, quòd tria hæc hominum genera nominat Chrysostomus. Videmus enim ocio cum primis esse deditos diuites, qui delicijs & luxu dissoluuntur, corrumpuntur ac pereunt: pauperes, qui ociosè mendicitati per omnē uitam dediti oberrant: religiosi, qui sub prætextu religionis usqueadeò sectantur turpe ocium, ut piaculum admittti putent, si quisquam ipsorum operis aliquid faciat. Et interim sententiam Apostoli ne tantilli quidem faciant, qua τῆς ἀταξίας accusantur.

Et non iuxta institutionem, inquit, *quam accepit à nobis.*] Quæ fuerit illa, expressè Cap. 4. præcedentis Epistolæ legimus, ubi sic scribit: Obsecramus autem uos fratres, ut abundetis magis, & in hoc incumbatis, ut quieti sitis, & agatis res proprias, & operemini proprijs manibus uestris, sicuti uobis præcepimus, ut uos geratis honestè erga extrarios, & nulla re uobis sit opus. Hāc illis institutionem, cùm apud eos esset, primùm uerbo doctrinæ, deinde & suo ipsius exemplo tradiderat. De uerbo, uidere est loco iam citato: de exemplo, confestim hic subijcit.

Quam accepit à nobis, inquit.] Non dicit, Iuxta traditionem nostram, ne sibi illam adscribat: & tamen addit, Quam accepit à nobis. Domini erat, uerùm per ministerium Apostoli tradita & accepta, quemadmodum & reliqua Euangelij doctrina.

Neque dicit, Quam tradidi uobis: sed, Quam accepit à nobis. Grauius peccat, qui non modò traditum, sed & acceptum à se præceptum transgreditur. Multa docentur ac traduntur à doctoribus, quæ tamen non mox ab omnibus accipiuntur. Qui non accepit, minus culpabilis est, si non seruet quæ non accepit: qui uerò non modò audiuit, sed & probauit & accepit, non inobedientiæ tantùm, sed & inconstantiæ culpam incurrit, si quæ accepit transgreditur.

Nam ipsi scitis, quomodo oporteat imitari nos: quoniam nō inordinatè gessimus nos inter uos, neque gratis panem accepimus à quoquam: sed cum labore & sudore nocte ac die facientes opus, ad hoc ne cui uestrūm essemus oneri. Non quòd id nobis nō liceat, sed ut nosmetipsos formam exhiberemus uobis ad imitandum nos. Etenim cum essemus apud uos, hoc præcipiebamus uobis, ut si quis nollet operari, is nec ederet. Audimus enim quosdam uersantes inter uos inordinatè, nihil operis faciētes, sed curiosè agentes. Iis autē qui sunt istiusmodi præcipimus, & obsecramus per Dominum nostrum Iesum Christum, ut cum quiete operantes suum ipsorum panem edant.

Rationem reddit, quare debeant se ab omni fratre retrahere, qui inordinatè se gerit, & nō secundum institutionem ipsius, quam ab ipso accepit. Neq; enim simpliciter dicit, Ipsi scitis: sed cum adiecta rationali uocula, Nam ipsi scitis, quomodo oporteat imitari nos. Q. d. Non hoc tanquam ignorantib. præcipio. Haud enim ignari estis institutionis meæ, pariter & exēpli. Quare cum sciatis, quàm non deceat quenquam ex uobis, ut acceptam à nobis institutionem præuaricetur: debetis uos ab eo qui id facere præsumit, retrahere donec resipiscat. Ergo qui sciunt, quid faciendum, quidq; uitandum sit homini Christiano, haud satis inculpabiles sunt, si ipsi rectè uiuant, nisi etiam ab illis se, qui inordinatè se gerunt, retrahant. Non dicit, Ipse namque scit: sed, Nam ipsi scitis, quomodo oporteat imitari nos, quo conscientias ipsorum testetur.

Quomodo oporteat imitari nos, inquit.] Non simpliciter dicit, Quòd oporteat imitari nos. Non requirit, ut in omnibus se indiscriminatim imitentur, sed modum præscribit, dicens: Quō oporteat imitari nos. Et de hoc confestim subiungit. Non est Apostolus Christi mox in omnibus, quæ facit imitandus fidelibus. Alia facit, ut Apostolus: alia ut Christianus. Et quæ ut Apostolus facit, alia sunt propriè ad Apostolatum pertinentia, alia accidentalem habent cōditionē. Priora omitti non possunt sine culpa, posteriora uerò p qualitate eorū cū quib. agendum est, uel usurpanda sunt, uel omitti possunt. Quæ facit ut Christianus, ea demū omnibus sunt fidelib. imitanda. Et huc pertinet præsens causa de qua scribit, dicēs: Nā ipsi scitis, quō oporteat imitari nos. Non dicit, Quō iusserim, uel deceat uos: sed, Quō oporteat imitari nos.

Est autem emphasis in uocula, Nos. Q. d. Quomodo oporteat imitari nō subintroeuntes illos fratres ociosos, curiosos, uentris seruos, de aliorum laboribus uiuentes: sed, Nos. Quòd autem pseudapostoli curiosè, & ociosè, nihil operis facientes, circūierint, & interim uentrib.

suis

ſuis ex aliorum laboribus conſuluerint, locis aliquot epiſtolarum Pauli patet. Quare præter rationem non eſt, quòd fideles ab illorum exemplo ad ſui imitationem auocat.

Quoniam non inordinatè geſſimus nos inter uos, inquit.] Exponit quid in ſe imitari debeant. Proponit autem exemplum ſuum bimembri partitione, dum primò memorat, quid non fecerit: deinde ſubiungit, quid fecerit. Ad prius pertinet, quòd dicit, Quóniam non inordinatè geſsimus nos inter uos, neq; gratis panẽ accepimus à quoquam: ad poſterius uerò quod ſubijcit, dicens, Sed cum labore ac ſudore nocte dieq; facientes opus. De ἀταξία, quam uitauit, dictum eſt in præcedentibus. Non ſimpliciter dicit, Non geſsimus nos inordinatè: ſed addit, Inter uos. Q. d. Quomodo me geſſerim, non eſt à uobis abſconditum. Nam inter uos ſic uixi, ut fateri cogamini, haudquaquam fuiſſe me inordinatæ uitæ ignauiam ſequutum, & gratis accepiſſe panem à quoquam: id quod utrunq; pſeudapoſtoli faciunt.

Neq; gratis, inquit, *panem accepimus à quoquam.*] Græcè eſt, δωρεὰν: id eſt, Ex dono. Δωρεὰν accipit panem, qui accipit, nec precij, nec commutationis alicuius, nec laboris interuentu, ſed ex libero ac gratuito dono. At ſic accipere panem à fratre, ſine culpa fieri poſſe uidetur. Alioqui nihil loci inter Chriſtianos erit eleemoſynæ in pauperes, orphanos, uiduás & exules erogandæ. Nam ſi gratuitum panem accipere non licet, inanis erit omnis beneuolentia, ad dandum egenis propenſa. Quorſum enim gratis daretur, ſi gratis accipere non liceret?

Reſpondeo: Non erat Apoſtolus egenus & pauper, uel ęgrotus, cum ageret Theſſalonicę, ut neceſſe ipſi fuerit, uel fame perire, uel gratis accipere panem: ſed erat uſqueadeò ualidus adhuc & incolumis corpore, ut poſſet operis aliquid facere, indeq; panem non gratis, ſed iuſto labore acquiſitum accipere. Quare nõ proponit exemplum ſuum egenis & inualidis, ſed ſanis, & operandi facultate præditis, quibus omnino turpe eſt ociari, & interim panem gratis ex aliorum laboribus ad Chriſtiani nominis dedecus accipere. Hos omnes uocat ad exẽpli ſui imitationem, inualidos uerò & egenos liberæ fratrum beneuolentiæ & communicationi permittit.

Cogitandum autem hic eſt diligenti Lectori, quanto dedecori ſint Eccleſiæ Chriſti, qui fraude, malis artibus, Symonia, ficta ſanctimonię ſpecie, furto, rapina, & tyrannide panem accipiunt, imò extorquent à populo Chriſti: ſi tanquam inhoneſtè ſeſe gerentes, uitandi ſunt, qui non ex laboribus ſuis, ſed gratis ac dono accipiunt à fratribus unde uiuant.

Sed cum labore ac ſudore, inquit, *nocte dieq; facientes opus, ad hoc, ne cui ueſtrùm eſſemus oneri.*] Eadem & capite ſecundo præcedentis Epiſtolæ dixit, ubi quæ cogitanda ſint, annotauimus.

Non quòd id nobis non liceat, inquit.] Græcè eſt, οὐχ ὅτι οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν: id eſt, Non quòd poteſtatẽ non habeamus: intellige, panem gratis accipiendi, cum ſim Apoſtolus Chriſti. Cauet ne facto ſuo iuri Appſtolatus derogare uideatur. Poteſtatem habet qui laborat in operẽ Domini, de labore ſuo uiuendi. Hanc 1. ad Corinthios nono, diligenter ac fuſè aſſerit, ubi hanc materiam tractauimus.

Sed ut nõſmetipſos, inquit, *formam exhiberemus uobis ad imitandum nos.*] Exponit, quorſum noluerit panem à quoquam gratis accipere, nec oneri eſſe cuiquam ex ipſis: ad hoc uidelicet, ut ſemet ipſum formam proponeret, quam imitarentur. Non erat contentus doctrina ac traditione, ſed uiuum illis facti ſui exemplum, quod ob oculos haberent & imitarentur, propoſuit. Non autem Theſſalonicenſibus tantùm, ſed & Philippenſibus typum ſemetipſum exhibuit. ſicuti uidere eſt cap. 3. ubi dicit: Conſiderate eos qui ſic ambulant, ſicuti nos typum habetis. Et Timotheum hortatur, ut fidelium typus ſit in uerbo. Et Titum quoque admonet, ut ſeipſum typum bonorum operum exhibeat, cap. 2. Et à ſenioribus requirit Petrus, ut typi ſint gregis Domini, 1. Pet. 5.

1. Timot. 4.

Vide autem qualem typum fidelibus in facto ſuo propoſuerit. Poterat ipſe optimo iure panem accipere ab illis quibus Chriſtum prædicabat: & ſi hoc feciſſet, nequaquam dici potuiſſet, quòd gratis acciperet panẽ. Eſt enim, Chriſto quoq; teſte, operarius cibo ſuo dignus. Nihilo tamen minus iure ſuo nõ utebatur, ſed ne gratis ali uideretur, labore manuum ſuarũ uictum quærebat, quo ſpeciem ἀταξίας uitaret, & typum fidelibus, quem imitarentur, proponeret. Quanto quæſo conuenit amplius, ut qui non laborant in opere Domini, panem comedant non gratis in ocio acceptum, ſed laboribus ſuis acquiſitum? Quid enim ocio ſuo præ texit homo plebeius, quo poſsit excuſari, ubi uiderit ipſos Apoſtolos & reliquorum ordinũ uiros, quib. officiorũ gratia debetur uictus, laborib. ſuis quęrere unde uiuãt, ne cui ſint oneri?

Etenim cum eſſemus apud uos, inquit, *hoc præcipiebamus uobis, ut ſi quis nollet operari, is nec ederet.*] Exponit quid ipſum ad hoc mouerit, ut nollet iure ſuo uti: ſed manibus ſuis laborando uictum nõ gratuitum, ſed promeritũ accipere. Etenim (inquit) cum eſſemus apud uos, præcipiebamus hoc uobis, ne quis ocioſè & inordinatè ſe gereret: nec ederet, qui operari nollet. Quo igitur minus excuſationis haberent eiuſmodi ignaui homines, neceſſariũ arbitratus ſum, ut ipſe cũ primis operando exemplum uobis omnibus proponerem, quod ſinguli imitarentur.

Obſeruanda eſt hæc ratio, quam Apoſtolus de facto ſuo reddit. Quoniam denunciauerat fidelibus Theſſalonicenſibus, ut ſi quis nollet operari, non ederet: in uanum ſe id illis præci-

præcipere existimabat, si non eadem regula incederet & ipse: immò turpe sibi uideri posse, si aliud præciperet Ecclesiæ Dei, & aliud ipse faceret. Habent hic ministri uerbi, pastores ac doctores, quod imitentur. Sic conuenit & ipsos esse animatos, ut cogitent, frustrà se de faciendis præcipere fidelibus: nisi quæ præcipiunt, faciant & ipsi, etiam in rebus liberis: nedum in ijs quæ necessaria sunt, & sine culpa à nemine fidelium omitti possunt.

Vt si quis nollet operari, inquit, *is nec ederet.*] Non dicit simpliciter, Vt si quis non operaretur: sed, Vt si quis nollet operari. Aliud est, non operari: & aliud, nolle operari. Non operantium duo sunt genera. Vnum, eorum qui non possunt: alterum, eorum qui nolunt operari, quantumuis possint, modò uelint. De posterioribus notanter loquitur, priores interim ab hac regula eximens. Nemo namque adigendus est ad ea quæ præstare non potest.

Is nec ederet, inquit.] Ergo fame occidendus est, qui nõ laborat? Non uetat quo minus edat: sed ne alatur de eo, quo alendi sunt pauperes Ecclesiæ, ne alimoniam illorum ignaui fuci absumãt. Non poterant fideles prohibere, quo minus ederent ocioſi cibum, uel suum ipsorum, utpote diuites: uel aliunde, siue ab ethnicis, siue à cõsanguineis acceptum. prohibere autem poterant, ne ederent de bonis Ecclesiæ: hoc est, ne assumerentur in numerum pauperum Ecclesiastica contributione alendorum. Verùm iam olim obtinuit in Ecclesijs Christi, ut qui nec manuario, nec Ecclesiastico labore operantur, de bonis Ecclesiasticis non modò edant, sed & lautè saginentur: & usqueadeò abundent, ut habeant quod in omnis generis uoluptates ac luxum profundãt, & eiusmodi opulentia cum principibus huius mundi certent: cum interim fideliter in opere Domini laborantibus, uix arido pane uesci detur: quasi præceperit Apostolus, ut qui operari nolunt, splendidè uiuant.

Audimus enim quosdam uersantes inter uos inordinatè, inquit, *nihil operis facientes, sed curiosè agentes.*] Non simpliciter dicit, Audimus quosdam: sed, Audimus enim quosdam uersantes inter uos inordinatè. Ergo habent ista rationem præcedentium. Dixit: Etenim cum essemus apud uos, hoc præcipiebamus uobis, ut si quis nollet operari, is nec ederet. At hic subiungendum fuisse uidetur, non, Audimus enim: sed, Audiebamus enim: ut sit ratio, propter quam præceperit eis, ut qui nollet operari, is nec ederet: propterea uidelicet, quòd audiret esse inter eos qui inordinatè se gererent, & nihil operarẽtur, sed curiosè agerẽt. Iam cum dicit, Audimus enim: perinde est ac si dicat, Sed tum, cum apud eos essem, præcepisse ipsis, ne ederet, qui operari nollet: propterea quòd iam, cùm ista scribit, audiat esse quosdam, qui inordinatè se gerant, & curiosè agant: quæ ἀτοπολογία & incommoda est, & non uera. Existimo igitur referendam esse hãc rationem ad id quod non proximè, sed aliquanto superius dixit, ad hunc modum: Præcipimus autẽ uobis fratres, per nomẽ Domini nostri Iesu Christi, ut subducatis uos ab omni fratre, qui inordinatè se gerit, & non secundum institutionem quam accepit à nobis. Illic desiderabatur ratio, propter quam id ipsis præciperet. Hanc distulit hactenus, donec eos de exemplo suo commonefaceret. Quo facto, subiungit rationem præcepti, quod dabat, dicens: Audimus enim quosdam uersantes, id est, uersari inter uos inordinatè, nihil operis facientes, sed curiosè agentes. Significat se illis propterea præcipere, ut retrahant se ab omni fratre qui inordinatè se gerit, quòd audiat esse inter eos qui inordinatè uersentur, nihil operis faciẽtes, sed curiosè agentes.

Nihil operis facientes, inquit, *sed curiosè agentes.*] Græcè est, μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους. Vtitur allusione uocum, perinde ac si de pseudepiscopis dicas, Non pascentes, sed depascentes: non ducentes, sed seducentes gregem Domini. Talis quædam loquutio est, qua hic utitur Apostolus dicẽs, Nihil ergazomenus, sed periergazomenus. Est autem περιεργάζεσθαι, nõ operari quæ sunt operanda: sed supfluis, inanib. curiosis uel alienis, & ad nostrã curã non pertinentib. occupari, quasi sit περίεργον ἐργάζεσθαι, quo interim honestos ac necessarios labores declines.

Non dicit simpliciter, Nihil operantes, sed ocioſè agentes: sed, Nihil operantes: imò quod peius est, Curiosè agentes. Turpè est homini Christiano, si sit ignauus, ocioſus & torpidus: quanto turpius autem sit, non modò ociari, sed & curiositatem inter fratres sectari, quis non uidet? Est autem plerunque curiositas insidiosa ocioſis hominibus. Est enim sic comparatum cor hominis, ut quietum esse nequeat: sed occupetur, si non honestis ac necessarijs, certè uanis & inhonestis cogitationibus ac curis, sic ut ocium fomentum sit curiositatis. Vnde & curiosas inquisitiones & cogitationes ad ocioſos reijcere solemus. Et reuera non debemus omnem illam curiosam, sophisticam & scholasticam scrupulositatem alijs hominibus, quàm ocioſis monachis. Quare prẽter rationem nõ est, quòd hoc genus ocioſorum ac curiosorum hominum Apostolus mox initio Christianæ institutionis, uitandum & coercendum esse, tam diligenter admonuit, immò præcepit. Prẽuidit enim, quantam pestem illaturum esset Christianæ religioni. Nec potuit hoc malũ uitari, posteaquam non solùm locũ inuenit in Ecclesijs, sed & ad ipsa usq; gubernacula religionis conscendit.

Iis autẽ qui sunt ijsmodi, inquit, *præcipimus et obsecramus, per Dñm nostrũ Iesum Christũ, ut cũ quiete operantes, suum ipsorum panem edant.*] Bimembri prẽcepto, ueluti duplici antidoto, glisceti malo resistit ac medetur. Prius est, quo suprà prẽcepit in genere omnibus, ut se retrahant ab omni fratre qui inordinatè uiuit: & non secundum institutionem, quam accepit. De illo dictum

dictum est suprà. Posterius est hoc præsens, quo ijs qui inordinatè se gerunt præcipit, ut cum quiete operantes suum ipsorum panem edant. Admonemur hac Apostoli diligentia, quomodo sit occurrendum in tempore gliscentibus in Ecclesia malis, sic ut frenum inijciatur exorbitantibus, & simul caueatur, ne reliqui illorum exemplis corrumpantur. Neque sic est inuehendum in eos qui delinquunt, ut de cæteris securi simus: neq; sic debemus integritate bonorum esse contenti, ut de delinquentium emendatione, quasi sit impossibilis, nulla cura tangamur: sed utrorumque competentem habere rationem, ut quod sanum adhuc est, seruetur, & quod infirmum curetur, sicut in hoc Apostoli exemplo expressus habetur typus.

Nec est, ut dicat quisquam: Quorsum hac est usus diligentia Apostolus, cùm futurum esset ut malum hoc crescceret in immensum, & prorsus redderetur incurabile? Etenim de efficacia admonitionum, correctionum & emendationum non est ourádum ministro: sed spectandũ, ut quod sui est officij, fideliter adimpleat, effectum uerò Domino ipsi commendet.

Iis autem, inquit, *qui sunt ejusmodi.*] Non simpliciter dicit, Istis: sed, Iis qui sunt eiusmodi. hoc est: Qui tales sunt, quales sunt de quib. audimus, quòd nihil operis faciant, sed curiosè agant. Talibus ista præcipit, non autem simpliciter omnibus qui non operantur manibus. Sunt enim multi, qui licet non operentur opere manuario, nec curiosè tamen, nec inquietè agunt: nec alienum panem, sed proprium edunt.

Præcipimus & obsecramus, inquit.] In priori præcepto simpliciter, Præcipimus autem uobis, inquit: in hoc posteriori uerò non solùm præcipit, sed & obsecrat. Ratio est, quòd illic præcipit sanis, hic uerò infirmis ac delinquentibus: quorum animos non solùm præcipiendo in uiam reuocandos, sed & obsecrando flectendos esse censet.

Per Dominum nostrum Iesum Christum, inquit.] In priori præcepto, Per nomen Domini nostri Iesu Christi, inquit. Ergo utrisq; tam integris quàm delinquentibus nomen & authoritatem Christi proponit. Huius sanè respectus plurimùm, & in omnibus cùm faciendis, tum uitandis inter Christianos ualere debet. Et habent hic ministri uerbi exemplum quod imitentur, quo & ipsi siue præcipiant aliquid, siue hortentur, siue obsecrent, ubiq; sic se gerant, ut summa cum religione queant Christi prætexere nomen: id quod tum facere poterunt, si & syncerè doceant, & nomen seruatoris Christi plurimi faciant.

Et illud obserua. Nomen Domini nostri Iesu Christi proponit Apostolus non modò integris ac cordatis fidelibus, de quibus dubitari non potest, quin religiosè sint erga illud animati: sed & illis qui inordinatè se gerunt, ociosis uidelicet & curiosis, & Apostolicæ institutionis transgressoribus. Ergo sic de illis sentiebat, quòd licet delinquerent, haud tamen eo usq; deprauati essent, ut religionem nominis Christi prorsus abiecissent. Alioqui quorsum eos prætextu illius obsecrasset? Admonemur iterum, ne facilè de emendandis fratribus desperemus.

Vt cum quiete operantes, inquit, *suum ipsorum panem edant.*] Græcè est, μετὰ ἡσυχίας: quod uerti potest, Cum silentio, quemadmodum & uulgata Latina habet. Ambrosius tamen, quem sequutus est Erasmus, legit, Cum quiete. Omnino loquitur non de quiete corporis (alioqui quomodo iniungeret illis operãdi laborẽ?) sed oris, quo molesti erãt fratribus, iam de reb. leuiculis admodum querulando, iam de superuacaneis & inutilibus rebus, curiosas ac scrupulosas quæstiones mouendo, & altercatione inter fratres serendo, quo ocium & ignauiam suam colore aliquo singularis zeli obducerent, ac simul uentri suo inseruirent: quales etiam nostra hac ætate multos ex Anabaptistarum secta oberrare uidimus. Iniungit igitur talibus silentiũ, cum operandi sedulitate coniunctum, tanquam præsentissimum aduersus inquietam curiositatem remedium.

Suum ipsorum panem edant, inquit.] Non simpliciter dicit, Edant: sed, Suũ ipsorum panẽ edant. Q.d. Non alienum, non egenis & inualidis debitum. Sic quod suprà dixit, Vt si quis nollet operari, is nec ederet: hoc sensu dictum esse uidemus, quo exposuimus. Tria admittebant, qui tales erant, quæ corrigenda ueniebant. Primum erat, ignauum ocium: secundum, inquieta curiositas: tertium, quòd fratribus erant oneri, de pane illorum uictitantes. Aduersus hoc postremum præcipit, ut suum ipsius quisq; panem edat.

Dixerit hic quisquam, Quomodo suum ipsius quisq; panem inter Christianos illos edit. de quibus Act. 4. legitur ad hunc modum: Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam aliquid eorum quæ possidebat, suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia? An non hoc loco uidetur neminem Christianum suum edisse panem, cum nihil haberet proprium, sed essent illis omnia communia? Respondeo: Legantur sequentia. Cuiusq; necessitati seruiebatur, non ignauiæ ac curiositati. Diuidebatur singulis, prout unicuiq; opus erat. Diuisioni huic & communicationi non repugnat, sed succurrit Apostolus, dũ fucos, ignauum pecus à præsepibus arcet.

Vos aũt fratres ne defatigemini in benefaciẽdo. Quòd si quis nõ obedit sermoni nostro, per Epistolã hũc indicate, & ne cõmerciũ habeatis cũ illo, ut pudore suffundatur, neq; uelut inimicũ habeatis, sed admonete ut fratrem.

Allo-

Alloquitur in cõmuni fratres omnes, qui ſani adhuc erãt, & ijs de quib. loquutus eſt, ueluti ſummariam quandam concluſionem adijcit. Eſt autem illa bimembris. Primò, namque quid illi pro ſe: deinde, quid ad correctionem delinquentium frãtrum facere debeant, paucis complectitur. In priori membro cautio eſt, qua cauetur, ne locus fiat carni quauis occaſione â benefaciendi ſtudio deficienti. Neque enim procliuis eſt ad benefaciendum de ſuo, neque palàm uult uideri talis, quæ neceſsitatibus pauperum ſubuenire detrectet. Captat itaque occaſiones ac prætextus, quibus haud præter rationem manum à contributionis beneficentia abſtrahere uideatur. Huc poteſt in ſpeciem arripere, quod Apoſtolus præcipit, ut unuſquiſque cum quiete operans ſuum ipſius panẽ edat, & hoc ſubterfugio à ſtudio benefaciẽdi deficere: id quod hodie quoque à multis paſsim fieri uidemus, quaſi hoc hominum genus eiuſmodi prætextu Apoſtolicæ inſtitutioni, & non magis philautię ac tenacitati ſuæ ſeruiat. Malo huic occurrens, dicit: Vos autem fratres ne defatigemini benefaciendo. hoc eſt: Nolite propẽſionem benefaciendi abijcere, ſed in alacritate illius indefeſſo ſtudio perſeuerare. Vbi accipiendum eſt, ibi haud quaquam laſſatur caro, nec unquam quærit, quales ſint à quibus accipit, ſed cupidè accipit: uerùm ubi erogandum eſt, ibi comminiſcitur quibus prætextibus meritò non erogare uideri poſsit.

Græcè eſt, μὴ ἐκκακήσητε καλοποιοῦντες. Sonat autem καλὸν, honeſtum ac pulchrum, magis quàm bonum. Vnde hic καλοποιεῖν, pro honeſtè agere accipi poterit. Et is ſenſus non eſſet incommodus præſenti cauſę. Timendum namque erat, non minus, ne exemplo τῶν ἀτάκτων paulatim inducti deficerent à ſtudio τῆς ὑποταγῆς καὶ καλοποιΐας, quàm ne benefaciendo defatigarentur. Et ſanè plus laboris inſumendum eſt illis qui operando quod honeſtum eſt, ſuum ipſorum panem edunt, quàm ijs qui ociando de aliorum laboribus uiuunt. Quare periculum illis eſt, ne defatigati deficiant. Si expoſitio hæc placet, ſenſus erit: Vos autem fratres, qui inſtitutionem â nobis acceptam ſeruatis, etiam atque etiam ſatagite, ne ab honeſtate illius ocioſorum hominum exemplis corrupti deficiatis.

Quòd ſi quis non obedit ſermoni noſtro, inquit, *per Epiſtolam hunc indicate.*] De ſermone ſuo loquitur, non modò quo præceperat illis hac de re, cum apud eos eſſet: ſed & quo in præſenti præcipit, dicens: Iis autem qui ſunt iſtiuſmodi, præcipimus & obſecramus per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ut cum quiete operantes ſuum ipſorum panem edant. Obſerua. Non præcipit, ut ſignificent ſibi, qui'nam ſint illi de quibus audiebat, quòd inordinatè ſe gererẽt: ſed relicto quod hactenus fecerant, minatur fore in poſterum, ut ſi immorigerus quiſquam fuerit, in illum animaduertat. Hoc enim ſignificat, cum dicit: Per epiſtolam hunc indicate.

Poterat tales etiam abſque epiſtolari indicio cognoſcere: uerùm conſultò præcipit fidelibus, ut ipſi eos per Epiſtolã indicent, quo exerceat eos in ſtudio diſciplinæ ſeruandę. Haud enim facilè ab illa deficit, quiſquis deſertores illius per Epiſtolam ad cognitionem Apoſtoli Chriſti deferendos eſſe cenſet, quo emendati in uiam redeant.

Et ne commercium cum illo habeatis, inquit, *ut pudore ſuffundatur*] Plus aliquanto ſeueritatis præcipere uidetur hoc loco, cum dicit, Et ne commercium cum illo habeatis: quàm ſuprà, ubi dixit, Vt ſubducatis uos ab omni fratre, qui inordinatè ſe gerit: ſicut & enormius peccat, qui non ſolùm inordinatè uiuit, ſed & Apoſtolicam quoque admonitionem, obedire illi detrectans, cõtemnit. Quòd ſi quis, Non habere commercium cum aliquo, idem eſſe putat, quod Subducere ſe ab aliquo, non repugno. Nec eſt is ſenſus alienus à propoſito. Innuit enim, quãdo ſubtrahere nos à fratre debeamus, qui inordinatius uiuere cœpit: tum uidelicet, quando ut in uiam redeat, Apoſtoli uerbis, & cum primis Domini noſtri Ieſu Chriſti authoritate admonitus, obedire recuſat.

Vt pudore ſuffundatur, inquit.] Vnde? Ex eo quod uidet, ſe uitari non ab uno aut altero: ſed ab omnibus, & ab omnium commercio excludi. Hic pudor non eſt quorumuis. Qui prorſus ſunt reprobi, huius generis abalienatione non ad pudorem inducuntur, ſed magis ad iram, ad odium & ad blaſphemiam permouentur. Qui uerò, licet infirmi ſint, reprobi tamen non ſunt, ubi ſe propter admiſſum delictum communiter ab omnibus uitari uiderint, ad ſe reuerſi pudefiunt, ſibijque ipſis admodum diſplicere incipiunt, atque ita emendationis capaces redduntur. Hoc ſentiens Apoſtolus, præcipit ut cum eo qui ſermoni ſuo non obedit, nemo ex fidelibus aliquid habeat commercij, quo pudore ſuffundatur. Optimus quidem ille pudor eſt, quo ab omni uitio retrahimur, ne quid admittamus quod ſit nomini Chriſtiano dedecoroſum: uerùm & ille perutilis eſt, quem admiſſorum turpitudo conſiderata incutit. denique & hic tertius cuius meminit Apoſtolus, ſpem habet reſipiſcentiæ: qui ex eo contrahitur, quod propter delicta noſtra à conſortio fidelium excludimur.

Neque uelut inimicum habeatis, inquit, *ſed admonete ut fratrem.*] Reijcit phariſaicam dedignationem, qua peccator confeſtim exploditur, & omni commercio indignus cenſetur. Ad hanc caro ualde procliuis eſt. Quare poſtquam præcepit, ut cum eo qui ſermoni ſuo non obedit, nihil habeant commercij, ne in hanc peruerſam abalienationem exorbitarent: ſubiecit, Neque uelut inimicum habeatis, ſed admonete ut fratrem. Cauet, ne quod medicinæ loco inſtituebat,

ſtituebat, in peſtilens uenenum degeneret. Inimicitiam ſpirare ac profiteri uidentur, qui ſic fratrem à ſe abalienant, ut eum ne alloqui quidem dignentur. Ne hoc facerent prohibet: dum uetat, ne talem fratrem pro inimico, Chriſtiani uidelicet nominis, habeant. Quaſi dicat, Nolite ſtatim putare, quòd ſit mutatus in hoſtem, atque ita omnem de ſalute illius ſpem abijcere: ſed cogitate, eſſe eum adhuc fratrem ueſtrum, & fraternarum admonitionum capacem, quo tandem admonitionibus ueſtris permotus reſipiſcat.

Obſecro, quomodo cum hac Apoſtolica doctrina, miniſtris illis conuenit, qui excommunicatum à ſe fratrem nec admonendum, ut reſipiſcat: nec, ſi fraternis admonitionibus motus reſipuerit, recipiendum eſſe ſtatuunt, donec ſuopte motu conuertatur ac redeat?

Ipſe autem Dominus pacis, det uobis pacem ſemper omnibus modis. Dominus ſit cum omnibus uobis. Salutatio mea manu Pauli, quod eſt ſignum in omni Epiſtola. Ita ſcribo. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit cum omnibus uobis, Amen.

Quoniam non ignorabat improbo ſatanę ſtudio fieri, ut per eos qui inordinatè ſe gerunt, & curioſitati dediti ſunt, ut ἀτακτία, ita & pax Eccleſię turbetur: mox atque corrigi cœperunt, optat illis pacem à Domino, dicens: Ipſe autem Dominus pacis, det uobis pacem, &c. Et hac apprecatione ſimul illis ſignificat, quàm indefinenter & modis omnibus paci ſtudere, illiusq; donum à Domino iugiter petere debeant, quo ſemper ſint inter ſe concordes, nec ulla in re diſſidia ac ſimultates alant. Huc facit, quòd non ſimpliciter dicit, Seruate inter uos pacẽ: ſed, Ipſe autem Dominus pacis, det uobis pacem ſemper, & omnibus modis.

Non eſt autem ocioſum, quòd non ſimpliciter dicit, Ipſe autem Dominus: ſed, Ipſe autem Dominus pacis. Hoc dicens, non ſolùm commendat ipſis ſtudium pacis, propterea quòd Dominus nõ diſſidiorũ, ſed pacis eſt amans: ſed ſimul incitat eos, ut hanc ab illo petant, tanquam ab eo, qui ſolus pacem in manu ſua habet, ſic ut illam nemo niſi ab eo acceptam poſſidere queat. In præcedenti Epiſtola, Capite ultimo circa calcem, conſimiliter Deum pacis Deum uocauit.

Dominus ſit cum omnibus uobis, inquit.] Niſi ille nobiſcum ſit, pax Eccleſię conſtare non poteſt. Nobiſcum autem eſt dupliciter. Primò, per gratiam ac ſpiritum ſuum, omnia noſtra dirigens & gubernans. Deinde per fidem noſtram ac ueram dilectionem, qua iugiter ab illo pendeamus, illumq́ue in cordibus noſtris conſeruemus. Papiſtę in Miſſa ſua aliquoties illud, Dominus uobiſcum cantillant, ſic ut Eccleſia non intelligat quid dicant. Hinc factum eſt, ut uulgò rideantur ab illis qui dicunt, *Dominus wo biſt? kumm.* Sic fit ut quod Apoſtolus Eccleſiæ lingua intelligibili ex animo apprecatur, in riſum abeat, ipſorum uitio & abuſu.

Nec caret ratione, quòd non ſimpliciter dicit, Dominus ſit uobiſcum: ſed, Dominus ſit cũ omnibus uobis. Optat eos omnes ueros eſſe Chriſtianos, gratiaq́ue ac ſpiritu Domini in omnibus duci.

Salutatio mea manu Pauli, inquit, *quod eſt ſignũ in omni Epiſtola, ita ſcribo.*] Illud, Salutatio mea manu Pauli: idem eſt, quod, Saluto uos ego Paulus meapte manu. Et 1. Corinth. ultimo, & ad Coloſſenſes ultimo ijſdem uerbis uſus eſt, quibus hic adiecit, eſſe hoc ſignum, quo in omnibus Epiſtolis ſuis utatur, & ſic ſe ſcribere. Solẽt Epiſtolæ obſignari, ne qua ſit dubitatio de authore. Apoſtolus obſignationis loco ſalutationem ſuapte manu ſubſcribebat, ne quid Epiſtolis ſuis alienum & adulterinum ſubtrudi poſſet. Habebat ſcripturam talem, quæ ubique ſibi ſimilis & apta ad obſignationem eſſet: quod ſignificat, dicens: Sic ſcribo.

Illud, Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit cum omnibus uobis, & in præcedentibus Epiſtolis legitur. Hanc ego VVOLFGANGVS MVSCVLVS omnibus in uniuerſum Eccleſijs Euangelij Dei amantibus, ex animo unà cum uera, iugi & omnimoda pace apprecor.

IN

IN PRIOREM EPISTOLAM APOSTOLI PAVLI AD TIMOTHEVM COMMENTARII, PER VVOLFGANGVM MVSCVLVM DVSANVM. PRAEFATIO.



VIS fuerit hic Timotheus, & ubi, ac quãdo in comitatu uenerit Apoſtoli, qualisq; fuerit antea, & qualiter ſe poſtea, quamq; fideliter in miniſterio Euangelij geſſerit, denicq; quibus illum encomijs ipſe Apoſtolus Eccleſijs fidelium commendauerit, partim in Act. Apoſtolorum, partim in Epiſtolis Pauli uidere licet. Actor. 16. de illo ſic legitur: Peruenit autem (Paulus) Derben & Lyſtram. & ecce diſcipulus quidam erat ibi, nomine Timotheus, filius mulieris cuiuſdam Iudææ fidelis, cæterùm patre Græco. Huic teſtimoniũ bonum reddebant, qui Lyſtris erant & Iconij fratres. Hunc uoluit Paulus ſecũ proficiſci: & aſſumptum circumcidit eum, propter Iudæos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes, quòd pater eius erat Græcus. Quomodo autem & qualem ſe geſſerit in comitatu Apoſtoli, ac miniſterio Euangelij, ex ipſius Apoſtoli teſtimonijs patet, quæ 1. Cor. 4 & 16. & Philip. 2. leguntur. 1. Cor. 4. Hac de cauſa, inquit, miſi uobis Timotheũ, qui eſt filius meus dilectus, & fidelis in Domino, qui uobis in memoriam reducet uias meas, quæ ſunt in Chriſto, quemadmodum ubiq; in omni Eccleſia doceo. Et cap. 16. Quòd ſi uenerit Timotheus, inquit, uidete ut abſq; metu ſit apud uos. Opus enim Domini operatur, quemadmodum & ego. Ne quis igitur eum ſpernat, ſed proſequamini eum cum pace, ut ueniat ad me, expecto enim illum cum fratribus. Et Phil 2. Spero autẽ in Domino Ieſu, inquit, me Timotheũ breui miſſurum uobis, ut ego læto ſim animo, cognito ſtatu ueſtro. Neminẽ enim habeo pari mecum animo prędituũ, qui germanè res ueſtras curaturus ſit. Nam omnes quę ſua ipſorũ ſunt quærunt, nõ quæ Ieſu Chriſti. Porrò probationem eius noſtis, quòd ut filius mecum, ueluti cum patre, ſeruierit in Euangelium, &c.

Hæc de illo recito, ut intelligamus, quàm ad eiuſmodi filium & cooperarium ſuũ Apoſtolus non fuerit de leuis momenti rebus ſcripturus, ſed admodum ſerijs: quemadmodum & opera illius uſus eſt ad inſignes Eccleſias, loco ipſius inuiſendas partim, partim etiam moderandas.

Quod uerò preſentẽ Epiſtolã attinet, ſtatim initio narrationis illius uidere licet, quã potiſsimũ ob cauſam ſit ad illũ ab Apoſtolo ſcripta. Cõmendauerat illi Epheſiorũ Eccleſiã. In hac aũt falſi doctores, ex circũciſione, purã Euãgelij Chriſti fidẽ fermẽto legaliũ & inutiliũ quęſtionũ uitiare moliebãtur. Ei malo occurrere uolens, admonet & inſtruit hac Epiſtola Timotheũ, quanto ſe illi cum ſtudio opponere debeat. Hoc primariũ erat Apoſtolo ſcribẽdi conſiliũ. Præterea, pro more ſuo, & de alijs reb. ſubiecit: utpote, quõ ſit pro omnib. hominibus, regibus & potentatibus orandũ, quo placidã ac quietã uitam cũ omni pietate & honeſtate degere liceat, de mulierib. cũ modeſtia & uerecũdia ornãdis: quodq; nõ liceat illis docere, neq; authoritatẽ uſurpare in uiros, de eligendis epiſcopis ac miniſtris, illorumq; uxorib. ac liberis: de quorundã defectione, attendentiũ ſpiritibus impoſtorib. ac doctrinis dęmoniorũ, prohibẽtium cõtrahere matrimoniũ, iubẽtium abſtinere à cibis, quos Deus creauit, ad ſumẽdum cũ gratiarũ actione fidelibus, &c. quõ ſe in uera pietate, reiectis prophanis & anilib. fabulis exercere, & lectioni doctrinæq; incũbere debeat: præterea quõ tractãdi ſint ſenes, iuniores, mulieres natu grãdiores & iuniores: & uiduę tam quæ prouectæ ſunt ætatis, quàm quæ ſunt iuniores: presbyteri etiã, maximè qui bene præſunt in uerbo: quãq; nõ debeat manus cuiquã citò imponere, nec cũ peccatis alienis

communicare: adhæc, quomodo ualetudinis ſuæ curã habere ipſum uelit: poſtea de ſeruis, quid illis conueniat, & iterum de uitandis illis qui diuerſam doctrinam ſectantur, maximè, qui quæſtum pietatem eſſe exiſtimant: decp uitanda philargyria, ſectãda uerò iuſticia, pietate, fide, charitate, patiẽtia & manſuetudine: & ſingulariter, quid præcipiendũ ſit diuitibus. Hæc ferè ſunt, de quib. hac Epiſtola Timotheũ inſtruit, quę deinceps in ipſo illius tractatu declarabũtur.

CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Poſt ſubſcriptionẽ, inſcriptionẽ ac ſalutationẽ præcipit illi ut Epheſi maneat, eoſq; cõpeſcat qui diuerſam doctrinã ſequuti, fabulis et genealogijs attendebãt: ſimulq; notat eos qui legis uolebant eſſe doctores: & rectũ legis uſum oſtendit: deniq; quàm fuerit ante Apoſtolatũ ſuũ uiolentus perſequutor ac blaſphemus, ac gratiã et miſericordiã erga ſe Dei extollit: Timotheũq; hortatur, ut in fide Chriſti ac bona cõſcientia pſeueret.

PAVLVS apoſtolus IESV CHRISTI, iuxta delegationẽ Dei Seruatoris noſtri, & Domini IESV CHRISTI, qui eſt ſpes noſtra, Timotheo germano filio in fide, gratia, miſericordia, pax à Deo patre noſtro, & Domino IESV CHRISTO, Domino noſtro.

EST hęc forma ſubſcriptiõis, inſcriptionis ac ſalutationis, uſitata in literis Apoſtoli: diximusq; de illa iã aliquoties. Illud hic obſeruãdũ eſt, quôd nõ ſimpliciter dicit, Paulus apoſtolus Ieſu Chriſti: ſed addit, Iuxta delegationẽ Dei, quod Græcè eſt κατ' ἐπιταγὴν θεοῦ. Vulg. Lat. habet, Secundũ imperiũ Dei. Significat aũt ἐπιταγὴ, id quod eſt alicuius fidei & curę impoſitũ ac demandatũ. Frequẽter inculcat de Apoſtolatu ſuo, eſſe illũ nõ à ſe temerè preſumptũ, ſed à Deo ſibi concreditum & impoſitũ. Sic Rom. 1. dicit ſe uocatũ eſſe Apoſtolũ, & ſegregatũ in Euangelium Dei: & 1. Cor. 1. 2. Cor. 1. Eph. 1. Coloſſ. 1. 2. Tim. 1. uocat ſe Apoſtolum Chriſti per uoluntatẽ Dei. Et hic, quemadmodũ & Tit. 1. iuxta delegationẽ ſeruatoris noſtri Dei. Requirũtur itaq; ad uerum Chriſti apoſtolum, cum primis uoluntas Dei, ſegregatio, uocatio, & delegatio à Deo impoſita. Qui ſe Apoſtolos Chriſti eſſe iactant, cum nihil horum à Deo acceperint, non ſunt Apoſtoli Chriſti, ſed ſatanæ: quales erant pſeudapoſtoli.

Seruatoris noſtri, inquit.] Elogiũ hoc Dei diligenter obſeruandum eſt. Seruator alicuius eſt, qui eũ ab extremo periculo & exitio, ne periret, ſeruauit. Deus ſeruator noſter eſt. Ergo nos âpditione ſeruauit, ut rectè ſeruati uocemur. Non datur hoc elogij Deo ſecundũ id quod poteſt, ſed ſecũdũ id quod facit ac fecit: quemadmodũ nõ ob id quod creare poteſt, ſed ꝓpterea quôd omnia quæ in cœlo ſunt & in terra creauit, creator uocatur. Ipſum nobis ſalutis noſtræ opus magis quàm facultas Dei commendatur, quãdo Deus ſeruator noſter eſſe prædicatur.

Et hoc elogiũ nõ ſic Deo datur, ut Chriſto adimatur. Nam & hunc angelus de cœlo ſeruatorẽ uocauit, Lucæ 2. dicens: Ecce annuncio uobis gaudiũ magnũ, quod futurũ eſt omni populo: quia natus eſt uobis hodie Seruator, qui eſt Chriſtus Dñs, in ciuitate Dauid. Et hic ipſe Apoſtolus uocat eum ſeruatorẽ, Eph. 5. Phil. 3. 2. Tim. 1. Tit. 1. 2. 3. Et hinc eſt angelico iuſſu Ieſus nominatus, quod Græcè ſonat σωτῆρα, Latinè Seruatorẽ. Et Matth. 1. ipſũ opus ſeruatoris ab angelo tribuitur, & declaratur ad hunc modũ: Pariet aũt filiũ, & uocabis nomẽ eius Ieſum. is enim σώσει, i. ſeruabit populũ ſuũ à peccatis ſuis. Seruat itaq; nos Deus pater, ex quo & unigenitus eius Dñs noſter Ieſus Chriſtus, ꝓ quẽ tãq; unicũ mediatorẽ, oĩs noſtra ſalus cõſtat.

Et Dñi Ieſu Chriſti, inquit, *qui eſt ſpes noſtra.*] Maledictus eſt qui cõfidit in homine, dicit Prophe ta Hier. cap. 17. Chriſtus homo eſt. Quõ igitur uocat eũ Apoſtolus ſpẽ noſtrã? Reſpõdeo: Homo quidẽ eſt Chriſtus, ſed nõ homo tantùm. eſt enim & Deus & homo. Dum illũ Apoſtolus ſpẽ noſtrã uocat, nõ ad hominẽ tantùm, ſed ad totũ Chriſtum, unigenitum Dei, redemptorẽ ac mediatorem noſtrum reſpicit. Qui hactenus illum ſpẽ ſuam eſſe confidit, non eſt maledictus, ſed beatus: iuxta illud Pſalm. 2. Beati omnes qui cõfidunt in eo.

Eſt aũt Spei uox in triplici uſu. Primò nãq; ꝓpriè ſumitur de affectu ipſo ſperãdi, quo futurum aliquid ſperamus, & ſperãdo expectamus. Sic ſpes noſtra intra nos eſt. Deíde impropriè ſumitur pro eo quod ſperamus. Sic ſpes noſtra eſt uita ac ſalus æterna, quã in Chriſto conſtituti futurã ſperamus. Tertiò, ꝓ eo quoq; impropriè accipitur, ꝓ quod pollicemur nobis ea q̃ ſperamus, & cuius reſpectu ſpẽ illorũ animo cõcepimus. Sic ſpes noſtra Chriſtus eſt. per hũc enim certã ſalutẽ ſperamus. Papiſtarũ uerò ſpes, uel eſt B. uirgo, mater Dñi, quã ſoléni cãtico uitã, dulcedinẽ, ac ſpẽ ſuã uocant: uel Papales indulgentię, largo ære coemptæ: uel Miſſarum nundinatio, uel ieiunia & cõſimilia alia opera, uel ficta monachorũ ſanctimonia, uel diuorũ patrocinia. Spem habent & illi in corde, & æterna quoque felicitas perinde illorum ſpes eſt, atque noſtra, & hactenus inter nos conuenit: in eo uerò ſeparamur, quôd nos nec beatam uirginem, nec diuos, nec Papales indulgentias, nec operum noſtrorum merita, nec monachos, nec ritus templarios, nec Miſſas, ſed unum Chriſtum ſpem noſtram conſtituimus.

Et no-

Et noſtra ſpes Chriſtus eſt, inquiunt. non excludimus illum, dum & alia unâ cum eo coniungimus, per quæ ſalutẽ cõſequamur. Nos in hoc ſpei genere multis abundamus, quib. uos ipſi deſtituitis: ne ſi uno aut altero medio nõ ſucceſſerit quod ſperamus, aliquo ſaltẽ ex tam multis ſuccedat. Reſpõdeo: Chriſtũ in ore habetis magis, quàm in corde. Aliàs eſſet ille unus uobis ſpes omniũ certiſsima, & abundè ſufficiens. Niſi de illo dubitaretis, alios illi haudquaquã cõiungeretis. Iſta tam multiplex ſpes ueſtra ſeipſam ꝓdit, quòd ſit incerta, nec in ullo aliquo mediatore fixa cõſiſtat. Quare abundãtia iſta, de qua gloriamini, non eſt iuſta ac uera abundantia, ſed defectus: perinde atq; multorum deorum cultores, ex eo quòd non unum rantùm Deum, ſed multos adorant & colunt, non abundant ope cœleſti, ſed deficiunt.

Timotheo germano filio, inquit, *in fide.*] Cum mentionẽ illius in alijs Epiſtolis facit, uocat eum uel fratrẽ ſuũ, uel cooperariũ, quo illũ Eccleſijs Dei cõmendet: hic uerò & in poſteriore Epiſtola, ut paternum erga eum affectũ exprimat, appellat eum filiũ: hic germanum, illic dilectũ. Conueniens erat hæc appellatio, cùm ætatis, tũ & inſtitutionis illius reſpectu. Erat enim ęta te iuuenis, inſtitutione diſcipulus. Germanũ eum filiũ appellat, nõ quòd ſecũdũ carnẽ filius ipſius eſſet, ſed quòd ſyncerũ ſe in omni miniſterio gereret, ac perinde cum ipſo atq; cum patre filius, in Euangelio ſeruiret: quẽadmodum & Phil. cap. 2. de illo prædicat, dicens: Neminẽ enim habeo pari mecũ animo præditum, qui germanè res ueſtras curaturus ſit. Nam omnes quæ ſua ipſorum ſunt quærunt, non quæ Chriſti Ieſu. Porrò probationem eius noſtis, quod ut filius mecum ueluti cum patre ſeruierit in Euangelium.

In fide, inquit.] Vbi Titũ quoq; germanũ filium appellat, addit: Iuxta cõmunem fidẽ. Vtrũq; in fide Chriſti inſtituerat, & illi ſic ſe in ea gerebãt, ut meritò pro germanis filijs agnoſcerentur. Eodem animo, eãdem fide, eodem opere, eodem ſtudio erga Euangelium Chriſti incedentes ſynceri erant illius imitatores.

Gratia, miſericordia, pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto, Domino noſtro.] In reliquis Epiſtolis, quas ad Eccleſias ſcripſit, gratiam ac pacẽ fidelib. apprecatur: in hac uerò & poſteriore ad Timotheũ, & ea quæ eſt ad Titũ, gratiæ ac paci adiũxit miſericordiã. Chryſoſt. exiſtimat hoc factũ eſſe ἀπὸ πολλῆς φιλοστοργίας, tanquã erga filios, quos ſũmoperè diligebat. Sanè ſic eſt animus patris erga filios comparatus, ut quemadmodum ipſe miſericorditer in eos afficitur, ita illos & miſericordiæ Dei commendet.

Et illud ocioſum eſt, quòd cum in genere dixiſſet, Et Domino Ieſu Chriſto: ſpecialiter ſubiecit, Domino noſtro. Generaliter quidem Chriſtus omnium eſt quæ in cœlo ſunt & in terra Dñs, tanquã primogenitus Dei: ſpecialiter uerò electorum ac fidelium, tãquam eorum quos pater illi ſingulariter ſeruandos, iuſtificandos & glorificandos dedit.

Quemadmodũ rogaui te ut remaneres Epheſi, cum proficiſcerer in Macedoniam: ita facito, ut denuncies quibuſdam, ne diuerſam ſequantur doctrinã, nec attendant fabulis, & genealogijs nunquam finiendis, quæ quęſtiones præbent magis quàm ædificationem Dei, quæ eſt per fidem.

Exordium eſt Epiſtolę, in quo mox initio exprimit, ad quid potiſsimùm ſcribere illam uoluerit. Reuocat illi in memoriam, quã ob cauſam uoluerit eum manere Epheſi: ac ſimul monet, ut in illã ſedulò incumbat. Quod lectionẽ attinet, deſideratur aliquid ad perfectionẽ ſenſus, quod uoculę καλῶς reſpõdeat. Quemadmodũ (inquit) rogaui te, ut remaneres Epheſi, &c. hic ſubiungendum erat, ὅτως ποίησον, id eſt, Sic facito: id quod Eraſ. de ſuo adiecit, quo ſenſum impleret. Mihi tamẽ ſubapparet, nõ eſſe defectũ hunc ocioſè, uel per imprudentiã admiſſum ab Apoſtolo. Quod. n. exprimendũ fuiſſe uidetur, id ultrò patebat Timotheo: cui ſatis erat, quòd admonebatur, ad ꝙd manẽdũ ipſi fuerit apud Epheſ. ut neceſſe nõ eſſet adiũgere mãdatũ, quo id facere denuò iuberetur. Sic ſolemus ſubmonere amicos, quib. aliquid quod faciãt cõmẽdauimus: Obſecro, quẽadmodũ te nup rogaui, ut cauſæ meę inuigiles. Hoc dicto quod deſiderari poteſt, nõ addimus, ſciẽtes nõ eſſe id neceſſariũ, quãdoquidẽ ille alioq; ſatis intelligit ꝙd uelimꝰ, & animo ſit ad faciẽdũ ꝙd uolumus ꝓpẽſo. Sed uideamꝰ ipſa Apoſtoli uerba.

Quemadmodũ rogaui te, inquit.] Græcè eſt, παρεκάλεσά σε: quod uerti poteſt, Hortatus te ſum. De hoc uerbo antea in alijs Epiſtolis admonuimus. Nihil tamen incommodi habet, quod interpretes reddiderunt: Quemadmodum rogaui te.

Vt remaneres Epheſi, inquit.] Græcè eſt, προσμεῖναι: quod nõ ſimpliciter manere, ſed cũ quibuſdã, uel apud quoſdã manere. Rogauerat eũ, ut Epheſi apud eius Eccleſię fideles maneret, quo curam illorum gereret, perinde ac ſi paſtorem προσμεῖναι τοῖς προβάτοις dicas. Epiſcoporum igitur eſt προσμένειν τῇ ἐκκλησίᾳ, non ἀποσμένειν in ocio ac luxu.

Cum proficiſcerer, inquit, *in Macedoniam.*] Græcè eſt, πορευόμενος εἰς μακεδονίαν: id eſt, Proficiſcens in Macedoniã. Diſponẽda eſt lectio ad hunc modũ: Quemadmodũ rogaui te, cum proficiſcerer in Macedoniã, ut maneres Epheſi, quo denũcies quibuſdã, &c. Cũ proficiſcerer (inquit) in Macedoniã. Exiſtimo hoc factũ eſſe, cũ relicta Epheſo profectus eſt ut iret in Macedoniã. qua de re uidere licet Act. 20. Fuit quidẽ & Timotheus in comitatu illius, cũ abiret, ſicuti patet illic in textu: uerùm credibile eſt, quòd ex itinere remiſerit eum Epheſum, uel cõiunxerit eũ presbyteris Epheſiorũ, cum illos ad ſe Myletũ uſq; miſsis nũcijs euocaſſet: licet hac de re

Lutas nullâ faciat mẽtionẽ. Neq; n. obſcurũ eſt, quòd nõ oĩa à Paulo geſta literis mãdauerit.

Vt denuncies quibuſdam, inquit, *ne diuerſam ſequantur doctrinam.*] Græcè eſt, μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν. Vulgata Latina habet, Ne aliter docerent: quaſi ſit, μὴ ἑτεροδιδάσκειν. Et Ambroſius legit, Ne aliter doceant: quam lectionem & recẽtiores quidam probant, & Germanicus interpres ſequutus eſt. Eraſmus tamen non fruſtrà uertit: Ne diuerſam doctrinam ſequantur. Poterat uertere, Ne alios uel diuerſos doctores ſequãtur. Id enim propriè uidetur eſſe ἑτεροδιδασκαλεῖν, quo morbo laborant, qui nullo ſunt quantumuis certo ac probato doctore contenti, ſed per curioſitatem alios àtq; alios quamuis diuerſos audire geſtiunt. Nolim tamen pugnare cum illis, quib. ἑτεροδιδασκαλεῖν, idem eſt quod diuerſam à recepta docendi formam inducere. Vtitur eodem uerbo & infrà capite 6. utrouis ſenſu accipiamus, parum refert. Vitandum omnino eſt utrunque malum in Eccleſia Dei. Perniciosa namq; eſt doctrinæ diuerſitas, & perniciosus eſt curioſitatis morbus, quo nonnulli nouis ſubinde doctoribus auidè inhiant.

Vt denuncies quibuſdam, inquit.] Quare non dicit, Vt denuncies omnibus: ſed, Vt denuncies quibuſdam? An non omnibus erat, ſed quibuſdam tantùm, diuerſa doctrina uitanda? Erat quidem fugienda omnibus, uerùm non erant omnes ad illam propenſi, ſed aliqui tantùm ex illis, Apoſtolo non incogniti. Illis uolebat per Timotheum denunciari, ne diuerſam doctrinã uel inducerent ipſi, uel inductã ab alijs ſequerentur. Qui nam illi eſſent, ſignificauerat Timotheo iam antea: ideoq; neceſſe non erat, ut in literis hiſce nomina illorum exprimeret.

Obſerua, quòd nõ dicit, Vt excõmunices, condẽnes, ac ſatanæ quoſdã tradas, q̃ diuerſã doctrinã ſequũtur: ſed, Vt denũcies quibuſdã, ne diuerſã doctrinã ſequãtur. i. Ne faciãt amplius quod facere cœperũt. Nõ eſt ueri paſtoris, oues q̃ errare cœperũt, pdere: ſed ab errore ſeducere ac ſeruare. Deinde & illud obſerua, quòd nõ dicit ſimpliciter, Vt denũcies illis: ſed, Vt denũcies quibuſdã. Admonemur, non eſſe de uitãdis ſingularib. ac paucorũ fratrũ uitijs omnes in genere, & indiſcriminatim admonendos, ſed eos tãtùm, qui illis ſunt obnoxij. Sanè admodum utile eſt, ut id fiat in tempore, dum adhuc pauci ſunt numero qui delinquũt: ne poſteaquam creuêre mala, neceſſe ſit in omnib. redarguere ac corrigere, quod initio in paucis emendare poterat.

Ne diuerſam doctrinã ſequatur, inq̃t.] Siue legamꝰ, Ne diuerſam doctrinã ſequãtur: ſiue, Ne diuerſam doctrinã inducãt: obſeruandũ eſt, ἑτεροδιδασκαλίαν, i. aliã doctrinã ab ea quæ eſt per Euangeliũ Chriſti, ab ipſo Dño primũ: deinde & ab Apoſtolis illius in mundo prædicata, & à primis fidelib. accepta, nõ eſſe in Eccleſiam Chriſti introducendã: nec, ſi introducatur, ſequendam, ſed reprimendam. Non eſt in ſe diuerſa doctrina fugienda, ſed ea quæ diuerſa eſt à uera, ſana & recepta. Et ipſa Euangelij Chriſti doctrina diuerſa eſt. Diſſidet enim ab omnibus alijs. Diuerſitas doctrinæ Chriſtiano homini fugienda ex collatione eius quam tradidit nobis Chriſtus ipſe, cognoſcenda eſt. Regulam hanc tenendam nobis eſſe, diligenter ac fideliter monet Tertullianus in Apologetico capite ultimo, dicens: Expeditè autem præſcribimus adulteris noſtris, illam eſſe regulam ueritatis, quę ueniat à Chriſto tranſmiſſa per comites ipſius, quib. aliquanto poſteriores diuerſi iſti commentatores probabuntur. Et in libro de Præſcriptionibus hæreticorum: Nobis uerò (inquit) nihil ex noſtro arbitrio indulgere licet, ſed nec eligere quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus authores, qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio elegerũt, ſed acceptam à Chriſto diſciplinã fideliter nationib. aſſignauerunt. Itaq; etiamſi angelus è cœlo aliter euangelizaret, anathema diceretur à nobis. Et ibidem: Ex ipſo ordine (inquit) manifeſtatur id eſſe Dominicum & uerum, quod ſit prius traditũ: id autem extraneum & falſum, quòd ſit poſterius immiſſum. Item: Ipſa doctrina eorũ (inquit) cum Apoſtolica comparata, ex diuerſitate & contrarietate ſua pronunciabit, neque Apoſtoli alicuius authoris eſſe, neque Apoſtolici. Quia ſicut Apoſtoli non diuerſa inter ſe docuiſſent, ita & Apoſtolici non cõtraria Apoſtolis edidiſſent, niſi illi qui ab Apoſtolis deſciuerunt, & aliter prædicauerunt. Hæc ille.

Accuſamur hodie à Papiſtis, quòd diuerſam doctrinam in Eccleſias induxerimus, & hoc nomine hæreſeos cõdemnamur, & in mille diſcrimina rapimur. Sanè negare nec debemus, nec poſſumus, doctrinam eſſe à nobis introductam, imò potius reductam in Eccleſias, longè quidem diuerſam ab ea quæ recepta eſt in Papatu: uerùm non ab ea quam orbi tradiderunt Apoſtoli Chriſti, ſed cum illa planè eandem. Induxerunt pſeudapoſtoli cum ſuis monachis & ſcholaſticis doctoribus ante aliquot ſecula doctrinã multis modis diuerſam. Et nos hiſce temporibus diuerſam tradimus ac ſequimur. Quid igitur? Probetur utriuſq; tam illorum quàm noſtræ doctrinæ diuerſitas, ſyncero q̃ue ac Chriſtiano iudicio cognoſcatur, illi ne uel nos ab ea diſcrepemus, quæ à Chriſto unico noſtro magiſtro ac doctore tradita, ad finẽ uſq; mundi ab omnibus erat Chriſtianis illibata fide retinenda. Quòd ſi illi ab hac diſcrepare deprehenduntur, nihil petimus aliud quàm ut denuncietur ipſis à Chriſtianis principibus, ne poſthac amplius doctrinam ab Euangelio Chriſti diuerſam Eccleſijs proponant. Quòd ſi non illorum, ſed noſtra doctrina diuerſa ab Apoſtolica fuerit, omnino par erit, ut ad Sarmatos & Indos uſq; proijciamur.

Dixerit Papiſta quiſpiam: Quomodo uindicatis uobis doctrinam, quæ ſit non diuerſa ab Apoſtolica,

Apostolica, cum sint inter uos propemodum tot dissensiones, quot sunt capita?

Respondeo: Dissensiones nostræ non sunt in ijs Christianæ religionis capitibus, quæ propriè ad salutem fidelium pertinent: sed in expositione quorundam locorum Scripturæ, in quibus sine dispendio salutis liberum esse potest unicuique sentire quod ab analogia & fundamento Christianæ fidei haud discrepare iudicauerit. Quòd uero nonnulli in huiusmodi dissensionibus acerbius disceptant, quàm Christianam modestiam & charitatem deceat, non ipsi causæ tribuendum est, sed immoderato illorum zelo, & affectibus impotentioribus, quibus contendendo abripiuntur. De S. Triade, de unico uero Domino, mediatore, seruatore, capite ac magistro nostro Christo Iesu: de redemptione per sanguinem illius semel in cruce pro peccatis nostris fusum: de Euangelica doctrina & fide, de peccatorum remissione, de iustificatione, salute ac uita æterna, per solum fidem in Christum: de inuocatione, adoratione ac uero cultu, de uerbi Dei authoritate: de ueris ac bonis Christianæ fidei operib. & quæ alia sunt Christianæ fidei ac religionis capita, non est inter nos diuersa, sed eadem doctrina & fides.

Obseruandum autem hic est, quòd nominatim de doctrina curandum præcipit, ne illa sit inter Christianos diuersa. In cæteris nanque rebus, moribus ac ritibus non ita necessariò requirendum est, ut nulla admittatur diuersitas. Imò sæpenumero accidit, ut pro diuersitate populorum, ne opus ædificationis destruatur, morum quoque ac rituum sequenda sit diuersitas. Diuersimode moderabantur Ecclesias Apostoli, aliter Iacobus ac Petrus Hierosolymis & in Iudæa, aliter Paulus inter Gentes: quæ tamen diuersitas quoniam non erat in doctrina fidei, sed in ritibus & obseruationibus externis, nihil impediebat, quo minus per Euangelij prædicationem eadem fides propagaretur. De doctrina uerò longè aliter sentiendum est, quæ si sit diuersa, fidem quoque diuersam gignat necesse est: cum tamen per Euangeliũ Christi uniuersæ nationes in unitatem fidei uocentur. Quare admodum consultò in confessione Augustana, artic. 7. ponitur: Ad uanitatẽ Ecclesiæ satis esse, si consentiatur de doctrina Euangelij, & administratione Sacramentorum: nec necesse esse ut similes sint ubique ritus aut ceremoniæ ab hominibus institutæ, sicuti Paulus docet dicens: Vna fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium. Hæc illic. Simul tamen cauendum est, ne forma doctrinæ Christianæ ponatur alia, quàm quę est ab ipsis Apostolis per Euãgelij prædicationẽ tradita. Alioqui fieri non poterit ut ἑτεροδιδασκαλία in Ecclesijs Christi uitetur. dũ quisq; suas opiniones ad formam doctrinę refert, & pro illis uelut articulis fidei dimicat.

Nec attendant fabulis, inquit, & genealogijs nunquam finiendis.] Aliud est, inducere fabulas in Ecclesiam: & aliud, attendere fabulis. Illud docentium, imò seducentium est: hoc uerò audientium ac seductorum, qui morbo curiositatis correpti perpetuò noui aliquid audire cupiũt, atque ita ἑτεροδιδασκαλίαν. Verbo προσέχειν auiditatem illam damnat, qua homines uani ac leues animum ad fabulas discendas attentum habent. Loquitur autem de fabulis Iudaicis potissimùm, quod etsi hoc loco non est expressum, in ea tamen quę est ad Titum cap. 1. satis patet, ubi sic legitur: Quam ob causam redarguito illos seueriter, ut sani sint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis, ac præceptis, hominum auersantium ueritatem. Nõ est improbabile de ijsdem hic, de quibus illic, loqui Apostolum. Oberrabant pseudapostoli ex circumcisione non modò inter Cretenses, sed & Ephesi, & alijs locis, seducentes ac corrumpentes eos qui uel curiosi, uel aliàs incauti erant. Quare ratio erat, ob quam de uitandis illis singulariter admonerentur fideles. Alioqui non modò Iudaicæ, sed & ethnicæ fabulę auersandæ sunt, ac fugiendæ homini Christiano. Verùm de ethnicis minus erat periculi, quàm de Iudaicis: propterea quòd illæ per lucem Euangelij sic erant detectæ & abominabiles redditæ, ut uix quempiam inuenirent inter Christianos, qui aliquid illis fidei tribueret amplius, postquam τῶν πολυθέων errores iam erant explosi: istę uerò prætextu diuinæ legis ac populi Dei fucum imperitis facerent. Perinde atque nostra hac ætate cum de uitanda diuorum inuocatione monemus, non intelligimus de ethnicis diuis, Saturno, Ioue, Mercurio, &c. sed de illis quos Sanctos uocant: & hoc nomine quòd sint amici Dei, inuocandos esse, ac religiosè colendos dicti tant. Non quod hi tantum non sint inuocandi, sed quòd nemo Christianus facile induci poterit, ut Saturnum ac reliquos gẽtium diuos inuocet: innumeri uerò sunt ad inuocationem ac cultum sanctorum iam olim inducti ac dementati.

Quæ autem Iudaicæ illæ fabulæ fuerint, non est eadem omnium sententia. Ambrosius sic habet: Ne pateretur Iudæos aliter populum quàm ab Apostolo tradebatur, docere: ne oblectarentur fabulis quas narrare consueti sunt Iudæi de generatione suarum originum, de Abraham & Isaac, & cęteris patriarchis, & de circumcisione, & his quæ postea tradita sunt à Moyse, ne circumuenirentur ad hæc colenda quæ carnaliter data fuerant. Augustinus lib. 2. Contra aduers. legis & prophetarum, Iudæos dicit, præter S. Scripturas legitimas & prophe ticas, habere quasdam traditiones suas, quas non scriptas habeant, sed memoriter teneãt, & alter in alterum loquendo transfundat, quam deuterosim uocant. Idem sentit & Chrysostomus, negans intelligendum esse hunc locum de lege. Posteriores, alij Ambrosium, alij Chrysostomum & Augustinum sequuntur. Qui Ambrosium sequuntur, exponunt de obseruatione legalium, quòd illa tota fuerit figuralis, figurando noui Testamenti statum.

Qui cum Chryſoſtomo & Auguſtino faciunt, intelligunt de fabulis Thalmudicis, quas ex Phariſæorum doctrina ſparſerint pſeudapoſtoli, inter quas multa dicuntur de tempore Meſſiæ uenturi admodum fabuloſa, quòd uidelicet promiſsionis terra tempore illo germinatura ſit ac productura panes coctos ac formatos, ac ſi piſti ſint in clibano, & ueſtes ſericeas ſecundum conuenientiam uniuſcuiuſque, & conſimilia multa, ad hoc facientia ut perſuadere tur imperitis, nondum ueniſſe Chriſtum: nec uenturum, niſi talia fiant. Quod me attinet, nõ dubito quin in utroque Iudæorum Thalmud, innumerę ſint fabulæ ac nugæ, poſt tempora Chriſti contra Euangelij doctrinam confictæ, ex quibus circulatores illi Iudæi, quo ſe opinione legalis ſcientię imperitorum animis inſinuarent, eas potiſsimum ſparſerint, quæ cum primis Euangelij doctrinam labefactarent. Infrà ſatis patet, quòd doctrinã legis fabulis ſuis prætexuerunt, ubi dicit Apoſtolus: A' quibus quòd aberrarunt quidam, deflexerunt ad uaniloquium, uolentes eſſe legis doctores, &c. Quas uerò fabulas tradiderint, noſtrum non eſt explicare, quandoquidem non ſunt ab Apoſtolo nominatim expreſſæ.

Illud uerò diligenter hic obſeruandũ eſt, uitãdas eſſe in Eccleſia ac doctrina Chriſtiana in genere omnes fabulas. Eſt enim ſummopere cauendũ, ne loco lucis ac ueritaris doctrina ha beatur, quæ fabuloſa uocari poſsit. In fabulis eſt uel uanitas, uel nugacitas, uel abſurditas, uel ænigmatica obſcuritas, quæ omnia quàm longiſsimè à luce ac ueritate Euãgelicę cõuenit abeſſe doctrinæ. Fabularum aliæ nihil habent ueri, ſed merum & inane figmentum: aliæ, etſi quid ueri habent, ſic tamen illud eſt inuolucro ænigmatico opertum, ut haud facile poſſit intelligi: uel uſqueadeò & inutile ac uanum, ut ſpernendũ potius ſit quàm cognoſcendũ: aliæ, etſi quid utilitatis habẽt, quales ſunt Aeſopicæ, quas pueris in ludo literario diſcendas proponunt, uel hoc tamen nomine arcendæ ſunt à doctrina Chriſti, quòd ſunt fabulę: aliæ partim ſunt impiæ, partim prorſus abſurdæ. Nihil igitur refert unde ſint fabulę, ſiue à Iudęis, ſiue ab ethnicis, ſiue à falſis Chriſtianis confictæ: ſed ex æquo uniuerſæ ſunt à doctrina Chriſtianorum arcendæ.

Quas autem, quamq; uarias & innumeras, abſurdas, impias & quæſtuoſas fabulas ſub Papatu introduxerint in Eccleſias, qui magis ſua ſomnia & deliramenta quàm puram Euangelij doctrinam prædicare præſumpſerunt, teſtãtur libri Exemplorum ac Legendarum (ut uocant) qui ante hęc ſunt tempora crebro uſu triti, cum interea ſacra canonicæ Scripturæ Biblia prorſus neglecta iacerent. Ipſa hos experientia docuit, quàm ſit caro ad fabulas procliuior quàm ad manifeſtam ueritatem audiendam & cognoſcendam. Et hunc morbum in Eccleſia fabuloſi doctores aluerunt ac prouexerunt, ita ut inuenti ſint qui fabulas Iouis prædicarint, ſicut uidere eſt Diſt. 86. ca. cum multa, in gloſſa: tam abeſt, ut fidelibus præſentem hãc Apoſtoli admonitionem propoſuerint.

Et genealogijs, inquit, *nunquam finiendis.*] Sũt quib hæc particula ſpecificationem fabularũ habere uidetur, quos Iudęi in Eccleſijs ſpargebãt. Exiſtimo eos rectè ſentire, qui genealogias Iudæorum fabulis connumerari ab Apoſtolo ſentiunt.

Dixerit aliquis: Si genealogiæ Iudæorũ fabulæ ſunt, ergo fabuloſa ſunt quæ in S. Scripturis de genealogia Adæ, Noe, Abrahæ, Iſaac, Iacob, ac duodecim tribuum, denique ipſius etiã Chriſti leguntur. Reſpondeo: Non loquitur ſimpliciter de quibuslibet genealogijs, ſed de Iudaicæ generationis ac proſapiæ iactantia. Solenne eſt Iudæis omnibus, de carne ſanctorũ patriarcharum gloriari: ideoque magno ſtudio maiorum ſuorum poſteritatem ſinguli, continua ſerie inde ab origine tribus ſuæ deducunt.

De genealogijs hiſce Iudaicis à nonnullis, qui & ipſi aliquando Iudæi fuerunt, ſic annotatur. Iudæi aſſerebant, neminem eſſe idoneum ad docendum de lege diuina, niſi ſit de tribu Leui, uel de tribu Iſachar: eo quòd de tribu Leui legatur Deut. ult. Docebunt iudicia tua Iacob, & legem tuam Iſrael. De Iſachar uerò 1. Par. 12. De filijs quoque Iſachar uiri eruditi, qui nouerãt ſingula tempora ad præcipiendum quid facere debeat Iſrael. Vnde ex iſtis genealogijs Iudæi nitebantur excludere Paulum, ueluti non idoneum ad docendum legem diuinã, eo quòd non eſſet de aliqua prædictarum tribuum, ſed de tribu Beniamin. Auguſt. lib. 2. cõtra aduerſ. legis ac prophetarum, cap. 1. ſic dicit: Vbi etiã dicere audent, & credere Deũ primo homini duas creaſſe mulieres, ex quib. texunt genealogias, uerè, ſicut ait Apoſtolus infinitas parientes & infructuoſiſsimas quæſtiones. Sunt qui intelligant de generationib. Dauidicæ poſteritatis, quas Iudæi ſic tradiderint, ut comprobarent Ieſum Nazarenum non eſſe de ſemine Dauidis, atque ita pro Chriſto haberi non poſſe. uerùm (meo iudicio) nõ loquitur Apoſtolus de fabulis ac genealogijs incredulorum Iudæorum, ſed pſeudapoſtolorũ: qui, quoniam ſe quoque Chriſti iactabant eſſe miniſtros, haudquaquam negabant illum eſſe de ſemine Dauidis natum. Alioqui Apoſtolus longè grauius eiuſmodi maliciam redarguiſſet.

Nunquam finiendis, inquit.] Græcè eſt, ἀνιφάτοις. Vulg. Lat. habet, Interminatis. Ambroſ. infinitis. Græca uox à νίφω, i. trans, compoſita, non modò id ſonat, quod finem non habet: ſed & quod penetrari non poteſt, perinde atque ſi pars aliqua maris nauigari nequeat. Sentit Apoſtolus (meo iudicio) ſic eſſe comparatas fabuloſas illas genealogias, ut explicari non poſſint: perinde ac ſi quis in labyrintho uerſetur, unde ſe expedire nequeat.

Adme

Admonemur, à Christiana doctrina remouẽda esse omnia ea dogmata, quæ sunt ἀπέραντα, i. inextricabilia, in quib. animi mortaliũ nec fundũ, nec finẽ, nec certá explicationem cõsequi possunt, sed frustra fatigantur: & quo magis ad explicandum incũbunt, hoc amplius irretiuntur ac dubij redduntur, & interim quæ necessaria sunt negligũtur: & ipsa salutis nostræ doctrina in suspicionem rapitur, quòd sit spinosa, scrupulosa, inexplicabilis & incerta.

Quæ quæstiones præbent, inquit, *magis quàm ædificationẽ Dei, quæ est per fidẽ.*] Quęstiones duplicis sunt generis. Alię, ex ipsa materia intricata & scrupulosa nascuntur: alias ingenia ociosorũ ac curiosorum hominum cõminiscuntur, dũ quod in se clarũ est, mille dubitationũ nebulis inuoluunt. Caro, ut est uana, curiosa & scrupulosa: ita est & propẽsa magis ad quærendũ, quàm apta ad inueniẽdum. Vnde & prouerbio Germanico dicimus, *Ein narr fragt meer, dann zehen vñ sen verantwoortẽ kinden*. Quare summopere cauendum esse monemur ab Apostolo, ne locũ demus insatiabili huic libidini, ad quęrendum propensæ: quæ magis erroribus gignẽdis, quàm rerũ perspicuitati seruit. *Vuer uil fragt, der irret vil.* Christianorũ est, credere, sperare, diligere, operari. Hæc aũt apud eos qui circa quæstiones languent, locum habere nõ possunt. Qui credit, non hæsitat: qui non hæsitat, non quærit. Sic comparata est & spes & dilectio, & obedientia, ad faciendũ quæ sunt à Deo pręcepta. Serpẽs antiquus cũ & fidẽ, & obedientiá in genere humano subuertere uellet, de eo quod simplex & clarũ à Deo præceptum erat, coram Euah matre nostra quæstionẽ mouit, dicẽs: Quare præcepit uobis Deus, ut non edatis ex omni ligno paradisi? In ipso uerbo Dei erat ratio simpliciter expressa, propter quá nõ de quouis fructu paradisi edere, sed ab esu arboris scientiæ boni & mali abstinere deberent, ut nulla opus esset quæstione. Et ei rationi credendum erat, nec ultrà quicquam quærendum. Sed ulcit serpens, & hac genus humanum quæstione decepit ac perdidit.

Iam quod attinet præsentem Apostoli locum, haud existimo necessariũ esse, ut de quęstionib. Iudaicarum fabularum, quæ nam illæ fuerint quæramus: quandoquidem introducta est in Ecclesias & scholas Christi theologia, quam Scholasticam uocant, omnib. modis sophistica, & quæstionum, dubiorum ac difficultatum feraciſsima. de qua rectius dixeris, quòd sit interminabilis, generans lites, non finiẽs quęstiones, quàm Augustinus hoc de ieiunio Sabbati dixit: uerùm hac de re, si cui libet, inspiciat Annotationes Erasmi in hũc Apostoli locum.

Quàm ædificationẽ Dei, inquit, *quæ est per fidem.*] Inter Christianos sic omnia ad ædificationem dirigi debent, ut si quid sit quod non ædificat, tanquá ociosum & inane reijciendum ueniat, etiamsi non faciat ad destructionẽ. Notũ est illud Euripidis: μή μοι τὰ κομψ', ἀλλ' ὧν πόλει δεῖ. Nõ dicit, Quæ destructionem gignunt magis quàm ædificationẽ: sed, Quæ quæstiones præbent magis quàm ædificationẽ Dei. Quid igitur de illis quæstionib. ac dogmatis dicendũ, quę nõ modò non ædificant, sed & ædificium Dei destruunt? Imò si rectè reputes, quemadmodum Christus dicit, Qui non colligit mecum, dispergit: ita & hic dici potest, Qui non ædificat, cũ sit minister ædificij Dei, hoc ipso quòd non ædificat, destruit. Medicus qui non curat ęgrotũ, perdit, quantumuis multa coram illo ex Auicẽna & Galeno ad rem non faciẽtia disputet. Architectus interea dum operandum est, ac prouehendum cœptum ędificium, de ligno ex lapidib. quæstiones adferens, non autẽ manum operi admouens, non ædificat: sed quantum in ipso est destruit, dum opus ædificij quæstionibus suis impedit, non expedit.

Obserua uerò, quòd non simpliciter dicit, Magis quàm ad ædificationẽ: sed, Magis quàm ad ædificationẽ Dei. Quæ est illa ędificatio Dei? Græcè est, μᾶλλον ἢ οἰκοδομίαν θεοῦ. quod uerti poterat, Magis quàm ad structurã domus Dei. Significat enim οἰκοδομία, structura domus. idẽ & Latina quidem uox Aedificatio, significat: uerùm quoniam illa nonnunquam generali sensu de aliarũ quoq; rerũ structuris usurpatur, fit ut ędificatio Dei obscuriꝰ quiddã sonare uideatur, quàm ut à quouis possit intelligi. Domus Dei, est Ecclesia Christi. Huius ædificatio, Dei est ædificatio, non modò propterea quòd ille dat operi huic incrementum, unde exurgat & crescat: sed & quòd Ecclesia domus ipsius est, in qua ille habitat, & omnia per spiritum suum moderatur & gubernat. Minister itaque Christi omnium uanissimus sit oportet, si ad prouehendam ędificationem hanc domus Dei uocatus, relicto ædificandi studio & opere, curiosis & inanibus quæstionibus uacauerit.

Obseruandũ & illud est, quod addit, Per fidẽ. Græcè est, τοῦ ἐν πίστει, i. Quę est in fide. Habet hæc particula specificationẽ ædificationis huius. Pseudapostoli ædificationẽ urgebant quę esset in obseruantia legis, prædicantes iustitiá operũ. Ecótrà Apostolus Christi totus erat in expediẽda ædificatione domus Dei, quę est per Euangelij prædicationẽ in fide. Prędicatio Euágelij sic est comparata, ut fidẽ requirat & gignat. Quoniá igitur illam Deus ad salutẽ credentium misit in mundũ, cõsequitur, ędificationẽ Dei quæ per illã est, esse in fide, dũ fideles in illa crescunt & augescunt. Loquitur autem de nulla alia fide, quàm quę est in Christũ, quá ipse ut Apostolus Christi prædicabat. De incrementis huius diximus in Locis nostris.

Aedificationi huic quæ est in fide Christi, admodum aduersatur dogma dubitationis, quod traditur à Scholasticis theologis, qui toti uacant eiusmodi doctrinæ, quæ diuersa est à doctrina Euangelicæ fidei, & constat quæstionib. difficultatib. ac dubijs, in quib. semper uersantes nunquá ad ueritatis Dei scientiã & syncerã Christi fidẽ perueniunt. Deinde dogmata

illorum

illorũ de libero arbitrio, de meritis, de iusticia operum, de potestate Papæ, de illius indulgentijs, de purgatorio igne, de intercessione diuorum, deque illorum inuocatione, adoratione & cultu, de statuis & imaginib. de abstinentia uetitorum ciborum, de obseruantia dierum ac traditionum humanarum, de Missis pro uiuis ac defunctis, alijsq; consimilibus nugis, obsecro, quomodo ad ædificationem Dei, quæ est in fide Christi, facere poterunt? Quales hi doctores sint domus Dei ędificatores, totus Papismus plenus eidololatria & omnis generis superstitionibus sole clarius demonstrat.

Illud itaque indubitanter tenendum est, ædificationem Dei esse non posse, nisi per doctrinam Christianę & Euangelicæ fidei. Quare nemo fieri posse speret, ut ubi illa sine fructu, adeoque & frustra prædicatur, ædificatio Dei, quæ est in fide, alio quodam uel doctrinæ uel præceptorum genere locum in Ecclesijs habere queat.

Dixerit hic quisquam: Si ædificatio domus Dei in fide consistit, quæ sit per Euangelij prædicationem: ergo frustra sunt omnia præcepta, de diligendo, timendo, colendo & obseruando Deo, deque uitæ sanctimonia, dilectione proximi, & fructibus bonorum operum. Respõdeo: Obiectio hæc perinde habet ac si dicas, Si uigor ac fertilitas arborum sita est in sanitate & integritate radicũ, ergo frustra est omnis reliqua illarũ cultura, quę impenditur caudicib. ac ramis. Quemadmodum illic, ita & hic non ualet eiusmodi argumẽtatio. Etenim sicut in arbore cũ primis quidẽ radicalis integritas ad fructificandum requiritur, & tamẽ interea cultura caudicis & ramorũ non reijcitur: ita & in religione ędificatio Dei haud ideo in fide Christi sita est, quòd sit reijciẽda pietatis, iusticię & sanctimoniæ institutio, sed quòd illa non nisi salua & incolumi fide, qua corda purificantur, efficax esse poterit.

1. Tim. 1. Porrò finis præcepti est charitas ex puro corde, & conscięntia bona, & fide non simulata: à quibus quòd aberrarũt quidam, deflexerunt ad uaniloquium, uolentes esse legis doctores, non intelligẽtes quæ loquuntur, neq; de quibus asseuerant.

Græcè est, τὸ δὲ τέλος τῆς παραγγελίας. i. Finis uerò denunciationis huius. nam τῆς posuit pro ταύτης. Qui legunt, Finis uerò præcepti, exponunt de lege Mosaica: ut idem sit quod, consummatio uerò legis est charitas. Respiciunt ad id quod Rom. 13. legitur. Verùm, ut pace illorum dicam, neque hic neque uspiam ullo loco, legem Mosis παραγγελίαν uocat Apostolus. Loquitur hic de denunciatione, cuius paulo suprà mentionem fecit, dicens: Vt denuncies quibusdam, ne diuersam doctrinam sequantur, nec attendant fabulis & genealogijs nunquam finiendis, quæ quęstiones præbent magis quàm ædificationem Dei quæ est in fide. His iam subijcit, quis sit denunciationis huius scopus, ad quem collimare debeat & ipse Timotheus, & quilibet Christianus: charitas uidelicet ex puro corde, & ex conscientia bona, & fide non simulata. Hæc quippe charitas ædificat: sciẽtia uerò quæ quæstionib. quæritur, inflat, & destruit magis quàm ædificat. Denunciationis huius circa calcẽ præsentis Capitis denuò meminit, cũ dicit, ταύτην τὴν παραγγελίαν, i. Denũciationẽ hãc cõmẽdo tibi, fili Timothee, iuxta prophetias, quæ de te præcesserunt, ut milites in eis bonam militiam, habens fidem & bonã cõscientiam, qua repulsa nonnulli circa fidẽ naufragium fecerunt. Expositioni huic consentit & Chrysostom. sic enim ille exponit, διὰ τοῦτο καὶ ὁ παῦλος ἔπαν, ἵνα παραγάλῃς τινὰς μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν, καὶ τὴν τρίπλεν ὑφηγῆται, καθ' ἣν τοῦτο γινέσθαι δυνατὸν. τίς δ' οὖν οὗτος ἐστὶν; ὁ ἀγάπη.

Quod itaque dicit, Finis uerò denunciationis huius est charitas: perinde est ac si dicat, Ad hunc aũt finẽ denunciatio ista tendere debet, ut auocati à contẽtionib. quæ ex quæstionib. nascuntur, charitati studeant: per quam ædificatio Dei, quæ est in fide, prouehatur.

Significat haud satis esse ad ædificationem Dei, si minister quosuis à studio fabularum ac quæstionum inutilium auocet, nisi denunciatio hæc ad charitatem exercendam tãquam ad finem suum tẽdat. Inuenias, qui quidem prorsus alieni sunt à studio curiosarum quęstionũ: interea tamen nihilo magis dediti sint charitati, quàm illi qui toti quæstionib. uacant: quales sunt homines carnales, curis secularib. & uoluptatib. carnis seruiẽtes, qui alio denunciationis genere in uiam sunt reuocandi. Illis enim frustrà denunciaretur, ne diuersam doctrinã sequantur, nec attendãt fabulis & genealogijs nunquã finiẽdis, quandoquidẽ procul absunt alioqui ab eo uitio. Quin magis denunciãdum illis est, ne corda sua in seruitutem curarum ac uoluptatum huius seculi tradant. idque sic est instituendum, ut huius quoque denunciationis finis sit charitas. Ad hanc enim, sine qua ædificatio Dei impleri non potest, collimandum est, à quocunque uitio & morbo reuocentur fideles.

Ex puro corde, inquit, *& ex conscięntia bona, & fide non simulata.*] Specificatio est uerę & Christianę charitatis, quam studia quæstionum, ubi obtinuerint in Ecclesia, extinguunt. Corda namq; per illa sinistris affectibus & opinionibus impurantur, conscientiæ deprauantur, & uera fides amittitur. Quare fieri non potest, ut Christiana charitas locum habeat inter eos qui quæstionibus ac rixis uacant: quandoquidem illa cor purum, conscientiam bonam, & fidem non simulatam requirit. Finem igitur denunciationis huius charitatem esse dicit, quæ sit ex corde puro, &c. Vt significet, sine charitate nõ posse ędificari domum Dei: deinde charitatẽ esse

esse non posse, ubi quæstionibus studetur: tertiò, ueram charitatem ideo non esse inter eos qui quæstionibus dediti sunt, quòd nec corde, nec conscientia, nec fide possunt esse synceri. Cor purum, est cor simplex & candidum, ab omni duplicitate, & siniſtro affectu alienum. Conscientia bona est, qua non sumus nobis de aliqua cordis nostri impuritate conscij, quæ in conspectu Domini de syncera nostra beneuolentia & innocentia testari potest. Fides nõ simulata, est uera fides: talis in ore, qualis est in corde. Quæ hinc est dilectio, omnino uera sit, & Christiana oportet.

Sed quæritur hic, an quæ de puro corde, bona conscientia, & fide nõ simulata loquitur Apostolus, ad Deum uel ad proximum sint referenda, ad quod paucis respõdeo: Scribit Christianis, & loquitur de fine denunciationis, quæ fieri debeat inter Christianos, qua illi instituendi sunt ad charitatem, quæ sit ex corde puro, conscientia bona, & fide non simulata. Inter Christianos autem primum locum habent ea quæ Deo debemus: deinde, quæ pertinent ad proximum. Quare existimant nonnulli intelligenda hęc esse de dilectione, puritate cordis, bona conscientia, & fide non simulata, quæ sint erga Deum cum primis, deinde etiam erga proximum. Sanè ita sunt hæc comparata, ut nisi erga Deum corde simus puro, conscientia bona, & fide non simulata, nunquam tales erga proximum esse queamus. Verùm (meo iudicio) simpliciter loquitur Apostolus de dilectione fraterna & Christiana, qua Christianus Christianum, ut Christianum propter Christum, & communem fidem, ex corde puro, & bona conscientia, & fide non simulata diligit: quę dilectio locũ habere non potest apud eos, quibus cor est erga fratres non purum, & conscientia non bona, & fides non uera, sed simulata. Tales autem sunt omnes illi, qui non sunt erga doctrinam & fidem Christi candidè ac syncerè affecti, sed languent circa uel peregrina & adultera dogmata, uel alia praua studia: & interim inter Christianos, quasi Christiani sint & ipsi, uersantur, & externa simulatione imperitis fucum faciunt: qualis erat Iudas inter apostolos, & Simon magus, ad quem Petrus dicebat: Cor tuum non est rectum coram Deo: & magna pars eorum qui ex circumcisione Christianismum profitentes circuibant inter gentes, & Mosis erant adhuc magis quàm Christi discipuli. Tales Christiani hodie quoque quamplurimi sunt in reformatis Ecclesijs, quorum corda uel Papisticis adhuc sunt fecibus impurata, ut dicant uetus uinũ melius est, uel circa Anabaptistarum errores, uel alio quopiam falso dogmate languent: qui omnes, quoniam nõ sunt candidè erga Euangelicam doctrinam animati, ut ex nobis non sunt, ita & exirent è nobis, nisi timore Magistratus cohiberentur. Iam uersantur inter nos nec puro corde, nec bona cum conscientia, nec fide uera, & consequenter alieni sunt ab ea dilectione quam nobis Christus Seruator, tanquam discipulis suis in ultima cœna mandauit, dicens: Hoc est præceptum meum ut diligatis uos mutuò, sicut ego dilexi uos. Admonendi sunt hic fideles, ut erga tales quoque amanter sint affecti, illisque omnem beneuolẽtiam, tanquam infirmis ac languidis, exhibeant: quo quantum in ipsis est, abalienatos illorum animos Ecclesiæ Christi concilient, ac Domino lucrifaciant.

A' *quibus quod aberrarunt quidam*, inquit, *deflexerunt ad uaniloquiũ*, &c.] Lapsum & ruinam quorundam memorat, quorum exemplo iam tum demonstratum erat, quorsum abeant, qui à sanæ doctrinæ & ædificationis Dei scopo aberrant. A' quibus, inquit. Intelligit de uera doctrina, fide, ædificatione Dei, puritate cordis, bona conscientia, & fraterna dilectione. Ab his tum nonnulli aberrauerant. Non exprimit illorum nomina, nisi fortè de illis loquitur, quorum infrà circa calcem præsentis Capitis meminit, de Hymenæo uidelicet & Alexandro, quibus & Philetum, 2. Timoth. 2. adiungit. Iudęos fuisse, ex eo patet, quòd mox subiungit, Volentes esse legis doctores, &c. Alexandrum quoque fuisse Iudæum, Act. 19. uidere licet. Haud tamẽ refert, de illis ne, uel alijs hic loquatur.

Dicit eos aberrasse ab ijs, quæ ad ædificationem faciunt. Græcè est. ἀστοχήσαντες, pro ἀπεστοχήσαντες. Sonat hæc uox ἀποστοχᾶν, ab eo quod petendum erat, uelut à scopo aberrare. Existimabant illi de quibus loquitur, ea quæ Paulus tradebat esse ueluti parerga, non habentia necessariam doctrinam, sine qua salus constare nequeat: se uerò collimare ad illam, docentes eaquę essent diuinæ legis: atque ita declinabant à scopo Euangelicæ doctrinæ ac fidei. Consimili modo accidit & Papistis, qui doctrinam Euangelij ac fidei susque deque facientes, declinant ad doctrinam operum, meritorum, ceremoniarum, ac traditionum humanarum, quasi in illa sit humanæ salutis scopus. Quid autem accidit eiusmodi doctoribus?

A' *quibus*, inquit, *quòd aberrarunt quidã, deflexerunt ad uaniloquium.*] Ergo hoc accidit illis, ut deflectant ad uaniloquium. Græcè est: ἐξετράπησαν εἰς ματαιολογίαν. Sunt hęc duo uerba. ἀποστοχᾶν & ἐκτρέπεσθαι coniuncta. Hoc ipso quod à scopo aberrat iaculator, deflectit, iaculumque in uacuũ & inane mittit. Sic accidit illis qui à doctrina sana aberrant. Quoniam à uero discedũt, nihil illis relinquitur aliud quàm ut ad uaniloquium deflectant: & licet pro theologis, ijsque eximijs haberi uelint, reipsa tamen matæologi fiant, non simpliciter de reb. inutilib. loquentes, sed quasi de summopere necessarijs doctorali supercilio admodum seraphicè disceptantes. Et eiusmodi matæologia digna uisa est, quæ maximis sumptibus in scholis Christianis retineretur,

neretur,& ad posteros mitteretur:imò pro theologo & doctore non haberetur,qui in illa nõ esset exactè institutus. Commoda hæc uisa est Antichristo,ut ex ipsa sumantur hæreticæ pra uitatis inquisitores,qui perinde de sana Euangelij Christi doctrina iudicent, atque pseudapostoli matæologi de doctrina Pauli iudicarunt.

Admonemur illorum exemplo,ut principiũ matæologiæ cauẽtes sanæ doctrinæ,Christianęq; fidei ac uitæ inhæreamus. Alioqui quamprimùm ab illa ἐκτροχᾶν cœperimus,nihil restabit aliud,quàm ut & ipsi ex Euangelicis matæologi,simul & ματαιοῦνται reddamur.

Quid est autem,quod non dicit,Deflexerunt ad falsiloquium:sed ad uaniloquium? An non fugienda magis est falsa quàm uana doctrina? Est sanè. Verùm illa quoniam nullo patrocinio nulloque colore commendari potest,haud opus est ut quisquam de auersanda ea moneatur. Nemo quippe sic desipit,ut amplexandum sibi putet,quod certò nouit esse falsum. At ea quæ falsa quidem dici non possunt,eo quòd ueri aliquid habeant,interea tamẽ ad propositum ueræ pietatis,iusticiæ ac salutis non faciunt,& hoc nomine pro uanis sunt habẽda: non ita facilè fugiuntur,propterea quòd falsa uocari nequeunt. Quare consultò factum est ab Apostolo,quod pseudapostolorum doctrinam, à scopo ædificationis Dei abludentem, non falsiloquium,sed uaniloquium uocat:monẽs,omnibus esse Christianis,uelut inutilem, uitandam. Quemadmodum enim præcepta medici uana sunt & respuenda ægroto, quæ ad recuperdã an sanitatem non faciunt:ità & omnis doctrina quæ ad ædificationem Dei, quæ est in fide Christi,non facit,atque ita utilis non est, sed uana, Christianis est hominibus repudianda.

Volentes esse legis doctores, inquit,*non intelligentes quæ loquuntur,neq; de quibus affirmant.*] Significat de quibus loquatur, & quomodo aberrauerint à scopo,inque uaniloquium deflexerint. Erant ex circumcisione,& cum Euangelij Christi deberent esse præcones, fastidito Euangelio animum addixerunt docendæ legi, uolentes esse νομοδιδάσκαλοι, i. doctores legis: atque ita factum est,ut fierent uaniloqui,gloriam propriam magis quàm Christi unà cum luculento quæstu quærentes.

Euangelij doctrina contempta est in mundo:legis uerò,cùm sapientiæ tum iusticię nomine coram sapientibus in magna est existimatione. Hoc respectu complures hodie, iuxta seculum docti,quo plus habent occasionis ad ampliores opes & dignitates acquirendas malunt esse iurium,legum & canonum doctores,quàm Euangelij Christi ministri. Et ab hac uanitate nec illi alieni sunt,qui titulo doctoratus insigniri uolunt in ipso Euangelij Christi ministerio constituti,malentes uocari doctores Theologiæ,quàm ministri uerbi.

Non dicit,Existentes legis doctores:sed,Volentes esse legis doctores. quod idem est, quod,Volentes haberi pro doctoribus legis. Perstringit enim affectum in illis,quo non tam ipsum usum & laborem docendi legem,quàm titulum doctoratus,& quæ ex illo est,inanem gloriam quærebant.

Non intelligentes, inquit,*quæ loquuntur,neque de quibus affirmant.*] Quãuis scientia legis destituerentur,doctores tamen legis esse uolebant. Et ut pro talibus haberentur,multa de lege non simpliciter loquebantur,sed & magna cum ostentatione affirmabant:quo,ut imperitis fucũ facerent,de rebus summopere necessarijs,prægnantib. & omnium certissimis loqui uidereꝰtur. Hanc audaciam affirmandi ea quæ non intelligas,inscitiæ nonnulli tribuunt iuxta illud, ἀμαθία θράσος, λογισμὸς ὑπνῳ φίλη. uerùm inscitia per se tales non reddit, sed falsa scientię persuasio. Qui hac tenentur,quiduis temerè affirmant. Quare cauẽda est eorum temeritas, qui sine testimonio S. Scripturarum quæ uulgo credi uolunt,impudenti audacia asseuerant.

Simul & illud cogita. Perstringũtur pseudapostoli,quòd non intelligãt ea de quib. loquũtur & affirmãt. Ergo intelligẽtia requiritur in doctorib. qua quę docẽda sunt intelligãt. Aliâs quid est doctor ignarus aliud,quàm dux cæcus? Hodie inuenias innumeros, qui doctrinæ præficiantur,cum certò constet,esse eos ignaros earum rerũ, quæ docẽdæ sunt in Ecclesia.

Scimus aũt quòd bona sit lex,si quis ea legitimè utatur,sciẽs illud, quòd iusto lex nõ sit posita:sed iniustis & inobsequẽtib. impijs & peccatorib. irreuerẽtib. & prophanis,parricidis & matricidis,homicidis,scortatorib. masculorum cõcubitorib. plagiarijs,mẽdacib. periuris,& si quid aliud est,quod sanæ doctrinæ auersetur,secundũ Euãgelium glorię beati Dei,quod cõcreditum est mihi.

Vrgebant pseudapostoli legem Dei esse bonam,ideoq; & docendam,& seruandam. Argumẽtatio illorum erat:Lex Dei uel bona est,uel non bona. Si bona,peccat Paulus,quòd ab ea quosuis auocat,cum sit ad hoc à Deo data,ut proponatur hominibus, prositque illis ad salutem. Si non bona, ergo culpandus est Deus,quòd populo suo legem non bonam per Mosen tradiderit. Quòd si impium est sentire hoc de Deo,reliquum igitur est,ut asseramus legem à Deo datam esse bonam,sanctam,utilem,& summa cum religione custodiendam. Et hanc ob causam fugienda est doctrina Pauli,qui sic prædicat Euangelium & fidem, ut legem Dei, & obseruantiam illius ueluti noxiam fugiendam esse doceat. Huic illorum argumentationi occurrens, dicit: Scimus autem quòd bona sit lex, si quis ea legitimè utatur.

Quasi

Quasi dicat: Frustra uociferãtur legem esse bonam, quasi nos illud ignoremus, aut impiè negemus. Scimus & ipsi, fatemurq; disertè, legem esse bonam. Quare non erat nobis hac in re struenda calumnia. Verùm iuxtà scimus, tum esse illam bonam & utilem, quando legitimè usurpatur. Bona est, sed non nisi legitimè utentibus. Huius rei nullam ipsi rationem habent, quia non hoc agunt ut rectus habeatur legis usus: sed ut ipsi prætextu legis Dei, quasi doctores legis in precio habeantur. Hic est sensus uerborum Apostoli.

Scimus autem, inquit, *quòd bona sit lex.*] Non hoc tantum loco tribuit legi, quòd sit bona, sed & Rom. 7. ubi sic dicit: Itaq; lex ipsa quidem sancta, & præceptum sanctum & iustum & bonũ. Admonemur, quomodo non sit negandum quod aliquo pacto uerum est: sed agnoscendum ac fatendum, etiamsi ex illo erroris sui fundamentũ quærant aduersarij, & inde paralogizando colligant, quod sit falsum, & cum ueritate Euangelij Dei pugnet. Sic Apostolus, quamuis falsam & noxiam pseudapostolorum doctrinam fortiter refutaret, haud tamẽ id negabat: sed agnoscebat, quòd illi ueluti doctrinæ suæ fundamentum passim iactabant, clamitãtes bonã esse legem. Id agnoscens, non simpliciter dicit, Non dicimus eam esse malã: sed, Scimus quòd bona sit lex. Consimili modo & nos, cum Iudæus dicit, Vnus est Deus, ergo Christus uester nõ est Deus: agnoscamus, unum esse Deum, dicamusq;, Scimus & nos quòd sit unus Deus. Si hæreticus dicat, Christus est homo, ergo non est Deus. respondeamus: Scimus quòd homo sit Christus. Si alius dixerit, Christus est Deus, ergo non est homo: dicamus disertè, Scimus quòd Deus sit Christus. Faciendum hoc est in omnibus contentionibus, ne sic uideamur Euangelicæ doctrinæ ueritatem asserere, ut nimio contendendi studio, quæ uera sunt, propterea negemus, quòd aduersarijs in speciem patrocinari uideantur.

Si quis ea legitimè utatur, inquit.] Limitatio est, quatenus tenẽdum sit, legem esse bonam. Adiecit hanc admodum pertinenter. Neq; enim disceptatio inter ipsum & pseudoapostolos erat de eo, bona´ne sit lex in seipsa, uel secus: sed potius de usu legis. Nã & lex ex ijs bonis est, quæ licet bona sint in se, nobis tamen bona non sunt, nisi illis rectè ac competenter utamur. Hoc significans adijcit: Si quis ea legitimè utatur. Vnde ultrò consequitur, non esse illam bonam, si quis ea illegitimè utatur. Conditionem hanc pseudapostoli nõ attingebant, quia non intelligebant quatenus bona esset lex: uel certè id maliciose dissimulabant, quo Paulo calũniam struerent, quasi legem bonam esse negaret.

Limitatio hæc nobis quoq; diligenter est usurpanda. Per hanc quippe ueritas eorum quæ in quæstionem ueniunt, non negatur, sed determinatur, & contentionibus modus imponitur. Accusant nos Papistæ, quòd reijciamus unitatem Ecclesiæ, ieiuniũ, bona opera, &c. Respondemus illis: Scimus quòd bona sit unitas Ecclesiæ, si sit legitima. Scimus quòd bonum sit ieiunium, si absq; superstitione, rectè ac legitimè usurpetur. Scimus quòd Deo placeant bona opera, si ex fide non simulata, & conscientia bona legitimè fiãt. Sic & fratribus nostris dicimus: Scimus panem ac poculum cœnæ Dominicæ esse corpus ac sanguinẽ Christi, Christum esse nobis ubiq; præsentem, & adimplere omnia: modò hæc sano ac legitimo sensu accipiantur. Etenim si secus intelligantur, uera non sunt, sed erronea. Vnde & nostro hoc seculo concertatio est in conciliabilus, ut proh dolor apparet, exorta.

Limitationis huius omnino seria est & accurata habenda ratio. Legalia præcepta usum possunt non qualemcunq;, sed legitimum. Sine usu inanes sunt omnes leges, quemadmodum & doctrina & sacramenta. De Sacramẽtis acerbissimè disceptatur, de usu illorum modicam interim uidemus esse curam. Scimus sacramenta à Christo instituta bona esse, quã de re non est opus ulla disceptatione: uerùm adijcimus, Si quis illis sacramentaliter utatur. Alioqui satius esset alienos prorsus esse nos à sacramentis. Est enim abusus illorum non modò inanis, sed & damnabilis & exitiosus, etiamsi ad finem mundi usque bona esse Sacramenta contendamus.

Si quis ea legitimè utatur, inquit.] Admodum pertinenter usus est hic aduerbio νομίμως, id est legitimè, quo rectum legis usum considerandum proponeret. Vnicuiq; rei suus est peculiaris usus, doctrinæ doctrinalis, sacramentis sacramentalis: sic legi legalis, uel si mauis legitimus. Is est geminus: unus docenti, alter audienti conueniens. Legitimè utitur lege, qui eam peccantibus sic proponit docendo, ut conscientias illorũ de peccato arguat & conuincat, quo iram Dei sentientes gratiam illius ex animo appetant. Sic & auditor illa legitimè utitur, qui per eam ad cognitionem non modò uoluntatis Dei, sed & corruptæ suæ naturæ perducitur.

Sciens illud, inquit, *quòd iusto nõ sit lex posita, sed iniustis, &c.*] Vulgata editio latina habet in plurali: Scientes hoc. In Græco uerò est in singulari, εἰδὼς τοῦτο, id est Sciens hoc, quemadmodum & Chrysostomus legit. Respexit uetus interpres ad id quod dixit Apòstolus, Scimus aũt quòd bona sit lex: ideo uertit in plurali, Scientes hoc. Verùm respiciendum est ad proximè præcedens, Si quis ea legitimè utatur: ut expositionis gratia subijciatur, Sciens illud quòd iusto non sit lex posita, sed iniustis, &c. Nam exponit, quis nam lege legitimè uti possit: is uidelicet, qui eam non iusto, sed iniustis positam esse nouit. Loquitur autem de doctoribus, & perstringit doctores illos qui legis uolebant esse doctores, çum legitimum illius usum ignora-

rent: quod uidelicet non ad hoc esset posita, ut iustis, sed ut iniustis proponeretur. Alioqui non proposuissent eam fidelibus Christi, fide in Christum iustificatis: sed iniustis, peccatoribus, impijs, &c.

Sciens illud, inquit, *quòd iusto non sit lex posita.*] Requirit à doctore, qui doctrina legis legitimè sit usurus, non solum scientiâ legis: sed & ut sciat, quibus nam illa posita sit à Deo, & quibus non sit posita. Etenim nisi hoc sciat, non poterit illam legitimè docere, etiamsi omnes illius apices ad unguem recensere queat. Perinde ac si imperitos medicos de eo accuses, quòd cum uelint esse medicinæ doctores, utantur illa non medicè, nescientes illam non esse sanis, sed ægrotis à Deo deputatam. Qui hoc nesciunt, quomodo unicuique ægroto pro qualitate morbi illius competentem medicinam adhibere poterunt? Consimilis planè & doctorũ Euangelij conditio est. Scimus bonum esse Euangelium, si quis illo Euangelicè utatur: sciens illud non esse missum à Deo hominibus uel hypocritis, uel impœnitentibus, uel iusticiarijs, sed peccatoribus pœnitentibus. Sic Seruator ipse dicit: Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Quòd iusto, inquit, *non sit lex posita, sed iniustis, &c.*] Quæri poterit hoc loco, quare non sit iusto lex posita, cum soli iusti sint illius seruantes, & in illa noctes ac dies meditentur? An non iustus erat, qui dicebat, Et lex tua in medio cordis mei?

Respondeo: Amat quidem iustus legem Dei, tanquam iustus, & meditatione illius delectatur magis quàm auro & argento: uerùm quòd iustus est, non habet ex lege: neque illa ad hoc data est, ut iustificet quenquá: sed data est propter transgressiones, ut reprobi quasi quibusdam catenis coerceantur, & in ordine metu pœnarum retineantur. id quod non est necessarium iustis, qui etiam sine lege pietati & iusticiæ studeant, & ea quæ lex præcipit ultrò faciunt. Cum igitur Apostolus dicit, Quòd iusto lex nõ sit posita: respicit ad rationem & usum legis, quæ sic natura sua comparata est, ut locum non habeat in iustis: neq; propter iustos po natur, sed propter iniustos.

Quid hic pseudapostolus? Bene, inquiet: concedo, legem non esse positam iusto, sed iniustis. At interim scire uelim, quis nam mortalium sic sit comparatus, ut nõ peccet, sed iustum esse se meritò confidere possit? Si nemo iustus est, ergo peccatores & iniusti sumus omnes, ideoq; omnibus posita lex est: siquidem posita est non iusto, sed iniustis. Si posita est omnibus: debet igitur & prædicari omnibus, & ab omnib. seruari. Quare damnabilis est doctrina Pauli, qua Euangelium sine lege prædicatur, imò omnes ab obseruantia legis auocantur. Ad hanc obiectionem facilis est responsio. Iustũ uocat hic Apostolus non eum qui prorsus nulla in re peccet, qualis utique nemo reperitur in hoc mundo: sed eum qui fide, dilectione ac timore Dei præditus, ultrò, sine omni lege, quæ legis sunt facit. hoc est, sedulò in id incumbit, ut fide syncera, & dilectione ac timore à Domino Deo suo pendeat, proximum diligat, iusticiam & innocentiam uitæ seruet. Hic in Scripturis iustus appellatur, ad differentiam eorum qui diuersimodè & animati sunt, & uiuunt: quales sunt de quibus subijcitur. Quemadmodũ bonum uirum uocamus, non eum qui perfectè bonus sit, perinde atque Deus: sed qui à malis, iniquis ac peruersis hominibus sic differat, ut communi sensu, quemadmodum illi mali, sic ipse bonus uocandus ueniat: ita & iustum communiter uocamus eum, qui quoniam alienus est à studio iniusticiæ, sic differt ab iniustis, ut respectu illorum cõmuniter ab omnibus iustus uocari queat. Eiusmodi hominibus non est opus externæ legis coactione, qua adigantur ut iusticiæ studeant: nam alioqui ad id sponte sua propendent. Secus uerò comparati sunt, de quibus iam subijcitur. Discriminis huius nullam habebát pseudapostoli rationem: sed indiscriminatim omnibus, imò maximè & cum primis fidelibus, per fidem in Christum iustificatis legem obtrudebant, quo prætextu illius regnarent, & Paulo negocium facesserent.

Sed iniustis, inquit, *& inobsequentibus, impijs & peccatoribus, &c.*] Græcè est, ἀνόμοις δὲ: quod uertũt, Iniustis. Est aũt ἄνομος, is qui sic infreni temeritate in quæuis scelera ruit, ac si nullis sit legibus obstrictus. de qua uoce & 2. Thess. 2. diximus. Postquam iusto legem esse positã negauit, iam consequenter subijcit, quibus nam sit lata à Deo. Poterat id una uoce exprimere, si quemadmodum iusto non esse, ita iniustis esse positam legem dixisset. Sicut enim illic generaliter omnes pietatis & iusticiæ species complexus est, dicens, Iusto non esse positam legem: ita & hic generaliter omnes impietatis & iniusticiæ species complecti poterat, si simpliciter dixisset, Sed ἀνόμοις, id est iniustis. Verùm maluit in hac parte species aliquot uitiorum recensere, easq; tales, quæ pro enormitate sua perspicuum exprimant discrimen, quo iniusti à iustis discernantur. Sed uideamus singulas ex ordine.

Sed iniustis & inobsequentibus, inquit.] ἄνομον & ἀνυπότακτον esse, est nulli legi, nulliq; cõstitutioni esse subditum. Generaliter præmittit ista. Primum enim impietatis gradum habent, qui nec legibus parent, nec cuiquam, ne Deo quidem, subesse sustinẽt. Horum temeritas & peruicacia cum primis domanda est legali comminatione & terrore. Significat etiam ἄνομος, eum qui est sine lege. Sic Rom. 2. Quotquot enim, inquit, ἀνόμως, id est, sine lege, peccauerunt, sine

lege

lege etiam peribunt. Et 1. Cor. 9. τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος, μὴ ὢν ἄνομος: id est, His qui sine lege sunt, quasi sine lege sim, cum non sim sine lege. Non erat Apostolus ἄνομος, sed obnoxius legi Christi: gentes uerò erant sine lege. quare in eo erat, ut eos legi Christi subijceret. Neque enim iustum, neque utile est homini, si prorsus sine lege uiuat: unde nihil potest cõsequi aliud, quàm uita omnis generis peccatis obnoxia. Cum igitur eiusmodi ἄνομοι non sint Christiani, qui lege spiritus ducuntur: nulla erat ratio propter quam pseudapostoli legem Mosis Christianorũ Ecclesijs obtruderent, quæ posita est ἀνόμοις & immorigeris.

Impijs & peccatoribus.] Iam consequenter subijcit ea uitia, quibus contra duas tabulas legis peccatur. In genere eos qui contra primam peccant, impios: contra alteram uerò peccantes, peccatores uocat. Hanc distinctionem in sequentibus per species quasdam prosequitur, dicens:

Irreuerentibus & prophanis.] Græcè est, ἀνοσίοις καὶ βεβήλοις. Prior uox hominem impium sonat, qui Deum neque colit, neque ueretur: posterior uerò prophanum, cui nihil est, nec esse debet commercij cum rebus sacris. Tales autem sunt, qui in primam tabulam peccantes, uni Deo non adhærent, eidola colunt, nomen Dei polluũt, & sacra à Deo tradita contemnunt ac prophanant. Germanicus interpres uertit, *Vnheilig vnd vngeistlich.*

Parricidis, inquit, *& matricidis.*] In secunda tabula primum præceptum est de honorandis parentibus. Honora, inquit, patrẽ tuum, ac matrem tuam. Hoc facit homo iustus ac fidelis, quare non est illi opus hac lege. Impius uerò & peccator, usqueadeò nõ honorat parentes suos, ut & conuicijs eos & uerberibus, imò & morte afficere non dubitet. Talibus lata lex est, quæ Exo. 21. legitur ad hunc modum: Qui percusserit patrem aut matrẽ, morte moriatur. Qui maledixerit patri suo, uel matri, morte moriatur.

Homicidis, inquit.] Huc pertinet secundum præceptum in secunda tabula, de quo in Decalogo nostro uide.

Scortatoribus, inquit, *& masculorum concubitoribus.*] Respicit ad tertium præceptum secũdæ tabulæ, in quo scortatio & adulterium prohibentur. De masculorum concubitoribus lex est Leuit. 18 & 20. & horribilis pœna, Genes. 19.

Plagiarijs, inquit.] Græcè est ἀνδραποδισταῖς: id est, illis qui homines, uel, si mauis, seruos furantur. Hos uocãt plagiarios. Germanicus interpres uertit, *Menschen dieben.* Pertinet ad quartum præceptum, quo furta prohibentur. Damnantur hi Exodi 21.

Mendacibus, periuris, inquit.] Respicit ad quintum præceptum, quo uetãtur falsa testimonia. Sic puto manifestum esse, quod Catalogus hic uitiorum studio sit ab Apostolo sic positus, ut perstringat pseudapostolos, qui erant ex circumcisione: unà cum reliquis Iudæis, qui propter Mosaicam legem Euangelio gratiæ Dei aduersabantur, cum tam abesset ut per illam iustificarentur, ut magis etiam conuincerentur, sic esse ipsos impios & peccatores, ut opus habeant tali lege, quæ contra tam grauia & enormia scelera posita sit à Deo. Non animaduertebant cæci ac stupidi, legem hanc ipsis non modò non facere ad salutem, sed & summam inferre condemnationem & ignominiam. Vt id notaret, posuit in hoc Catalogo nõ leuia aliquot uitia, sed admodum grauia, enormia & capitalia flagitia: uocans eos quibus posita sit lex, impios, prophanos, parricidas, matricidas, homicidas, scortatores, masculorum concubitores, plagiarios & periuros. Talis erat gens Iudæorum impia, scelesta ac flagitiosa, semper Spiritui sancto resistens: Christiani uerò, per Euangelij lucem illuminati, ac spiritu Christi regenerati, alieni erant ab huiusmodi sceleribus: ideoq; non erat ratio, ob quam ipsis Iudaica hæc obtrudenda lex esset.

Sed dixerit quisquam: At hodie maxima pars Christianorũ sic est impia & scelesta, ut præsens hic catalogus non minus illi quàm Iudæis conueniat. Si ergo talibus posita lex est, posita est utique & istis, qui perinde impiè ac flagitiosè uiuunt atque Iudæi. Sunt igitur circumcidendi, & ad totius legis ceremonias obseruandas astringendi, ut iam non sint amplius Christiani, sed Iudæi.

Respondeo: Loquitur Apostolus non de figuris, umbris ac ritibus legalibus, sed de Decalogo & iudicijs Legis. Quare licet maxima pars Christianorũ impiè ac flagitiosè uiuens, non minus sit eiusmodi legibus, quales Iudæis latæ sunt, coercenda, quàm Iudei: inde tamen non consequitur, quòd sit circumcidenda, & per circumcisionem ad Iudaicæ legis ritus ac ceremonias astringenda. Nam lex illa non est lata nisi populo Israeli, & Noui testamenti temporibus finem suum sortita est. Interea tamen legibus opus est inter Christianos, quibus reproborum malicia restringatur, & innocentia uerorum fidelium defendatur. Huc pertinet νομοθεσία, qua Magistratus qui gladium gestat, publicæ tranquillitatis ac pietatis gratia uti debet.

Et si quid aliud est, quod sanæ doctrinæ aduersetur, inquit, *secundum Euangelium gloriæ beati Dei, quod concreditum est mihi.*] Ne uideretur eximere ab hac sententia eas impietatis & iniusticiæ species, quarum in hoc catalogo non meminit: particulam hanc adiecit, qua & illas eidem conditioni ac sententiæ subijceret.

Quòd sanæ doctrinæ aduersetur, inquit.] Non dicit, quòd in Scripturis damnetur: sed Quòd sa-

næ doctrinæ aduersetur. Ne in Scripturis quidem comprehensa sunt omnia uitia, peccata, scelera & flagitia, quæ à reprobis admittuntur: sed si quid in illis nominatim non exprimitur, de eo cẽsendum est secundum normam sanæ doctrinę: ac perinde damnandum, si illi aduersetur, ac si expressè in Scripturis reprobetur.

Obseruanda etiam est hic sanitatis metaphora, qua doctrinam Dei sanam uocat. Vtitur illa & in posteriore ad Timotheum epistola cap. 4. & Tit. 1 & 2. Sana doctrina est, in qua nihil est quod sit falsum, uanum, confictum, superstitiosum, &c. sed omnia illius uera sunt, iusta, recta, pia, sancta, integra & salubria. Et talis doctrina hoc quoq; nomine sana uocatur, quòd ad sanitatem mentium nostrarum facit. Sic cibum sanum uocamus, qui sanitati corporis seruit. quo sensu sanum pro salubri accipitur. Sic reuera salubris esse nõ potest ea doctrina, quæ sana in seipsa non est. Quid igitur accidere potest illis aliud, quibus morbida ac pestilens doctrina proponitur in Ecclesijs, quàm quod accidit ægrotis, quibus medicina corrupta traditur, & illis qui in aere corrupto & infecto uiuunt?

Secundum Euangelium gloriæ beati Dei, inquit.] Specificatio est sanæ doctrinæ. Poterat, quod dixit, Et si quid aliud aduersatur sanæ doctrinæ, intelligi de lege: ideo adiecit, Secundum Euangelium gloriæ beati Dei: ut significet, Euangelium sanam esse doctrinam, ut nihil in eo sit auersandum: deinde esse sic perfectum, ut nulla sit impietatis & iniusticiæ species, quę illi non aduersetur. Pseudapostoli superaddebant illi legem, quasi sine illa sit imperfecta, & ad ueram pietatis & iusticiæ normam insufficiens. Errori huic repugnans Apostolus, non dicit, Et si quid aliud aduersatur sanæ doctrinæ secundum legem: sed, Secundum Euangelium gloriæ beati Dei, quod concreditum est mihi. Eôdem respiciens Rom. 1. iusticiam Dei per Euangelium patefieri dicit. Quod si per legem hoc fieri potuisset, frustra in mundum misisset Deus patefactionem hanc iusticiæ suæ, quæ fieret per Euangelium. Vbi igitur manifestatio est iusticiæ Dei, ibi etiam redargutio est omnis impietatis & iniusticiæ. Est autem illa, ubi lux est Euangelij Dei, quæ præstat quod lex præstare non potuit.

Obserua uerò quòd non simpliciter dicit, Et si quid est quod aduersetur sanæ doctrinæ: sed, Et si quid aliud est, quod aduersetur sanæ doctrinæ secundum Euangelium. quibus uerbis significat, omnes impietatis & iniusticiæ species, non modò eas quæ expresse per legem damnantur, sed & reliquas omnes aduersari sanæ doctrinæ, quæ est per Euangelium Christi. Nullum igitur est uitiorum, peccatorum, iniquitatum, impietatum ac scelerum genus quod non redarguat Euangelij doctrina, si ritè prædicetur. Et hinc est, quòd nostris hisce temporibus, quib. tam uidentur omnia esse corrupta ac deprauata, aduersarij ueritatis, culpam tribuant Euangelicæ doctrinæ, quasi illa omnem peccandi licentiam induxerit. Cæci, quomodo licentiam peccandi inducit ea doctrina, quæ omnem impietatem & iniusticiam patefacit & redarguit, & cui omne genus peccatorum aduersatur? Aliud est reuelare maliciam mundi: & aliud, inducere maliciam mundo. Papatui debemus istam mundi corruptionẽ, non Euangelio, quib. & Antichristum, & regnum Antichristi, & Ecclesiarum corruptionem, falsos cultus, & omnem iniusticiam redarguit. Quomodo fieri poterit, ut Euangelium aduersanti sibi impietati & iniusticiæ patrocinetur? Perinde hoc esset, ac si lucem tenebris, calidum frigido, ueritatem mendacio, Deum diabolo patrocinari dicas. Si Euangelium maliciæ ac corruptioni præsentis seculi patrocinatur, unde quæso est, quòd quo quisq; flagitiosius, sceleratius ac licẽtiosius uiuit, hoc illi infensius & acerbius aduersatur? Ipsa igitur odia, quę incurrit in hoc seculo, diuersum clamant.

Secundum Euangelium gloriæ beati Dei, inquit.] Non simpliciter dicit, Secundum Euangelium: sed addit, Gloriæ Dei. neque sic simpliciter: sed, Beati Dei. Quod Euangelium glorię Dei uocat, exponunt nonnulli per Ebraismum, ut idem sit, quod glorioſum Euangelium Dei. Verùm simplicius esse uidetur, ut exponamus de gloria gratiæ Dei, quæ per Euangelium prædicatur: Vt Euangelium gloriæ Dei, sit idem quod Euangelium de gloria Dei. Sed hac de re uide in Locis nostris, loco de Euangelio.

Beati Dei, inquit.] Nolo attingere discrimen quod ponunt inter beatum & felicem. Græcè est, μακαρίου θεοῦ. Est autem μακάριος, ὁ ἐν ἀγαθοῖς πάντοτε ὤν. sic definit hanc uocem Suidas. Et hactenus Deus solus beatus est. Christus tamen Matth. 5. discipulos suos beatos uocat propter participationem ueræ felicitatis, ubi de hac uoce annotauimus, quemadmodum & in Commentarijs nostris super Psalmos, Psal. 1.

Non est autem ociosum, quòd ubi de Euangelio loquens, uocat illud Euangelium gloriæ Dei, simul Deum beatum uocat. Significat gloriam eius, qui uerè beatus est, esse in illius bonitate, gratia, ac beneficentia erga egenos ac miseros. Hanc autem prædicat Euangelium in mundo, uocans ad participationem cœlestis & æternæ uitæ, & ad adoptionem filiorum Dei non modò Iudæos, sed & gentes. Hanc gloriam beati Dei pluris facere deberent homines iuxta seculum opulenti, qui beati esse uidentur, quàm omnes suas opes. Gloria nanque beatorum non est in multitudine diuitiarum: sed in eo, si de illis largiter communicent egenis. Parum glorioſe beatus est, qui quæ habet bona, sibi soli habet.

Quod concreditum est mihi, inquit.] Specificatio est Euangelij, de quo loquitur. Habebant & pseudapostoli Euangelium, quod prædicarent: uerùm in speciem tantũ, & aliud ab eo quod traditum erat à Domino, & à ueris Apostolis prædicabatur. Huius reijciendi gratia specificationem hanc adiecit, dicens: Quòd concreditum est mihi.

Non dicit autem simpliciter, Quòd ego prædico: sed, Quod concreditum est mihi: ne ueri Euangelij specificationem ponat in eo quod ipse faciebat: sed magis in eo quod Deus, illius author fecerat, qui hoc sibi Euangelium inter gentes prædicandum commendauerat.

De eo quod in Græco est, ὁ ἐπιστεύθην ἐγώ, id est quod cõcreditum est mihi: diximus in Epist. ad Galatas, cap. 2 & 1. Thessalon. 2.

Et gratiam habeo, ei qui me potentem reddidit Christo Iesu Domino nostro, quia fidelem me iudicauit ponendo in ministerium, qui prius eram blasphemus & persequutor, & uiolentus: sed & misericordiam adeptus sum, quòd ignorans fecerim per incredulitatem. Exuberauit autem supra modum gratia Domini nostri cum fide & dilectione, quæ est per Christum Iesum.

Quoniam dixerat, Concreditum esse sibi Euangelium gloriæ beati Dei, consideratione illius motus, quo exprimat quanti gratiam hanc Apostolatus sui faciat, prorumpit in gratiarum actionem: & simul meminit præteritæ suæ incredulitatis, blasphemiarum, uiolentiæ ac persequutionum, quo misericordiam Dei erga se declaratam, & abundantiam acceptæ gratiæ extollat ac deprædicet.

Et gratiam habeo, inquit.] Sic est & Græcè, χάριν ἔχω. Notum est discrimen inter gratiam habere, & gratias agere, & gratiam referre. Primum, est in corde ac uoluntate, memoriq; mente: secundum, in uerbis: tertium, in opere, quo acceptum beneficium beneficio mutuo rependitur. Tertium hoc locum in nobis habere non potest, ubi cum Deo agendum est. Hic pius dicit: Minor sum cunctis miserationibus tuis. Et illud: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ impendit mihi? Priora uerò duo usitatissima sunt inter pios, qui & corde & ore Deo gratiam habent & agunt de omnibus. Ex abundãtia cordis os loquitur. Quare gratiam quam habent in corde, frequenter effundunt in uerba.

Ei, inquit, *qui me potentem reddidit, Christo Iesu Domino nostro.*] Non simpliciter, Et gratiam habeo Christo Iesu Domino nostro: sed, Et gratiam habeo ei, inquit, qui me potentẽ reddidit, Christo Iesu Domino nostro. Cum crederet illi Dominus Euangelium suum quod prędicaret inter gentes, simul eum & potentem reddidit, quo fortiter in opere commisso pergere posset. Hoc agnoscit, & hisce uerbis in gloriam Domini fatetur ac deprædicat.

De quo genere autem potentiæ loquatur, in eo satis exprimitur, quod dicit, τῷ ἐνδυναμώσαντί με: quod non est simpliciter, Qui me potentem reddidit, sed, Qui mihi robur ac potentiam indidit. hoc est, Animum meum uirtute spiritus sui corroborauit, ne laboribus, periculis, cõtradictionibus aduersariorum, & persequutionibus frangerer, sed firmus in opere Euangelij persisterem. Et hoc uerbum alijs quoque locis ponitur, ut Act. 9. σαῦλος δὲ μᾶλλον, ἐνεδυναμοῦτο. Et Philip. 4. πάντα, inquit, ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμώσαντί με χριστῷ. Et 2. Timoth. 4. καὶ ἐνεδυνάμωσέ με, ἵνα δι' ἐμοῦ τὸ κήρυγμα πληροφορηθῇ. Aliàs corpore ac præsentia corporis erat imbecillis, perinde atq; uas fictile, & iuxta seculum longè diuersus à Pontificia potentia, quæ cum regum ac principũ potentia iam olim certare cœpit. Nec præter rationem. Apostolica quippe potentia Pontificius primatus opus non habet, sed mundana: quoniam non Euangelij ministerium, sed regnum & opes huius mundi quærit. Quare Romanus Papa non potest cum Paulo dicere: Gratiam habeo Iesu Christo Domino nostro qui me potentem reddidit: sed tanquam Antichristus, Gratiam habeo principi huius mundi, qui me potentem ac dominum dominantium reddidit, quia me fidelem sibi iudicauit, ponendo in uicariatum suum, qui sum blasphemus, persequutor & uiolentus, &c. Duo sunt regna: Christi unum, satanæ alterum. Vterque quidem princeps regni sui ministros reddit potentes, quos sibi reperit fideles: uerùm alia atque alia potentia. Christus suos uirtute spiritus ac fidei in cordibus ipsorum ad hoc corroborat, ut in prædicatione Euangelij Dei infracto animo persistere possint. Satan uerò suos in omni malicia, uersutia, impietate, impostura, & iniusticia omnium reddit pertinacissimos, & potentia huius mundi illustres ac formidabiles.

Quia fidelem me iudicauit, inquit, *ponendo in ministerium.*] Prædicat gratiam Domini, quam in se declarauerat, ob quam illi gratiam habebat. Ea erat, quòd posuerat ipsum in Apostolatum, cum iudicium potius quàm Apostolatum esset promeritus. Non dicit, Quia fidelem me reperit: sed, Quia fidelem me iudicauit. Sentit, se neque fidelem neque dignum fuisse, qui poneretur in ministerium Domini: uerùm esse hoc per gratiam illius factum, ut haberetur pro fideli.

Sed poterit hic quæri, errauerit ne Dominus in eo quòd hominem blasphemum, persequutorem,

quutorem, uiolentum & aduersarium, fidelem esse iudicauit, ponendo eum in ministerium suũ. Vel, si non errauit, quomodo talis fidelis esse potuerit ei, cuius erat infensissimus hostis?

Respondeo: Non errauit Dominus, cum iudicaret Paulum fidelem esse, ac ponendum in ministerium. Erat enim fidelis, procul ab omni fraude ac simulatione, etiam cum esset contra Dominum blasphemus, persequutor, & uiolentus. Etenim quod tum faciebat, ad hoc faciebat, ut pro Deo Israelis tanquam Deo suo fideliter contra nouam sectam certaret: & si fieri posset, totam extingueret. Domino Iesu Christo non erat fidelis, sed uehemens aduersarius, quoniam habebat eum pro aduersario Dei ac seductore. à nemine autem requiritur, ut fidelis sit ei, cui fidem, quod ipse sciat, nullam debet: imò, cui etiam aduersandum ac resistendũ esse censet, quo Domino suo fidelis inueniatur. Quare quo magis Christo pro gloria Dei certando aduersabatur, hoc fideliorem se Deo suo declarabat. Et fidelem hunc animum non habebat aliunde quàm ex zelo Dei: quem, licet adhuc tenebris ignorantiæ inuolutum, dono Dei acceperat, ne quis illum carni adscribat. Rectè ergo Dominus hunc Paulum fidelem, & in ministerium suum ponendum esse iudicauit.

Quod si expositio hæc non placet, exponatur ad hunc modum: Quoniam fidelem me (fore sibi) iudicauit, ideoq; in ministerium suum posuit. Non eram illi fidelis, sed aduersarius: ipse uerò sic de me iudicauit, ut statueret, fore me sibi in ministerio Apostolatus fidelem. Nos hic admonemur, quid potissimùm in ministro Christi requiratur. Præclarum est, si sit uir sapiens, sacris literis ritè institutus, & honestus, quæ dubio procul erat in Paulo: uerùm cum primis hoc requiritur à quolibet ministro, ut hero suo fideliter seruiat. Sed hac de re uide in Comment. nostris super priorem ad Corinthios, cap. 4. initio Capitis.

Ponendo in ministerium, inquit.] Vnde cognouerat, quòd se Dominus fidelem esse iudicauerat? Ex eo uidelicet, quòd positus ab illo erat in ministerium. Erat à Domino ex utero matris in ministerium Euangelij segregatus, sicuti uidere est Galat. 1. Verùm ea res occultior erat, quàm quæ argumento huic, in quo uersatur, conueniret. Ideo loquitur de uocatione ad Apostolatum, per quam erat in ministerium à Domino luculento & facto & uerbo positus.

Ergo, quos habemus Apostolos, quorum doctrinam sequimur, non humana aliqua potestas, sed Dominus ipse non simpliciter ad se uocauit, sed posuit & confirmauit: idque non in dominatum ac dignitates, sed in ministerium, illosq; fideles sibi iudicauit, & thesaurũ Euangelij sui fidei ipsorum concredidit. Et pro hoc tam laborioso, molesto, contempto in oculis mundi, & innumeris periculis obnoxio prædicandi Euangelij ministerio, dignum existimauit Apostolus hic noster, ut quas posset maximas ageret Christo Domino gratias: tam aberat ut de humilitate ministerij huius erubesceret. id quod à præcellentibus Ecclesiarum prælatis, Papis, Carnalibus, Episcopis, de Apostolica successione falso gloriantibus fieri uidemus: quod haudquaquam facerent, si ab ipso Domino in ministerium positi essent.

Qui prius eram blasphemus, & persequutor, & uiolentus, inquit.] Illud, Violentus, in Græco est ὑβριστὴς. Sonat ea uox contumeliosum, quemadmodum & uulgata Latina editio habet, & Ambrosius. Reddit Erasmus rationem, quare uerterit, Violentum. Germanicus tamẽ interpres uertit, *Schmæher*.

Quorsum autem meminit, qualis fuerit, priusquam à Christo uocaretur, & in ministerium poneretur? Videtur id dissimulandum fuisse potius, quàm ultrò cõmemorandum. Nam inde aduersarij Apostolatum ipsius ignominiosè diffamabant. Sciebat hoc: ideoq; data opera hic & alibi fatetur, Christo se uehementer fuisse aduersatum, & Ecclesiam illius persequutum: qua in re declarat, malle se gloriam gratiæ Domini hac sua confessione illustrare, quàm honori suo tacendo ac dissimulando parcere. Aduersarij illius, quemadmodum solent calumniatores, per id uolebant dehonestare ipsius Apostolatum, si omnibus notum facerent, qualis olim fuisset, cum inde magis esset commendabilis. Esse blasphemum, persequutorem & contumeliosum, admodum est culpabile (præsertim in illis qui ueritatem Dei amplecti ac deprædicare debebant) fuisse uerò talem, non ita. Hodie solent hostes Euangelij consimili malicia ministeria fratrum per id denigrare, quòd quales olim in Papatu fuerint, probrosè obijciunt: Hic, inquiunt, monachus cucullatus fuit, & factus est apostata, & iam damnat quod olim fuit. Bene habet quòd fuit talis, amplius uerò non est. Hic, inquiunt, paulo antè execrabatur nouam hanc doctrinam, illamq; acerrimè impugnabat: iam illam pro inconstantia sua laudat ac docet. Rectè. Malefaciebat execrando & impugnando ueritatem Dei, quam nondum intelligebat: iam uerò bene facit, quòd hanc laudat & docet, Papismum uerò cum omnibus illius superstitionibus & eidolomanijs impugnat. Agnoscenda hinc est singularis gratia Dei, per quam qui in errore erant, non solum ad intelligentiam sunt ueritatis Dei, sed & ad ministerium illius perducti.

Obserua uerò, quòd omni extenuatione reiecta, non dicit, Qui prius eram ignarus ueritatis Dei, illiq; non fauebam, nec audire de illa sustinebam, quæ communiter ab incredulis fieri solent: sed cum manifesta ac diserta exaggeratione, Qui prius eram blasphemus, inquit, & perse-

perſequutor, & contumelioſus. Sunt hæc eorum qui uehementiori ſunt zelo aduerſus ueritatem Dei accenſi. Blaſphemant, perſequuntur, & contumelioſiſsimè agunt. Paulus blaſphemauerat Chriſtum, perſequutus fuerat Eccleſias Chriſti, & contumelioſe cum fidelibus egerat, quos in carceres cõiecerat. Horum conſcius ac perpetuò memor, gratiam Dei erga ſe declaratam ſatis deprædicare non potuit. Noſtris temporibus eiuſmodi admirandæ conuerſionis exempla non pauca uidimus, in illis qui cum antea blaſphemaſſent, perſequutoresque ac uiolenti fuiſſent: poſtea cognita per gratiam Dei ueritate, quod fecerant damnarunt, & in manifeſtam ueritatis confeſsionem mutarunt.

Sed & miſericordiam adeptus ſum, inquit, *quòd ignorans fecerim, per incredulitatem.*] Homo blaſphemus, perſequutor ac contumelioſus, non modò indignus qui in miniſtrum accipiatur: ſed & ne miſericordia quidem dignus uidetur, cui parcatur. Cum ergo dixiſſet ſe fuiſſe talem: quo ſingularem in ſe gratiam Dei amplificaret, mox ſubiecit, Sed & miſericordiam adeptus ſum.

Deinde ne talem uideretur prædicare miſericordiam, quæ Deo non conueniat: adiecit illius cauſam dicens, Quòd ignorans fecerim. Ei qui ſcienter ueritatem Dei blaſphemat, perſequitur, & contumelijs afficit, non eſt ſperanda miſericordia Dei: ſperanda uerò eſt, per ignorantiam talia facienti. Non conuenit Maieſtati ac iuſticiæ Dei, ut perinde agat cum ijs qui ſcienter ac malicioſe peccant, atque cum illis qui peccant per ignorantiam. Horum cum laude bonitatis ſuæ miſeretur: illorum uerò nequaquam, ne nihil inter errantem & ſcienter malè agentem diſcriminis ponat. Qui non niſi per ignorantiam peccat, ſic eſt timore & obſeruantia Dei præditus, ut ſcienter non ſit peccaturus. Alioqui dici non poteſt, quòd per ignorantiam peccet, qui ſic eſt impius ut ſcienter peccare non dubitet. Per ignorantiam autem ij potiſsimùm peccant, qui zelo Dei præter ſcientiam ducuntur. Talis fuerat Paulus, priuſquã ad Chriſtum conuerteretur. Atque ideo miſericordiam adeptus eſt. Non poſſum hic ſine gemitu recogitare, quàm diuerſimodè animata fuerit præterita maiorum noſtrorum ætas, ab ea quæ nunc eſt. De illa dicere poſſumus, quòd per ignorantiam peccarit in multis: id quod de noſtra hac ueraciter dici non poteſt. Etenim in tam clara ueritatis Dei luce tanta paſsim obtinuit impietas, ut ſcienter ac prudenter peccetur à multis.

Per incredulitatem, inquit.] Ignorantiam ſuam non extenuat, ſed incredulitatis damnat. Audierat de doctrina Chriſti Hieroſolymis, etſi à nemine alio, quod tamen ueroſimile non eſt, certè à Gamaliele, cuius fuerat diſcipulus, uerùm auditis non credidit, ſed per incredulitatem repugnauit. Incredulitas ſanè imputari non poteſt illis qui non audierunt. Quomodo enim credent ei de quo nõ audierunt? inquit Apoſtolus Rom. 10. Sic ignorantia gemina eſt. Vna eorum qui non audierunt, ſiue quòd nõ miſerit uerbum ſuum Dominus: ſiue quòd per ſuperiores, ne audiãt, impediantur. Altera eorum qui audierunt quidem, uerùm credere detrectant, ideoq; per incredulitatem errant. Poſterior hæc ignorantia minus habet excuſationis, ideoq; minus digna eſt quæ per miſericordiã condonetur. At talis fuerat ignorantia Pauli. Quare quod miſericordiam adeptus eſt, ad hoc facit, ut gratia Dei ſingulari exemplo illuſtretur.

Exuberauit autem ſupra modum gratia Domini noſtri, inquit, *cum fide & dilectione quæ eſt per Chriſtum Ieſum.*] Quod uertit Eraſmus, Exuberauit ſupra modum: in Græco eſt, ὑπερεπλεόνασεν. Vulgata editio habet, Superabundauit. Poterat illud, Supra modum, omitti, quo minus eſſet quæſtionis. Et illud, Quæ eſt per Chriſtum Ieſum: in Græco eſt, τῆς ἐν χριστῷ Ἰησοῦ, id eſt, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Sic habet & uulgata editio. Non erat ratio aliter uertendi.

Hactenus deprædicauit eam gratiæ Dei partem, per quam cum blaſphemus fuiſſet, & perſequutor & contumelioſus, non modò miſericordiam adeptus, propter ignorantiam, ſed & fidelis iudicatus, in miniſterium à Domino poſitus erat: iam de ea quoque ſubiungit, quæ operabatur in ipſo magna cum exuberantia non ſolum ſingularem uirtutem in opere prædicationis, in quo plus omnibus reliquis laborauit. 1. Cor. 15. ſed & fidem & dilectionem in Chriſto multo copioſiorem, quàm fuerat ipſius antea incredulitas & odium aduerſus Chriſtum. Hanc gratiæ Dei exuberantiam prædicare uidetur, cum dicit: Exuberauit autem ſupra modum gratia Domini noſtri cum fide & dilectione, quæ eſt in Chriſto Ieſu. quibus uerbis gloriam Apoſtolatus ſui, & ſingularem fidei ac dilectionis ſuæ in Chriſto uirtutem non ſibi, ſed gratiæ Chriſti adſcribit: idem faciens quod 1. Cor. 15. ubi ſic dicit: Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum idoneus ut dicar Apoſtolus, propterea quòd perſequutus ſum Eccleſiam Dei, ſed gratia Dei ſum id quod ſum. Et gratia eius quæ profecta eſt in me, non fuit inanis, ſed copioſius quàm illi omnes laboraui; non ego tamen, ſed gratia Dei quæ mecum eſt.

Sic itaque liberat Apoſtolatum ſuum à probro præcedentis ſuæ incredulitatis, blaſphemiæ quoque, contumeliæ & truculentiæ, qua Eccleſias Chriſti exagitauerat, quo maliciæ

pseudapostolorum resistat, qui inde ansam sumebant cursum Euangelij quod prędicabat reprimendi. Et hoc faciens rationem habet Timothei, cui scribit, ne obloquutionibus aduersariorum à syncera existimatione cùm Euágelij Christi tum Apostolatus ipsius auocatus paulatim ab officio relaberetur: deinde ut simul instrueretur, quibus rationibus calũnijs aduersariorum resisteret. Huc faciunt præcedentia omnia, quibus principiò non negat, sed disertè fatetur qualis olim fuerit, blasphemus uidelicet, persequutor ac contumeliosus. Huic tamen addit, quòd talis fuerit non ex malicia, sed ex ignorantia. Deinde, dicit se consequutum esse misericordiam. Tertiò, imò fidelem iudicatum à Domino, qui poneretur in ministerium, & cui concrederetur Euangelium beati Dei. Quartò, exuberasse præterea in se gratiam Domini cum fide & dilectione. Quintò, potentem quoque redditum esse à Domino, cùm uerbo, tum opere, & inuicta ad perseuerandum constantia. Hæc, inquam, sic liberant ipsius Apostolatum ab aduersariorum calumnijs, ut etiam mirum in modum gratiam Dei in illo commendent & extollant.

Certus sermo, & dignus quem modis omnibus amplectamur, quòd Christus Iesus uenit in mundum, ut peccatores saluos faceret, quorum primus sum ego. Verùm ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primò ostenderet Christus Iesus omnem clementiam, ad exprimendum exemplar ijs qui crediturí essent in ipso, in uitam æternam. Regi autem seculorum immortali, inuisibili, soli sapienti Deo, honor, gloria, in secula seculorum: Amen.

Græcè est, πιστὸς ὁ λόγος. Vulgata editio Lat. habet: Fidelis sermo. Erasmus tamen rectè uertit: Certus sermo. Et illud, Et dignus quem modis omnibus amplectamur: in Græco est, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, id est, Et omni acceptione dignus. Germanicus interpres uertit, *Das iſt ie gewißlich vuar, vnd ein theür vuerdes vuort.*

Summa horum est, in persona ipsius comprobatum esse, uenisse Christum Iesum in hunc mundum non ut perderet, sed ut seruaret peccatores. Ad huius gratiæ exemplar & fidem facere clementiam ipsi à Christo Domino non modicè, sed exuberanter exhibitam: ut manifestum fieret, quid sperandum esset omnibus in Christum credentibus, tam abesse, ut inde aliquod Apostolatui ipsius nasci debeat offendiculum.

Certus sermo, & dignus, inquit, *quem modis omnibus amplectamur, quòd Christus Iesus uenit in mundum, ut peccatores saluos faceret.*] Poterat simpliciter dicere, Quæ est in Christo Iesu, qui uenit in mundum ut peccatores saluos faceret: nisi uoluisset admonere, quanti sit hoc pijs omnibus faciendum, quòd Christus Dominus in mundum hunc uenit non propter iustos, sed propter peccatores, ut illos à perditiõe eriperet ac seruaret. De hoc admoniturus, præmittit ista: Certus sermo, & omni acceptatione dignus. Sermonem accipit pro Euangelio, quòd ipse de salute peccatorum in Christum credentiũ prædicabat, pseudapostoli uerò impugnabant. Hæc omnino est Euangelij summa, quòd Christus in mundum hunc uenit, ut peccatores saluos faciat. Hanc Christus ipse sic expresit: Non ueni ad uocandum iustos, sed peccatores ad resipiscentiam, Matth. 9. Et: Venit enim filius hominis ad quærendum & seruandum quod perierat, Lucæ 19. Hic igitur scopus est unicus Euangelicæ prædicationis, ut seruentur peccatores per resipiscentiam & fidem in Christum.

De Euangelio hoc duo prædicat Apostolus. Vnum, quòd sit πίστον, id est, fidum ac certum: alterum, quòd sit omni acceptatione dignum. Priori prædicato excludit omnem incertitudinem ac dubitationem, quæ contra certam ueritatem Euangelij Dei à carne nostra, à pseudapostolis, iusticiarijs, legalibus ac Scholasticis doctoribus infertur. Pro sua bonitate Deus nõ modò seruare nos per suum filium Christum Iesum, quem salutis nostræ gratia in mundum hunc misit: sed & certos esse uult, de hac gratia sua, ne quis de illa dubitet. Quid enim minus conuenit tam certæ uoluntati Dei, multis & omnium certissimis modis comprobatę, quàm si de illa dubitemus? Satan igitur totus in eo est, ut per ministros suos dogmata dubitationis certitudini gratiæ Dei obijciat, quo nos à tam certa salute abducat, & in perditione retineat.

Posteriori prædicato commendat dignitatem Euangelij, quàm sit uidelicet preciosum, optabile, & acceptabile omnibus. Græcè est, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος. Significat ἀποδέχομαι, unde est ἀποδοχή, idem quod, auidè aliquid abripio: Germanicè, *binnemen*: ad quem modum ea quæ chara sunt ac preciosa, utpote, aurum, argentum, cibum ac potum, si esuriamus ac sitiamus: medicinã, si ægroti: liberationẽ, si captiui simus, cupidissimè abripimus. Latini hoc per uerbum acceptandi exprimere uolunt, ut præpositio Ac, pro Ad: ut sit quod Græcis est προσδέχομαι, uel pro ab, usurpetur, ut conueniat cum uerbo ἀποδέχομαι.

Quòd autem non simpliciter dicit, καὶ ἀποδοχῆς: sed πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, hoc est, Et acceptatione: sed, Et omni acceptatione dignus, ad hoc facit, ut nihil relinquat quod auidius sit acceptandum,

ptandum, quàm Euangelium Dei de ſalute peccatorum allata per Chriſtũ. Si quid eſt in hoc mundo, quod cupidè ſit acceptandum, ſic utiq; acceptãdum eſt hoc Euangelium. Multi ſunt modi, quibus quæ chara ſunt acceptantur. Alia ſine labore, alia cum labore: alia ſine ſumptu, alia cum ſumptu: alia ſecurè, alia cum periculo. Omnibus hiſce & alijs modis quæ chara ſunt acceptantur. Conſimiliter acceptandum eſt & Euangelium omnibus modis, propter ſalutem quam peccatoribus conuenit eſſe omniũ exoptatiſsimam, uſqueadeò, ut propter illud non dubitent ferre quoſcunq; labores, ſumptus, tribulationes & pericula. Huc facit parabola theſauri in agro abſconditi, quam Chriſtus Matth. 13. proponit.

Quòd Chriſtus Ieſus uenit in mundum, inquit, *ut peccatores ſaluos faceret.*] Obſerua. Non dicit ſimpliciter, quòd peccatores per Chriſtum ſaluantur: ſed, quòd Chriſtus Ieſus in mundum uenit, ut peccatores ſaluos faceret. Plus habet conſolationis, quòd Chriſtum ad hoc in mundum uenisſe dicit, ut peccatores ſaluos faceret, quàm ſi ſimpliciter peccatores per Chriſtum ſaluari diceret. In eo nanq; non opus tantum, ſed & uoluntatem ſaluandi, cum qua Chriſtus in mundum uenit, pulchrè exprimit. Etenim haud grauatim ſaluat Chriſtus peccatores, cum propterea in mundum hunc uenerit, ut peccatores ſaluaret.

Venit in mundum, inquit.] Quomodo uenit in mũdum? Naſcendo ſecundum carnem, quam ſalutis noſtræ gratia de carne noſtra aſſumpſit. Venit & medicus in noſodochium, ſed non naſcitur in noſodochio. Planè ſtupenda eſt hæc gratia, qua Seruator in ipſa domo & habitatione peccatorum, idq; de carne illorum, naſci uoluit. Vt peccatores ſaluos faceret, inquit. Et Ioannes in mundum hunc uenit, quemadmodum & reliqui prophetæ. nemo tamen illorum ad hoc in mundum uenit, ut peccatores ſaluos faceret: ſed ad hoc tantum uenerunt & Prophetæ & Apoſtoli, ut quoſuis ad reſipiſcentiam uocarent. Chriſtus uerò ad hoc uenit in mundum, ut peccatores ſaluos redderet: unde & ſolus rectè σωτὴρ, & Ebr. Ieſus, id eſt, Seruator uocatur: unde & Apoſtolus nomen Ieſus, expreſſe poſuit. Ad quos autem peccatores ſaluandos uenit in hunc mundum? Sumus omnes peccatores, quotquot mundum hunc incolimus. Et uaria ſunt peccatorum genera.

Reſpondeo: Cum ſine ſpecificatione dicit, quòd Chriſtus Ieſus uenit in mundum peccatores ſaluos facere: ſatis indicat, neminem hic peccatorem excipi, ſed omnibus paratam hãc eſſe ſalutis gratiam. Venit igitur ad ſeruandos peccatores omnes.

Et quomodo, inquies, ad omnes peccatores ſaluandos in hunc mundum uenit Chriſtus Ieſus, cum non ſaluentur omnes?

Reſpondeo: Sicut medicus uenit in noſodochium, ut non aliquos tantum, ſed indiſcrimi natim omnes curet ægrotos, niſi forſan reperit inter illos qui non modò incurabiliter ægrotent, ſed & opem ac medicinam ipſius recipere pertinaciter detrectent: ita & Chriſtus ſeruator ad ſaluandum uenit non aliquos duntaxat, ſed abſq; diſcrimine, omnes peccatores: demptis illis tamen, qui per impœnitentiam & incredulitatem ſalutis gratiam finaliter reſpuunt.

Adhuc dixerit aliquis: Ægroti ſic curantur, ut non ſint amplius ægroti, ſed ſani. An ſic ſaluantur & peccatores, ut non ſint amplius peccatores?

Reſpondeo: Quemadmodum ægrotus, qui morbo lethali laborauerat, curatus ac ſanatus dicitur, quando hactenus curatus eſt, ut non ſit amplius lethaliter ægrotus, ſed quotidie magis atq; magis à morbo ſuo liberetur, & in uita ſeruetur: & ſicut homo ſceleratus, qui mortis eſt reus factus, à iudicio & condemnatione non ſic liberatur, ut nõ ſit amplius peccator: ſed, ut accepta per gratiam flagitiorum ſuorum remiſsione, non ſit amplius reus mortis, & in poſterum à flagitijs abſtineat: ita & peccatores per Chriſtum ſalui redduntur à peccatis & perditione, non ut prorſus liberi ſint à peccatis, ſed ut peccata ipſorum non ſint amplius mortalia, nec cõdemnationi obnoxia, propter ſanguinem expiationis in cruce, pro nobis effuſum, modò gratiam hanc fide amplectantur, & bene collocent.

Quorum primus ſum ego, inquit.] Duo ſunt hic uidenda. unum, quomodo: alterum, quorſum hoc dicat. De priori quæri poterit, quomodo ſe primum peccatorum eſſe dicat. Primus peccator non fuit ipſe, ſed mulier, prima noſtra parens, ut ante omnes peccauit, ita & prima peccatrix fuit, & poſt hanc Adam. Itaq; non hoc ſenſu primum ſe inter peccatores eſſe dicit.

Deinde, non eſt ut intelligamus eum primum fuiſſe ex illis peccatoribus, quos Dominus cum in mundum hunc uenisſet, ſaluos reddiderat. Etenim complures ipſum in hac gratia præceſſerant. Reliquum igitur eſt, ut primum pro præcipuò dixerit. Sic & Germanicus interpres uertit, *Vnder vuelchen ich der fürnemſte bin.*

Verùm adhuc quæritur, quomodo ipſe fuerit omnium peccatorum maximus, cum in lege Dei ſic ſtudioſe uixerit, ut multos æquales in genere ſuo poſt ſe reliquerit: nec de ullo ſcelere ac flagitio legatur, quòd, ut impij ſolent, perpetrauerit. Ad hanc quæſtionem reſponderi poteſt: Quòd etſi non ſimpliciter præcipuus peccatorum fuerit, ſi uita ipſius conſideretur, & cum aliorum peccatis in ſe conferatur: hoc tamen nomine omnium peccatorũ præcipuus extiterit, quòd præcipuo furore ſupra modum, ac uehementius quàm quiſquam alius, contra Chriſtum ſeruatorem, illiusq; Eccleſiam blaſphemando, perſequendo, & contumelioſe

agendo

agendo grassatus fuerat. Non immeritò pro præcipuo hoste habetur, qui non uulgari modo subditos regni infestat, sed ipsius etiam regis personam blasphemando proscindit. Consimili ratione & Paulus haud præter rationem præcipuum se peccatorem esse dicit: quòd licet uulgaribus peccatis non fuerit obnoxius, grauissimo tamen odio contra Christum seruatorem flagrauit, ac nomen, doctrinam, & Ecclesiam illius ad internecionem usque subuertere molitus est. Sic hodie omnino præcipui peccatores sunt, qui non modò non obediunt uerbo Dei: sed & blasphemando illud proscindunt, & ueritatem illius mendacij accusant, fidelesque atrocissimè persequuntur, quibuscunque tandem titulis hæc illorum impietas obueletur.

Illud hic obserua, quòd non dicit, Quorum primus fui ego: sed, Quorum primus sum ego. Atqui non erat amplius quod fuerat antea, blasphemus, persequutor & cõtumeliosus. Quomodo itaque dicit: Quorum primus sum ego? De persona sua, non de facto præterito loquitur. Si factum respicias, non erat amplius quòd fuerat olim, & esse desierat: si uerò personam consideres, erat utiq; adhuc homo ille præcipuus peccator, qui præcipuo furore cõtra Christum insanierat. Hunc autem esse se dicit, ne notam, quæ in persona ipsius hærebat, dissimulare uideatur. Sic & Matthæus capite 10 publicanus nominatur, cum non esset amplius publicanus.

Sed hactenus de eo, quomodo se primum peccatorum esse dixerit: iam de eo uideamus, quorsum id dicere uoluerit. In genere, gratiam Dei, quæ sibi contigerat, ad gloriam illius deprædicare & extollere: specialiter uero exponere uoluit, quomodo id quod sibi per gratiam Dei contigerat, exemplum habeat clementiæ Dei, propter eos expressum qui crediturí erãt in Christum. Sed hac de re mox subiungit, dicens:

Verùm ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primo ostenderet Christus Iesus omnem clementiam, ad exprimendum exemplar ijs qui crediturí essent in ipso in uitam æternam.] Misericordiæ Dei, quæ sibi contigerat, duplicem fuisse rationem commemorat. Vnam, qua propter quid: alteram, qua ad quid eam adeptus sit, docet. Priorem in eo attigit, quo dixit, Sed & misericordiam adeptus sum, quod ignorans fecerim per incredulitatem: alteram hic subijcit dicens, Verùm ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primo ostenderet Christus Iesus omnem clementiam, ad exprimendum exemplar ijs qui crediturí essent in ipso, in uitam æternam. Poterat hic dicere, ut liberaret me Christus ab ignorãtia & incredulitate, assereretq; per fidem in se in uitam æternam. Nihil fuisset ista dicendo mentitus. Verùm maluit exprimere consilium Dei non de priuata tantum ipsius, sed communi peccatorum qui crediturí erant, salute: cui ministrare debebat nõ quilibet Apostolus, sed talis, in quo omnis clementia Dei erga peccatores illustrissimo omnium expressa esset exemplo, ut in illo uiderent omnes quantumuis magni & enormes peccatores, quid sibi de misericordia Dei in Christo polliceri deberent.

Verùm ideo misericordiam sum adeptus, inquit, *ut in me primo ostenderet Christus Iesus omnem clementiam, ad exprimendum exemplar, &c.*] Locus hic diligenter obseruandus est, propter exempla gratiæ & iræ Dei. Sunt enim exemplorũ duo hæc genera in Scripturis sacris. Vnum, est gratiæ ac misericordiæ: alterum, iudiciorum & iræ Dei. Prius genus spectandum est in uasis gratiæ: posterius, in uasis iræ. De priori loquitur hic Apostolus, dicens hoc in sua esse persona expressum. De posteriori meminit posterior epistola Petri cap. 2. cum dicit: Et ciuitates Sodomorũ ac Gomorrhæ in cinerem redactas, subuersione condemnauit, eosq; fecit exemplum ijs qui impiè forent acturi. Vtriusque mentionem Apostolus hic noster Rom. 9. coniunctim facit, cum dicit: Quòd si Deus uolens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, tulit multa lenitate uasa iræ apparata in interitum: & ut notas faceret diuitias gloriæ suæ, erga uasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, &c.

Ex uasis hisce misericordiæ erat Apostolus, tanquam non uulgaris, sed primarius ac præcipuus peccator: accommodissimus ad hoc, ut in exemplũ clementiæ Dei omnibus illis qui in Christum crediturí erant, poneretur. Reipsa diuini huius consilij experientiam cœperat, quo in exemplum alijs in Christum crediturís positus erat.

Vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem clementiam, inquit.] Obserua. Non modò misericors est & clemens Dominus, sed & misericordiam suam & clementiam ostendit. Quorsum hoc facit, nisi ad hoc ut perspicuum & notum faciat omnibus, quàm sit misericors & clemẽs. Nemo se talem ostentat, qualis uideri detrectat. Quòd si misericors & clemens uideri nollet Dominus, tam insignem misericordiam erga Paulum blasphemum & persequutorem haudquaquam ostendisset. Deinde non simpliciter dicit, Vt in me ostenderet: sed, Vt in me primo ostenderet Christus Iesus. nec simpliciter, Clementiã: sed Omnem, inquit, clementiã. Quemadmodum se primum ex peccatoribus esse, & gratiam Domini in se supra modum exuberasse dixit: ita hic in se primo Dominum non qualemcunq;, sed omnem clementiam ostendisse subiungit. Clementiam suam Dominus in multis peccatoribus ante Paulum ostẽdit: uerùm tam magnam tamq; insignẽ in nemine ante illum ostendit: quia tam magnus tamq; insignis peccator, quantus ipse fuit, haud præcesserit.

Ad

Ad exprimendum exemplar ijs, inquit, *qui crediturí essent in ipso.*] Græcè est, πρὸς ὑποτύπωσιν. Sonat autem ea uox propriè subumbrationem, uel suffigurationem ac sublineationē rei alicuius, unde cognosci possit qualis illa sit futura, quali utuntur artifices. Exponit autem hisce uerbis Apostolus, qualis suffiguratio fuerit tam exuberans illa clementia Dei, quam erga se ostenderat. In eo uerò desidero uigilantiam interpretis, quod cùm in Græco sit, πρὸς ὑποτύπωσιν τῶν μελλόντων πιστεύειν, &c. id est, Ad suffigurationem eorum qui crediturí erant: uerterit in datiuo, Ad exprimendum exemplar ijs qui crediturí essent. Potest quidem hæc lectio probari, ut sit sensus: In Paulo expressum exemplar esse, in quo peccatores in Christum crediturí uideant, quid sibi sperandum sit à Domino. Verùm, meo iudicio, magis suffiguratum esse in se dicit, quales magna ex parte futuri essent in Christum credentes: ideoq; maluit dicere, τῶν μελλόντων, quàm τοῖς μέλλουσιν. Sed dices: Ergóne in Paulo expressum fuit, eos qui crediturí erant in Christum, futuros homines blasphemos, persequutores & contumeliosos? talis nanq; Paulus fuit. Respondeo: Exemplum hoc quod in illo præcesserit, suffigurabat, peccatores fore saluos per Christum, si in illum credant. Hic non refert, quo quisque peccatorum genere laboret. Quare non est hæc ὑποτύπωσις ad ea peccata trahenda & astringenda, quibus Paulus ante conuersionem obnoxius fuit: nisi hactenus tantum, ut cognoscamus, non esse ulla tam enormia peccata, quæ non remittantur credentibus in Christum.

Qui crediturí essent in ipso, inquit.] Poterat dicere, Qui salui futuri essent per ipsum: ut responderet ei quòd Iesum Christum in hunc mundum, ut peccatores saluos faceret, uenisse dixit. Verùm maluit exprimere quid ab illis requiratur, qui salutem sint per Christum accepturi. Ideo dicit: Qui crediturí essent in ipso. Ergo fide ad hoc opus est, ut per Christum saluemur. Placuit enim Deo, per stulticiam prædicationis saluos facere credentes. Vnde & Euangeliū uirtus Dei ad salutem omni credenti uocatur. 1. Cor. 1. Rom. 1.

Non dicit autem simpliciter, Qui crediturí essent: neque, Qui crediturí essent in Deo: sed, Qui crediturí essent in ipso, id est Christo. De fide gloriantur omnes nationes: & Iudæi peculiariter de fide quæ sit in Deo, quamuis ne hanc quidem ueraciter habeant. Verùm non quælibet fides, sed ea potissimùm requiritur ad salutem, quæ sit in Christo, quem pater Seruatorem in hunc mundum misit. Non dicit simpliciter, Qui crediturí essent ipsi: sed, Qui crediturí essent in ipso. Græcè est ἐν αὐτῷ, quod rectè Germanica nostra lingua dicimus, *An ihn glauben*: uel, *Vff ihn vertruwen*. id quod nulli competit creaturæ, sed Deo soli.

Ergóne Paulus, in quo Dominus exemplum saluandorum peccatorum expressit, nihil aliud in causa salutis suæ fecit, quàm quòd credidit in Christo? An non prædicauit Euangelium tanquam Apostolus Christi? An non plurimum laboris propter Christum sustinuit? Quid igitur est, quòd non dicit: Ad exprimendum exemplar eorum qui prædicaturi essent Euangelium Christi, & multa propter illum facturi & passuri?

Respondeo: Est quidem magnæ gratiæ Dei argumentum, si cui concredatur Euangelij Dei prædicatio, ut sit Christi Apostolus: uerùm neque est hoc commune fidelibus omnibus, neque facit ad æternæ uitæ consequutionem, sicuti facit fides in Christum. Quapropter non dicit, Ad exprimendum exemplar ijs qui prædicaturi essent Christum: sed, Iis qui crediturí essent in ipso, in uitam æternam. Qui hoc uerè faciunt, nihil eorum facere recusant, quæ per Euangelium Christi facienda proponuntur. Non solum credunt in Christo, sed & obediunt illius uerbo. Fit autem fidei mentio, eo quòd illa & radix est omnis pietatis: & salutis, quę per Christum est, consortes reddit.

In uitam æternam, inquit.] Manifestus est hic locus de eo, quòd uita æterna fide in Christum acquiritur. Astipulatur ei ipsius quoq; Christi testimonium, dicentis: Amen amen dico uobis, qui credit in me, habet uitam æternam. Ioan. 6. Videmus hic, salutem quæ est per Christum seruatorem, esse uitam æternam. Sic exitium eorum qui per incredulitatem pereunt, est mors æterna. Et quemadmodum uita æterna, omnis generis felicitatē: ita mors æterna, omnis generis exitium ac perditionem includit.

Regi autem seculorum, immortali, inuisibili, soli sapienti Deo, honor, gloria, in secula seculorum, Amen.] Habēt hæc uerba doxologiam, in quam omnis cōmemoratio ac deprædicatio Euangelicæ gratiæ Dei, quæ peccatoribus contingit per Christum, desinere debet. Sacrificat Deo Apostolus honorem & gloriam, propterea quòd in se Christus Iesus omnem clementiam ostendit, ad exemplum eorum qui crediturí essent in ipso. Ille siquidem gratiæ huius author est, ideoq; cum primis ad illum omnis est referenda gloria.

Non dicit autem simpliciter, Deo sit honor & gloria: sed utitur periphrasi, quatuor membris admodum conuenienter absoluta, dicens: Regi autem seculorum immortali, inuisibili, soli sapienti Deo, &c. In primo membro uocat Deum regem seculorum: in secundo, immortalem: in tertio, inuisibilem: in quarto, solum sapientem.

Regi autem seculorum, inquit.] Quòd Deum regem uocat, ad hoc facit, ut significet eum uerè esse αὐτοκράτορα: quam sibi dignitatem ac potentiam uindicant reges huius mundi, cum non sint

sint reuera reges, sed summi tantum regis serui: quem ob id Scriptura sacra regem regum, & magnum regem uocat.

Vocat autem eum non simpliciter regem, sed adijcit elogia cœlesti regi conuenientissima: Regi seculorum, inquit. Nemo terrenus rex per omnia secula regnare potest: idq; rex seculorum ne unus quidem ex illis qui reges uocantur in hoc mundo uocari poterit, nescio an quisquam illorum unius sit seculi regno potitus: cœlestis uerò rex ab initio mundi ad finem usq; per omnia secula regnat, ideoq; meritò rex seculorum uocatur. Quare uehementer infinitam regni illius amplitudinem & gloriam in arctum restringunt Iudæi, dum à regno illius omnes alias generationes excludũt, quasi inde ab Abrahamo primùm rex esse cœperit. Hoc notans in pseudapostolis Paulus, satis pertinenter uocat hic Deum regem seculorum: idest, regem sempiternũ. Non est autem existimandum, quòd in una tantum gente per omnia secula regnauerit ac regnet: sed quòd, ut Psalmo 46 propheta canit, rex sit uniuersæ terræ, & cunctis gentibus ac populis dominetur. Licet enim regnum illius pauciſsimi agnoscant, nolint uelint tamen omnes illi subesse coguntur.

Immortali, inquit.] Græcè est ἀφθάρτῳ. Sonat ea uox incorruptibilem. Et Rom. 1. uocat Deum ἄφθαρτον. Quoniam uerò mori non potest, quod natura sua est incorruptibile: ideo interpretes ἄφθαρτον immortalem uerterunt. Sic autem uocat Deum, ad differentiam terrenorum regum, qui omnes sunt φθαρτοί, corruptibiles ac mortales, ideoq; seculorum reges esse non possunt. nam morte tolluntur, & successoribus suis locum dare coguntur. Deus uerò quoniam immortalis est, regnum suum per omnia secula extendere potest. Est autem solus immortalis, infrà cap. ultimo. Igitur & solus omnium seculorum rex est.

Inuisibili, inquit.] Nequit caro numen cœleste & æternum pro Deo ac rege suo agnoscere, propterea quòd non uidetur, sicuti eidola & reges mundani spectantur. Sciens hoc Apostolus, cum uocasset Deum regem seculorum & immortalem, consequenter uocat eum inuisibilem: quo elogio curiositatem carnis nostræ reprimit, qua Deum uidere gestimus. Idem de illo & infrà cap. ultimo prædicat dicens: Qui lucẽ habitat inaccessam, quem uidit nemo hominum, neque uidere potest. Et Coloss. 1. uocat Deum ἀόρατον, ubi uide quæ annotauerimus. Et Ioan. 1. dicit Ioannes: Deum nemo uidit unquam.

Soli sapienti Deo, inquit.] Potest hæc particula bifariam legi. Primô sic, ut dicatur Deus rex seculorũ, qui sit immortalis, inuisibilis ac solus sapiens. Si hic sensus accipitur, subintelligenda est uocula Videlicet, & legendum: Deo uidelicet, quo exprimatur de quo rege loquatur, qui sit rex seculorum, immortalis, inuisibilis, ac solus sapiens. de Deo uidelicet. Deinde sic, ut de rege cœlesti, sempiterno, immortali & inuisibili prędicetur, quòd sit solus sapiẽs Deus. Verùm, meo iudicio, simplicior est prior sensus. Parum tamen refert priorem ne uel posteriorem sequamur. Est enim Deus & solus sapiens rex, & solus sapiens Deus, quare utrunque de illo ueraciter prædicari potest. Et Rom. 16. uocat eum solum sapientem Deum.

Est autem magna ac pertinens ad præsentem causam ratio, ob quam Deum solùm sapientem uocat. Quemadmodum enim præcedentibus elogijs, ita & hoc præsenti resistit illis qui Euangelio ipsius, quod inter gentes prædicabat, admodum reluctabantur, damnantes illud stulticiæ: quòd omnia quæ in illo de Deo ac Christo filio ipsius, deq; iusticia & salute credẽtium, prædicantur in oculis carnis, meram uideantur resipere stulticiã. qua de re uide 1. Corinth. 1. Consimili modo & pseudapostoli magnæ stulticiæ uocationem cùm Pauli ad Apostolatum, tum gentium ad fidem in Christum deputabant. Quocirca ualde pertinenter hoc elogium Deo tribuit, quòd sit solus sapiens, quo omnia mortalium omnium stulticiæ damnet, & temeraria impiorum hominum de Deo, illius Euangelio, Christo filio ipsius, uocationeq; tam gẽtium quàm sua, iudicia & studia reprimat. Horribilis enim temeritas sit oportet, si homo, ipsa uanitate uanior, de consilijs ac uoluntate Dei secundum stulticiam suam iudicare præsumat. Consimili modo & Rom. ultimo, cum Euãgelij sui mentionem fecisset, quòd de mysterio Christi, ex mandato Dei in obedientiam fidei in omnes patefacto prædicabat: eodem quo hic consilio de Deo prædicabat, quòd sit solus sapiens Deus. Vide locum ipsum in calce capitis.

Honor, inquit, *gloria, in secula seculorum. Amen.*] Quæ sapientes huius seculi stulticiæ damnant: ea Apostolus tanti facit, ut nequeat satis illorum gratia sapientiam ac bonitatem Dei prædicare, illiq; sacrificium laudis offerre. Verûm de hac δοξολογίᾳ uide in Commentarijs nostris super Epistolam ad Galatas cap. 1.

Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, iuxta prophetias, quæ de te præcesserunt, ut milites in eis bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam: qua repulsa, nonnulli circa fidem naufragium fecerunt, quorum de numero est Hymenæus & Alexander, quos tradidi satanæ, ut discant non maledicere.

Græcè

Græcè eſt, ταύτην τὴν παραγγελίαν, id eſt, Denunciationem hanc. Rem ipſam de qua loquitur Apoſtolus, obſcurat hæc uerſio, qua παραγγελίαν præceptum uertunt. qua de re & ſuprà memini, ubi dixit: Porrò finis τῆς παραγγελίας, eſt charitas ex puro corde, &c. Neq; enim de lege Moſis loquitur, ſed de eo quod mox initio exordij huius epiſtolæ dixit: Quemadmodum rogaui te ut remaneres Epheſi, cum proficiſcerer in Macedoniam, ita facito, ut παραγγείλῃς, id eſt Denuncies quibuſdã, ne diuerſam ſequantur doctrinam, nec attendant fabulis & genealogijs, &c. Quare non erat uertendum, Hoc præceptum: ſed, Hanc denunciationem tibi commendo. Redit enim ad id quod mox initio exordij cœperat. Interruperat enim illud, ab eo quod dixit: A' quibus quòd aberrarunt quidam, deflexerunt ad uaniloquium, uolentes eſſe legis doctores, &c. ad præſentem uſq; locum, in quo redit ad id à quo deflexerat. Dicit itaq;, Hanc denunciationem tibi commendo, fili Timothee, quam uidelicet iniunxi tibi, ut denunciares quibuſdam, ne diuerſam ſequantur doctrinam: cuiusq; denunciationis finem eſſe dixit, charitatem ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non ſimulata.

Habent igitur hæc uerba complementum eorum quæ in exordio epiſtolæ huius cœperat, commendationem uidelicet denunciationis ualde neceſſariæ, cuius gratia Timotheum Epheſi manere uoluerat. Sed uideamus ſingula.

Hanc denunciationem, inquit, *commẽdo tibi fili Timothee.*] Atqui commendauerat hãc illi iam antea, cum ob id mitteret eum Epheſum, ut quibuſdam denunciaret, ne diuerſam doctrinã ſequerentur. Quid igitur opus erat rem eandem illi commendare denuò? Reſpondeo: Non eſt hoc ocioſe factũ ab Apoſtolo. Voluit illi ſignificare, quanti rem hanc faciat, & quanta eam cum diligẽtia exequi debeat. Sic enim quæ iudicamus eſſe præcipua, & ſingulari ſtudio perficienda, iterum atq; iterum inculcare ac diligentius commendare ſolemus. Admonemur hoc loco quanta cum ſollicitudine & diligentia curandum ſit paſtoribus Eccleſiarum, ut plebs Domini in ſana doctrina retineatur: quamque ſedulò ac fideliter omnibus ac ſingulis denunciare debeant, ne diuerſam doctrinam ſequantur. Etenim ſic eſt denunciatio hæc commendata Timotheo, ut ſimũl cũ illo omnibus ſit uerbi miniſtris commendata. Quod ſi denunciatione hac ſecundum Apoſtolicam commendationem utentes, uel nihil uel admodum parum effecerint, qui peribunt, ſua ipſorum culpa peribũt, ipſi uerò & animas & conſcientias ſuas in conſpectu Domini ſaluabunt.

Fili Timothee, inquit.) Rurſus uides Apoſtolici ac paterni pectoris ſuauitatem, in eo quòd iam ſecundò filium uocat, quem diſcipulum uocare poterat.

Iuxta prophetias, inquit, *quæ de te præceſſerunt.*] Non ſimpliciter commendat illi hanc denunciationẽ, ſed addit quædam ad excitandum animum illius facientia. Primum eſt, quòd reuocat illi in memoriam prophetias quæ de ipſo præceſſerant, priuſquam in miniſterium Euangelij Dei aſſumeretur. Alterum, quòd ad exprimendam futuri periculi magnitudinem, ſi denunciationem hanc negligeret, exemplum eorum proponit, qui iam circa fidem naufragium fecerant.

Iuxta prophetias, inquit, *quæ de te præceſſerunt.*] Teſtimonia fratrum, qui erant Liſtris & Iconij, quibus Timotheum commendauerant, priuſquam aſſumeretur in miniſterium, uocat hic Apoſtolus prophetias, propterea quòd quæ de illo teſtificati fuerantre, ipſa omnium deprehendit eſſe ueriſsima. Motus etiam illis, aſſumpſerat eum in miniſterium, fore ſperans, ut ſecundum illa fideliter acturus eſſet in opere Domini. Sic erant Paulo hæc teſtimonia fratrum ipſiſsimæ prophetiæ, cum initio illa audiret, deinde & cum ipſa ueritate comprobarentur. Sic ego præſentem locum intelligo. Nolim tamen contendere cum ilis, qui intelligunt de neſcio quibus reuelationibus Apoſtolo de hoc Timotheo factis: quamuis non dubito, quin teſtimonia illa fratrum de Timotheo fuerint inſtinctu Spiritusſancti ad hoc Paulo propoſita, ut inde ſpem conciperet, fore ut ille utilis eſſet ad prędicationem Euangelij, atq; ita fuiſſe ea loco prophetiæ.

Quod igitur dicit, Hanc denunciationem tibi commendo, fili Timothee, iuxta prophetias, quæ de te præceſſerunt: idem eſt ac ſi diceret, Hanc tibi denunciationem non temerè commendo: ſed ſperans, ut quemadmodum de tua fide ac pietate prophetiæ præceſſerunt, ita te fore integrum & fidelem in opere Domini: & ſecundum haſce prophetias commendo tibi curam hanc, ut denuncies quibuſdam, ne diuerſam doctrinam ſequantur, &c.

Vt milites, inquit, *in eis bonam militiam.*] Hoc propoſito meminit prophetiarum quæ de illo præceſſerant, ut quaſi adhibitis ſtimulis animum illius pungat & excitet, quo caueat, ne à tam præclaris de ſe teſtimonijs ac prophetijs abludat. Eodem conſilio ſemel atq; iterum commonefacit eũ ſynceræ fidei, quæ fuit in auia illius Loide, & matre Eunica, & in ipſo quoq;: deinde & præclari doni, quod per impoſitionem manuum ſuarum acceperat, quo illud inſtar igniculi cuiuſdam excitet.

Obſerua igitur, quàm non debeant eſſe ſecuri, qui ſingulari aliquo dono Dei, ſiue fidei, ſiue ſcientiæ & intelligentiæ, &c. ornati ſunt, cum Timotheum ſuum Apoſtolus tam ſedulò commonefaciendum eſſe iudicauit, quibus prophetijs ac donis Dei fuerit ornatus, ne per negligentiam ac ſocordiam inania redderet, quæ ad uſum fidelium à Domino acceperat.

Deinde obſeruanda eſt & metaphora militiæ, qua hic utitur, dicens: Vt milites in eis bonam militiam. Comparat miniſtrum Chriſti militi: & miniſterium illius militiæ: & dona quæ acceperat à Deo, militaribus armis. Militi notiſsimum eſt, quorſum uocatus & aſſumptus ſit ad militiam: ad hoc uidelicet, ut militet ſuo principi: deinde, competere ſibi nouit, ut bonam militiam militet: &

sint reuera reges, sed summi tantum regis serui: quem ob id Scriptura sacra regem regum, & magnum regem uocat.

Vocat autem eum non simpliciter regem, sed adijcit elogia cœlesti regi conuenientissima: Regi seculorum, inquit. Nemo terrenus rex per omnia secula regnare potest: idq; rex seculorum ne unus quidem ex illis qui reges uocantur in hoc mundo uocari poterit, nescio an quisquam illorum unius sit seculi regno potitus: cœlestis uerò rex ab initio mundi ad finem usq; per omnia secula regnat, ideoq; meritò rex seculorum uocatur. Quare uehementer infinitam regni illius amplitudinem & gloriam in arctum restringunt Iudæi, dum à regno illius omnes alias generationes excludũt, quasi inde ab Abrahamo primùm rex esse cœperit. Hoc notans in pseudapostolis Paulus, satis pertinenter uocat hic Deum regem seculorum: idest, regem sempiternũ. Non est autem existimandum, quòd in una tantum gente per omnia secula regnauerit ac regnet: sed quòd, ut Psalmo 46 propheta canit, rex sit uniuersæ terræ, & cunctis gentibus ac populis dominetur. Licet enim regnum illius pauciss imi agnoscant, nolint uelint tamen omnes illi subesse coguntur.

Immortali, inquit.] Græcè est ἀφθάρτῳ. Sonat ea uox incorruptibilem. Et Rom. 1. uocat Deum ἄφθαρτον. Quoniam uerò mori non potest, quod natura sua est incorruptibile: ideo interpretes ἄφθαρτον immortalem uerterunt. Sic autem uocat Deum, ad differentiam terrenorum regum, qui omnes sunt φθαρτοί, corruptibiles ac mortales, ideoq; seculorum reges esse non possunt. nam morte tolluntur, & successoribus suis locum dare coguntur. Deus uerò quoniam immortalis est, regnum suum per omnia secula extendere potest. Est autem solus immortalis, infrà cap. ultimo. Igitur & solus omnium seculorum rex est.

Inuisibili, inquit.] Nequit caro numen cœleste & æternum pro Deo ac rege suo agnoscere, propterea quòd non uidetur, sicuti eidola & reges mundani spectantur. Sciens hoc Apostolus, cum uocasset Deum regem seculorum & immortalem, consequenter uocat eum inuisibilem: quo elogio curiositatem carnis nostræ reprimit, qua Deum uidere gestimus. Idem de illo & infrà cap. ultimo prædicat dicens: Qui lucẽ habitat inaccessam, quem uidit nemo hominum, neque uidere potest. Et Coloss. 1. uocat Deum ἀόρατον, ubi uide quæ annotauerimus. Et Ioan. 1. dicit Ioannes: Deum nemo uidit unquam.

Soli sapienti Deo, inquit.] Potest hæc particula bifariam legi. Primò sic, ut dicatur Deus rex seculorũ, qui sit immortalis, inuisibilis ac solus sapiens. Si hic sensus accipitur, subintelligenda est uocula Videlicet, & legendum: Deo uidelicet, quo exprimatur de quo rege loquatur, qui sit rex seculorum, immortalis, inuisibilis, ac solus sapiens. de Deo uidelicet. Deinde sic, ut de rege cœlesti, sempiterno, immortali & inuisibili prędicetur, quòd sit solus sapiẽs Deus. Verùm, meo iudicio, simplicior est prior sensus. Parum tamen refert priorem ne uel posteriorem sequamur. Est enim Deus & solus sapiens rex, & solus sapiens Deus, quare utrunque de illo ueraciter prædicari potest. Et Rom. 16. uocat eum solum sapientem Deum.

Est autem magna ac pertinens ad præsentem causam ratio, ob quam Deum solùm sapientem uocat. Quemadmodum enim præcedentibus elogijs, ita & hoc præsenti resistit illis qui Euangelio ipsius, quod inter gentes prædicabat, admodum reluctabantur, damnantes illud stulticiæ: quòd omnia quæ in illo de Deo ac Christo filio ipsius, deq; iusticia & salute credẽtium, prædicantur in oculis carnis, meram uideantur resipere stulticiã. qua de re uide 1. Corinth. 1. Consimili modo & pseudapostoli magnæ stulticiæ uocationem cùm Pauli ad Apostolatum, tum gentium ad fidem in Christum deputabant. Quocirca ualde pertinenter hoc elogium Deo tribuit, quòd sit solus sapiens, quo omnia mortalium omnium stulticiæ damnet, & temeraria impiorum hominum de Deo, illius Euangelio, Christo filio ipsius, uocationeq; tam gẽtium quàm sua, iudicia & studia reprimat. Horribilis enim temeritas sit oportet, si homo, ipsa uanitate uanior, de consilijs ac uoluntate Dei secundum stulticiam suam iudicare præsumat. Consimili modo & Rom. ultimo, cum Euãgelij sui mentionem fecisset, quòd de mysterio Christi, ex mandato Dei in obedientiam fidei in omnes patefacto prædicabat: eodem quo hic consilio de Deo prædicabat, quòd sit solus sapiens Deus. Vide locum ipsum in calce capitis.

Honor, inquit, *gloria, in secula seculorum. Amen.*] Quæ sapientes huius seculi stulticiæ damnant: ea Apostolus tanti facit, ut nequeat satis illorum gratia sapientiam ac bonitatem Dei prædicare, illiq; sacrificium laudis offerre. Verùm de hac δοξολογίᾳ uide in Commentarijs nostris super Epistolam ad Galatas cap. 1.

Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, iuxta prophetias, quæ de te præcesserunt, ut milites in eis bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam: qua repulsa, nonnulli circa fidem naufragium fecerunt, quorum de numero est Hymenæus & Alexander, quos tradidi satanæ, ut discant non maledicere.

Græcè

Græcè est, τοῦτο νῦν τὴν παραγγελίαν, id est, Denunciationem hanc. Rem ipsam de qua loquitur Apostolus, obscurat hæc uersio, qua παραγγελίαν præceptum uertunt. qua de re & suprà memini, ubi dixit: Porrò finis τῆς παραγγελίας, est charitas ex puro corde, &c. Neq; enim de lege Mosis loquitur, sed de eo quod mox initio exordij huius epistolæ dixit: Quemadmodum rogaui te ut remaneres Ephesi, cum proficiscerer in Macedoniam, ita facito, ut παραγγείλῃς, id est Denuncies quibusdã, ne diuersam sequantur doctrinam, nec attendant fabulis & genealogijs, &c. Quare non erat uertendum, Hoc præceptum: sed, Hanc denunciationem tibi commendo. Redit enim ad id quod mox initio exordij cœperat. Interruperat enim illud, ab eo quod dixit: A' quibus quòd aberrarunt quidam, deflexerunt ad uaniloquium, uolentes esse legis doctores, &c. ad præsentem usq; locum, in quo redit ad id à quo deflexerat. Dicit itaq;, Hanc denunciationem tibi commendo, fili Timothee, quam uidelicet iniunxi tibi, ut denunciares quibusdam, ne diuersam sequantur doctrinam: cuiusq; denunciationis finem esse dixit, charitatem ex puro corde, & conscientia bona, & fide non simulata.

Habent igitur hæc uerba complementum eorum quæ in exordio epistolæ huius cœperat, commendationem uidelicet denunciationis ualde necessariæ, cuius gratia Timotheum Ephesi manere uoluerat. Sed uideamus singula.

Hanc denunciationem, inquit, *commẽdo tibi fili Timothee.*] Atqui commendauerat hác illi iam antea, cum ob id mitteret eum Ephesum, ut quibusdam denunciaret, ne diuersam doctrinã sequerentur. Quid igitur opus erat rem eandem illi commendare denuò? Respondeo: Non est hoc ociosè factũ ab Apostolo. Voluit illi significare, quanti rem hanc faciat, & quanta eam cum diligẽtia exequi debeat. Sic enim quæ iudicamus esse præcipua, & singulari studio perficienda, iterum atq; iterum inculcare ac diligentius commendare solemus. Admonemur hoc loco quanta cum sollicitudine & diligentia curandum sit pastoribus Ecclesiarum, ut plebs Domini in sana doctrina retineatur: quamque sedulò ac fideliter omnibus ac singulis denunciare debeant, ne diuersam doctrinam sequantur. Etenim sic est denunciatio hæc commendata Timotheo, ut simũl cũ illo omnibus sit uerbi ministris commendata. Quod si denunciatione hac secundum Apostolicam commendationem utentes, uel nihil uel admodum parum effecerint, qui peribunt, sua ipsorum culpa peribũt, ipsi uerò & animas & conscientias suas in conspectu Domini saluabunt.

Fili Timothee, inquit.) Rursus uides Apostolici ac paterni pectoris suauitatem, in eo quòd iam secundò filium uocat, quem discipulum uocare poterat.

Iuxta prophetias, inquit, *quæ de te præcesserunt.*] Non simpliciter commendat illi hanc denunciationẽ, sed addit quædam ad excitandum animum illius facientia. Primum est, quòd reuocat illi in memoriam prophetias quæ de ipso præcesserant, priusquam in ministerium Euangelij Dei assumeretur. Alterum, quòd ad exprimendam futuri periculi magnitudinem, si denunciationem hanc negligeret, exemplum eorum proponit, qui iam circa fidem naufragium fecerant.

Iuxta prophetias, inquit, *quæ de te præcesserunt.*] Testimonia fratrum, qui erant Listris & Iconij, quibus Timotheum commendauerant, priusquam assumeretur in ministerium, uocat hic Apostolus prophetias, propterea quòd quæ de illo testificati fuerantre, ipsa omnium deprehendit esse uerissima. Motus etiam illis, assumpserat eum in ministerium, fore sperans, ut secundum illa fideliter acturus esset in opere Domini. Sic erant Paulo hæc testimonia fratrum ipsissimæ prophetiæ, cum initio illa audiret, deinde & cum ipsa ueritate comprobarentur. Sic ego præsentem locum intelligo. Nolim tamen contendere cum ilis, qui intelligunt de nescio quibus reuelationibus Apostolo de hoc Timotheo factis: quamuis non dubito, quin testimonia illa fratrum de Timotheo fuerint instinctu Spiritussancti ad hoc Paulo proposita, ut inde spem conciperet, fore ut ille utilis esset ad prędicationem Euangelij, atq; ita fuisse ea loco prophetiæ.

Quod igitur dicit, Hanc denunciationem tibi commendo, fili Timothee, iuxta prophetias, quæ de te præcesserunt: idem est ac si diceret, Hanc tibi denunciationem non temerè commendo: sed sperans, ut quemadmodum de tua fide ac pietate prophetiæ præcesserunt, ita te fore integrum & fidelem in opere Domini: & secundum hasce prophetias commendo tibi curam hanc, ut denuncies quibusdam, ne diuersam doctrinam sequantur, &c.

Vt milites, inquit, *in eis bonam militiam.*] Hoc proposito meminit prophetiarum quæ de illo præcesserant, ut quasi adhibitis stimulis animum illius pungat & excitet, quo caueat, ne à tam præclaris de se testimonijs ac prophetijs abludat. Eodem consilio semel atq; iterum commonefacit eũ synceræ fidei, quæ fuit in auia illius Loide, & matre Eunica, & in ipso quoq;: deinde & præclari doni, quod per impositionem manuum suarum acceperat, quo illud instar igniculi cuiusdam excitet.

Obserua igitur, quàm non debeant esse securi, qui singulari aliquo dono Dei, siue fidei, siue scientiæ & intelligentiæ, &c. ornati sunt, cum Timotheum suum Apostolus tam sedulò commonefaciendum esse iudicauit, quibus prophetijs ac donis Dei fuerit ornatus, ne per negligentiam ac socordiam inania redderet, quæ ad usum fidelium à Domino acceperat.

Deinde obseruanda est & metaphora militiæ, qua hic utitur, dicens: Vt milites in eis bonam militiam. Comparat ministrum Christi militi: & ministerium illius militiæ: & dona quæ acceperat à Deo, militaribus armis. Militi notissimum est, quorsum uocatus & assumptus sit ad militiam: ad hoc uidelicet, ut militet suo principi: deinde, competere sibi nouit, ut bonam militiam militet: &

tertiò, in quem usum arma militiæ acceperit, ad pugnandum uidelicet contra hostem. Nemo miles est adeò stupidus, ut hæc ignoret. Consimiliter & ministrum Christi animatum esse conuenit, ut perpetuò cogitet, in militiâ se Christi esse assumptum, ut illi & fideliter & bonam militiam militet, & in hunc usum data esse quę à Deo dona ueluti arma militaria accepit. Hæc cogitatio subinde est in animis illorum refricanda, quo ad hoc excitentur, ut Domino fideliter militent: non modò docendo errantes, sed & contradicentes ac seductores reprimendo, & eos qui ad defectionem sollicitantur sedula admonitione ac denunciatione in statione ipsorum retinendo.

Vt milites in eis inquit.] Græcè est, ἵν' αὐτοῖς, id est, In ipsis, in fœminino genere: ut referendum sit ad prophetias, quæ de Timotheo præcesserant. Verùm hic quæritur, quomodo potuerit Timotheus militare bonam militiam in prophetijs quæ de ipso præcesserant. Alij exponunt de pseudoapostolis, ut In eis, idem sit quod, Contra illos, pseudapostolos uidelicet. At illi non obseruarunt Græcã lectionem, id est, in qua non est in masculino, ἵν' αὐτοῖς: sed in fœminino, ἵν' αὐταῖς. Deinde, non fecit Apostolus mentionem pseudoapostolorum sic in propinquo, ut ad eos hæc possit particula referri. Suprà quidem illos perstrinxit, ubi dixit: A' quibus quòd aberrarunt quidam, deflexerunt ad uaniloquium, uolentes esse legis doctores, &c. Verùm longum & inconueniens est, ut Græcam lectionem taceam, si eò referre uoluerimus. Alij referunt ad uerbum doctrinę, quam ab Apostolo acceperat. Meo iudicio, non potest aliò referri quàm ad prophetias, quarum meminit. In illis militare potuit, secundum eas militando, ut in illis בחנה, idem sit quod בחנה, uel in fide, synceritate ac dexteritate militando: de quibus testimonia fratrum ueluti prophetando prædixerant.

Bonam militiam, inquit.] Potest hæc particula bifariam intelligi. Primò, ut idem sit quod fidelis militia, qua miles pro suis uiribus, quoad eius poterit, omnia facit & patitur, quæ principi suo cõducere existẽt nat. Deinde, ut intelligatur de utili militia, qua miles hostibus principis sui non modò fideliter, sed & efficaciter resistit. Priori sententiæ uidentur ea quæ sequuntur astipulari.

Habens fidem & bonam conscientiam, inquit.] De fide ac bona conscientia suprà diximus, ubi denunciationis huius finem esse dixit: Charitatem ex puro corde, & conscientia bona, & fide non simulata. Non uocat hic fidem & bonam conscientiam, bonam militiam: sed eam significat bonam esse militiam, qua contra impostores ac seductores ex fide ac bona conscientia decertatur.

Quam repulsa, inquit, *nonnulli circa fidem naufragium fecerunt.*] Idem dicit quod suprà ad hunc modum expressit: Finis uerò denunciationis huius est charitas ex puro corde, & conscientia bona, & fide non simulata: à quibus quòd aberrarunt quidam, deflexerunt ad uaniloquium, &c. Quod hic de bona tantum conscientia dicit, qua repulsa nonnulli circa fidem naufragium fecerunt: monet nos bonam eos conscientiam habere non posse, qui alieni sunt à charitate, corde puro, & fide non simulata: deinde repulsa bona conscientia, in proximo esse ut incidamus in naufragium circa uerã Christi fidem ac religionem, & exorbitemus in omnis generis errores, quibus in exitium deferamur.

Summopere necessarius est hic locus, quem de retinenda bona cõscientia obseruemus. Quemadmodum illa bonitate & candore cordis erga Deum patrem ac Christum Iesum filium eius, illiusque Euangelium, deinde fide syncera & integra, & tertiò charitate fraterna, retinetur, atque illa retenta omnis generis tentationes & afflictiones per gratiam Dei superantur: ita econtrariò peruersitate ac malicia cordis, fide ficta ac simulata, & odio fratrum, repellitur, eaque repulsa perinde ac si remigium è naui proijciatur, naufragium circa fidem incurritur.

Similitudo hæc naufragij insignis est. Fideles Christi in hoc mundo uersantes, similes sunt in mari nauigantibus. Quod illis est nauis, in qua feruntur: id istis est fides, in qua uiuunt. Vt salus illorum integritate nauis, ita istorum integritate fidei constat. Sicut illi fracta naui incidunt in fluctus maris, & pereunt: sic isti fracta fide incidunt in impios errores, & perduntur: et si duces sint aliorum, non modò perduntur ipsi, sed & eos quos secum habent in exitium pertrahunt, quemadmodum & naucleris uel perfidis uel socordibus usuuenire solet. Tales autem erant, quos hic Apostolus repulsa bona conscientia naufragium circa fidem fecisse scribit.

Quorum de numero est Hymenæus, inquit, *& Alexander.*] Nolebat hoc tantum scire Timotheum, quòd nonnulli iam repulsa bona conscientia naufragium circa fidem fecissent: sed uolebat eius rei certa illi constare exempla, idq; in illis qui ipsi non essent incogniti, nec essent uulgaris existimationis in Ecclesijs, quo plus haberet stimuli ad fugiendam securitatem, ac maiore diligentia denunciaret alijs, ne diuersam doctrinam sequerentur.

Non dubito, Hymenæum hunc & Alexandrum præcipuos quosdam homines fuisse inter Christianos, ideoq; posita esse illorum nomina ab Apostolo, quo pondus accederet exemplo. Modici nanq; momenti sunt uulgarium & obscurorum hominum exempla, ut non sit ratio ob quam tacitis alijs exprimantur, sicut hic fieri uidemus. Neque enim simpliciter dicit, Qui sunt: sed, Quorum de numero sunt Hymenæus & Alexander, ubi tacitis aliorum nominibus hi duo exprimuntur: quod non fecisset Apostolus, nisi inter alios illi primariæ fuissent existimationis. Hymenæi huius mentionem etiam in posteriore epistola cap. 2. facit, illiq; Philetum adiungit, sic dicens: Cæterùm prophanas uocum inanitates prætermittito. Ad maiorem enim proficient impietatem, & sermo illorum ut cancer morbus pastionem habebit, quorum de numero est Hymenæus & Philetus, qui circa ueritatem aberrarunt, dicentes resurrectionem iam esse factam, & subuertunt quorundam fidem.

fidem. Hic adiungit illi Alexandrum, meo iudicio, Christianum ex Iudæis, cuius etiam Actorum 19. mentio fit: ubi apparet, fuisse illum ex præcipuis, qui fidem in Christum profitebantur. Et uerosimile est, fuisse eum fabrum ærarium illum qui Apostolo fuit infensissimus, multisq; illum malis affecit, ac sermonibus illius uehementer restitit: sicuti uidere est. 2. Timoth. 4.

Admonemur hoc loco, quàm non debeat hisce nostris temporibus mirum uideri, si quisquam ex præcipuis à cognita ueritate deficiat, quando Apostolorum quoq; discipuli naufragium circa fidem fecerunt. Nouum non est, quòd hodie ἐκ τῶν ναφύλων ἀναύλας fieri uidemus.

Quos tradidi satanæ, inquit, *ut discant non male dicere.*] Ergo non solum naufragium circa fidem fecerant, sed & blasphemijs ueritatem Euangelij Dei insectari cœperant. Sæpenumero accidit, ut per infirmitatem fidei negetur quidem ueritas ab illis qui persequutionibus afflictantur, uerùm citra blasphemias. Vbi uero ex malicia & peruersitate cordis à doctrina sana discedit, ibi defectioni adiungitur blasphemia ex amarulentia cordis effusa. Talis erat defectio Hymenæi & Alexandri. Cum igitur eos satanæ traderet, tradebat non simpliciter ut errantes ac deficientes, sed ut blasphemos: neq; sic ut in sempiternum perirent, sed ut discerent non maledicere.

Dixerit hic quisquam: Atqui & ipse blasphemus contra Christum & Euangelium Dei fuerat: qua igitur æquitate sic punit in alijs, quod ipse ante illos admiserat, & cuius ipse condonationem per misericordiam Domini acceperat?

Respondeo: Cum blasphemus esset aduersus Christum, Christianus non erat, sed Iudæus: neq; nomen Christo dederat, sed fidē illius ex professo impugnabat: & quæ faciebat, ignorans faciebat. Quare nec à Christo ipso, nec ab aliquo Apostolo satanæ tradebatur. Hymenæus uerò & Alexander Christiani erāt, & fidem in Christum profesi: deinde non ex ignorantia, sed ex malicia & amarulētia sanam Euangelij Christi doctrinam, quam Paulus prædicabat, blasphemijs proscindebant. Quare meritò tradebat eos satanæ, quo tandem discerent non maledicere. Ipse cum blasphemus esset, factus est Christianus: illi uerò cum Christiani essent, facti sunt blasphemi.

Quomodo autem tradiderit eos satanæ, aliter atq; aliter sentitur à doctis. Verùm hac de re diximus in Commentarijs nostris super priorem Epist. ad Corin. cap. 5.

Vt discant, inquit, *non maledicere.*] Ergo qui satanæ traduntur, sub illo discunt non maledicere. Vri de igitur duo isti didicerant maledicere, priusquam satanæ traderentur, cū satan magister sit blasphemiarum? Respondeo: Quòd blasphemi erant, non erat ex Christo, sed ex satana, cuius iam tum erant organa, ad blasphemandum ueritatem Dei instructa. Illo magistro didicerant blasphemare. Vt igitur discerent non maledicere amplius, tradidit eos satanæ, nō ut doctori, sed ut lictori, à quo uexarentur, & uexati ad resipiscentiam adigerentur. In Græco est, ἵνα παιδευθῶσι μὴ βλασφημεῖν: id est, Vt castigati erudiantur ne blasphement, uidelicet amplius. παιδεύεσθαι est more puerorum castigari uirgis, & erudiri. Sic satan cogitur ad imperium Domini traditos sibi castigare, atq; ita seruire ad illorum salutem, modò ipsi uelint.

Vt discant, inquit, *non maledicere.*] Videmus hoc loco, quis sit usus uirgæ, castigationis & afflictionis in domo Dei. Qui castigantur uirga, ad hoc castigantur, ut discant non peccare, quandoquidē id sine uirga discere nolunt. Fit hoc dupliciter. Primo, dum qui malè agunt, ad tempus uirga disciplinæ castigantur, & castigati resipiscunt. Sic pater liberos, & præceptor discipulos suos castigat, ut discant abstinere à malo. Non esset opus uirga, si solis uerbis erudiri se sinerent. Deinde discunt tandem scelerati ac flagitiosi non furari, non rapere aliena, non adulterari, non occidere, non blasphemare, &c. dum in manus lictoris plectendi traduntur. Hic fur qui agnatum hoc sibi esse dicit, ut furetur, ideoq; se furtis abstinere non posse: dum suspenditur, discit non furari amplius.

CAPVT SECVNDVM.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Monet hoc capite de precatione pro omnibus hominibus facienda, eo quòd Deus omnes uelit homines fieri saluos. Deinde de mulierib. qua illæ sint modestia ornandæ, & quàm nō sit permittendū ut doceant, aut uiris imperēt.

ADhortor igitur, ut ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnib. in eminentia constitutis, ut placidam ac quietam uitam degamus cum omni pietate & honestate.

Inferuntur ista ex præcedentibus. Neq; enim simpliciter dicit, Adhortor: sed, Adhortor igitur, ut ante omnia fiant deprecationes, &c. Dixit suprà, Certum sermonem esse, & dignum quem modis omnibus amplectamur, quòd Christus Iesus uenit in mundum, ut peccatores saluos faceret: deinde eam gratiam, clementiam & misericordiam in se cum primis luculento esse exemplo declaratam, ut inde constet, quàm non sit de ullo peccatore quantumuis enormi desperandum. Hinc

infert, quæ initio capitis huius leguntur. Q. d. Cum igitur ad hoc Christus in mundum uenerit, ut peccatores saluos faceret, eiusq; suæ clementiæ exemplar in me qui blasphemus antea ac uiolentus persequutor fui expresserit, hortor, ne de quoquàm mortalium desperes, sed procures ut pro omnibus hominibus orationes fiant ad Deum.

Adhortor igitur, ut ante omnia fiant deprecationes.] Duplex orationis genus est. Vnum, quo pro nobis ipsis: alterum, quo pro alijs oramus. Ad posterius pertinent, quæ hic leguntur. Vt pro nostris necessitatibus oremus, haud multa opus est adhortatione: secus uerò, ut oremus pro alijs. Est enim hoc orationis genus omnino fraternæ dilectionis opus, quæ admodum est paucorũ: ideoq; opus habet sedula adhortatione.

Vt ante omnia inquit, *fiant deprecationes, &c.*] Non simpliciter, ut fiant deprecationes: sed, Vt ante omnia fiant deprecationes, inquit. Loquitur de Ecclesiasticis actionibus, quæ in cœtu fidelium geruntur, quæ sunt, publicæ precationes, doctrina, communicatio, fractio panis, sacrificium laudis, & gratiarumactio. Primum locum hic precationibus tribuit, cum hortatur ut ante omnia alia fiant deprecationes. Hanc Apostolicam institutionem uidemus etiamnum seruari in nostris Ecclesijs, in quibus ante cætera omnia quæ agenda sunt in cœtu fidelium, preces ad Deum præmittimus.

Deprecationes, inquit, *obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones*] Græcę uoces sunt hic, *δεήσεις, προσευχάς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας*. Sonat autem *δέησις* precationem, qua quibus egemus, obnixè petimus: à uerbo *δέομαι*, quod indigere significat. *προσευχάς*, adorationem: *ἐντεύξεις*, interpellationem: *εὐχαριστίας* uerò, gratiarum actionem. Non est autẽ scrupulosius hoc loco inter istas uoces distinguendum. Simpliciter significat Apostolus, omni esse precationum genere pro omnibus hominibus orandum, non minus quàm pro nobis ipsis. Si qua necessitate premi aliquos uiderimus, nostrum est precari Dominum, ut illis succurrat. Si ira Dei in aliquos exardescere uisa fuerit, conuenit nobis, ut pro illis coram Deo intercedamus. Si bene cum nonnullis agitur, requiritur à nobis ut pro illis Deo agamus gratias.

Pro omnibus hominibus, inquit.) Non dicit, Pro omnibus fidelibus: sed, Pro omnibus hominibus. Cum primis quidem orandum nobis est pro omnibus fidelibus: uerùm mouebat Apostolum ut ante omnia pro omnibus hominibus orandũ esse moneret, quòd sciret plerosq; sic animatos esse, ut pro fidelibus tantum orandum esse censerent: quare inculcare uoluit, cum primis faciendas esse preces pro omnibus hominibus. Et hic est dilectionis ordo inter homines, ut quemadmodum prius sumus homines quàm Christiani, ita prius philanthropi quoq; simus quàm *φιλάνθρωποι*: & secundum generalem hanc dilectionem conuenit & preces cum primis pro omnibus fieri hominibus. Nec putandum est philanthropiam hanc sic esse humanam, ut ad Christianos non pertineat, cum sit diuina: quandoquidẽ & Deo ipsi philanthropia in Scripturis adscribitur, sicuti uidere est Tit. 2. Verus Christianus tanquam filius Dei diligit omnes homines: & quoniam Dominum Deum suũ philanthropum esse nouit, bona cum fiducia pro omnibus ad illum hominibus orat, quia omniũ necessitatibus & miserijs ex animo afficitur. Huius rei admonendæ sunt Ecclesię Christi. Pertinet enim cum primis ad Christianam pietatem ac iusticiam.

Pro regibus, inquit, *& omnibus in eminentia constitutis.*] Cum multa sint hominum genera, quid est quòd ex illis regum ac principum nominatim meminit, pro quibus sint faciendæ preces? Non est hoc præter rationem factum. Horum authoritate inferebantur Ecclesijs Christi grauissimę persequutiones, proscriptiones, afflictiones ac cædes, propter religionem Christi, quam extirpare moliebantur. Cum igitur hostes essent Christi, existimabant pleriq; fidelium non esse pro illis, sed potius contra illos orandum ad Deum, immemores uerbi Domini quo Matth. 5. dixit: Orate pro ijs qui lædunt & persequuntur uos. Consulto igitur Apostolus cum hortaretur ut pro omnibus hominibus fierent preces, specialiter de regibus ac principibus adiecit: admonens, pro illis ipsis præcipuè orandum esse ad Deum, quantumuis hostes essent nominis Christi. Sunt & aliæ causæ huc facientes, de quibus in sequentibus.

Pro regibus, inquit,] Rex erat & Nero, tyrannorum omnium exosissimus. Et pro illo tamen orandum esse monet, cum simpliciter dicit Pro regibus.

Et omnibus in eminentia constitutis, inquit.] Superior est potestas regum, & tamen non sufficiunt soli ad sustinendam imperij molem: sed opus habent principibus, satrapis, ducibus, præfectis, & iudicibus, quorum opera adiuti quæ necessaria sunt administrando regno regaliter obire possint. Pro his omnibus quoq; orandum esse monet. Non simpliciter dicit, In eminentia constitutis: sed, Et omnibus in eminentia constitutis. Nõ descendit ad species (haud enim id fieri poterat) & periculũ erat, ne si quos non nominaret, excipere uideretur: ideo quo omnes generaliter complecteretur, dixit, Et omnibus in eminentia constitutis. Non discernit inter gradus eminentię, quibus alij alijs eminentiores habentur: sed hortatur ut pro omnibus siue multum siue parum præstantibus oretur. Nec finit ut dijudicemus eos qui sunt eminentes, quo quisq; modo, legitimone uel illegitimo, eminentiæ suæ gradum consequutus sit, dum simpliciter hortatur ut pro regibus & omnibus in eminentia constitutis oremus. Quocunq; loco Christianus est, eos qui illic in eminentia constituti sunt, pro superioribus suis agnoscet, Deumq; pro illis, iuxta admonitionem hanc Apostoli, fideliter

deliter precabitur: nec unquam eminentiam illorum in ius uocabit, sed eam Deo commendabit, à quo est omnis potestas.

Obseruemus simul uocem eminentiæ, in qua nota est eorum qui rebus humanis præsunt in hoc mundo. Sic constituit Deus, ut sint inter homines præstantiores aliqui, qui cæteros moderentur ac regant. Hos uult esse in eminentia, quo à cæteris suspiciantur, & simul pro maiestate quisq; sua officium quod accepit, efficacius obire possit: ad quem modum & in corpore humano caput reliquis membris omnibus supereminet.

Est autem geminia eminentia in superioribus consideranda. Vna, quam Deus tantum contulit: altera, quæ est ex hominibus: uel, si mauis, interueniente humana constitutione confertur. Prior est sapientiæ singularis, & reliquarum uirtutum, quæ ad gubernationem ritè moderandam requiruntur. Hanc Deus confert illis, quos mortalibus moderandis destinat. Posterior est officij & potestatis. Vocatur hæc 1. Petri 2. humana creatura, ubi sic legitur: Proinde subditi estote cuiuis humanæ creaturæ propter Dominum, siue regi, tanquam præcellenti: siue præsidibus, ut qui per eum mittantur, ad uindictam quidem nocentium, laudem uerò rectè agentium. Omnis quidem potestas & eminentia potestatis, à Deo est, Rom. 13. Verùm confertur illa plerunque ordine humano, quo tamen prior eminentia conferri non potest. Quod si posterior ijs hominibus confertur, qui de priore prorsus nihil, uel certè parum acceperunt à Deo, nõ est ut occasionem inde sumamus negandi debitam illis obedientiam ac subiectionem: sed satis est, quòd in posteriore illos eminentia constitutos esse uidemus.

Vt placidam ac quietam uitam degamus, inquit, *cum omni pietate & honestate.*] In hunc usum constitutus est à Deo magistratus, ut subditis liceat placidè & quietè uiuere, idque in uera pietate & honestate. Et huc magistratus sedulò collimabit, si sit pius, & amans iusticiæ. Vt hoc posset obtineri, monet Apostolus orandum esse ad Deum pro regibus & omnibus in eminentia constitutis. Haud enim obtineri potest nisi dono Dei, in cuius manu sunt corda regum, quæ ille quò uult dirigit. Aliàs quomodo placida & quieta poterit eorũ esse uita, qui à magistratibus impijs & incredulis passim exagitantur, sic ut nusquam certò consistere sinantur?

Admonemur simul, Christiani hominis esse, ut contentus sit uita placida & quieta, cum omni pietate & honestate coniuncta. Filij huius seculi delectantur honoribus, dignitatibus, potestatibus, magnarumque rerum negocijs. Corda illorum sunt inquieta, quare nec uitam ducere possunt, quæ sit placida & quieta, etiamsi aliunde haudquaquam perturbentur. Vita eorum est sicut mare exæstuans, quod quiescere nescit. Christianus uerò ut est in se corde pacato ac quieto, ita est & uitæ amans, quæ sit pacata & quieta, nec seipsum turbans, nec illis quibus cum uiuit molestiam inferens. Si uiuat inter Turcos, & Christianæ fidei professionem retineat, inglorius & obscurus habetur. Neque enim ad ullos honores admittitur. At eam obscuritatem sic susque deque facit, ut nulla propter illam mœsticia afficiatur: sed abundè cõtentus sit, si placidè ac quietè cum pietate & honestate uiuere poterit.

Cum itaque sic sint animati ueri Christiani, unde est quòd à filijs huius seculi diffamantur, quòd sint turbatores orbis, & hostes publicæ pacis? Accidit hoc illis peruersitate reproborum, qui cum & Deo repugnent & innoxios propter ueritatem euangelij Christi odiosissimè persequantur, atq; ita publicam pacem perturbent, quo pios, quos exagitant & perturbant, omnibus reddant exosos, uocant eos turbatores orbis. Non est hæc noua peruersitas. Et Apostolis Christi hæc est illata iniuria, ut ab inquietis ac turbatoribus publicæ pacis turbatores orbis uocarentur. Vide Actorum decimoseptimo.

Dixerit hic quisquam: Cum hæc sit sors Christianorum, ut obnoxij sint odijs, maliciæ, ac persequutionibus hominum impiorum in hoc seculo, quorsum attinet orare ad Deum pro regibus ac principibus, ut placidam ac quietam uitam agamus in medio prauæ nationis uiuentes? Si, qui piè uolunt uiuere in Christo Iesu, persequutionem patientur, & per multas nos tribulationes in regnum cœlorum ingredi oportet, sicut hic Apostolus testatur: quomodo fieri potest, ut liceat nobis placidè ac quietè uiuere in hoc seculo? Respondeo: Si consideres consilia satanæ principis huius mundi, & impiorum hominum maliciam, cæcitatem ac peruersitatem, uera sunt quæ ab Apostolo dicuntur. Interea tamen in manu Dei sunt omnes non modò boni, sed & mali homines, ut cohibere queat illorum maliciam, & bonorum consulere paci: id quod & subinde facit. Qui tempestuosum mare tranquillum reddit, quo qui in illo nauigant, tranquillo ac placido cursu ad portum perueniant: idem ipse mundum hunc quantumuis turbulentum sic compescere potest, ut pijs in illo hominibus placidè ac quietè uiuere liceat, præsertim cum sic sint comparati, ut iuxta doctrinam Apostoli, cum omnibus hominibus, quantum in ipsis est, in pace uiuere cupiant. Quare non est præter rationem, quòd admonentur Ecclesiæ Christi, ut ad Deum pro bono pacis ac tranquillitatis orent. Rom. 12.

Obseruandum & hoc est. Cum hęc scriberet Apostolus, afflictabantur Ecclesię plurimùm à magistratibus incredulis, quos homines inquieti instigabant & exacerbabant: ideoque ipsa hoc requirebat necessitas, ut irremissæ fierent fidelium preces ad Deum pro regibus ac principibus, quo sublatis persequutionibus pax & tranquillitas restitueretur: quemadmodum ubi bellicis motibus

omnia turbantur & uaſtantur, omnino tempeſtiuum eſt, ut plebs inermis miſerè afflicta & exagitata pro pace ac tranquillitate rerum ingemiſcat ac ſuſpiret ad Deum. In eiuſmodi rerum tempeſtate locum habet hoc genus orationis, cuius hic meminit Apoſtolus: ſecus uerò animati ſunt, qui aliàs in pace degunt. id quod in nonnullis hodie Eccleſijs uidere licet, in quibus nec pro bono pacis, quo fruuntur, gratiæ aguntur Deo: nec pro Eccleſijs afflictis preces fiunt, quo & ipſis in pace uiuere detur.

Quemadmodum igitur Apoſtolus non ad preces tantum, ſed & ad gratiarum actiones pro regibus & principibus faciendas hortatur: ita inſtituendę ſunt & Eccleſię, ut ſi principes habeant fideles & bonos, Deo pro illis gratias agant, ac donò illius bene utantur: ſi uerò ſubſint principibus infidelibus & malis, ad Deum pro illis indeſinenter orent, quo ad meliorem mentem per illius gratiam perducantur, & ex malis boni fiant. Et utrunq; hoc non pro ſuis tantum, ſed & aliarum Eccleſiarum principibus ſecundum fraternæ dilectionis regulam faciant.

Cum omni pietate & honeſtate, inquit.] Particulam hanc magna cum ratione adiecit. Amat & caro uitam placidam ac quietam, uerùm non ut in illa piè & honeſtè degat: ſed ut abſq; omni impedimento in ocio, opibus, luxu, delicijs ac uoluptatibus uiuere, atq; genio ſuo indulgere queat. Longè aliter comparatos eſſe decet Chriſtianos. Amantes ſint & illi placidæ ac quietæ uitæ, uerùm non ex affectu carnis: ſed ad hoc ut piè ipſis & honeſtè uiuere liceat, ſitq; plus occaſionis ad ædificationem & augmentum Eccleſiarum regniq; Chriſti promotionem, quàm ſi perpetuis perturbationibus exagitentur. Actorum 9. de Eccleſijs Iudææ, Galileæ ac Samariæ ſic legitur: Eccleſię habebãt pacem per omnem Iudęam, Galilęam & Samariam, & ædificabantur uerſantes in timore Domini, & conſolatione ſpiritus ſancti multiplicabantur. Licet in medijs etiam perſequutionibus piè uiuere poſſit homo Chriſtianus, Eccleſiæ tamen, præſertim recentes ac teneræ, in quibus pleriq; ſunt adhuc infirmi & rudes, multo felicius ædificãtur & augeſcunt ſub pace ac tranquillitate rerum, quàm ſub cruce ac perſequutionibus. Sciens hoc ſatan, mox omnem operam per ſatellites ſuos impendit, ut recens natas Eccleſias in ipſis primordijs ſubuertat, ne acceptis fidei ac ſcientiæ Dei incrementis confirmentur, & confirmatiores factæ tentationes ipſius fortius perferant & uincant.

Cum omni pietate & honeſtate, inquit.] In Eccleſia quieta ac tranquilla plus loci habent ſedula doctrina, qua pietas, timorq; ac cultus Dei, id eſt, [illegible], & diſciplina morum, qua honeſtas uitę plantatur: quàm in ea, quæ perſequutionibus diſſipatur, ſic ut conuentus Eccleſiaſtici impediantur, miniſtri uerbi uel carceribus mancipentur, uel abigãtur, aut prorſus è medio tollantur: patres familiæ ſedibus ſuis eijciantur ac proſcribantur, familiæ diſcerpãtur, liberi educatione ac diſciplina paterna deſtituantur, & coniunctiones fidelium diſſolutis ſcopis, imò gregi ouium diſſipato ac diſperſo, ſimiles reddantur: in qua diſſipatione ſana doctrina obmuteſcit, fides langueſcit, inſtitutio morum, præſertim in paruulis, exercitiũ ſuum amittit, & reliqua honeſtatis diſciplina extinguitur. Sciens hoc Apoſtolus non immeritò hortatur Eccleſias Chriſti, ut pro regib. ac principibus ad Deum orent, quo placidam ipſis ac quietam uitam cum omni pietate & honeſtate degere detur.

Quid eſt autem, quòd non ſimpliciter dicit, In pietate & honeſtate: ſed, In omni pietate & honeſtate? Idem eſt ac ſi dicat, In omnis generis pietate & honeſtate. Multæ ſunt ſpecies pietatis, multæ item & honeſtatis. Pietas alia eſt qua Deum colimus, alia qua parentes honoramus. Pietatis erga Deum ſpecies ſunt, fides, dilectio, timor, obſeruantia, cultus, religio, adoratio, inuocatio, glorificatio, &c. Pietatis erga parentes ſpecies ſunt, obedientia, reuerentia, amor, obſequioſa ſubiectio, ſtudium beneficentiæ, & cohonestatio. Honeſtatis ſpecies alia eſt Eccleſiaſtica, alia publica: alia domeſtica, alia in uerbis: alia in moribus, alia in ueſtitu: alia ſenum, alia iuuenum: alia uirorum, alia mulierum: alia liberorum, alia ſeruorum: alia magiſtratuum, alia ciuium ac ſubditorum, &c. de quibus non eſt ut hic dicamus. Quod igitur dicit, In omni pietate & honeſtate: ſignificat, nullum eſſe pietatis genus, nullum honeſtatis, quod non deceat Chriſtianos, atq; inter illos cum primis exerceri debeat. Conſimilis locus eſt Philipp. ultimo, ubi dicit: Quęcunq; ſunt uera, quęcunq; honeſta, quæcunq; iuſta, quæcunq; pura, quæcunq; accommoda, quæcunq; boni nominis, ſi qua uirtus, & ſi qua laus, hæc cogitate, & hæc facite, & Deus pacis erit uobiſcum.

Nam hoc bonum eſt & acceptum coram Seruatore noſtro Deo, qui cunctos homines uult ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Vnus enim Deus, unus etiam conciliator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum precium redemptionis pro omnibus, ut eſſet teſtimonium temporibus ſuis, in quod poſitus ſum ego præco & Apoſtolus. Veritatem dico in Chriſto, non mentior, doctor gentium, cum fide & ueritate.

Aetiologia eſt. Prętерquam quòd adhortationem hanc per illationem ex præcedentibus deſumptam cœpit, adhuc ætiologiam aliam ſubijcit, dicens: Nam hoc bonum eſt & acceptum coram Seruatore noſtro Deo. Referenda autẽ ea eſt non ad id quod iam proximè dixit, nempe, Vt placidam ac quietam uitam degamus cum omni pietate & honeſtate: ſed ad id quod hortatus eſt, ut precationes fierent pro omnibus hominibus, etiam pro regibus & omnibus in eminentia conſtitutis. Huius iam reddit rationem, dicẽs: Nam hoc bonum eſt & acceptum coram Seruatore noſtro Deo,

&c. Eſt

dee. Est quidem & illud bonum & acceptum coram Deo, alioqui non deberet à Domino peti, ut placidam & quietam uitam in omni pietate & honestate degamus: uerùm non erat necessarium ut id aliqua ratione suaderet & commendaret. Quis enim Christianus non ultrò agnoscit, bonum esse & coram Deo acceptum, si detur placidè ac quietè in omni pietate & honestate uiuere? De eo uerò quòd hortatur, ut pro omnibus hominibus, etiam pro regibus & principibus preces ad Deum fiant: necessarium erat, ut rationem adferret, qua sic faciendum esse comprobetur, Sed uideamus singula, idq; diligenter. Est enim locus hic ualde insignis.

Hoc enim bonum est, inquit.] Græcè est, τοῦτο γὰρ καλὸν. Si esset, τοῦτο γὰρ ἀγαθὸν, indubitanter uertendum esset, Hoc enim bonum est: iam uerò, cum sit, τοῦτο γὰρ καλὸν, perinde uerti potest, Hoc enim decorum est: atque, Hoc enim bonum est. Et ipse Erasmus infrà cap. 5. eandem uocem reddidit, Honestum, ubi eadem uerba, quæ hic leguntur. τοῦτο γάρ ἐστι καλὸν καὶ ἀπολύτου ἐνώπιον τοῦ θεοῦ: id est, Hoc enim est honestum & acceptum coram Deo, sic uertit: Hoc enim est honestum & acceptum coram Deo. Nec incommodam lectionem habet, si legamus: Hoc enim decorum, uel pulchrum est, & acceptum coram seruatore nostro Deo. Etenim reuera pulchrum & decorum est, admodumque Christianæ pietati ac probitati conueniens, si mortales omnes, ueri philanthropi existentes, ex animo diligamus, omnibus bene uelimus & faciamus, etiam inimicis, & pro omnium salute ad Deum oremus: quem admodum econtrario ualde dedecorosum est, si de salute mortalium nulla cura afficiamur, quasi non philanthropi, sed misanthropi simus. Sectarij sunt, non Christiani, qui suæ tantum sectę homines diligunt, reliquos uerò contemnunt ac fastidiunt: imò tales esse iudicant, pro quibus orare ad Deum non liceat. Veri Christiani hominis decorum est, humanum esse ex corde, omnes homines ex animo diligere, omnibus benefacere, proq; omnium salute sollicitum, pro omnibus ad Deum facere preces, interpellationes & gratiarum actionem.

Nolim tamen contendere, si quis receptam lectionem retinendum esse duxerit, quin eam retineat. Etenim non modò decorum, sed & bonum est, si secundum Apostolicam adhortationem pro omnibus hominibus, etiam in eminentia constitutis, ac doctrinam ueritatis Christi hostiliter insectantibus, ad Deum oremus. Quomodo nanque bonum esse non poterit, quod acceptum est coram Deo?

Vtramuis lectionem retinuerimus, fortiter pugnat hic locus aduersus eos qui rationis humanę iudicium sequuti, nec decorum nec bonum, neq; acceptum coram Deo esse sentiunt, si Christiani orent ad illum pro incredulis, impijs, Christianam fidem blasphemantibus, eidololatris, impuris ac prophanis, præsertim tyrannis, Christiano sanguine madentibus, cum eiusmodi homines Deo uehementer displiceant. Communi iudicio malam gratiam apud regem ineunt, qui coram illo pro regni ipsius hostibus ac sceleratis hominibus, quos ipse abominatur, intercedunt. Sic sentiunt plerique in hac quoq; causa, ut non sit præter rationem quòd eiusmodi preces Apostolus pro omnibus hominibus, regibus etiam & principibus factas, bonas & acceptas esse coram Deo tam diligenter monet.

Quæsierit igitur quisquam, quomodo possit Deus acceptas habere preces pro impijs, incredulis & uerbi sui hostibus, imò pertinacissimè rebellibus, ad se factas: cum scriptum sit in Psalmis, Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Item: Virum sanguinum & dolosum abominatur Dominus, &c.

Respondeo: Non dicit Apostolus, quòd impij, increduli & hostes ueritatis, &c. Deo placeant: sed quòd placeant illi preces Ecclesiæ pro omnibus hominibus, etiam regibus & principibus, qui tum tyrannidem aduersus fideles Christi exercebant, factæ. Approbat enim in illis philanthropiam & curam salutis humanę, quę ex ipsius est spiritu cordibus fidelium indita: qui non orant pro talibus, ut placeat illorum impietas, uel quòd existiment eos placere Deo: sed quòd cupiant eos per gratiam Dei ad meliorem mentem conuerti ac saluari. Et hactenus reuera decorum & acceptum est coram Deo, preces fundere pro omnibus hominibus, etiam impijs, eidololatris, sceleratis, & Euangelij Christi hostibus. Sed pergamus.

Coram seruatore nostro Deo, inquit.] Poterat simpliciter dicere, Coram Deo, quemadmodum & infrà cap. 5. dicit: uerùm ut seruiat argumento quod tractat, non simpliciter: dicit, Corá Deo: sed, Coram seruatore nostro Deo. quibus uerbis unumquenq; Christianum monet, ut in seipso agnoscat, esse Deum seruatorem hominum, etiam peccatorum: cogitetq;, quàm existimare non debeat, esse illum erga alios mortales ad saluādum difficilem, qui erga se tam ampla sit & immerita gratia usus. Cogitemus itaq; intra nos ipsos: Quid reperit in nobis Deus, cuius respectu seruator noster fieri debuerit? An non & nos magnis eramus peccatis obnoxij, ac natura filij iræ, impij, eidololatræ, prophani & inimici quoque? Vnde ergo motus est, ut nos seruaret, nisi ex eo quòd philanthropus est? Cum ergo sit amans hominum, nos uerò non soli, sed illi quoq; homines sint, de quorum salute desperandum esse putamus: sine omni contradictione fatendum est, conuenire nobis, ut respectu salutis quę contigit nobis, haudquaquam dubitemus, alios quoq;, quales quales sint, eiusdem posse per gratiam philanthropi Deo ac seruatoris nostri fieri participes. Nisi amans esset humani generis, non modò eorum qui adhuc sunt increduli, sed noster quoq; nunquam factus esset seruator. Si dixisset, Coram creatore nostro Deo, haudquaquam gratiam hanc philanthropiæ Dei expres-

sisset, qua nō modō creator, sed & seruator noster esse dignatus est. Creator est omnium spirituum, hominum, bestiarum, & quicquid uspiam est in cœlo, terra & mari: seruator uerò non ita, sed hominum tantum.

Qui cunctos homines uult saluos fieri inquit, *& ad agnitionē ueritatis uenire.*] Sufficiens quidē ratio est, quur pro omnib. hominibus preces ad Deum fundere debeamus, in eo quòd id bonum & acceptum est coram seruatore nostro Deo, dixit: uerùm quo id latius explicet, subiungit adhuc rationis loco, qua re hoc bonum sit & acceptum coram Deo seruatore nostro: propterea uidelicet, quòd sic est philanthropus, ut uelit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Cum igitur sic sit natura sua comparatus, quomodo non esset ipsi gratum & acceptum, si in ecclesijs fideliū pro omnium hominum salute preces ad ipsum fiant, quib. hoc ipsum petitur, quod ipse uult ut fiat?

Sed nascitur hic quæstio, Cum uoluntati Dei nemo resistere queat, quomodo fiat, quòd non omnes homines saluentur, & ad cognitionem ueritatis perueniunt, si uoluntas illius est, ut omnes saluentur, & ad cognitionem ueritatis ueniant. Si uult ut omnes homines salui fiant, & ad cognitionem ueritatis ueniant, quid impedit, quo minus ipse saluos faciat, & ad cognitionem ueritatis perducat in uniuersum omnes, cum scriptum sit: Deus noster in cœlo quodcunque uult facit? Manifestum est autem, quòd non saluentur omnes, neque ad cognitionem ueritatis perueniant omnes, ut dicendum potius esse uideatur: Qui non uult, quàm qui uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire.

Ad hanc quæstionem responderi potest bifariam. Primò, quòd conditionaliter Deus omnem hominem saluum fieri uelit, si uidelicet ueritatem ipsius in Christo omnes agnoscant & amplectantur: ut illud, Et ad agnitionem ueritatis uenire, conditionem hanc exprimat. Neque enim uult Deus saluari incredulos & impœnitentes, quibus Christus ipse seruator noster condemnationem minatur, dicens: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluabitur: qui non crediderit, condemnabitur. Talis loquutio & illa est in Propheta: Nolo mortem peccatoris, sed ut cōuertatur & uiuat. Non simpliciter dicit, Nolo mortem peccatoris: sed uolo ut uiuat: sed adnectit conditionem dicens, Sed ut conuertatur: ac tum addit, Et uiuat.

Deinde, quòd si non placet, ut quod dicit, Et ad agnitionem ueritatis uenire, conditionaliter accipiatur, quoniam non dicit, Si ad agnitionem ueritatis uenerint: sed, Et ad agnitionem ueritatis uenire: cum Augustino respondetur, quòd non de omnibus humani generis indiuiduis, sed de omnibus generibus, conditionibus, ordinibus, statibus & nationibus hominum loquatur Apostolus. Vnde & postquam dixit, Pro omnibus hominibus, declarationis gratia adiecit, Pro regibus, & omnibus in eminentia constitutis. Sic illud, Qui uult omnes homines saluos fieri, idem est quod, Qui uult omnis generis homines, nō Iudæos tantum, sed & gentes: non solum pauperes, sed & diuites: non subditos tantum, sed & principes & reges, &c. saluari. Verùm hac de re diximus in Commentarijs nostris super Epistolam ad Rom. cap. 9. & in Locis nostris loco De electione, & loco De uoluntate Dei. Sanè si res ipsa penitius introspiciatur, non erat status causæ, quam tractat Apostolus, omnes ne in uniuersum homines saluentur, uel secus: sed, orandum ne sit pro gentibus eidololatris & immundis, pro incredulis, pro tyrannis, regibus uidelicet & principibus, quales tum erant, pro hostibus Christi ac persequutoribus Ecclesiarum. Cum itaque ut fiant in Ecclesijs preces pro omnis generis hominibus hortari cœpisset, idq; Deo gratum & acceptum esse dixisset: ubi iam rationis uice subiungit, quòd uelit Deus omnes homines saluari, & ad agnitionem ueritatis uenire: existimo simplicius esse, ut sequentia prioribus conformantes, omnes homines pro omnis generis hominibus accipiamus.

Et ad agnitionem ueritatis uenire, inquit.] An non satis est ad salutem uoluntas illa Dei, qua uult ut omnis generis homines saluentur? Quorsum opus est, ut qui saluandi sunt, ad agnitionem ueritatis ueniant? Et quæ est illa ueritas? Et quomodo ad illam uenitur? Respondeo: Sufficit quidem ad salutem nostram uoluntas illa Dei, qua uult ut saluemur: uerùm eadem uoluntate uult etiam ut à tenebris ignorantiæ liberati ueritatem ipsius agnoscamus. Vult enim esse nos non tenebrarum, sed lucis filios. ueritas lux est, liberans nos à seruitute peccati, quæ obstrictos tenet in regno satanæ. qua de re testatur Christus ipse Ioan. 8. Non potest fieri, ut saluemur, donec regno satanæ in tenebris ignorantiæ Dei, & seruitute peccati obstricti tenemur. Itaq; necessariò Apostolus, cum dixisset, Qui uult omnes homines saluos fieri: adiecit, Et ad agnitionem ueritatis uenire.

Quæ autem sit illa ueritas, non immeritò quæritur. Est enim ueritas in se multiplex & uaria. At hic de singulari quadam & eximia loquitur Apostolus, quæ sit ad salutis consequutionem necessaria. Vno uerbo, ueritas hęc Christus est. Ego sum, inquit, uia, ueritas & uita. Intelligo autem non de persona Christi tantum, sed de tota illius dispensatione, quam à patre impositam in mundo hoc salutis nostræ gratia obiuit. Prędicatur hęc per Euangelium, cuius ob id sermo ueritas dicitur Ioan. 17. Sine ueritatis huius cognitione salus constat nemini.

Ad hanc uerò uenitur audiendo Euangelium ueritatis Christi, & credendo illius auditui. Placuit enim Deo per stulticiam prædicationis Christi saluos facere credentes, & in fide illius permanentes. Si manseritis in sermone meo, inquit Dominus, cognoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos. Ioan. 8. Verùm de ueritate hac uide Locos nostros, loco De ueritate Dei.

Exho

Ex hoc itaq; ueluti fonte est, quòd cum Apostolos suos Dominus in orbem ad prædicandam ueritatem hanc Dei emitteret, non ad unam eos gentem tantum, sed ad omnes gentes ac populos mitteret, dicens: Euntes docete omnes gentes. Item: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Neminẽ uoluit ab hac cœlesti gratia excludere, propterea quòd Deus saluos uult fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire omnes homines. Voluntati huic subseruire debent nõ modò ministri uerbi, Euangelium salutis palàm omnibus prædicando: sed & omnes in uniuersum fideles, preces pro omnibus hominibus ad Deum fundendo, & pro conuersis gratias agendo.

Vnus enim Deus, inquit. *unus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus.*] Rationem rationi subuertit. Hortor, inquit, ut preces fiant ad Deum pro omnibus hominibus. Quare hoc? Quia acceptum est coram illo. Vnde acceptum? Ex eo quòd uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Vnde ad illum pertinet omnium mortalium salus. Habet unaquæq; gens suos deos, illis relinquatur cura salutis eorum quos sub se habent. Ad Deum Israelis pertinent non cultores falsorum deorum, & simulacrorum adoratores, impiæ ac prophanæ gentes: sed fideles, pij, ueri cultores, &c. Quomodo igitur saluos uult fieri omnes homines? Hic subijcitur gemina ratio. Vna, quam ne Iudæi quidem negare possunt: altera, quã omnes Christiani agnoscere coguntur. Ad priorẽ pertinet quòd dicit: Vnus enim Deus. Q. d. Ideo uult omnes homines saluos fieri, quia unus ipse est omnium hominum Deus. Qui pro dijs habentur in mundo, non sunt ueri dij. Verus Deus unus est omnium, non Iudæorum tantum, sed & gentium Deus. Sic Rom. 3. An Iudæorum tantum, inquit? An non & gentium? Certè & gẽtium. Quandoquidem unus Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Cum igitur sit unus tantum Deus in cœlo & in terra, id quod Iudæi non modò confitentur, sed & iactant: cõsequitur, esse illum non Iudæorum tantum, sed & gentium, atq; ita omnium hominum Deum: & ut Deum omnium, ita & omnes uelle fieri saluos, & ad sui ueritatis q; suæ uenire cognitionem. Hinc & illud est Rom. 10. Omnis qui fidit illi, non pudefiet. Non enim est distinctio uel Iudæi, uel Græci. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes inuocantes se. Quisquis enim inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Errant itaq; Iudæi uehementer, dum illud Deut. 6. Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est, perinde accipiunt, ac si ipsorum tantum se Deum esse diceret. Non dicit, Dominus Deus, tuus tantum est Deus: sed, Dominus Deus tuus, Deus unus est: ut intelligatur, totius mundi: & omnes alij qui pro dijs habentur in mundo, excludantur ac reprobentur, tanquàm non ueri, sed falsi dij. Sic pro cæcitate cordiũ ipsorum omnino diuersum colligunt ex uerbo Domini. Rectè itaq; Apostolus ex eo quòd unus est Deus, colligit illum sic esse comparatum, ut quemadmodum omnium est hominum Deus, ita etiam omnes homines saluos fieri uelit.

Vnus etiam mediator Dei & hominum.] Pertinent ista ad posteriorem rationem, quæ inter Christianos pro irrefragabili haberi debet. Nemo enim Christianus negat unum Christum esse mediatorẽ Dei & hominum. Nemo igitur Christianus negare debet, esse illum non quorundam tantum, sed omnium hominum mediatorem ad Deum: qui cum unus sit omnium hominum Deus, ita & omnes homines saluos fieri uelit, atq; hac quoq; ratione pro omnibus esse hominibus preces ad Deũ fundendas, quo ad ueritatis cognitionem per Euangelium Dei perducti saluentur. Etenim cum Christus non dedignetur omnium esse hominum mediator, quonam colore excusari poterimus, si nos mediatione illius saluati, dedignemur pro aliorum omnium salute precari ad Deum, quorũ Christus perinde atq; noster uoluit esse mediator?

Mediationis ratio est, ut concilientur diuisi ac dissidentes. Inter unanimes, concordes ac pacatos non est opus mediatore. Opus uerò fuit mediatore inter Deum & homines. Ergo diuisio ac separatio fuit inter Deum & homines, eosq; non aliquos tantum, sed omnes. Separatum autem esse à Deo, est esse satanæ coniunctum ac perditum. Cum igitur uellet Deus saluari omnes homines, necessarium erat ut mediator aliquis intercederet, & ambas partes inter se conciliaret.

Dixerit aliquis: Quorsum opus erat mediatore ad Deum, cum ille omnes homines saluari uellet? Si rex neminem ex subditis, quantumuis dignis qui perirent, perire uellet, sed seruari omnes, an non posset illis sine mediatore omnem remittere noxam, & in gratiam recipere omnes? Respõdeo: Hoc ipsum quòd saluari uult Deus omnes homines, mediatori debemus, in quo ab initio mũdi fundata sunt salutis nostræ consilia. Non debemus uoluntatem hanc Dei sine cõsilio mediationis ab æterno propositæ inspicere: cuius etsi opus nouissimis demum est temporibus perfectum, uirtus tamen est æterna.

Considerandum & illud est, quòd quemadmodum unum dixit esse Deum, ita & unum iam dicit esse mediatorem Dei & hominum. Hic sophista dicit: Aliud est unum, & aliud unicum esse mediatorem. Vnicum esse nõ dicit Apostolus, sed unum. Sunt enim multi mediatores in cœlo, multi item in Ecclesia. Respondeo. Eodem commento dici potest: Vnum quidem, sed non unicum esse Deum. Nam & hic non dicit Apostolus, Vnicus: sed, Vnus est Deus. Alius sic nugatur: Vnicus quidem est mediator redemptionis, Iesus Christus, quia ille solus redemit genus humanũ, sed plures sunt intercessores. Qualis sit mediatio Christi nõ intelligũt, aliàs à redemptione illã nõ separarẽt. Verũ est, orát & intercedũt fideles pro omnibus hominib. uerũ mediatores inter Deũ & homines

esse

esse non possunt. Loquitur hac de re Augustinus contra epistolam Parmeniani li. 2. cap. 8. ad hunc modum: Si uerò ita diceret Apostolus, Hoc scripsi uobis, ut non peccetis: & si quis peccauerit, mediatorem me habetis apud patrem, ego exoro pro peccatis uestris (sicut Parmenianus quodam loco mediatorem posuit episcopum inter populum & Deum) quis eum ferret bonorum atq; fidelium Christianorum? Quis sicut Apostolum Christi, & non sicut Antichristum intueretur? Homines enim omnes Christiani inuicem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus uerusq; mediator est: cuius typus, quoniam præfigurabatur in sacerdote ueteris Testamenti, nullus illic inuenitur orasse pro sacerdote. Paulus autem apostolus, quanquam sub capite præcipuum membrum, sed tamen quia membrum est corporis Christi, & nouerat, non per figuram in interiora ueli ad sancta sanctorum, sed per expressam & firmam ueritatem in interiora cœli, ad sanctitatem non imaginariam, sed æternam intrasse pro nobis maximum & uerissimum sacerdotem Ecclesiæ, fidelium se orationibus & ipse commendat: nec mediatorem se facit inter populum & Deum, sed rogat, ut pro se inuicem orent omnia membra corporis Christi, quoniam pro se inuicem sollicita sunt membra. Nam si esset mediator Paulus, essent utiq; & cæteri coapostoli eius, ac sic multi mediatores essent: nec ipsi Paulo constaret ratio, qua dicit, unus Deus, unus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, &c. Hæc ille.

Omnino certa ratio est, ob quam unũ tantũ inter Deũ & homines mediatorẽ esse oporteat, qui ad totũ genus humanũ Deo reconciliandũ sufficiat, qui tanquã secũdus Adam respondeat primo, qui peccato suo sufficiẽs fuit ad perdendũ genus humanũ. qua de re Rom. 5. sic legimus: Si per unius delictũ mors regnauit per unũ, multo magis ij qui exuberantiã gratiæ ac doni iusticiæ accipiũt in uita, regnabũt per unũ Iesum Christũ. Itaq; sicut per unius delictũ propagatũ est malũ in omnes homines ad condemnationẽ, ita & per unius iustificationem propagatur bonũ in omnes homines ad iustificationẽ uitæ. Quemadmodũ enim per inobedientiã unius hominis peccatores cõstituti fuimus multi: ita per obedientiã unius, iusti cõstituentur multi. Hæc ibi. in quib. uidere licet, quàm incõueniens gratiæ Dei foret, si ad salutẽ generis humani multi requirerentur mediatores, cũ ad perditionem illius unius hominis peccatũ suffecerit: quasi non posit Deus per gratiam suam ad salutem, quod potuit satan per maliciam suam ad perditionem, qui per unius hominis peccatum & inobedientiam omnes homines à Deo abalienauit ac perdidit.

Homo Christus Iesus, inquit.] Nec illud transeundũ est, quòd non placuit Deo, ut ex angelis aliquis mediator inter ipsum & homines cõstitueretur, sed homo: quemadmodum & per hominẽ genus humanum à Deo fuerat abalienatum ac perditum. Mysteriũ hoc attingit Apostolus Ebr. 2. dicẽs: Posteaquam igitur pueri commercium habent cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorundem, ut per mortẽ aboleret eum qui mortis habebat imperium: hoc est, diabolum, ut liberos redderet eos quicunq; metu mortis per omnẽ uitã obnoxij erant seruituti. Non enim uidelicet angelos assumit, sed semẽ Abrahæ. Vnde debuit per omnia fratribus similis reddi, ut misericors esset & fidelis pontifex, in his quæ apud Deum forent agenda ad expiandũ peccata populi. Hęc ibi. Præterea uoluit Deus & illud in hoc mediatore testatum facere, quòd omnia quę ille in dispensatione suscepta faceret, & quæ ipse in illo recipiendo, cohonestando & exaltando uicissim perficeret, ad humanum genus saluandũ & redimendũ pertineant: id quod haudquaquam probabile uideri potuisset, si opus mediationis non homini, sed angelo cuipiam fuisset impositũ. Deinde id honoris qui redit ad mediatorem, non potuit conuenire angelo, sed homini competit, quem ad imaginem ac similitudinẽ suam Deus condere & exaltare dignatus est. Hæc & quæ alia adhuc in hac possunt particula considerari, multo salubrius cogitabit pius lector, quàm si materiam hanc in contentionem cum illis peruertat, qui de mediatore nostro disceptant, secundũ hominem ne tantum, uel secundum Deum & hominem sit mediator: quæ contentio Ecclesias in Polonia turbare cœpit. Quòd si mentem Apostoli in hisce uerbis propius inspicerent, facilè intelligerent, admodũ se ab illa abludere in hac disceptatione.

Homo Christus Iesus, inquit.] Hactenus obiter attigimus, quare opus nobis sit inter Deum & nos mediatore aliquo: deinde quare hũc oporteat esse unum, nõ multos: & tertiò, quòd uoluerit illum Deus esse non angelum, sed hominem: iam quarto loco uidendũ de eo est, quòd dicit eũ esse Christũ Iesum. Quis hic sit, scimus omnes quotquot ueri Christiani sumus. Est hic homo quidẽ, uerùm nõ homo tantũ, sed simul & Deus & homo, uerbũ uidelicet incarnatũ. Si homo tantũ esset, mediator inter Deum & homines esse nõ posset. Neq; enim mediationis huius dispẽsationi sufficeret is qui nihil est quàm homo. Oportet mediatorẽ hũc nõ unius tantũ seculi, sed omniũ inde ab initio mundi ad finẽ usq;: deinde non unius duntaxat gentis, sed totius generis humani, esse mediatorẽ, ac talem, in cuius gratiam Deus non paucis quibusdam, sed toti generi humano parcere possit. Præterea talis esse debet, cui non sit opus alterius cuiusquam mediatione, qua Deo reconcilietur, in qua conditione est totum humanum genus. Esset autem talis, si homo tantũ esset. Ad hæc ipsa requirit necessitas, ut nõ ira Dei tantũ & inimicitia inter Deũ & genus humanũ per mediatorem hũc tollatur: sed & ut qui per illũ recõciliantur, tales uirtute regenerationis reddãtur, qui in gratia & pace cum Deo permanere possint. Nihil autem horum ab eo qui homo tantũ sit, perfici potest. Addam & illud. Reconciliationem Deus cum genere humano talem fieri uoluit, per quam diuinæ

reddantur

reddantur naturæ cõsortes, quotquot per hunc unicum mediatorem ipſi recõciliantur, & in gratiam ac gloriam filiorum Dei recipiuntur. Eiuſmodi uerò reconciliatio per eum fieri non poteſt, qui homo tantum exiſtat. Dum iſta perpendimus, puto facile poſſe intelligi, qualem hominẽ mediatio hæc requirat, quæ Chriſto Ieſu tribuitur: talem uidelicet, qui non humanæ tantum, ſed & diuinæ ſit naturæ particeps. Neque enim dictæ iam conditiones in eum cadere poſſunt, qui cum humanæ tantum naturæ miſeria, & non ſimul cum diuinæ prerogatiua communicet. Quare tollatur, obſecro, hæc noſtri temporis contentio, qua de mediatore Chriſto diſceptatur & contenditur, quòd ſecundum humanam tantum ſit naturam mediator. Talem, in ſumma, mediatorem hũc eſſe oportet, per cuius nõ modò mediatorium officium & opus, ſed & in ipſa illius perſona utreq; naturæ, diuina & humana conciliantur, tanquam in eo qui ſit & Deus & homo, uerus filius Dei ex patre, & uerus filius hominis ex matre: detur talis homo, qui conditiones haſce mediationis ut homo præſtare poſsit, Sed unde talis dabitur? Homo Chriſtus Ieſus, inquit Apoſtolus. Chriſtus ſo nat unctum, regem uidelicet ac ſacerdotem, Ieſus uerò ſeruatorem. Si uerbum ſepares à carne in Chriſto, hominem quidem habebis: uerùm cœleſtem regem, ſacerdotem & ſeruatorem, in homine tantum non inuenies. Neq; enim hæc nomina nudo homini conueniunt, quia opus ipſum mediationis ac ſalutis per nudum hominem præſtari non poteſt. Eſt itaque homo, non angelus aliquis, ſed homo: uerùm non quilibet homo, non nudus homo, ſed talis homo, qui ſit Chriſtus Ieſus, Verbum illud incarnatum, unicus ille mediator inter Deum & homines: non quatenus homo eſt tantum & filius hominis, ſed quatenus talis homo eſt, in quo Deus & homo, diuina & humana natura, perſonali unitate coniunguntur. Amo Eccleſias Chriſti, quas hæc contentio in illuſtri Poloniæ regno perturbat, & pro fratribus in Domino chariſsimis amplector omnes eos qui illis ex utraq; parte fideliter uerbum uitæ prædicant, uel aliàs conſilijs ac ſcriptis ſuis cauſam Chriſti tuentur: inter quos uir eruditiſsimus Andreas Fricius mihi Auguſtæ anno 48. innotuit. Oro omnes ac ſingulos, ut pacis & ædificationis ſtudio diſsidium hoc inter ſe componãt ac terminẽt.

Qui dedit ſemetipſum, inquit, *precium redemptionis pro omnibus.*] Exponit opus unici omnium hominũ mediatoris, quo totum genus humanum Deo patri reconciliauit, & à perditione redemit. Quodnam illud? Quod in cruce mortuus eſt pro omnibus. Vnus hoc Chriſtus Ieſus fecit, & fecit nõ pro paucis quibuſdam tantum, ſed pro omnibus hominibus. Ergo unus duntaxat mediator eſt Dei & hominum Chriſtus Ieſus. Mediationis huius ac communis omnium redemptionis conſideratione ſatis patet, placere Deo, ut pro omnibus hominibus etiam incredulis & inimicis, preces fundamus. Quur itaq; pro omnibus hominibus orare ad Deum dubitaremus, cum filius Dei, unicus omnium mediator, ſemetipſum precium redemptionis pro omnibus dederit? Poterat dicere: Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ad quem modum Eph. 5. loquitur. Verùm ſic dicendo non accommodaſſet ſe cauſę quam tractat. Ideo maluit dicere: Qui dedit ſemetipſum pro omnibus? Quare dedit ſemetipſum pro omnibus? Quia uoluntas Dei eſt, ut omnes homines ſalui fiant. Eodem uoto affecti nullius mortalium ſalutem negligendam eſſe ducemus.

De ipſo uerò opere mediationis ac redemptionis, quo ſeipſum Chriſtus Ieſus pro omnibus dedit, iam aliquoties diximus, utpote Gal. 1. ubi dicit: Qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, ut eriperet nos: & cap. 2. Qui dilexit me, ac tradidit ſemetipſum pro me: & Eph. 5. Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem ac uictimam, Deo in odorem bonæ fragrantiæ. Item: Sicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea.

Illud: Precium redemptionis, Græcè eſt ἀντίλυτρον: qua uoce ſignificatur id quod pro redimendis captiuis datur, quicquid illud ſit, ſiue pecunia, ſiue quid aliud. Quemadmodum igitur qui ἀντίλυτρον dat pro captiuis omnibus, liberat omnes captiuos: ita & Chriſtus ubi ſemetipſum dedit ἀντίλυτρον pro omnibus, omnes utiq; redemit, & à ſeruitute peccati ac ſatanæ liberauit, qua totum genus humanum detinebatur. Dixerit hic quiſquam: Ergo iam nemo mortalium amplius captiuus eſt ſatanæ, ac ſeruus peccati, ſi Chriſtus ſemetipſum precium redemptionis dedit pro omnibus: niſi dicturi ſumus, non fuiſſe precium hoc pro omnibus ratum ac ſufficiens, id quod nemo Chriſtianus dicturus eſt: atq; ita conſequitur, ſaluos iam eſſe mortales omnes, nec periturum eſſe quenquam. At hoc dicentes, contradicimus reliquis ſacris Scripturis, & incidimus in errorẽ Origenis?

Reſpondeo: Dedit quidem ſeipſum Chriſtus ἀντίλυτρον pro omnibus, & eſt ſufficiens pro omnibus facta redemptio: uerùm inde non conſequitur, ſic eſſe ſublatam captiuitatem ſatanæ, ac ſeruitutem peccati, ut nemo mortalium in illa periturus detineatur amplius. Nam licet expedita ſit redemptio omnium, haud tamen omnes illam reſipiſcentia ac fide amplectuntur: ſed qui reprobi ſunt ut increduli, ita & captiui permanent ac pereunt. Dedit Deus ſolem ſuum lucem omnibus, & tamen multi non defectu ſolis, ſed ſuopte uitio in tenebris manent. Chriſtus uenit lux mundi, illuminans omnem hominem: & tamen mundus, quia diligit tenebras magis quàm lucem, in tenebris ſuis perit. Sic & hoc loco cogitare debemus. Parata quidem eſt omnium redemptio, uerùm reprobi malunt eſſe in ſeruitute peccati, quàm in libertate ſanguine Chriſti parta.

Vt eſſet teſtimonium temporibus ſuis,] Illud, Vt eſſet, non eſt in textu. Sic enim ſimpliciter habetur in Græco, τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις: id eſt, Teſtimonium temporibus ſuis. Vulgata Latina habet, Cuius teſtimo-

teſtimonium temporibus ſuis cõfirmatum eſt. Ambroſ. ſic: Cuius teſtimoniũ temporibus ſuis datum eſt. Germanicus interpres ſic uertit, *Daß es zu ſeiner zeit gepredigt wurde*. Alius aliter exponit. Mihi placet, ut nihil addamus uerbis Apoſtoli: deinde ut μαρτύριον accipiamus pro paſsione, quá pro peccatis noſtris ſuſtinuit in cruce, ad quẽ modũ & Chryſoſtomus exponit, dicẽs: μαρτύριον τὸ πάθος φησὶ id eſt, paſsionem uocat martyriũ. ut ſit ſenſus: Qui dedit ſemetipſum precium redemptionis pro omnibus, paſsionem uidelicet, quam ſuis temporibus in cruce ſuſtinuit, qua omnes homines ueluti dato ἀντιλύτρῳ redemit. Sic hæc particula adiecta uidetur, ut exponeretur, quónam ἀντιλύτρῳ genus humanum redemerit. Nec inſolens eſt, paſsionem Chriſti uocare martyrium, id eſt teſtimonium: quandoquidem morte ſua teſtatus eſt de dilectione ac uoluntate Dei & ſuai ipſius quoq;, erga genus humanum.

Illud καιροῖς ἰδίοις, id eſt, Temporibus ſuis: idẽ dicit eſſe Chryſoſtomus, quod καιροῖς προσήκουσιν, Temporibus conuenientibus. Poterat obijci: Si dedit ſemetipſum precium redemptionis pro omnib. quare hoc tam ſerò fecit? Etenim inde ab initio mundi circiter quadraginta plus minus ſecula ad illius uſque paſsionem fluxerunt, in quibus innumerabilis hominum multitudo mundum hunc incoluit, ac morte abſumpta eſt prius quàm ipſe precium redemptionis perſoluerit. Verùm hanc cogitationem reprimens, dicit hoc eſſe factum temporibus ſuis peculiariter uidelicet ad redemptionem generis humani à Deo deputatis. Tempora hæc & in Prophetis prędicta fuerunt, nedum ſecreto Dei conſilio determinata. Quare cohibenda eſt humana curioſitas, qua in rationes, modos ac tempora earum rerum quę diuinitùs geruntur, inquirere ſolemus, ac dicere: Quare hoc tum primùm, & non potius initio, & quomodo, & ob quam cauſam factum eſt? Vbi tale quid quæritur, reſpondendum eſt, omnia à Deo fieri ſuis temporibus, modis & rationibus, quia nihil ab illo geritur temerè: ſed Omnia in ſapientia, conſilio, pondere, numero & menſura: qua de re alibi fuſius diximus. Vide Locos noſtros, loco De redemptione generis humani: ubi pleraque huc pertinentia reperies.

In quod poſitus ſum ego præco & Apoſtolus, inquit: *Veritatem dico in Chriſto, non mentior, doctor gentium cùm fide & ueritate.*] Redit obiter ad commendationem Apoſtolatus ſui, de quo ſuprà meminerat dicens: Secundum Euangelium gloriæ beati Dei, quod concreditum eſt mihi. Commendat autem illum præcipuè in eo, quod inerat illi peculiare. Erant & Petrus & Iacobus & Ioannes cũ reliquis Apoſtoli Chriſti: uerùm Paulus ſingulari gratia Dei poſitus erat in hoc, ut eſſet præco ac nuncius Euangelij Chriſti ad Gentes, quo nomine Iudæis uehementer erat exoſus. At hæc conditio Apoſtolatus ipſius plurimùm faciebat ad laudẽ ac gloriam incomparabilis gratiæ Dei, quam ſatis deprædicare & extollere non poterat. Frequenter igitur illam inculcat, quantumuis offendiculo eſſet Iudæis, quibus nationes gentium uelut immundæ, prophanæ & impiæ, ſummæ erant abominationi.

In quod poſitus ſum ego præco, inquit, *& Apoſtolus.*] Suprà dixit, Quia fidelem me iudicauit ponendo in miniſteriũ: ubi prædicat eã gratiã Dei, qua cum eſſet hoſtis Chriſti, blaſphemus & perſequutor, poſitus in miniſteriũ fuit. Hic cũ dicit, In quod poſitus ſum ego præco & Apoſtolus, doctor gentiũ: miniſteriũ in quod poſitus erat ſpecificat, & cõpetentibus elogijs cõmendat. Non mox omnis miniſter præco eſt, & Apoſtolus: neq; ſtatim quilibet præco & Apoſtolus, doctor eſt: neq; omnis doctor, gentiũ eſt doctor. Dum ſe pęrconem eſſe dicit, ſignificat quanto cum gaudio Euangelium, quod prædicabat, amplexandum fuerit, tanquam præconium uidelicet de reconciliatione omnium facta per Chriſtum. Dum ſe uocat Apoſtolum, commendat legationem ad hoc ſibi impoſitã, ut Euangelium regni annunciet in mundo. Hæc habet communia cum reliquis Apoſtolis: illud uerò quod ſubijcit, Doctor gentium, ſingularem Apoſtolatus ipſius conditionem concernit, qua non Iudæus tantum, ſed omnibus in uniuerſum gentibus quoque gratiam Dei, qua per Chriſtum unicum mediatorem & redemptorem non Iudæi tantum: ſed & omnes aliæ gentes cum Deo ſunt reconciliatæ, inter gentes prædicabat, & omnem hominem de ueritate Dei docebat. Hunc titulum pontificij Paulo apoſtolo iam olim ademerunt, & Petro dederunt: quaſi ille relicto circumciſionis apoſtolatu, Romæ neſcio quot annos ſederit, ac gentium doctor factus ſit. Verùm res ipſa clamat, gentibus non Petrum, ſed Paulum eſſe doctorem à Deo datum.

Veritatem dico in Chriſto, non mentior.] Habet hæc particula parentheſim, qua poſcit fidem ſibi dari, tanquam ei qui non mentiatur, ſed ueritatem dicat: & ſimul ſignificat, haudquaquam inanem hæc uerba habere iactantiam, ſed certam prorſus ueritatem. Conſimili aſſeueratione utitur & 2. Cor. 11. dicens: Deus nouit, quòd non mentior. Et Gal. 1. Porrò quæ ſcribo uobis, inquit, ecce corã Deo non mentior. Et Rom. 9. ijſdem uerbis utitur, dicens: Veritatem dico in Chriſto, non mentior. Solebant pſeudoapoſtoli, apoſtolatum Pauli mendacij & impoſturæ accuſare: affirmareque, non eſſe eum Apoſtolum Chriſti, multo minus ab illo miſſum ad gentes. Contra illorum calumnias utitur hac aſſeueratione, qua ſe non mentiri, ſed ueritatem in Chriſto dicere affirmat. Hac aſſeueratione nunquam ueraciter poterit uti Rom. pontifex, dum ſe uocat uicarium Chriſti, & caput omnium illius Eccleſiarum. Manifeſtum namque eſt, quòd impudentiſsimo hæc de ſe mendacio iactitet.

Emphaſis

Emphasis autem in eo est, quòd non simpliciter dicit, Veritatem dico in Christo: sed addit, Non mentior. Est quidem ueritatem dicere, idem quod non mentiri: uerùm sic loqui uoluit, ut competenti serio calumniam aduersariorum reprimeret, qua se non ueritatem dicere, sed mentiri dicebant. Hanc refutans dicit, Non mentior, sicuti me pseudapostoli mentiri nugantur: sed ueritatem dico, dum me gentibus missum esse Apostolum ac doctorem affirmo. Illud In Christo, bifariam accipi potest. Primò, ut idem sit, quod, In causa Christi. Nulla quidem in re mentiri sustinet uir probus ac ueritatis amans: uerùm omniũ minimè in causa Christi mẽtiendum est, cum in illa sit ipsissima ueritas. Deinde, ut habeat uim iuramenti, perinde ac si Germanicè dicas: By Christo, teste uidelicet Christo, dico ueritatem, & non mentior.

Cum fide & ueritate, inquit.] Græcè est, ἐν πίστει καὶ ἀληθείᾳ, id est, In fide & ueritate. Doctores Iudæorum legis erant & operum doctores, hærentes in figuris & umbris: at Doctor gentiũ Paulus, doctor erat fidei ac ueritatis, ad qua Deus omnem uocat hominẽ, ut eam cognoscat, & seruetur. Prædicabat fidẽ in Christũ, per ueritatẽ Euangelij, quã docebat inter gentes. Admonemur hoc loco, eam demum esse uerã, Christianã & Apostolicam doctrinam, qua prędicatur ueritas Euangelij Dei, unde ad fidem in Christum peruenitur.

Volo igitur orare uiros in omni loco, sustollentes puras manus absq; ira & disceptatione. Consimiliter & mulieres in amictu modesto cum uerecundia & castitate ornare semetipsas, non tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut uestitu sumptuoso: sed quod decet mulieres, profitentes pietatem per opera bona.

Quemadmodum pro gentibus & incredulis, præsertim hostib. & persequutoribus, preces ad Deum fundere pleriq; detrectabant: ita erant dubio procul non pauci, qui nõ ubilibet orandum sibi esse ducerẽt. Verosimile est, eos qui ex Iudæis in Christũ credebãt, in hac fuisse sententia, ut existimarent non esse sibi orandũ in conuentib. eorũ qui ex gentib. Christiani erant. Nam ægrè inducebantur ut gratiã hãc crederent & approbarent, qua omnes gentes ad communicationem regni Dei per Euangelium Christi uocabantur, à quibus quasi immundis, abstinendum sibi esse iudicabant. Postquam igitur priorem errorem correxit, iam ad posteriorem transit, ut & illum corrigat. Sic dicit:

Volo igitur uiros orare in omni loco.] Hoc est: Nolo igitur quenquam ex uobis abstinere ab Ecclesiasticis precibus, respectu loci, quo fideles congregantur: sed quocunq; loco conueniunt fideles, siue Iudaico siue ethnico, ibi cum illis communicare in precibus.

Obseruandum autem est, quòd non simpliciter dicit, Volo uiros orare: sed, Volo igitur uiros orare in omni loco. Adhuc infert ex præcedentibus. Quasi dicat: Itaq; quoniam unus est Deus, nõ Iudæorũ tantũ, sed & gentium. atq; ille saluos fieri uult oẽs homines: & cõsimiliter unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui semetipsum dedit precium redemptionis ꝓ omnibus, mihiq; impositũ est à Deo, ut gratiæ huius sim preco, Apostolus & doctor inter gentes, nolo quenquam Christianum in precibus ubilibet ad Deum faciendis esse scrupulosum, sed orare ex animo pro omnib. inter quos uiuit, quocunq; loco degat.

Videmus hoc exemplo, quàm nihil de suo præcipiat Apostolus, sed ubique rationes adijciat, quibus fidelium cõscientias cõstringat. In eo quòd nõ simpliciter dicit, Volo: sed addit, Igitur, rationem colligens ex præcedentibus: admonentur ministri uerbi, quanta cum modestia, & quàm religiosè doctrinam suam sic administrare debeant, quo auditoris animus audi tis rationibus ueritati sese per conscientiam submittere possit.

Quid est autem, quòd uiros uult orare in omni loco? An non est idẽ & mulierculis faciendum? Quare igitur de uiris tantum? Respondeo: Quamuis corã Deo in Christo Iesu etiam in orationibus nullus est respectus sexuũ: ideoq; tam mulieri quàm uiro in omni licet orare loco: haud tamen requirit hoc à mulierib. perinde atq; à uiris, parcens infirmiori sexui. Erat enim tũ tẽporis orare in quouis loco, singularis fidei opus, quæ nõ erat quorũlibet. Hoc & illud accedit, quòd mulieres haud perinde ad extera loca peregrinãtur, atq; uiri: sed plerũq; domi hærẽt. Erãt igitur uiri magis quàm mulieres instruẽdi, quomodo se apud exteros, siue Iudæos, siue gentes, quod precum communicationem attinet, gerere deberent.

Dixerit aliquis: Si orandũ nobis est in omni loco, ergo & in tẽplis eidolorũ, cũ Papistis, simulacrorũ cultoribus, & cũ Turcis quoq; in illorũ cõuentibus orabimus. Respondeo: Non sunt uerba Apostoli ultra terminos argumẽti, in quo uersatur, detorquẽda ac diuexãda. Non ꝓbasset, si Christianus cum eidololatris in orationibus illorum communicasset. Quare nunquam hoc sensu dixisset, Volo uiros orare in omni loco, etiam cum eidololatris: sed potius, Licet uiris orare in omni loco, etiã in tẽplis eidolorũ. Verùm ea de re nõ erat opus ut admoneret. In eo magis erat, ut scrupulositatẽ illã animis infirmiorũ eximeret, qui ex Iudęis Christiani in conuentib. Christianorũ ex gentibus in oratione communicare detrectabant: deinde & eã corrigeret, qui in medio incredulorũ uiuentes haud orandum sibi ꝓ eius loci, in quo morabãtur magistratu & incolis esse putabant. Verùm liceat ne unà cũ Papistis orare, dixi-

mus in Proscæro nostro, & Locis Comm. loco de Oratione, artic. Cum quibus sit orandum.

Quanquá, meo iudicio, sic possunt hęc uerba exponi, ut nullus sit quæstioni huic locus: utpote ad hũc modũ, Volo igitur orare uiros in omni loco. Hoc est: Itaq;, quoniá acceptũ est corá Deo, ut fiát deprecationes, orationes, &c. ꝑ omnib. hominibus, ꝑ regib. & omnib. in eminẽtia cõstitutis, uolo uiros quolibet loco degẽtes, orare: intellige, ꝑ omnib. hominibus, etiá magistratibus Euangelio Christi aduersantibus, preces ad Deũ fundere. Sic illud, In omni loco, ad Viros, nõ ad uerbũ Orãdi refertur: ut intelligas de cuiuscũq; loci Christianis, ubilibet locorũ cõstitutis. Quod dicit, τὸν ἄνδρας ἐν παντὶ τόπῳ, id est, Viros in quolibet loco: nõ est hoc sensu ꝓpositũ Apostoli, præscribere Christianis, ubi locorũ orare debeãt: sed potius quòd quolibet loco cõstituti sint, ꝑ omnib. hominib. orare debeãt, pręcipuè ꝑ magistratibus. Simpliciter quidẽ uerbũ προσεύχεσθαι posuit: uerùm ubi dicit, Volo igitur orare uiros in omni loco: satis per illationẽ, uel potius cõclusionẽ significat, loqui se de precibus, ad quas initio Capitis huius ꝑ omnib. hominibus faciẽdas hortari cœpit. Hic nõ est ratio quærẽdi, an cum Papistis quoq;, simulacrorũ cultoribus, & cum Turcis, Christiano sit orandũ. Aliud enim est, orare ꝑ omnibus: & aliud, orare cum omnibus hominibus.

Sustollentes puras manus, inquit, *absq; ira & disceptatione.*] Pro puris hominibus nemo negat esse orandum ad Deũ: ꝑ impuris uerò pauci sunt qui preces faciendas esse sentiant. Cum igitur hortaretur, ut orarent pro omnibus hominib. etiá regibus ac principibus, quorũ manus plenæ erant sanguine Christiano, quem fundebãt, atq; ita ualde impuræ: ne id causantes, orare pro illis detrectarent, uoluit hac particula admonere, quá debeat Christianus curare puritatem in orationibus ad Deum faciendis: nõ eam uidelicet quæ sit aliorum, pro quibus orandum est, sed potius quæ sit ipsorũ. Sic dicit, Sustollentes puras, id est innocẽtes manus. Quasi dicat: Hoc magis curantes, ut innocenter uiuẽtes manus uestras puras ad Deũ leuetis, quàm ut quales sint illi, pro quib. orare debetis, quęratis. Et huc pertinẽter facit quod addit: Absq; ira & disceptatione. Monet, ne irascantur magistratibus, & alijs inimicis Christi, propter persequutiones, quas inferebant fidelibus, atq; ita magis contra quàm pro illis orare cupiant: uel certè penes seipsos dubitent, sit ne pro talibus orandum, & placeat ne Deo, uel secus, oratio pro illis facta: sed potius alieni ab huiusmodi ira & dubitatione, toti in eo sint, ut innoxias & puras ad Deum manus leuẽt.

Sustollentes, inquit, *manus.*] Obserua gestum eorum qui seriò ad Deum orant. Manus extendunt, ac leuant in sublime, cœlum uersus, quibus se gratiam Dei suppliciter implorare significant: ac simul hoc gestu testantur, pendere se totos à cœlesti ope. Sic Moses Exo. 17. & Dauid in psalmis, & Salomon in dedicatione templi, manus suas ad Deum inter orandũ leuasse leguntur. Quoniam uerò & facilis est hic gestus, & sępenumero simulatur ab hypocritis, non simpliciter dicit Apostolus, Sustollentes manus: sed, Sustollentes manus puras. quo significet, non respicere Deum ad eorum manus, qui nocentes sunt & impuri, sed magis faciem suã ab illis auertere. Sic Esa. 1. ad impios dicit: Cum extenderitis manus uestras, auertam oculos meos à uobis: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim uestræ sanguine plenæ sunt. Lauamini, mundi estote, &c. Christiani hominis est, magis curare ut puras ipse manus ad Deum leuare possit, quàm disceptare de aliorum puritate.

Absq; ira, inquit, *& disceptatione.*] Germanicè dicimus, *wer zürnet, der bættet nit.* Quare nõ immeritò ab oraturis requiritur, ut puras manus absq; ira ad Deum leuent. Loquitur aũt de ira, qua quis irascitur illis, pro quibus pro more Ecclesiæ orare tenetur. Tyrannus affligit me ꝑ nomine Christi: uel si in manus illius nondum incidi, fidei tamẽ meę cõsortes odio Christi percitus persequitur. Conciues deferunt nomẽ meũ ad magistratus, & uocant me ac domũ meam, in ultima discrimina. In cœtu Ecclesiastico admoneor, ut orẽ pro omnibus etiam nominis Christi hostibus, & ijs qui me perdere moliuntur. Hic, quoniam illis irascor, & hæsito, placeat ne Deo, ut pro talib. preces fiant in Ecclesia: leuo quidem cum Ecclesia manus ad orandum: uerùm cum ira & disceptatione. Hac de re cogitans Apostolus, diserte cauet, ne sic oretur à fidelibus. Quare? Quia displicet Deo eiusmodi oratio. Quod iram attinet, non conuenit talis ira Christiano, cuius est diligere inimicos ac persequutores, ad exemplum seruatoris sui Christi. Quod hæsitationem concernit, oportet illam alieniſsimã esse ab orationib. fidelium, in quibus certa requiritur fiducia, quæ incomprehẽsibili bonitate Dei nitatur. Vnde & Iacobi 1. sic legitur: Postulet autem cum fiducia, nihil hæsitans. Nam qui hæsitat, is similis est fluctui maris qui uentis agitur, & impetu rapitur. Neq; existimet homo ille, quicquam se accepturum à Domino.

Particulã hãc alij aliter exponunt. Alij de ira ac disceptatione, quæ sit per impatientiam, ubi tribulationes diutius durant, & precando ad Deũ nihil effici uidetur. Alij de ira ac disceptatione quæ fuerit inter fratres, præsertim eos qui erãt ex Iudæis, & uocationẽ gentiũ improbabant. Quæ sententia ad argumentum Apostoli propius accedat, iudicet Lector.

Consimiliter & mulieres, inquit, *in amictu modesto cum uerecundia & castitate ornare semetipsas*, &c.] Repetendum est uerbũ Volo, ac legẽdum: Cõsimiliter & mulieres uolo in amictu modesto, &c.

ornare

ornare ſemetipſas. Quoniam de publicis precib. admonere cœpit. inſtruxitq; uiros, quomodo ſe in illis gerere debeant, ne mulieres ſi de illis taceat excludere, uel parum curare uideatur, quomodo ſe gerant illæ: conſequenter illis quoq; præſcribit, dicens, Conſimiliter & mulieres uolo ornare ſeipſas in amictu modeſto cum uerecundia & caſtitate. Quaſi dicat: Non modò uiros, ſed & mulieres purè ac decenter ad publicas preces accedere uolo: uiros, leuare puras cum innocentia manus, abſq; ira & diſceptatione: mulieres, ornare ſeipſas, ornamẽtis illis quæ mulieres pias ac fideles deceant.

In amictu modeſto, inquit.] Græcè eſt, ἐν καταστολῇ κοσμίῳ, id eſt, In ſtola honeſta ac decenti. Catáſtole muliebris amictus eſt, quo mulieres honeſtè ad pedes uſq; amiciuntur. Non uult mulieres ſeminudas cõparere in cõuentib. Eccleſiaſticis, ſed honeſtè ac decẽter opertas muliebri ſeruata uerecundia & caſtitate. Excludit impudentiã, uanitatẽ & laſciuiam, quam impudicæ mulieres ueſtitu ad uanam oſtentationem cõpoſito ſpectantium oculis ingerunt. Significat quidẽ uox κόσμιος ornatũ: uerùm non indecentem, ſed ordinatum, & pro decoro perſonæ cõpoſitum. Non eſt aũt præter rationẽ, quòd mulierib. de honeſtate amictus præſcribit. Solent enim illæ natura ſua ſtudioſiores eſſe ornandi corporis, & appetentiores intemperati, uani & inhoneſti quàm decentis & honeſti ornatus. Ea eſt muliebris ſexus leuitas, ubi pudorem & caſtum animum exuere cœperunt. Addit igitur:

Cum uerecundia & caſtitate.] In Græco eſt, μετὰ αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης.] αἰδὼς non modò erubeſcere ac pudefieri, ſed & reuereri ſignificat, & ferè in bonam partem de ingenuo pudore accipitur: αἰσχύνεσθαι uerò in malam, quando admiſſum facinus pudorem incutit. Illud, καὶ σωφροσύνης, uulgata Latina habet, Et ſobrietate. Eraſmus uertit, Et caſtitate. Sunt qui reddant, Et temperantia. Germanicus interpres uertit, Vnd zucht. Sonat ſanitatem & integritatem mentis, & opponitur illius leuitati ac uanitati. Quare nonnulli pro ſobrietate mentis accipiunt.

Ornare ſemetipſas, inquit.] Græcè κοσμεῖν ἑαυτάς. Sicut κοσμεῖν ponitur ꝓ ornare, ita & κόσμιος idem eſt quod ornatus. Solenne eſt mulierculis, ut ornent ſeipſas. Non uetat hoc Apoſtolus, ſed corrigit abuſum: & docet, quomodo ſeipſas ornare debeant, cum ſubdit:

Non tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut ueſtitu ſumptuoſo. Vanitas & luxus in cultu muliebri damnantur. Vanitatis uitio laborant non modò opulentiores, ſed & tenuiores: luxu uerò peccant non tenues, ſed diuites. Tenues quod nõ poſſunt in auro, margaritis & ueſtitu ſumptuoſo, oſtentant in capillis arte contortis: diuites uerò non modò in capillis, ſed & in auro, margaritis, & ueſtitu ſumptuoſo uanitati ac luxui ſtudent. Non eſt hic opus recenſere muliebris uanitatis ac luxus ſpecies, quibus deditæ fuerint priſcorum ſeculorum mulieres, cum noſtris hiſce temporibus abundè multæ ſint paſſim ob oculos, idque in ipſis cœtibus Eccleſiaſticis, conniuentibus ac tacentibus tam uerbi miniſtris, quàm magiſtratib. ac ſenibus. De uanitate ac luxu mulierum Hieroſolymitanarum, uide Eſaiæ 3. ubi pleraq; de hac materia annotauimus.

Sed, quod decet mulieres profitentes pietatem, per opera bona.] Ordinanda eſt lectio ad hunc modũ: Non tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut ueſtitu ſumptuoſo: ſed per opera bona, quæ decet mulieres, pietatem profitentes. Duplicẽ Chriſtianæ mulieris ornatum ponit. Vnũ, qui ſit in amictu honeſto, cum uerecundia & caſtitate. De hoc dixit hactenus. Alterũ, qui ſit ex bonis operibus. Hunc in præſenti ponit, dicens, Sed per bona opera. Bona uerò Chriſtianæ mulieris opera ſunt, ſi ſit obſeruans mariti, ſi liberos gignat & educet, ſi domum fideliter adminiſtret, ſi ſit hoſpitalis, ſi ſanctorum pedes lauet, ſi afflictis ſubminiſtret: &, in ſumma, ſi ſit in quolibet opere bono aſſidua. Hoc genus bona opera maximo ſunt ornamento Chriſtianæ & honeſtæ mulieri, redduntq; eam multo illuſtriorem, quàm ſi omnia illius auro, margaritis ac ueſtitu holoſerico ſplendeant.

Illud, Quod decet mulieres profitentes pietatem: ſtimulum habet, quo monitæ mulieres ſtudeant Chriſtianæ honeſtati: ne ſi diuerſum faciant, à profeſsione pietatis deficiant. Habet unaquæq; profeſsio ſuum decorum, cui ſe accommodare tenentur, quotquot illi nomen dederunt. Qui militiam profitentur, & cingulum militare acceperunt, decorum militiæ ſeruantes, militariter ſe gerere debent. Qui religionem ac pietatem Chriſtianam profeſsi ſunt, meritò monentur, ut profeſsioni huic ſeſe conforment. Huc reſpiciens Apoſtolus ſtimulat Chriſtianarum mulierum conſcientias, admonens eas profeſsionis, qua pietatem fuerant profeſſæ.

Profitentes pietatem, inquit.] Græcè eſt ἐπαγγελλομέναις, quod uulgata Latina habet, Promittentes. Ambroſius tamẽ legit: Profitentes, quẽ ſequutus eſt Eraſmus. Vtrũq; & ꝓmittere & profiteri ſonat ἐπαγγέλλεσθαι.] Et infrà quidem cap. 6. in calce ponitur in ſenſu ꝓfeſsionis. Hic uerò haud diſplicet uetus lectio. Mulieres illæ quæ Chriſtianam religionem amplexæ fuerant, ſimul promiſerant ſe competentem illi pietatem ſeruaturas. Promiſsionis igitur huius admonet eas Apoſtolus. Exigebatur illa ab adultis, qui Chriſtianam fidem amplexantes baptizari petebãt, cui ſpecimẽ Papiſtę in baptiſmo infantũ præpoſterè ſimulãt, dũ exigũt ab illis abnegationem ſatanæ, mundi ac pomparum illius, qui recẽs nati nondum per ætatem, quicquam

intelligere, nedum loqui: ideoq; nec ἐπαγγέλλεσθαι pietatem possunt.

Pietatem.] Græcè est θεοσέβειαν, id est religionem, reuerentiam, & cultum Dei. Notum est uerbum σέβομαι, quod uenerari, reuereri, obseruare & colere significat: unde est hæc uox θεοσέβεια. Habetur illa duobus locis in Nouo testamento. Ioan. 9. uidelicet, ubi cæcus dicit: Scimus quòd peccatores Deus non audit, sed si quis θεοσεβὴς ᾖ. quod Erasmus perinde atq; uulgatus interpres reddidit, Dei cultor est. Et hoc præsenti loco, ubi ambo uerterunt pietatẽ, sine specificatione, cum alia sit quæ erga Deum, & alia quæ erga parentes seruatur pietas.

Obserua. Reuerentia & cultus Dei, ad Christianæ religionis professionẽ pertinentes, id operátur in homine, ut uanitatẽ & luxũ in uestiendo corpore fugiat, & bonis operibus sese ornet, ac spectabilem reddat. Hæc theosebia non est in cultu templario, cui uacant Papistę: sed in fide, religione, & obseruantia Dei, quæ indita est Christiano pectori.

Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Cæterùm mulieri docere non permitto, neq; authoritatem usurpare in uiros, sed esse in silentio. Adam enim prior formatus est, deinde Euah. Et Adam non fuit deceptus: sed mulier seducta, obnoxia facta est transgressioni. Salua tamen fiet per generationem liberorum, si manserint in fide ac dilectione, & sanctificatione, cum castitate.

Quoniam in oratione non discreuit inter mulieres & uiros, ne in omnib. etiã reliquis pares illas uiris facere uideatur: duo iam subijcit, in quibus à uiris discerni debeant: quorum unum Ecclesiasticum est, alterum domesticum, & ad coniugij statum pertinens. Ecclesiasticum est, quod dicit: Mulier in silentio discat cum omni subiectione. cæterùm mulieri docere non permitto. Domesticum uerò quod mox subijcitur: Neq; authoritatem usurpare in uiros, sed esse in silentio, &c.

Mulier in silentio discat, cum omni subiectione, inquit.] In cœtu Ecclesiastico non modò preces fiunt, sed & doctrina precibus subijcitur. Hic quid discriminis inter uiros & mulieres seruandum sit, declarandum erat, ne mulieres quemadmodum unà cum uiris orant, ita etiam cum illis docere præsumant. Sunt enim natura sua loquaces & garrulæ: atq; ita propensæ ad loquendum ac docendum magis, quàm ad audiendum ac discendum. Interim tamen non excludit eas ab usu & fructu doctrinæ, ad salutem necessariæ. Is aũt est non in docendo, sed in discendo: quemadmodum usus cibi unde uiuimus, non est in coquendo, sed in edendo. Sicut igitur non habet quod queratur, qui etsi non admittitur ad officiũ coquendi cibos, ab esu tamen illorum non arcetur: ita non est quod querantur mulieres, de eo quòd non permittitur ipsis ut doceant, quando à studio discendi haudquaquam prohibentur. Admodum igitur consultò dicit, Mulier in silentio discat: priusquam subijciat, Docere uerò mulieri non permitto.

Mulier, inquit, *in silentio discat.*] Quomodo in silentio? In priore ad Corinthios cap. 14. sic legimus: Mulieres uestræ in Ecclesijs sileant. Neq; enim permissum illis est, ut loquantur: sed ut subditæ sint, quemadmodum & lex dicit. Quod si quid discere uolunt, domi suos uiros interrogent. Nam turpe est mulierib. in cœtu loqui, &c. quibus uerbis idem quod hic tractat, ubi & fusius materiam hanc tractauimus.

Est itaq; silentium, in quo discendum est mulieribus non loqui, imò ne interrogare quidẽ aliquid in Ecclesia. Quoniam permissum erat uiris omnibus, ut in Ecclesia prophetarent, quo omnes discerent, & omnes consolationem acciperent: ne idem sibi quoq; licere iudicarẽt mulieres, diserte cauet dicens, Mulier in silentio: id est, nec loquendo nec interrogando, sed silendo & audiendo discat.

Cum omni subiectione, inquit.] Docere non est eorum, qui alijs sunt subiecti. tales autem sunt mulieres. Quare non conuenit illis ut loquantur ac doceant in Ecclesia: sed, ut pro conditione subiectorũ silentium teneant, silendoq; audiant, & audiendo discant, ac pręterea reuereãtur uiros, & cum pudore & humilitate animi in Ecclesia compareant. Hoc, puto, intelligit cum non simpliciter dicit, Cum subiectione: sed, Cum omni subiectione.

Diligẽter interim obseruandum est hoc loco, quòd subiectionẽ requirit à discẽtibus. Nisi enim illa sit, audientis animus doctrinæ capax esse non poterit. Quemadmodum enim in uasculum infundi poterit nihil, nisi sit submissum ac subiectum: ita nec in animum audientis doctrina poterit infundi, si non sit erga doctorem submissus, sed elatus. Et ipse cœlestis doctor Spiritus sanctus, non amat elatos, sed humiles: ideoq; non illuminat nisi humiles ac submissos. Denique qui elati sunt, non appetunt ueritatis cognitionem: sed uel aliàs illam sibi uindicant, uel superbè fastidiunt. Præterea turpe sibi fore iudicant, si sedendum ipsis sit in subsellijs imperitorum, rudium, ignorantium ac discentium.

Cæterùm mulieri docere non permitto, inquit.] Lege, Mulieri uerò, quòd melius est: quàm, Cæterùm mulieri. In priore ad Corinthios cap. 14. dicit, non esse permissum, imò esse turpe mulierib. loqui in cœtu. Domi suę loqui ac docere liberos suos licitè ac rectè possunt, id quod ad

Chri-

Christianá liberorũ educationẽ admodũ est necessariũ. Nec dubiũ est, quin Timotheus hic multa ad pietatẽ pertinẽtia audierit ac didicerit ex auia sua Loide, & Eunica matre. In cœtu fidelium uerò loqui ac docere mulierẽ, turpe est, & haudquaquá permissum. Rectè igitur hic dicit Apostolus, Mulieri se nõ ꝑmittere ut doceat. Pertinebat hoc ad Apostolicá potestatẽ ac diligentiá, ut rem turpẽ, nec unquá in Ecclesijs Dei permissam, nõ ꝑmitteret, sed prohiberet.

Verbo ꝑmittẽdi aũt innuitur fuisse mulieres in Ecclesijs, quę ad munus docẽdi aspirarent. Alioqui nõ fuisset ratio nõ permittere rẽ quá nemo tẽtaret. frustra dixeris: Auolare hominẽ cũ auibus in aera non permitto, cũ nemo sit qui id tentet. Permittere aliquid uel nõ permittere, locum nõ habet, nisi ubi sunt qui id præsumere conantur. Quare ipsa mouebat necessitas, ut cum uideret mulieres quasdam abiecto muliebri pudore munus docendi in cœtu Ecclesiastico inuadere, non permisit illis ut docerent. Hoc exemplo debebant qui Apostolorũ uolunt esse successores, non permittere turpissimam illam ac Simoniacam nundinationem illis qui quæstum in Ecclesijs exercere cœperunt, nec prophanationem sacrorum concubinarijs ac scortatoribus, & quæ alia eiusmodi nemine prohibente magno cum offendiculo in Ecclesijs palàm geruntur. Vetùm quomodo non permitterent alijs, quod ipsi cum primis perfricta fronte faciunt?

Neq; authoritatem usurpare in uiros, inquit.] Græcè est, *οὐδὲ αὐθεντεῖν ἀνδρός*: quod uerti potest, Neq; dominari in uirum: ad quem modum & uulgata Latina, & Ambrosius habent. *αὐθεντεῖν* nõ modò authoritate ac potestate, sed propria potestate uti significat, id quod est dominorum: unde & idem est quod dominari. Deinde non est in plurali, In uiros: sed in singulari, In uirum: id quod de marito intelligendum esse censeo. Non conuenit mulieri suapte potestate quicquam agere, more dominantium. Esset enim hoc ordinem à Deo institutum peruertere, quo iubetur mulier esse sub potestate uiri, unde & intolerabilis confusio ordinis domestici nascereturSatis sit mulieri, si sit sub tutela ac protectione mariti sui: gubernationem rerũ permittat marito tanquam capiti.

Illud tamen obserua, quòd non simpliciter dicit, Neq; anthoritatem usurpare: sed addit, In uirum. Licet sub uiro in silentio esse debeat uxor, neq; quicquam præsumere illo inuito, nec imperiũ in illum rapere, quatenus: tamẽ matrifamiliâs est & גבירה, rectè supra liberos & familiam potestate utitur, præsertim absente marito, perinde atq; lunam uidemus præsente sole esse in silentio, absente uerò dominari nocti ac stellis. Sicut enim illa socia est solis, sic & uxor socia est mariti sui, ad hoc illi coniuncta, ut adiuuet eum, non ut imperio suo subiectum habeat. Aliàs etiam poetarum literæ silentium mulieri imponunt. Eurip. in Heracl. *γυναικὶ γὰρ σιγήν, ἡσυχὴ τὸ σωφρονεῖν κάλλιστον, ἡσυχὰν δ' οὖσαν μέγαν δόμων.*

Deinde neq; dicit, Nec loqui uiro, si quid in illo desideret. Notum est exemplũ Saræ Gen. 21. quæ cum Abrahæ marito suo dixisset: Eijce ancillam hanc, & filium eius. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac, illeq; uerbum hoc molestè acciperet propter filium suum Ismaelem: dixit ei Dominus, Ne uideatur tibi asperum super puero & super ancilla tua. Omnia quæ dixit tibi Sarah, audi uocem eius. Admonere uirum, si quæ facienda sunt nõ fecerit, non est illicitum uxori, modò id fiat non imperiosè, sed cum debita modestia ac reuerentia.

Adam enim prior formatus est, inquit, *deinde Euah*.] Videtur respicere ad ius primogenituræ, quo qui primogeniti sunt, reliquorum sunt fratrũ suorũ domini. Sic Adá quoniá prior formatus erat, dominus erat Euæ: ideoq; non licebat Euæh *αὐθεντεῖν* in ipsum. Alioqui non mox dominus est, qui prior natus est. Reperias seruum, natum in domo heri sui, priusquá nascereturfilius primogenitus, cui tamẽ haudquaquá cõpetit ius primogenituræ, nec licet dominari primogenito. Verùm in genitura fratrũ locũ habet prærogatiua primogenituræ, ut dominus sit is qui primus est inter fratres suos genitus. Similis cõditio erat inter Adamũ & Euam. Ante Adamũ creata fuerũt omnis generis animalia: uerùm nullũ eorũ præstãtiorẽ inde dignitatẽ præ illo consequutum est. Quia non fuit creatio illorum eiusdẽ speciei & carnis cum creatione hominis, quæ eadem fuit inter Adamum & Euam.

Dixerit hic quisquá: Quæ est ista cõsequentia? Adá prior formatus est, deinde Euah. Ergo mulier authoritatẽ in uirũ usurpare nõ debet. Quid hoc ad posteros Adæ & Euæ? De Euah, esto, ualeat argumentũ, quòd nõ debuerit potestatem sibi sumere in Adamũ, quid hoc ad posteras mulieres? Quòd si iam uxor prior natu sit quàm uir ipsius, an non eâdem ratione authoritatem in illum habere potest, qua Adam in Euam?

Respõdeo: Vtriusq; sexus masculini & feminini conditionẽ & ordinẽ Deus in prima mox origine, creatione uidelicet primorũ duorũ hominũ Adæ & Euæ, exprimere uoluit: ideoq; uirũ primò, mulierẽ uerò altero loco ex carne & ossib. illius: deinde uirum ad imaginem ac similitudinẽ Dei, mulierem uerò, ut sit adiutoriũ uiri, adeoq; & propter uirũ formauit. Quare Apostolus pertinenti admodũ cõsequentia, ut ꝑbaret mulierẽ nõ debere sibi authoritatẽ sumere in uirum suum, ordinem utriusq; sexus, quem Deus mox initio humani generis constituit, argumenti loco induxit.

Et Adam, inquit, non fuit deceptus, sed mulier decepta obnoxia facta est transgressioni.] In Græco est, ἐν παραβάσει γέγονεν: id est, In transgressione fuit. An qui legem transgreditur, rectè transgressioni obnoxius esse factus dicatur, propterea quòd transgressus est, iudicent alij: nisi transgressio uel pro pœna transgressionis, uel pro trãsgrediendi procliuitate, quæ est in carne nostra, accipiatur. Alterum hoc est argumentum, unde patet, non conuenire mulieri, ut uiro dominetur. Sumptum est ex historia transgressionis primorum nostrorum parentum, quæ legitur Gen. 3. Hic Euah, cum suapte potestate citra conscientiam ac uoluntatem Adæ mariti sui ageret, ac serpenti acquiesceret, in transgressionem seducta incidit: ac mox declarauit, non esse ipsam sic à Deo formatam, ut libero arbitrio sine nocumento uti possit. Sic dicit itaq;:

Et Adam non fuit deceptus, sed mulier decepta in præuaricatione fuit. Quasi dicat: Non modò post uirum formata mulier, non potest habere potestatem in illum: sed & quàm sit noxium, si id præsumat, ipsa docet experientia. Nam mox initio cum nulla conditionis suæ habita ratione seorsim ac suopte arbitrio, sine custodia Adæ uiri sui cum serpente agere præsumeret, seducta est, & in transgressionem perducta: perinde ac si filiafamiliàs, sine parentum suorum conscientia & custodia impudico iuueni ad nepharium amorem sollicitanti aures præbeat, atq; ita seducatur & corrumpatur. Rectè ergo Apostolus ex hoc lapsu Euæ argumentatur, non esse mulieri permittendum, ut dominium exerceat in uirum. Et Deus ipse post hanc seductionem ac transgressionem dixit ad eam: Sub potestate uiri eris, & ad illum, id est, in illius potestate erit: si quid appetieris, & ipse dominabitur tibi.

Et Adam non fuit deceptus, inquit.] Quomodo nõ fuit deceptus? Nõ credidit uerbis serpentis, quibus credidit Euah. Ergo non fuit deceptus sicut Euah. Qui nec credit nec sperat, quod est falsum, non decipitur. Habebat uerbum Dei, cui hactenus credebat, ut illi credens nõ crederet uerbo serpentis.

Dices: Si credidit uerbo Dei, uerbo uerò serpẽtis nõ credidit, atq; ita deceptus non est sicut Euah: quomodo transgressus est uerbum Dei, perinde atq; Euah? Respondeo: Sciens prudens peccauit, obediẽs uerbo mulieris, nõ credẽs uerbo serpentis. Quoniã audisti uocẽ uxoris tuæ, inquit ad illũ Deus. Maius igitur est peccatũ Adæ quàm Euæ, quandoquidẽ sciẽter ac prudenter peccare minus habet excusationis, quàm si peccetur per imprudentiam & seductionem.

Quomodo igitur ualet argumentum Apostoli? Si plus peccauit Adam quàm Eua, propterea quòd non deceptus peccauit, sicut illa, quomodo ex eo consequitur, non debere mulierem dominari uiro? Respondeo: Qui per serpentem seducta experimentũ de se dedit, non pertinere ad ipsam imperium in uirum, ad uirũ uerò pertinere principatum in ipsam. Requiritur enim ab eo qui dominium in alios exercere debeat, ut sit sapiens ac prudens, ne quo pacto possit facilè seduci.

Cauendum uerò est, ne exemplũ hoc de Adamo & Euah lõgius trahamus quàm requirat propositum Apostoli, hoc est, ne ex speciali generale ac perpetuũ faciamus. Etenim quod Adam nõ fuit seductus per mendaciũ serpentis, nõ poterit cõstanter de quolibet uiro prædicari. Deinde quod accidit Euæ, nõ mox accidit in uniuersum omnib. mulieribus, quarũ multæ mẽdacijs ac tentationibus satanæ fortiter restiterunt. Sit in utroq; sexu multi possunt eximi, qui cum uiri sint, seduci tamen se patiuntur: & quæ cum mulieres sint, mendacijs satanæ haudquaquam credunt. Quid igitur hinc colligemus aliud, quàm cõuenire omnib. tam uiris quàm mulieribus, ut prudentes sint & cauti, semper in timore Domini uersantes: uiri, ne de sexus sui prærogatiua præsumant: mulieres, ne propter lapsum Euæ & sexus sui infirmitatẽ resistere se satanæ posse desperent. Non est itaq; præter rationem, quòd Apostolus 2. Cor. 11. cum dixisset, Metuo autem ne qua fiat, ut quemadmodum serpens Euam decepit uersutia sua: non subiecit, Ita corrumpantur mulierũ uestrarũ sensus: sed quo si omnibus tam uiris quàm mulieribus à uersutia satanæ timere significet, Ita corrumpantur, inquit, sensus uestri à simplicitate, quę erat erga Christum. Neq; enim mulieribus tantũ ista scripsit, sed simul & uiris & mulieribus, Christo Domino per fidem Euangelij coniunctis.

Salua tamen fiet per generationem liberorum, inquit, *si manserint in fide ac dilectione & sanctificatione cum castitate.*] Hactenus de Adamo & Euah, nunc uerò non de Euah tantum, sed de omnibus mulieribus in Christum credentibus loquitur, dicens: Saluabitur uerò mulier, per generationem liberorum. Timendum erat, ne mentio lapsus ac transgressionis Euæ ultra propositam muliebris subiectionis doctrinam materiam præberet seductori serpenti infirmum sexum in desperationẽ conijciendi. Sciebat enim illius artes, quibus facilè inferre potuisset: Si qd Euæ accidit oẽs mulieres inuoluit, illa uerò prima omniũ mendacijs satanæ credẽs seducta est, & trãsgressione inducta genus humanũ perdidit: ergo muliebris sexus omnis perditioni est, non subiectioni tantum obnoxius. Atq; ita quæstio nata fuisset in Ecclesijs de salute mulierum. Prudenter itaque Apostolus occasionem illius amputaturus, mox subijcit, dicẽs: Saluabitur uerò (mulier) per liberorũ generationẽ, si permanserit in fide, &c. Quasi dicat: Non est uerò ut de salute sua dubitet. Transgressio, namq; Euæ non sic facit ad condemnationem

mulie-

muliebris ſexus, ſicuti ad ſubiectionem illius facit. Præterea lapſus ille non Euæ tantum, ſed & Adæ per mediationem Chriſti ſublatus eſt, ne faciat ad condemnationem credentibus in Chriſtum.

Quid eſt autem quòd non ſimpliciter dicit, Saluabitur uerò, ſi permanſerit in fide: ſed, Saluabitur uerò per liberorum generationem? An propter generationem liberorum ſaluantur mulieres? Si hoc ſimpliciter dixerimus, conſequitur omnes, quotquot liberos pariunt, ſaluari, ſteriles uerò damnari: id quod nemo ſanæ mentis dixerit. Generant enim liberos non piæ tantum, ſed & impiæ: non coniuges modò, ſed & ſcorta & adulteræ. Et hac ratione ſaluata fuiſſet mulier Papa, Romanæ ſedis ludibrium, dum pro Apoſtolica benedictione meretricem ſobolem effudit. Deinde, ſunt multæ piæ ac fideles, quæ licet coniuges ſint, liberos tamē per ſterilitatem non generant, de quibus dici non poteſt, quòd inter damnandas ſint connumerandæ. Quid item de uirginibus ac uiduis dicemus, quarum ſtatus τικνογονίαν nō recipit? Vbi hæc conſideramus, nō immeritò quærimus, quid ſibi uelit Apoſtolus, cum dicit: Saluabitur uerò per liberorum generationem? Reſpondeo: Non loquitur de ſalute in genere mulierū omnium, tam uirginum & uiduarum quàm coniugum, ſed in ſpecie de ſalute coniugum: deinde non quarumlibet coniugum, ſed Chriſtianarum. Harum autem ſalus non eſt aliunde, quàm unde ſalus eſt reliquorum fidelium Chriſti, quæ generaliter per fidem conſtat omnibus. Vnde cum dixiſſet, Saluabitur uerò per liberorum generationem: ne illi ſalutem acceptā ferre uideretur, ſubiecit confeſtim de fide, dicens, Si permanſerit in fide. Non dicit, Si crediderit. Præſumit enim de omnibus, quibus ſcribit quòd ſint in fide Chriſti: illud uerò requirit, ut maneant in fide Chriſti. Etiamſi mulier mille liberos generet, haud tamen ſaluabitur, niſi ſit & maneat in fide. Meminit autem generationis liberorum, propterea quòd ea conditione condita eſt mulier, ut ſeruiat multiplicationi & conſeruationi generis humani, ſciatq; ſe in eo potiſsimùm ſeruire uoluntati Dei, quo poſsit per fidem moleſtias parturitionum & educationum conſtanter perferre.

Obſerua locum hunc diligenter. Saluabitur mulier, inquit, per generationem liberorum. Non poteſt hoc accipi niſi de tecnogonia, quæ fit in legitimo coniugio. At illam egregiè contemnunt, qui neſcio quem cœlibatum profitētur, propterea quòd non niſi filios carnis proferat: deinde & ſcorta & concubinæ tales liberos generent, quos uocant filios Eccleſiæ. Sic illi ſtatum matrimonij, quem Apoſtolus condignis modis cohoneſtat, ueluti carnalem deſpicabilem reddunt, & humani generis conſeruationem ſuſq; deq; faciunt: & interim cœlibatū ſuum ad aſtra uſq; extollunt, quem Deus iam olim execrandis τῆς τικνογονίας exemplis per totum Chriſtianum orbem deteſtabilem reddidit. In hoc cœlibatu omnis ſcortatio tolerabilis eſt, modò non accedat τικνογονία: quæ ſi acceſſerit, τικνογονίαν plerunq; poſt ſe trahit.

Si manſerint, inquit, *in fide ac dilectione, & ſanctificatione, cum caſtitate.*] Alij aliter exponunt. Dicā ſimpliciter quomodo hæc ſint accipienda. Fidelis coniugis duplex eſt reſpectus. Vnus, religionis: alter, coniugij. Religionis potior eſt habenda ratio. Coniugij tamen reſpectus, præclarus etiam eſt coram Domino. Iam ſi mulier religionem Chriſti deſeruerit, non habebit, quod de τικνογονία ſibi polliceatur: ſi uerò manſerit in fide & dilectione, & ſanctificatione Chriſti, & mentis ſuæ integritatem, quam σωφρόνισμὸν uocat, ſeruáuerit, ſeruabitur. Per ἁγιασμὸν intelligo ſanctificationem in Baptiſmo acceptam, quæ per impuritatem uitę polluitur, & nonnunquā amittitur. Monet igitur mulieres, curandum ipſis eſſe, ſi ſaluari cupiunt, non ut deſinant eſſe coniuges, quaſi in τικνογονία ſaluari nequeant: ſed ut maneant in Chriſto ſynceræ, retineantq; fidei, dilectionis, ſanctificationis illius & mentis integritatem. Hoc facientibus promittit ſalutem. Poterat uno uerbo dicere, Si manſerint in Chriſto: uerùm uoluit ea ponere, quæ pertinent ad mulieres in Chriſto manentes.

Si manſerint in fide.] Quod de mulieribus hic dictum eſt, uiris quoq; conuenit. Secundum Euangelij doctrinam, Fide ſaluamur omnes. Verùm adijcienda eſt præſens conditio, Si manſerimus in fide. Aliàs non ſemper ſaluantur qui ſunt in fide. Plus tamen periculi eſt in muliebri inconſtantia. Ideo uoluit conditionem hanc mulieribus potiſsimùm inculcare.

Sunt tamen qui particulam hanc referant non ad mulieres, ſed ad liberos, propterea quòd in plurali eſt, Si manſerint: quaſi non poſsit ad mulierē, ſed debeat ad liberos referri, eo quòd in plurali legatur, Per liberorum generationem. Verùm admodum inconueniens eſt, ſi exponamus de liberis, quaſi matres ſaluari nequeant, ſi liberi ipſarum non manſerint in fide, &c. deinde Græca lectio non patrocinatur huic expoſitioni. Eſt enim ibi: διὰ τῆς τικνογονίας in ſingulari: id eſt, Per generationem prolis. Poteſt tecnogonia eſſe, etiamſi unum duntaxat filium genuerit mulier.

CAPVT TERTIVM.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Quale opus desideret, qui Episcopatum desiderat, qualisq; esse & non esse debeat: deinde de ministris, illorumq; uxoribus, quæ necessaria sunt præscribit: & de mysterio pietatis, deq; Ecclesia & domo Dei annectit.

INdubitatus sermo. Si quis Episcopi munus appetit, honestum opus desiderat. Oportet igitur episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris maritũ, uigilantem, sobrium, modestum, hospitalem, aptum ad docendum, non uinolentum, non percussorem, non turpiter lucri cupidum: sed æquum alienum à pugnis, alienum ab auaricia, qui suæ domui bene præsit, qui liberos habeat in subiectione, cum omni reuerentia. Quòd si quis propriæ domui præesse non nouit, quomodo Ecclesiam Dei curabit? Non nouitium, ne inflatus in cõdemnationem incidat calumniatoris. Oportet autem illum & bonum habere testimonium ab extraneis, ne in probrum incidat, & laqueum calumniatoris.

Illud, Indubitatus sermo, Chrysostomus refert non ad sequentem, sed ad præcedentẽ materiam. Sic enim exponit: πιστὸς ὁ λόγος πρὸς τοῦτο ἄρτιται, ὁ πρὸς τὸ εἰ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται. Cur sic sentiat, statim adijcit, dicens: ἐπειδὴ γὰρ τοῦτο ἐμφιβαλλόμενον ὧν ἔλεγε τοῦτο λέγει· πιστὸς ὁ λόγος, ὅτι ἀνυπόσυτος πανταχοῦ περὶ μυριῶν ἀγωνίαν ἡ τῶν παίδων ἀρετή, ὅταν αὐτὸς ἐκβρύωμεν ἡμᾶς. Secundum hanc sententiam, particulam istam, Indubitatus sermo, ad præcedẽs Caput reiecit, & tertij huius principium fecit: Si quis episcopatum, &c.

Indubitatus sermo. Si quis Episcopi munus appetit, honestum opus desiderat.] Totum hunc locum tractauimus in Locis nostris, loco de Ministris uerbi. Annotabimus tamen etiam hic, quæ Dominus in præsenti dabit. Poterat simpliciter dicere, Honestum opus desiderat, si quis episcopi munus appetit: uerùm uoluit ex eo quod ab ambitiosis prætexebatur, argumentum sumere exponendi episcopalis muneris grauitatẽ: unde cõstaret, quàm nõ sit quilibet sustinendo illius oneri accommodus. Prætexebant esse τὸ ἐπισκοπεῖν opus bonum & honestum, & eam se ob causam illam appetere in Ecclesia, quasi essent bonorum & honestorum operum in Ecclesia obeundorum appetentes. Cum itaq; Timotheo prouinciam hanc cõstituendi in Ecclesijs senes & superintendentes imposuisset, operepreciũ iudicauit hac illum de re admonere, ac certo catalogo informare, secundũ quem episcoporum electionem in Ecclesijs dirigeret. Et ut statim initiò ambitiosorũ prætextũ infringeret, ne illo sibi imponi sineret, dicit: Indubitatus sermo, si quis episcopi munus appetit, honestum opus desiderat. Q. d. Certum est, munus episcopi opus est bonũ & honestũ. Hac de re nulla sit in Ecclesijs dubitatio. Iudicio incredulorum quidẽ, quibus totus Christianismus abominabilis est, quo quis cæteris est inter fideles præcellentior, hoc simul est & execrabilior, eamq; ob causam ministro uerbi & seniores pro auersandis impostoribus habentur in seculo: in Ecclesijs uerò sit munus episcopi fidelium omniũ cõsensu præclarũ & honestum, nec sit quisquã qui hoc in dubiũ uocet. Quare per se uerum est, quòd quisquis episcopi munus appetit, honestũ opus desideret. Verùm ex eo colligi debet, qualẽ uirũ episcopalis eminẽtia & honestas requirat. Nõ quẽlibet uidelicet, sed talẽ qui illi ex æquo respõdeat, & quod honestũ est, honestè obeat. Sed obsecro, si consideres episcopatus, quales sunt sub Antichristo, poteris' ne cum Apostolo dicere, Indubitatum sermonẽ esse, bonum eum opus desiderare, qui eiusmodi episcopatũ ambit? Reuera sermo hic nõ modò in dubiũ uocatur, sed & ab innumeris reijcitur, tanquã omniũ falsissimus. Quin potius sic nunc est formandus: Indubitatus sermo est, si quis episcopi munus appetit, principalem eminentiã, opulentiã, ac dominatum à regno Christi alienum appetit. Omnino nunquam talem episcopatum, quales habet Papatus, honestum opus uocasset Apostolus.

Si quis episcopi munus appetit, inquit.] Quare non dicit: Si quis docendi, uel ministrãdi munus appetit? Est' ne munus episcopi aliud ab eo quod est doctoris uel ministri? Vel, an' non & ille bonum opus desiderat, qui docendi uel ministrandi munus appetit? Respondeo: Vtiq; & ille bonum opus appetit. Verùm loquitur hic Apostolus de illis, quibus commendabatur cura superioris inspectionis in unaquaq; Ecclesia, quales erant quas uocabant presbyteros, id est seniores, qui omnibus quæ inter fideles fiebant, ac fieri debebãt, superintendebãt, & cuncta dirigebant. De illis Tit. 1. sic dicit: Huius rei gratia reliqui te in Creta, ut quæ desunt pergas corrigere, & constituas oppidatim presbyteros, sicut ego tibi ordinaram, &c. Oportet enim episcopum inculpatum esse, &c. Vbi uidemus eosdem esse Seniores & Episcopos. Horum munus erat, non modò docere in Ecclesia, id quod à multis fieri solebat, sicuti uidere est. 1. Corinth. 14. ac solis non licebat mulierculis, sed & Ecclesiã episcopali potestate regere. qua de re Actorum 20. ad episcopos Ephesinæ Ecclesiæ sic loquutus est, dicens: Attendite igitur uobis & cuncto gregi, in quo uos Spiritus sanctus posuit episcopos

id est

id est inspectores, ad regẽdum Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Sic non liberatur à sedulitate docendi Episcopus, quem infrà in subiecto Catalogo talem esse uult, qui sit aptus ad docendum: & tamen non propter ministeriũ docendi Episcopus uocatur, sed propter præeminẽtiam curæ & inspectionis, qua curare tenetur, ne quid diuersum à sana doctrina, recta disciplina, & moribus Ecclesiæ inferatur, ne simultates & odia nascantur inter fideles, ne communicatio Ecclesiastica, qua charitati seruitur, ac necessitatibus pauperum succurritur, per fidorum hominum auaricia corrumpatur. Hæc & consimilia alia multa moderatur inspectoris cura, quorum nihil ad se episcopi in Papatu pertinere iudicant.

Quoniam igitur plus potestatis & eminentiæ est in munere episcopi, quàm eius qui simpliciter docet: fiebat, ut plus illi periculi esset ab ambitiosis hominibus. Ideo uisum est Apostolo huic malo singulari cura ac diligentia resistere, atq; ita non dicit, Qui munus docendi: sed, Qui munus episcopi appetit, &c.

Non est aũt ut placeat sibi episcopi Papistæ hoc loco, quòd Apostolus eum bonum opus desiderare dicit, qui munus Episcopi appetit, quasi de talib. Episcopis loquatur, quales sunt ipsi. Plus discriminis est inter Apostolicos episcopos, de quibus hic loquitur, & eos qui sunt creaturæ Cenonicorũ & Papæ, q̃ inter uerũ & falsum. Illi nõ unus aliquis tantũ in una Ecclesia, nedũ ampla diœcesi, sed plures cõstituebãtur, secundũ Ecclesię necessitatẽ, cui seruiebãt. Deinde potestas illorũ nõ extẽdebatur extra Ecclesiã, cui erãt præfecti, in circũiacẽtes alias: sed unusquisq; suæ tantũ Ecclesiæ curã gerebat, inq; illa munus Episcopi obibat. Cõfer huc Papales ac principales episcopatus, & uide nũ ad illos Apostolicus hic canon possit referri.

Bonum opus desiderat, inquit.] Videtur potius dicere debuisse: Facit quod nõ decet Christianum. Christiani hominis nõ est, affectare gradus superiores in Ecclesia, & ad episcopalẽ aspirare supereminentiã, honorẽ ac potestatẽ, sed suã ipsius humilitatem & insufficientiã inspicere: atq; etiã si ad hanc potestatẽ ab Ecclesia eligatur, suã potius causari indignitatẽ, quàm cupidè tantam curarũ molem subire. Quid igitur est, quod uitiũ hoc inualescẽs in Ecclesia nõ perstringit Apostolus, sed dissimulat? Cum hic ualde in loco dixisset: Qui episcopatum affectat, superbiæ, inanis gloriæ, ac dominationis spiritu tẽtatur, ideoq; ab hoc est munere quasi quædã pestis longissimè arcendus? Respondeo: Noluit simpliciter ex eo perstringere ambitiosos, quòd episcopatũ affectabãt: sed potius cõfirmato eo quod præexebãt, bonũ opus esse episcopatũ, statim inferre quales Episcopos munus hoc requirat, ut inde manifestum esset, qui nam eligendi essent, & qui reprobandi. Deinde, si dixisset: Quisquis episcopatũ desiderat, arrogans est & ambitiosus: haud defuissent, qui sententiã hanc improbassent: contendissentq; multos esse bonos ac fideles uiros, qui syncero corde Ecclesię in hoc munere seruire cuperent: id quod etiam ueraciter dici potuisset, nõ sine magna infirmatione authoritatis Apostolicæ. Cum uerò dicit, Bonum opus disiderat: nemo habet quod contradicat, & illationi quam ex eo dicturus iam est, reluctetur. De eo quòd episcopatum opus, & bonum uel honestum opus uocat, uide in Locis nostris.

Oportet igitur Episcopum irreprehensibilem esse, inquit.] Illatio est, quam ex eo infert, quòd episcopatum bonum opus esse dicebant, & ipse confirmauit. Sensus est: Cum igitur bonum opus sit episcopatus in Ecclesia, etiã atq; etiam curandum est ne concredatur hominibus inhonestis & culpabilibus. Oportet igitur, inquit, Episcopum irreprehensibilem esse. Quare oportet? Quia quod honestum est, honestè quoq; peragi debet. Nõ potest autem honestè peragi, quod ab inhonestis, infamibus, & multis modis culpabilib. peragitur. Quemadmodũ enim impura manus res puras contrectando inficit, ita & uir inhonestus gerendæ rei honestatem obscurat. Sæpenumero fit, ut uir grauis & honestus Spartam quam nactus est ornet & cohonestet: econtrà uerò honesta prouincia non sic ornat uirum inhonestum & infamem, sed magis condemnat, & ipsa uicissim ab illo contemptibilis redditur. Vnde in tanto passim contemptu est Papisticum sacerdotium? Ex eo, quòd cõtemptissimos ac spurcissimos homines sacris admouerunt. Et quid aliud timendum nobis est hodiè, quàm ut Euãgelij doctrina cœlestis ac sacrosancta sicuti uilissimis hominibus administranda concreditur, ita etiam cõtempta reddatur? De uoce Irreprehensibilis, in Locis nostris diximus.

Vnius uxoris maritum, inquit.] Generaliter dictum erat, Oportet episcopum esse irreprehensibilem. Subijcit igitur specificationem quandam, cùm uitiorum, quæ uitanda, tum uirtutũ, quæ habendæ sunt, & exercendæ ab episcopo. Non recensẽt autem omnia uitiorum genera: sed ea tantum quæ apud eas gentes præ cæteris inualuerant, & uulgariora erant.

Principiò requirit, ut eligendus in episcopum sit unius uxoris maritus. Hoc & ad Tit. 1. perinde atq; hic primo loco spectari uult in eligendo episcopo. Omnino magna hoc ratione facit. Refert enim plurimùm quomodo comparatus sit hac in re, qui in Ecclesia curam ac potestatem superiorem administrandam accepit: uxorem ne habeat, uel sine uxore uiuere præsumat. Potest quidem etiam sine uxore inculpatè uiuere in domo Dei, uerùm multis interea commodis & adminiculis destituitur, quibus adiuuatur ille qui uxorem habet, in suscipiendis peregrinis, inuisendis ac curandis ægrotis, iuuandis, pauperibus,

uiduis

uiduis & orphanis, ubi multa sunt, quæ negligi non debent, & tamen longè melius per uxorem quàm per seipsum peraget Episcopus. Neq; enim talium Episcoporum domus sic erant opibus & famulitio instructæ, quemadmodum sunt Episcoporum Papæ, in quibus quæ bona pauperum sunt inutilium hominum uentres, canes, asini, equi, nonnunquam & leones & ursi magno numero absumunt. Deinde, quoniam Episcopus liberam habet potestatem conueniendi singulos non uiros tantum, sed & mulieres, domosq; illarum inuisendi: ne libertas hæc occasionem, uel certè suspicionem mali gignat, si sit sine uxore, atq; ita Christiana honestas labefactetur, diserte statuit, eligi oportere Episcopum, non hominẽ ἄγαμον, qui sine uxore uiuat, sed unius uxoris maritum, quo omnis occasio auferatur satanæ, Episcopos Ecclesiarũ Dei ad intolerabile scandalum in turpia flagitia præcipitandi. Cura hæc longè maiore serio pectus Apostoli sollicitauit, quàm posterorũ Episcoporũ animos, unde cœperũt ordines Ecclesiastici usq; adeò corrumpi scortationibus, adulterijs, stupris, & alijs libidinũ generibus, ut iam olim graueolentiá turpitudinis suæ ipsi nõ sentiãt. Bene institutæ Respublicæ, in quibus publicæ honestatis habetur cõdigna ratio, nõ eligũt in cõsules eos qui honestũ cõiugiũ fastidiẽtes sine uxorib. uiuũt. Prudẽter enim cauẽt, ne publica potestas oblatis occasionibus ad sollicitandũ matronarũ, uirginũ ac uiduarũ pudicitiã permoueatur, cuius rei exempla in mediũ adferre possem, si necessariũ esse existimarẽ. Quanto magis hæc cautio necessaria est Ecclesijs Christi? Audio quibusdã Papisticis ecclesijs hoc esse in more, ut nullũ plebanũ (ut uocant) recipiant, nisi cõcubinã domi suæ habeat. Aliâs enim sciunt, haud bene consultũ esse uxorũ ac filiarũ suarũ pudicitię, si plebanũ habeãt nõ tam re quàm nomine cœlibẽ. Sentiunt, plus esse periculi à tali quàm à cõcubinario. Prophanationem sacrorũ susq; deq; faciunt: hoc tantum curantes, ne uxores ac filiæ ipsorũ per eiusmodi cœlibes corrumpantur. Si Apostolicam institutionem sequerentur, dicerent: Volumus Episcopũ apud nos esse unius uxoris maritum. Ecquid aliud uoluit Spiritus sanctus per Apostolum Christi præscribere Ecclesijs, quàm ut in Episcopũ non recipiãt quenquã, qui non sit unius uxoris maritus? Quanto cum dedecore ac detrimento præceptum hoc Apostoli sit neglectũ, imò prorsus reprobatum, ipsa per totum Christianum orbem multis iam seculis comprobat experientia.

Quid est aũt quòd nõ simpliciter dicit, Vxoratũ: sed, unius uxoris maritũ? Si diceret, Qui fuerit unius uxoris maritus, manifestũ esset, talẽ requiri, qui maritus quidẽ antea fuerit: uerũ nõ multarũ uxorũ, sed unius tantũ. Sic infrà cap. 5. Vidua, inquit, eligatur nõ minor annis sexaginta, γεγονυῖα ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή, id est, Quæ fuerit unius uiri uxor. Verùm cum simpliciter dicit, Oportet igitur Episcopũ irreprehensibilẽ esse, μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, id est, Vnius uxoris maritũ: poscit quidem talem qui sit uxoratus: uerùm non plurium, sed unius tantum mulieris maritus. Quorsum hoc uoluit, si Christianorum nemini duas simul uxores habere licuit, Episcopus autem non nisi Christianus eligi potuit? Respondeo: Libertas polygamiæ in usu erat tã inter Iudæos quàm inter gentes, ex quibus colligebatur Ecclesia: & probabile est, multos polygamos perinde atq; monogamos fidẽ in Christum recepisse, & Ecclesiæ fuisse coniunctos. Neq; enim legimus fuisse eos ab Apostolis repulsos. Cum igitur essent in Ecclesia nõ soli monogami, sed & polygami, nec in ea adhuc detestatione esset polygamia inter fideles, in qua postea esse cœpit: ideoq; fieri posset, ut perinde polygami in Episcopos eligerentur, atq; monogami: diserte hic præscribere uoluit, eligi debere Episcopũ nõ polygamũ, sed monogamum, hoc est: nõ pluriũ, sed unius tantũ uxoris maritũ. Nec est ut quæramus ad quid polygamũ in Episcopũ eligi noluerit, sed monogamũ. Etenim polygamia secundũ pluralitatẽ uxorũ œconomiã requirit multis curis, sumptibus, negocijs impeditiorẽ quàm cõuenire possit Episcopo, cuius humeris omnis est Ecclesiasticarũ rerum imposita gubernatio. Adhæc, nõ sunt grauandę Ecclesiæ sumptibus quos Episcopalis domus iure officij postulat, nõ mediocres ac tolerabiles, si polygamus sit Episcopus, sed multo maiores q̃ si sit monogamꝰ. Quãtis sumptib. alatur hodie Episcopꝰ πολύπαρος, καὶ πολύδουλος. καὶ πολύϊππος, ex eo satis patet, quòd uix magna diœcesis ad unius sustẽtationẽ sufficit. In summa, nec Ecclesiæ necessitatib. polygamus, nec polygami sumptib. Ecclesia sufficeret. Cõsultò igitur poscit Episcopũ, q̃ sit uniꝰ uxoris maritꝰ.

Inuitis igitur inferorũ portis ex hoc Apostoli præscripto cõstat, præficiẽdos esse Ecclesijs seniores & episcopos, qui sint uxorati: & coniugium illorum esse non solum honestum, sed & Apostolica sanctione sacrosanctum, quantumuis satan sub Antichristi primordijs diuersum in Ecclesias induxerit. Sed de hac materia uide in Locis nostris. Chrysostomus in epistolam ad Titũ uerba Apostoli, Si quis est sine crimine, unius uxoris uir, sic exponit: Obstruere prorsus intendit hæreticorũ ora, qui nuptias damnãt: ostendens eam rem culpa carere, immò ita esse preciosam, ut cum ipsa etiam possit quispiam ad sanctum Episcopatus solium subuehi.

Vigilantem, inquit.] Græcè, νηφάλιον, id est sobrium. Sic & uulgata Latina habet, & Germanicus interpres uertit, *Nüchtern*. Erasmus tamen haud præter rationẽ uertit: Vigilantem, Chrysostomum, opinor, sequutus, qui sic exponit: Νηφάλιον, τέτυπται, διεφθαρμένων, μυρίας ἔχοντα πανταχοῦ ὑφὰς μὴτε, ἐξυβλίσποντα καὶ μὴ ἀμβλύνοντα τὴν τῆς ἀσεβείας ἴμμα, διὰ ἀθυμίας, διὰ φροντίδας, διὰ πραγμάτων ἔχλης διὰ πολλὰ πανταχοῦ ἐπηρεάζοντα τούτων οὖν τὴν ἀνάπαυσιν ἔναι χρὴ, τὴν ὑπὸ ταῦτ μεριμνῶντα μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν λοιπῶν, &c. Vbi & simile

ſimile ducis addit, exercitum ſuum noctes ac dies circueuntis. Sanè inſignis hæc uigilantiæ uirtus, hominem requirit minimè ebrium, ſed perpetuò ſobrium. Quare & nonnunquam ſobrietas pro uigilantia accipitur.

Sobrium, inquit.] Græcè σώφρονα, quam uocē inconſtāter reddūt, iā prudentē, iā temperantē, iam caſtū, iam ſobriū, iam modeſtū. Dicitur autē σώφρων ἀπὸ σώας τὰς φρένας ἔχειν. Sonat eum propriè, qui ſana mente prēditus eſt. Egregium utiq; donū Dei eſt, mens ſana in corpore ſano, in eo, cui curandū ac uigilandū eſt pro alijs. Econtrà magnū malum eſt, ſi Epiſcopus in Eccleſia Dei mente ſit ſana deſtitutus. Talis enim omnia peruerſis modis inſtituet ac perdet.

Modeſtum. Græcè, κόσμιον. Germanicus interpres uertit, *Sittig*, id eſt, bene moratū. Propriè ornatum ſonat, bonis ſcilicet moribus prædītum ac decoratū. Hinc bonis & honeſtis actionibus multum accedit gratiæ, ſi perſona agens ſit ſpectandis moribus decorata. Noſtri Epiſcopi ornantur argento, auro, lapidibus preciōſis, ſerico & purpura, ſic ut in templis inſtar eidolorum ſuſpiciantur. Verùm Euangelicus epiſcopus ornatum habet non templarium ac ſumptuoſum, ſed ex agnatis uirtutibus, & moribus placidis & humanis cōpoſitū, quo & domi & foris, & in Eccleſia Dei in omnib. uidelicet actionibus, ſpectabilis & acceptus redditur.

Hoſpitalem, inquit. Græcè φιλόξενον. Sonat hominē amantē peregrinorū. Qui ſic animatus eſt, ſuſcipiet hoſpicio, ac iuuabit perigrinos quibus poterit modis: præſertim ſi ſint fideles. Ac talem requirit Epiſcopum Apoſtolus. Eſt quidem omnium etiam fidelium amare, & amāter cōplecti peregrinos: hoſpicio eos accipere, & quæ neceſſaria ſunt ſubminiſtrare, quoad eius hoc fieri poterit. Verùm præcipuè concernit hæc cura Epiſcopum, cuius domus exulum ac peregrinorum Chriſti receptaculum eſſe debet, ut ſit non modò ξενοπαθῆ, ſed & ξενοδοχῆον.

Dices: At hic quid faciet pauper Epiſcopus? maximè temporibus perſequutionum, quando fideles magno numero ſedibus ſuis eijciuntur, proſcribūtur, & exules eſſe cogūtur. Vnde domuncula illius ſuſcipiendis & ſubſtātiola alendis exulibus & pauperibus ſufficietur? Reſpondeo: Faciet quod poterit. Inſtituet etiā ſubditos ſuos, ut ſingulis ſeptimanis contribuāt, præſertim, ſi ſint in illis diuites. Haud negligenter in hanc cauſam incumbet, ſciens illam eſſe ſummopere neceſſariam, & magno nobis ſerio à Chriſto ipſo Apoſtolis illius commendatā. Nec dubito, quin primarū, id eſt Apoſtolicarū Eccleſiarū Epiſcopi, hoſpitalitatem ſedulò in uſu habuerint, cum adhuc eſſent Eccleſiæ tenues ac pauperes. Poſteaquā uerò creuerūt opes Eccleſiaſticæ, cœpit ſtudiū ſuſcipiendorū peregrinorū à domibus Epiſcoporū abalienari, & ſeparatim inſtitui xenodochia, ex contributionibus fidelium, quæ adhuc in uſu habentur.

Quid dicam de Eccleſijs, quas hodie reformatas uocamus. In illis uix tantum datur Verbī miniſtris, ut ſemetipſos cum familijs ſuis ſic alant, ut æri alieno non fiant obnoxij. Vnde poterunt eſſe xenodochi, ubi hoſpitem pro ſua tenuitate non ſatis ſplendidè accipiūt, mox deferuntur, quòd nō ſint hoſpitales. De communi miniſtrorum ſorte loquor. Aliās ſcio quoſdā ſuperintendentes ac præpoſitos ſic uti ſplendida fortuna ſub Euangelio Chriſti, ut abundè habeant unde peregrinis & pauperibus Chriſti ſuccurrant.

Aptum ad docendum, inquit. διδακτικὸν eſt Græcè, non διδάσκαλον, quare uulgata Latina non rectè habet, Doctorem: Eraſmus uerò cōmodè reddidit, Aptum ad docēdum. Cum eligeretur Epiſcopus aliquis, eligebatur non qui doctor eſſet, ſed qui aptus eſſet ad docendū, & poſcente neceſſitate doctoris munere fungi poſſet.

Quare nō dicit, ἐπιτάκτικον, id eſt aptū ad imperandū. Certè cōuenientius hoc diceret, Epiſcoporū Germaniæ noſtræ reſpectu, quàm quod dicit διδακτικόν. Verùm epiſcopatus Euangelicus deputatus eſt non ſeruiliter ſubiectis, in quos imperium exerceri debeat, ſed populo Dei, ſpiritu ueritatis & manſuetudinis docendo. Sic Apoſtolis ſuis mandauit Dominus, dicens: Docete omnes gentes, docentes eos ſeruare omnia quæ ego præcepi uobis. Rectè ergo non requirit talem ad epiſcopatum Eccleſiæ, qui ſit aptus ad imperandum: ſed uirum, qui ſit aptus ad docendum. Audite omnium collegiorum Canonici, ac penes uos ipſi etiam atq; etiam recogitate, quam ſitis breui rationem Domino de electionibus ueſtris reddituri, quibus Eccleſiæ illius eligitis epiſcopos, ad belligerandum aptiores quàm ad docendum.

Non uinolentum.] Græcè eſt, μὴ πάροινον. Sonat eum qui uino potando impenſius delectatur, illiq; frequentius ac diutius aſsidet. Non requirit ab Epiſcopo ut ſit abſtemius. Non uetat, quo minus uinum bibat: ſed ne addictior ſit uino, quàm uiro honeſto ac alijs præpoſito conueniat. Turpe eſt, ſi quis uſq; adeò ſit uini auidus, ut propter id uitij per infamiam πάροινος uocetur, ad quem modū Germanicè tales *winſuchtig*, *winhügel*, *winſchlūch* uocamus. Qui tales ſunt, omnium ſunt ad gubernacula rerum ineptiſsimi.

Sed dixerit quiſquā: Quid neceſſe fuerit Apoſtolo præcipere, ne uinolentus quiſquā Epiſcopatui præficeret, cum id uitij, ut credibile eſt, inter fideles locum amplius nō haberet. Reſpondeo: Si nihil hinc periculi fuiſſet Orientalibus illis Eccleſijs, nō fuiſſet ratio quicquā hac de re præcipere. Verùm prudētis eſt, cauere ne malū utcunq; ſopitū, ſi negligēter ſupprimatur, denuò emergat. Vbi παροινία uulgò obtinuit, & multitudinē inebriauit, ibi nō offendit Eps πάροινος: offendit uerò à uitio hoc alienus: ſicut in Germania noſtra paſsim uidere licet, ubi

etiam

etiam Euangelij ministros primos inter parœnos tabernis uinarijs immorari inuenias. Licet enim malum hoc initio Ecclesiasticæ reformationis nonnihil correctionis receperit, paulo tamen post recrudescere, imò peius quàm antea habere cœpit, sic ut nihil spei de emendatione illius supersit amplius.

Non percussorem.] Græcè, *μὴ πλήκτην*. Qui illud *μὴ παροινον*, idem esse sentiunt, quod nõ debacchantem: inde moueri uidentur, quòd mox subijcitur, *μὴ πλήκτην*, id est, non percussorem. Solent enim hæc duo uitia sic cohærere, ut qui procliuis est ad debacchandum in subditos, procliuis etiam sit ad percutiendũ. Sic solent abuti potestate accepta, qui illius nomine facti sunt elati ac fastuosi. Edunt & bibunt cum ebrijs, & conseruos suos percutiunt. uide Matth. 24. In Locis nostris exposuimus de percussione linguæ quæ fit conuicijs ac probris: sic tamen ut simplicem hanc expositionem non reiecerimus.

Non turpiter lucri cupidum, inquit.] Græcè est *αἰσχροκερδῆ*, quòd sonat turpilucrem: hoc est, turpiter lucro quauis ex re deditum. Est autem admodũ turpe *αἰσχροκερδὲς* episcopus, cum id uitij quemuis Christianum dedeceat. Pulchrè sanè ea uitia ponit Apostolus, quæ non modò Episcopo, sed & cuiuis in eminentia potestatis cõstituto uehementer sunt insidiosa, propter occasiones quæ ex qualitate muneris & potestatis nascuntur. Si procliuis sit ad parœniam, inueniet in officio suo occasiones, per quas ei uitio indulgeat. Si sit paulo iritatior, facilè ad debacchandum & percutiendum mouetur, quasi utrunq; ipsi liceat propter acceptam potestatem. Si sit auidus lucri & quæstus, etiam huius uitij occasiones inueniet, & media, quibus undequaq; lucrum uenetur. Sed de hoc uitio, quo ferè totus Ecclesiasticus ordo à summo ad infimum usq; perijt, in Locis nostris fusè diximus.

Sed æquum, inquit.] Græcè, *ἀλλ' ἐπιεικῆ*. Inconstanter reddunt hanc uocem, iam æquum, iam humanum, iam modestum, iam mansuetum. Composita est *ἀπὸ τοῦ εἰκὸς* & *εἰκὸς*, quod sonat, par, æquum, consentaneum, & uerosimile. Virtus est *ἐπιείκεια*, qua cum proximis agimus non stricto iure, sed de eo quod nobis deberi uidetur, considerata proximi conditione, tenuitate, necessitate, imposibilitate, &c. Vel totum, uel aliquid saltem remittimus. Contrarium illius est *ἀκριβοδίκαιον*, quo secundũ rigorẽ legum, nõ secundũ qualitatẽ causæ, sine ulla moderatione agitur: unde sæpenumero fit, ut suminũ ius in summã peruertatur iniuriã. Sed de hac uoce diximus suprà in ea quæ est ad Phil. cap. 4. ubi dicit: Modestia uestra nota sit omnib. hominib.

Cum igitur uult Apostolus Episcopũ esse non turpiter lucri cupidũ, sed *ἀδέκαιον*, id est æquũ: sentit non conuenire illi, ut si quid exigendum est à subditis iure officij, faciat hoc stricto iure ex auiditate lucri, nihil remittens cuiquam, quamuis pauperi, sed urgens officium suum, debitum, ac deputatum, quemadmodum solent qui lucrum quauis ex re uenantur, illi secundũ *ἀκριβοδίκαιον*, non *κατ' ἐπιείκειαν* agunt, quod alienũ esse debet ab Episcopo, imò à quolibet Christiano. Hæc *ἐπίκεια* tolleret, uel certè infringeret multas forenses actiones, quibus nihil loci debebat esse inter Christianos.

Alienum à pugnis, inquit.] Vna uoce est, *ἄμαχον*. Loquitur non de pugnis gladiatorijs, sed de rixis & iurgijs Episcopo fugiendis, ne sit *μαινοτομῶν ὑ ματαιόφωνα κενὰ λογμάτων*. In posteriore Epistola cap. 2. particula hæc sic explicatur. Stultas & ineruditas quæstiones respue, sciens eas pàrere *μάχας*, id est pugnas. Porrò seruũ Domini oportet non pugnare, sed placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerãtem malos cum mansuetudine, erudientẽ eos qui obsistunt, si quando det illis Deus pœnitentiam ad agnoscẽdum ueritatem, &c. Hinc facilè patet quid sit quod ab Episcopo requirit Apostolus, ut sit alienus à pugnis. Episcopus senior est in Ecclesia. Non minus autem turpe est senex rixator, quàm senex amator.

Alienum ab auaricia, inquit.] Græcè *ἀφιλάργυρον*, hoc est, qui non sit amãs argenti. Ponit autem argentum pro pecunia, ut amans argenti, sit amans pecuniæ. Cœpit autem amari pecunia & coaceruari, ubi conflari cœpit ex argento, ut rectè auaricia uocetur *φιλαργυρία*, cui adhæret *πλεονεξία*, id est, auiditas plura habendi. Incredibile autem est, quantum ex hoc uitio nascatur malorũ in Ecclesia. Ex Apostolo Christi, fecit proditorem Christi. Nisi enim Iudas *φιλάργυρος* fuisset, Christum Dominum suum haud prodidisset. Quàm autem necessaria fuerit præsens hæc Apostoli cautio, qua uetuit Episcopum eligi qui sit amans pecuniæ, catholica episcoporum ac prælatorum Simonia, quæ nusquam non iam olim obtinuit in Ecclesijs, sole clarius reddidit. Tolle malum hoc ab Ecclesijs, & uide an' non multa futura sint in religione curabilia, quæ iam omnem emendationis curam respuunt.

Qui suæ domui bene præsit, inquit.] Græcè est, *τῶ ἰδίῳ οἴκῳ καλῶς προϊστάμενον*. quod uerti potest, Qui propriæ domui honestè præsit. De uoce *καλὸς*, suprà alicubi diximus. Obiter autem hic obserua, Christianismum non tollere fidelibus proprietatis ius, quo domos, agros, & substantiam huius seculi possident. Aliàs unde eligi potuisset Episcopus, qui propriæ suæ domui bene & honestè præesset, si Christiano propriam non liceret habere domũ? Deinde non tollit Christianismus ordinem diuinitùs institutum, quo domus, id est uxor, liberi, & familia à patrefamiliâs, ipsis omnibus *προϊσταμένῳ* reguntur, licet sint & ipsi Christiani. Nihil hic turbatur, sed omnia in ordine ac statione sua manent, & ritè gubernantur.

Qui

Qui liberos habeat in ſubiectione cum omni reuerentia.] Pertinet ad præcedens, loco ſpecificationis. Multis uidetur bonus eſſe paterfamiliâs, ac domui ſuæ bene præeſſe, qui rem domeſticam luculentam ac ſplendidam corraſis undequaq; opibus reddiderit, cuius filij ſint ſicut nouellæ plantationes, & filiæ compoſitæ & inſtar templi ornatę, promptuaria plena, oues fœtæ, abundantes in egreſsibus ſuis, boues craſſę, domus haud ruinoſa, ſed quadris operoſe conſtructa. Verùm ad hæc non reſpicit Apoſtolus, ſed ad piam & honeſtam liberorum inſtitutionem, ut ſit bonus paterfamiliâs, qui liberos habeat cum omni reuerẽtia ſubiectos. In Græco eſt: μετὰ πάσης σεμνότητος, quod uerti poteſt, Cum omni honeſtate ac grauitate. Vulgata Latina habet, Cum omni caſtitate. Ambroſius, Cum omni charitate.

Dixerit quiſquam: Cum ſubiectio liberorum cum omni reuerentia, uirtus ſit non patris, ſed liberorum, quomodo nominatim hoc requiritur ab eo qui in Epiſcopum eligatur, quòd inde domui ſuæ bene præeſſe cognoſcatur? Omnino namq; non eſt in poteſtate patris, ut tales habeat liberos. Inuenias uirum honeſtum ac pium, qui domui ſuæ bene quidem præſit, filios tamen nolit uelit immorigeros, etſi non omnes, aliquos ſaltem habere cogatur. Notum eſt de Dauide, quales filios habuerit, de quo tamen nemo dixerit, quòd inidoneus fuerit regni, nedum domus ſuæ gubernator?

Reſpondeo: Quod rarum & extraordinarium eſt, communem legem non infringit. Communi ſenſu in liberis agnoſcitur, quàm piè ac honeſtè uel negligenter ac ſocorditer educati ſint à parente, ut non immeritò, qui liberos habet ſubiectos ac morigeros, domui ſuæ bene præeſſe cenſeatur. Interea fatendum eſt, ſæpenumero uſuuenire, ut curam ac diligentiam patrisfamiliâs inuincibilis quædam liberorum proteruia uincat, illis præſertim locis, ubi communi corruptione iuuentus perit & obbruteſcit. Regula tamen Apoſtoli ſequenda eſt. Licet enim excuſari nonnunquam queat paterfamiliâs, exempli tamen gratia non eſt immorigerorum liberorum pater in epiſcopum eligendus.

Illud quoq; obſerua, quòd non ſimpliciter dicit, Qui liberos habeat in ſubiectione: ſed addit, Cum omni honeſtate. Non hoc tantum requirit, ut ſint liberi ſubditi: ſed & illud, ut ſint alieni ab omni leuitate, quantum per ætatem fieri poteſt, graues & honeſtis moribus præditi, ne per ipſorum leuitatem ac diſſolutionem aliquid de paterna exiſtimatione decedat.

Quòd ſi quis propriæ domui præeſſe non nouit, quomodo Eccleſiam Dei curabit? Argumento à minori ad maius rationem reddit, quare nolit epiſcopum qui propriæ domui bene præeſſe neſciat. Argumentatur autem ad hunc modum: Qui ad minorem curã ritè ſuſtinendam inidoneus eſt, multo minus idoneus erit ad ſuſtinendam maiorem. Minoris autem curæ negocium eſt, propriam domum quàm Eccleſiam Dei bene curare. Ergo qui propriæ domui præeſſe, ut par eſt, non nouit, multo minus Eccleſiam Dei curabit. Quàm autem difficilior ſit Eccleſiaſtica quàm domeſtica gubernatio, non eſt opus ut admoneam, diximus ea de re in Locis noſtris. Qui domum ſuam curat, uerſatur in proprio, utitur paterna authoritate ac ſuopte iure. Poteſtatem habet uti uirga in immorigeros, præeſt teneræ ætati à puero ad flectendum facili, neceſſariorum ſubminiſtratione retinet ſibi liberos ſuos, uxorem & reliquos domeſticos obnoxios. Ipſa natura & communi ſenſu iuuatur. Diuerſa uerò ualde eorũ eſt conditio qui præſunt Eccleſiæ Dei. Verſantur in alieno, non in proprio. Eccleſia nõ ipſorum, ſed Dei domus eſt, cuius ſeſe uoluntati accommodare tenentur. Authoritate utuntur non ſua ipſorum, ſed Chriſti Domini. Vbi illa langueſcit, languidam & parum efficacem habent poteſtatem inter eos quibus præeſſe debent. Non licet illis uti uerberibus in immorigeros & inuitos. Quoniã neceſſaria corporis non poſſunt ſubminiſtrare omnibus quibus præſunt, hoc minus habent eos ſibi deuinctos. Neq; naturæ priuilegio, neq; communi mortaliũ conſenſu iuuantur, imò magis impediuntur. Hinc fit, ut non tam bona conſequentia ſit, ſi dicas: Qui propriæ domui præeſſe nouit, Eccleſiam Dei quoque bene curare poterit: quàm ſi cum Apoſtolo dicas, Qui propriæ domui præeſſe non nouit, quomodo Eccleſiam Dei curabit? Non mox ualet in maiori, qui ualet in minori. Omnium autem minimè ualet in maiori, qui non ualet in minori.

Sed obſecro, quomodo Eccleſiam Dei curabunt monachi, homines ἄγαμοι & ἄνοικοι, in latebris clauſtrorum educati, rerum humanarum ignari, ſi qui domum ſuam curare neſcit, multo minus Eccleſiam Dei curare nouit? Exiſtimant ſufficere ad curam paſtoralem, ſi ſciant legere miſſas, baptizare pueros, unam partem ſacramenti, & extremam unctionem adminiſtrare populo, ac ieiunia & dies feſtos annunciare pro ſuggeſtu, & aquam coniuratam ſpargere in Eccleſiam, & ſepulchra mortuorum: de moderandis uerò, docendis, & ædificandis in fide ac uera pietate fidelium conſcientijs, cõſolandis afflictis, erigendis abiectis, corrigendis delinquentibus, &c. neq; norunt quicquam, neq; neceſſariam hanc eſſe curam iudicant.

Non nouitium, inquit, *ne inflatus in condemnationem incidat calumniatoris.*] Non nouitium. in Græco eſt, μὴ νεόφυτον, id eſt non recens plantatum, uel inſitum, intellige, in fidem & Eccleſiam Dei: qua metaphora, qui recipiuntur in fidem & Eccleſiam Chriſti, comparantur plantis, quæ inriò dum adhuc ſunt recentes ac teneræ, opus habent diligenti cura, ne alicunde dimoueãtur

uel lædantur, tam abeſt ut loco robuſtarum arborum haberi debeant. Sic qui recens ad fidē & Eccleſiam Chriſti uenerunt, νήφοντες ſunt, teneri & imbecilles, motu faciles ac multis adhuc læſionibus obnoxij, etiamſi iuxta ſeculum ſint homines haud imprudentes & ignaui, ſed uſu rerum & acumine ingenij præſtantes. Tales non uult eligi in Epiſcopos, ſed potius eos qui iam ſatis ſint in fide & Eccleſia Dei adulti & confirmati.

Quæ autem ſit conſilij huius ratio, mox ſubiungit dicens: Ne inflatus in condemnationē incidat calumniatoris. Legi poteſt, Ne inflatus in iudicium incidat diaboli. quanquā calumniator Latinis idem eſt, quod Græcis diabolus. Cum dicit, Ne inflatus: ſignificat periculum eſſe, ne qui iam primùm Chriſtianus factus eſt, ſi ſtatim ad Epiſcopi eminentiam ſubuehatur, animo reddatur elato & inflato. hoc eſt: Ne ſublimius de ſeipſo ſentiat, & Eccleſiā Dei ſuſq; deq; faciat. Vnde naſcitur temeritas quidlibet præſumendi ac tentandi in Eccleſia, cùm in dogmatibus, tum alijs receptis ritibus nouandis.

Deinde annectit, quid eueniat eiuſmodi inflato Epiſcopo: hoc uidelicet, ut incidat in iudicium diaboli. In Locis noſtris quot modis hæc uerba exponi poſſint, oſtendimus. Simplex ſenſus eſſe uidetur, uerendum eſſe ne talis epiſcopus in iudicium incidat, in quod incidit diabolus, dum per ſuperbiam ex angelo Dei, factus eſt hoſtis & aduerſarius Dei, & calumniator fratrum. Lapſus hic nimis frequens factus eſt inter epiſcopos, quorum innumeri ex paſtoribus facti ſunt lupi, ex patribus tyranni, & ex epiſcopis apoſcopi.

Oportet autem illum & bonum habere teſtimonium ab extraneis, ne in probrū incidat, & laqueum calumniatoris.] Pertinet hoc ad id quod initiò Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe debere dixit. Significat non ſatis irreprehenſibilem eſſe epiſcopum, ſi nemo ſit in Eccleſia à quo reprehendatur: ſed requiri, ut ab extraneis quoq;, alienis uidelicet à fide ac religione Chriſti, non poſſit ulla in re culpari, imò bonum etiam teſtimonium habeat, quòd ſit uir bonus, honeſtus, innocēs, & moribus uitæ placidis & inculpatis, in quo nihil poſſit reprehendi, niſi unum hoc quod ſit deſertor patriæ religionis, & Chriſtianus factus. Quur hoc autem requiratur ab epiſcopo, in eo exprimit, quod ſubiungit dicens: Ne in probrum, id eſt exprobrationem: Græcè, ἐνδιασυρμὸν, incidat, & laqueum calumniatoris. Senſus eſt: Ne qui doctrinam ac fidem Euangelij calumnijs opprimere conantur, habeant quod Chriſtianorū epiſcopo exprobrent, & quo os illius ueluti laqueo quodam obſtrictum teneant, ne liberè quod reprehendēdum eſt, reprehendere poſſit. Comparat igitur Epiſcopum probris aduerſariorū obnoxium, homini laqueo detento & irretito, ſic ut liberè non poſſit ſeſe mouere, ire & agere quod agendum eſt. Infamis epiſcopus & ipſe quidem uerbis errores aduerſariorum reprehendere poteſt: uerùm quoniam exprobrationibus illorum obnoxius eſt & reprehenſibilis, nihil efficit aliud, quàm ut maioris impudentiæ notam incurrat, & exiſtimationem Chriſtiani nominis magis atq; magis obſcuret. Quare præter rationem non eſt, quòd in epiſcopo eligendo requirit Apoſtolus bonum teſtimonium etiam ab extraneis.

Miniſtros itidem compoſitos, non bilingues, non multo uino deditos, non turpiter lucri auidos, tenentes myſterium fidei cum pura conſcientia. Atq; hi probentur prius, deinde miniſtrent, ſic ut nemo poſſit illos criminari. Vxores ſimiliter modeſtas, non calumnioſas, ſobrias, fidas in omnibus. Diaconi ſint unius uxoris mariti, qui liberis rectè præſint, & propriis familijs. Nam qui bene miniſtrauerint, gradum ſibi bonum acquirunt, & multā libertatem in fide, quæ eſt in Chriſto Ieſu.

Poſtquā de Epiſcopis præſcripſit, quales eligi debeant, iam conſequenter tranſit ad Diaconos, id eſt miniſtros. Intelligit autem eleemoſynarios, qui curam pauperum, uiduarum ac pupillorum in Eccleſia gerebant, & contributa fidelium diſtribuebant. Horum prima inſtitutio Actorum 6. ſic legitur: In diebus autem illis creſcente numero diſcipulorum, ortum eſt murmur Græcorum aduerſus Hebræos, eo quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano uiduæ ipſorum. Cæterùm duodecim illi cum iuſſiſſent adeſſe multitudinem diſcipulorum, dixerunt: Non eſt placitum, ut nos derelicto ſermone Dei miniſtremus menſis. Circumſpicite ergo fratres uiros ex uobis ſpectatæ probitatis ſeptem, plenos Spiritu S. & ſapientia, quibus delegabimus hoc negocij: nos uerò deprecationi & adminiſtrando ſermoni incumbemus. Et placuit hic ſermo coram tota multitudine. Et elegerunt Stephanum uirum plenum fide ac Spiritu ſancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum proſelytum Antiochenum. Hos ſtatuerunt in conſpectu Apoſtolorum: & cum oraſſent, impoſuerunt eis manus. Hæc ibi. Nunc quid ſint in Eccleſijs Diaconi, uidemus. Miniſterium ipſum obſoletum eſt in multis Eccleſijs, nomen uerò tranſlatum ad miniſtros ſacerdotum.

Diaconos itidem compoſitos, inquit.] Græcè eſt, σεμνοὺς, id eſt graues & honeſtos. Quoniam inferior eſt ordo Diaconorum quàm ſit Epiſcoporum, ne ob id parum referre uideretur, quales eligerentur

eligerentur eleemosynarij ministri, diligenter etiam de illorum electione præscribit: & principio tales requirit, qui alieni ab omni leuitate ac uanitate, uiri sint graues & honesti. Eodem modo requirebãt Apostoli ad hoc muneris uiros spectatæ probitatis. Præterquã enim quòd ministrorum leuitas in contemptum ipsius religionis uergit, etiã id damni adfert, quòd multos reddit ad contribuendum cunctantiores, atq; ita impediuntur necessaria pauperũ in Ecclesia alendorum subsidia, dum de fideli ac prudenti illorum dispensatione dubitatur. Quis enim non censet, uirum grauem & honestum maiore fide, quàm leuem ac uanum dispensatu rum quod dispensandum accepit?

Non bilingues, inquit.] Pertinet ad species leuitatis ac uanitatis. Homo leuis ac uanus inter cætera uitia etiam hoc habet, quòd minus uerax est & constans in uerbis, iam ex eodem ore calidum iam frigidum spirans. Talem uocamus bilinguem, quod genus hominum meritò omnibus est exosum.

Non multo uino deditos, inquit.] Non reijcit usum uini, sed intemperãtiam. Non dicit, Vinum non bibentes: nec dicit, Non multum uini bibentes: sed, Non multo uino deditos. Aliud est, semel atq; iterum largè bibere per occasionem, aut nimiam sitim: & aliud, deditum esse multo uino bibendo. Qui sic comparatus est, perpetuo uitio laborat, à quo non, uel certè ægerri mè abstinere potest. Requirit igitur non minus diaconum quàm episcopum sobrium.

Non turpiter lucri auidos, inquit.] Græcè est, μὴ αἰσχροκερδᾶς, de qua uoce suprà diximus, ubi & Episcopum recusat, qui sit αἰσχροκερδὴς. Etiam in diaconorũ ministerio multum est occasionis turpe lucrum sectandi, propterea quòd loculi contributionum fidei illorum concreduntur, ex qua occasione & Iudas in furandi perfidiam & αἰσχροκερδείαν incidit.

Tenentes mysterium fidei, cum pura conscientia, inquit.] Græcè est, ἔχοντας, id est habentes. quod Erasmus uertit: Tenentes. Et illud, Cum pura conscientia: Græcè est, ἐν καθαρᾷ συνειδήσει, id est In pura conscientia. Sic igitur legendum est cum uulgata Latina edit. Habentes mysterium fidei in pura conscientia. Et Germanicus interpres reddidit, *Die das geheymnus des glaubens in reinem gewissen haben*. Mysterium fidei uocat Euangelium Christi, uel, si mauis, communicationẽ gentium in regno Christi, quæ mysterium tum temporis nondum omnibus reuelatum habebat. quo de in Epistola ad Eph. & Coloss. pleraq; posuit. Hoc mysterium fidei uult haberi à diaconis in pura conscientia: hoc est, uult eos syncerè affectos esse erga doctrinam fidei & salutem gentium, non infectos fermento pseudapostolorum: qui mysterio fidei, quod inter gentes prædicabat, ex animo aduersabantur.

Quoniam non eligebantur ad episcopatum, & munus docendi, periculum erat, ne non syncerè erga doctrinam fidei affecti monstrum alerent, & clanculum quoscunq; possent largiore eleemosynarum distributione illectos à puritate fidei abstraherent. Diserte igitur requirit, ut in electione diaconorũ ratio habeatur mysterij fidei, quomodo erga illud sint affecti, ne uidelicet eligantur, etiamsi sint aliàs uiri prudentes, & rerũ agendarũ periti, si siniſtrè sint erga doctrinam fidei animati. In ea siquidem omnis est summa salutis nostræ sita, sic ut admodum infeliciter dispensetur eleemosyna in pauperes, si propter terrenam alimoniam incurrendum sit in dispendium ueræ ac sempiternæ salutis.

Atq; hi probentur prius, deinde ministrent, sic ut nemo possit illos criminari.] Satis indicat quanto serio cauendum sit, ne temerè quisquam in diaconũ eligatur, dum uult eligendos probari, priusquam ministerio præficiãtur: & sic probari, ut postea nemo sit qui illos criminari possit. Non exprimit quomodo probari debeant, sed hoc relinquit iudicio Ecclesiæ, quæ experimentũ de illis capiat, uel per testimonia de præterita illorum uita, uel alijs rationibus certis & indubitatis. In papatu dum ordinantur diaconi, clamat suffraganeus, Sunt ne digni? & respondet scriba, qui formulas ordinatis scribit, Sunt utiq; digni: atq; ita implere se putãt, quod hic præscribit Apostolus, cum nullo certo experimẽto constet, quòd sint digni qui ordinentur. Verùm quales diaconos cõstituunt, taliter eos etiam ordinant. In Ecclesijs reformatis probantur diaconi per examen, in quo super certis quibusdam doctrinę capitibus quid sentiãt, interrogati respondent. Quod si tolerabiliter responderint, satis probati uidentur, & interea nulla est quæstio de uita peracta, deq; moribus, ut caueri possit, ne à quopiam de crimine ali quo accusentur.

Vxores similiter modestas, inquit, *non calumniosas, sobrias, fidas in omnibus.*] Præcepit hactenus de Episcopis & Diaconis, quales eligi debeãt: iam adijcit de uxoribus quoq; illorum, dicens: Vxores similiter modestas, &c. Græcè est, σεμνὰς: quod Erasmus hic uertit, Modestas, cum paulo suprà reddiderit: σεμνὰς, compositos: nos uerò, Graues & honestos. Quemadmodũ requirit, ut Episcopi & Diaconi sint uiri honestis moribus prędĩti: ita & uxores illorum non uult esse leues ac uanas, sed honestas. Plurimùm enim existimationem illorũ diminuit uxorũ leuitas.

Chrysostomus tamen exponit non de uxoribus diaconorum sed de mulieribus diaconissis, quæ fuerunt in ministerium ab Ecclesia ordinatæ. Nam sic legit & explicat: Mulieres similiter ministras, inquit, castas, non bilingues: sobrias, fidas in omnibus. Pleriq; uolũt, Apostolum hoc de mulieribus similiter præcipere, uerùm non ita est. Quid enim consequentiæ

haberet inter ea quæ dē Epiſcopis atq; diaconis monuit, mulierum facere mentionem. Sed de his profectò ait, quæ miniſterij ſunt dignitate præditæ. Hæc ille. Sanè de diaconiſſis, ut uocant, in Niceno cōcilio, & ſequētibus nōnullis, ſancitū eſſe legimus: de officio uerò illarū nihil expreſſum reperimus. Probabile tamen eſt, fuiſſe eas additas eleemoſynarijs diaconis, ut eſſent illis adiumento in curandis & inuiſendis ægrotis, faciendiſq;, quæ cōmodius mulierū quàm uirorū miniſterio fieri poſſunt. Simul tamē & illud probabile eſt, tum demū cœpiſſe diaconiſſas addi diaconis, cum uel uxores illorū inutiles eſſe miniſterio cœpiſſent, uel ſcrupuloſitate epiſcoporum uxores diaconis adimerētur, uel certè uſus illarū prohiberetur.

Non calumnioſas, inquit.] Græcè, *μὴ διαβόλους*: id eſt, Non delatrices. Turpe quidem eſt, & noxiū, omnis delator: uerùm ſingulariter nocēs eſt mulier delatrix, adiuncta uiro, in officio aliquo conſtituto, unde incommodari poteſt innocentibus, quales ſunt in Eccleſia uxores epiſcoporum & diaconorum. Cum igitur delationis uitium inſidioſum ſit mulierculis, & multum malorum gignat in Eccleſijs: præter rationem non eſt, quòd non uult eligi diaconum, cuius uxor ſit delatrix, ne ueneno linguæ ſuæ totum Eccleſiæ corpus turbet.

Sobrias, inquit.] Quoniam Orientales mulierculę propenſæ ſunt ad bibendum, & euenire ſolet, ubi largius biberunt, ut linguas ſuas ad omnis generis uanitatē ſoluāt, perinde requirit ab uxoribus epiſcoporū ac diaconorū, ut ſint ſobriæ, atq; ab illarū maritis. Et alioqui ſingulariter dedecoroſa ac turpis eſt mulier ebria, præſertim ſi ſit in honore aliquo conſtituta.

Fideles in omnibus, inquit.] Mulier leuis & inconſtans parum poterit eſſe fida. Sunt autem mulieres maiori ex parte parum conſtantes. Vt igitur & hoc uitium reijciat, poſcit ab uxoribus epiſcoporum ac diaconorum ut ſint fidæ. Poſcit autem hoc non ſimpliciter, ſed addit: In omnibus. hoc eſt: Nō modò maritis ſuis, quòd attinet leges coniugij, ſed & Eccleſiæ Dei, in omnibus ad miniſterium in quo ſunt mariti ipſarum, pertinentibus: ne uidelicet ulla in re perfidæ inueniantur, uel aliquando inuentæ fuerint.

Diaconi ſint unius uxoris mariti, inquit, *qui liberis rectè præſint, & proprijs familijs.*] Græcè eſt, *καὶ τῶν ἰδίων οἴκων*, id eſt, Proprijs domibus. Hæc ſuprà & in epiſcopo ſpectanda eſſe monuit. Eſt enim utrobiq; eadē ratio, cur tales eſſe debeāt nō epiſcopi modò, ſed & diaconi. Honeſtas hæc domeſtica tam diaconū quàm epiſcopum cōcernit. Quare quæ de epiſcopo annotata ſunt, hic quoq; cōſiderari poſſunt. Nō eſt ſine magna ratione factū, quòd tam à diaconis quàm ab epiſcopis requirit, ut ſint unius uxoris mariti. Præter eas rationes quas ſuprà aſſignauimus, hāc quoq; nōnulli adferūt, quòd populū Chriſtianū uoluerit exemplo epiſcoporū ac diaconorū ad monogamiā inducere. Sanè qui polygami erant, multis nominibus à conſtantia Chriſtianæ patiētiæ in perſequutionib. retinēdæ auocabātur. Quare cōſultius erat, monogamū eſſe q̄ polygamū. Et ad id inſtituti haud parū facere poterat exemplū epiſcoporū & diaconorū.

Nam qui bene miniſtrauerint, inquit, *gradum ſibi bonum acquirunt, & multam libertatem in fide, quæ eſt in Chriſto Ieſu.*] Lege, Nā qui bene: uel, honeſtè miniſtrauerūt. Eſt enim in Græco, *οἱ γὰρ καλῶς διακονήσαντες*. Et quod in Græco eſt *βαθμὸν*, progreſſum, legere poſſumus. Reddit rationem, non eius quod dixit: Qui liberis rectè præſint, & proprijs domibus: ſed in genere omnium earum uirtutum, quas cùm in epiſcopis tum in diaconis requirēdas eſſe monuit. Et eſt ſenſus: Etenim qui ſic ſe in miniſterio bene & honeſtè geſſerunt, ſeq; irreprehenſibiles, uigilantes, ſobrios modeſtos, hoſpitales, non uinolentos, nō percuſſores, nō turpiter lucri cupidos, ſed æquos, alienos à pugnis & ab auaricia præſtiterunt: illi in fide, quæ eſt in Chriſto Ieſu, bonum progreſſum & multam fiduciam acquirunt.

Nam qui bene miniſtrauerunt, inquit.] Scio alios particulam hanc ad diaconos tantum referre, propterea quòd mox canoni ad diaconos pertinenti ſubiecta eſt, & propter dictionem *διακονήσαντες*: quaſi miniſtrare ſit nō epiſcoporum, ſed diaconorum tantum. Verùm & Apoſtoli, & Epiſcopi, non minus quàm diaconi, Chriſti ſunt miniſtri. Sic nos æſtimet homo, inquit, tanquam miniſtros Chriſti. 1. Cor. 4. & tam illi quàm iſti bonum progreſſum & multam fiduciā acquirunt in fide Chriſti, ſi bene miniſtrauerunt.

Bonum ſibi progreſſum acquirunt, & multam fiduciam in fide quæ eſt in Chriſto Ieſu.] Solent exponere de gradu honoris, quo diaconi poſt Apoſtolorum & Apoſtolicorum uirorum tempora ſub templarijs & ſacerdotalibus epiſcopis, diaconatu bene adminiſtrato ad presbyterij dignitatem ſubuehi cœperunt. Verùm, meo iudicio, non loquitur Apoſtolus de gradu ſacerdotaliū dignitatum, quarum tum nulla ne cogitatio quidem in Eccleſia Chriſti erat: ſed de profectu fidei ac fiduciæ in Chriſto Ieſu, quem acquirunt, qui fideliter Chriſto Domino, & honeſtè in Eccleſia ipſius miniſtrarunt. Interim non nego, eum qui in modico fideliter miniſtrauit dignum fieri, qui ſupra multa conſtituatur, ſecundum illud Chriſti Matth. 25. Euge ſerue bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te cōſtituam, intra in gaudium Domini tui. exiſtimo tamen Apoſtolum non prouocare hic diaconos ad ſuperiores in Eccleſia gradus, ſed ad profectum fidei & fiduciæ in Chriſto.

Deinde fidem hic intelligo, qua fidelis eſt Chriſto, illiq; fideliter miniſtrat, qui illius eſt miniſter. Hanc conſequitur multa *παῤῥησία* erga Chriſtum Dominum. Malo legere, Fiduciam, quàm

quàm libertatem. fiducię huius uox est: Certamen bonum certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: quod superest, reposita est mihi corona iusticiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die, iustus iudex, 2. Timoth. ult.

Hæc tibi scribo, sperans fore, ut ueniam ad te citò. Quòd si tardius uenero, ut noris, quomodo oporteat in domo Dei uersari, quæ est Ecclesia Dei uiuentis, columna & stabilimentum ueritatis.

Erant Timotheo multa scribenda: uerùm quoniam sperabat breui fore ut ad ipsum ueniret, ea duntaxat scripsit, quæ tum illi scitu erant necessaria: ne si tardius ueniret, haud ignoraret, quomodo uersandum esset in domo Dei. Poterat illi ex hac Epistola nasci suspicio, propterea scriptam esse ab Apostolo, quòd desperaret fieri posse, ut breui ad ipsam ueniret, quæ suspicio animum illius nonnihil deiectum reddidisset. Hanc igitur illi cogitationem eximés, dicit: Hæc tibi scribo, non quòd existimem me tardius ad te uenturum: sed quoniam licet bona spe ducar, fore ut ad te citò ueniam, euenire tamen poterit ut tardius ueniam, uolui ista scribere, ut noris quomodo oporteat in domo Dei uersari.

Obseruandum hic est, quàm ne Apostolus quidē omnia quæ futura ipsis essent, certò constituerit, sed in multis spe ducti sint: eaq; non omnino certa, sicut in hoc exemplo uidemus. Non enim dicit, Hæc tibi scribo, sciens fore: sed, Sperans fore ut ueniam ad te citò. Deinde cum addit, Quòd si tardius uenero: satis innuit, spem hanc sibi non esse satis firmam. Nam inde est quòd de plerisq; monet, quæ differri poterant, si certò sibi breui se ad illum uenturū constitisset. Quare in euentum, quod forsan tardius esset uenturus, de quibusdam necessarijs hac illum Epistola admonendum esse duxit. Sic incertitudinem spei suæ Apostolica prudentia ac diligentia sarciuit.

Quòd si tardius uenero, inquit.] Quemadmodum animum illius per id erigere uoluit, quòd sibi spem esse dixit, fore ut citò ad ipsum ueniat: ita rursus ut caueat, ne spe illa nimiū nitatur, atq; ita in aduentum ipsius, ueluti è uicino imminentem, pleraq; agenda differat: mox subijcit, Quod si tardius uenero, ut noris quomodo oporteat in domo Dei uersari. Sic neq; deiecto illum animo esse uoluit, neq; nimium securo.

Vt noris quomodo oporteat in domo Dei uersari, inquit.] Ergo ne ignorabat Timotheus ante hanc Epistolam, quomodo uersandum esset in domo Dei? Ad quid igitur illi prouinciam hanc Ecclesias moderandi imposuit? Respondeo: Non erat eius rei ignarus, & tamen nondum sciebat omnia quæ in rebus specialib. Ecclesiæ Dei instigāte satana accidebant, quomodo in illis se gerere deberet. Ideo illi de plerisq; talibus scribendum esse censuit.

Quomodo oporteat in domo Dei uersari, inquit.] Obserua uerbum, Oporteat. Non est liberum ministro Christi, ut suopte arbitratu quidlibet præsumat in Ecclesia: sed est norma certa ac fixa, secundum quā illū uersari in ministerio Christi oporteat, perinde atq; œconomum in domo heri sui non pro sua, sed pro heri sui uoluntate uersari oportet.

Quæ est Ecclesia Dei uiuentis, inquit, *columna & stabilimentum ueritatis.*] Quo non ipse modò religiosius ac diligentius in Ecclesia uersaretur, sed & alijs author esset idem faciendi, prædicat quædam de illa, huc facientia, ut qui ministri sunt Christi, summa fide ac diligentia in illius uersentur Ecclesia. Vnum est, quòd sit domus Dei uiuentis: alterum, quòd sit columna & firmamentum ueritatis, quod utrumque hoc loco diligenter est obseruandum. Ad primum pertinet quod dicit: Vt scias quomodo oporteat in domo Dei uersari, quæ est Ecclesia Dei uiuentis. Cum dixisset, Quomodo oporteat in domo Dei uersari, ne quis interroget, Et quæ est illa domus Dei, in qua uersandum est Christi ministris? An forsan de cœlo loquitur, quod à Christo ipso domus patris uocatur, cum dicit: In domo patris mei mansiones multæ sunt, Ioan. 14. mox subijcit: Quæ est Ecclesia Dei uiuentis. quibus uerbis de qua domo Dei loquatur, exponit, nempe de ea quæ est Ecclesia Dei uiuentis. Ecclesiam autem Dei constituunt, quotquot in Christum ex corde credunt. Sunt enim illi uocati à Deo per Euangelium ad ipsius gratiam & regnum, unde & Ecclesia, id est euocatio, à uerbo ἐκκαλέω, uocantur. In hac Ecclesia habitat Deus per spiritum suum, in illa manens & agens, in cordibus uidelicet fidelium, qui sunt ipsius domestici, sicuti uidere est Eph. 2. Quantæ igitur dignitatis sit, & quantum curæ, fidei ac diligentiæ requirat non modò esse, sed & uersari, id est ministrare & negocioſum esse, in domo Dei uiuentis, inter domesticos & filios Dei, quis nam pro dignitate satis poterit perpendere? Cogitemus de rege iustissimo aliquo, sapientissimo ac potentissimo, qualis fuit Salomon: obsecro, si cui in aula illius, idq; inter filios illius, uersandum ministrandumq; sit, poterit ne eam dignitatem sine singulari cura ac sollicitudine sustinere? Quanto autem maior est dignitas domus Dei uiuentis, quàm domus Salomonis: & filiorum Dei, quàm filiorum Salomonis?

Papistarū prælati, magni domini, Pontifices, Carnales, Episcopi, Abbates, &c. admodum iactant titulum Ecclesiæ: sed, quæso, quorsum? An non ad hoc, ut huius prætextu dominentur in Ecclesia, in qua non ut oportet uersantur? Si sciunt, Ecclesiam Christi esse domum

Dei uiuentis, quomodo in illa tam impiè, tam dominaliter, tam irreligiosè ac flagitiosè contra hũc Apostolicũ canonem uersantur, imò omnia pro libidine sua uersant ac reuersant? Quis credat illis, si dicant se scire, quòd in domo Dei uersentur?

Valde aũt consolatur fideles Christi, quòd Ecclesiã ipsorũ, Ecclesiã uocat Dei uiuẽtis. Ethnicorũ Ecclesiæ nõ sunt uiuentiũ ac uerorum, sed mortuorũ ac falsorũ deorum Ecclesiæ, à quibus nulla in re iuuari possunt: Christianorũ uerò Ecclesia nõ mortui ac falsi, sed uiuentis, adeoq; & ueri Dei Ecclesia est, quantumuis in oculis mundi colluuies potius stultorũ ac superstitiosorum hominum, quàm Ecclesia Dei uiuentis esse uideatur, præsertim quòd ueluti deserta à Deo omnis generis calamitatibus & afflictionibus impunè opprimatur. Mundus ut Christum nihil iudicat esse aliud quàm crucifixum ac mortuum hominem, ita & Ecclesiã illius nihil aliud esse censet, quàm Ecclesiã crucifixi ac mortui hominis, qui seipsum cum uiueret seruare nequiuerit, nedum adhærentes sibi, cum iam mortuus sit, seruare queat. Cõtra huiusmodi cogitationes animãdi sunt fideles hac fide, qua se Ecclesiã Dei uiuentis hoc ipso esse credunt, quòd Christi unigeniti Dei sunt Ecclesia.

Ad alterum prædicatũ Ecclesiæ Dei pertinet, qd adijcit, dicens: Columna & stabilimentũ ueritatis. Firmitudinem Ecclesiæ Dei duabus hisce metaphoris columnæ ac stabilimenti commendat, quam habet in fide ueritatis Dei, super quam est fundata & ædificata, iuxta illud Christi: Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum nõ præualebunt aduersus eam, Matth. 16.

Hæc uerba Apostoli diuexant Papisticorum errorũ defensores, dicentes: Ecclesia Dei uiuentis colũna est, & firmamentum ueritatis. Quomodo ergo erraret, sicuti calumniantur Lutherani hæretici? Et hoc paralogismo: Ecclesia Dei, quæ columna est & firmamentũ ueritatis, errare nõ potest. Romana autem Ecclesia, Ecclesia Dei est, columna & firmamentum ueritatis. Errare ergo non potest. falsa igitur sunt, quæ Lutherani illi improperant, existimant se fucum posse facere imperitis, & omnes suos errores defendere. Ad hæc respondeo: Quod Apostolus Ecclesiam Christi Ecclesiam Dei uiuentis, columnam & stabilimentum ueritatis uocat, intelligit de Ecclesia electorum, qui ueritatem in fide Christi Iesu amplexi, fortiter & constanter perseuerant, ita ut ne inferorum quidẽ portæ aduersus eam præualeant, propterea quòd fundata est super petram. Et hoc sensu Augustinus quoq; ante nos locum hunc intellexit, sicuti patet in Præfatione psalmi 47. ubi sic dicit: Secundam ergo sabbati non debemus intelligere, nisi Ecclesiam Christi in sanctis, Ecclesiam Christi in his qui scripti sunt in cœlo, Ecclesiam Christi in his qui mundi huius tentationibus non cedunt. Ipsi enim digni sunt nomine firmamenti. Ergo Ecclesia Christi in his qui firmi sunt. de quibus dicit Apostolus: Debemus autem nos firmi infirmitates infirmorum sustinere, appellata est firmamentum. De hoc cantatur in hoc Psalmo: Audiamus, agnoscamus, sonemus, gloriemur, regnemus. Namque eam etiam Apostolicis literis firmamentum appellatam audi & agnosce. Quæ est, inquit, Ecclesia Dei uiui, columna & firmamentũ ueritatis. Hæc Augustinus, qui locũ hunc de Ecclesia nõ simpliciter, quatenus mixta est electis ac reprobis, sed quatenus in electis firma pstitit, exponit. Nã quemadmodũ Ecclesia in reprobis nõ est firma, sed incõstans & errans: ita in electis solidè & immotè cõsistit. Nobis uerò nõ est cõtentio aduersus Ecclesiã, quatenus firma fide super petram Christum in electis fundata est, & hic ab Apostolo colũna & firmamentũ ueritatis uocatur: sed quatenus malis & bonis mixta, in malis ac reprobis errat & peccat, labitur & superatur. Quorsum ergo opus erat hunc locum aduersum nos citare, quasi dicamus Ecclesiam Christi in omnibus suis membris errare? Si Chrysostomum audias, ille sic exponit hæc uerba, non quemadmodum Iudaica illa: Hoc enim est (columna uidelicet & firmamentum ueritatis) quod fidem continet, & prædicationem. Quippe ueritas, Ecclesiæ & columna & firmamentum est. Hæc ille. qui non Ecclesiam ueritatis, sed ueritatem Ecclesię columnam & firmamentũ esse sentit. Neq; effugere possunt aduersarij, etiãsi inter dictiones illas, Ecclesię, & Columnã, distinguãt & legãt: Quippe ueritas Ecclesiæ, & columna est, & firmamentũ. Etenim ne sic quidẽ aliud eũncent, quàm ueritatẽ Ecclesiæ, quam Chrysost. fide ac prædicatione, Euãgelij utiq;, cõplectitur, firmã esse & incõcussam: id quod ex animo fatemur, imò constanter asserimus.

Quomodo igitur ex hoc loco probabunt, Ecclesiam errare non posse? Ecclesia Christi in Iudæa, quam moderabantur Iacobus, Petrus & Ioannes, tot annos usqueadeò errabat in obseruatione legis ac circumcisionis, ut Paulo dicerent Apostoli: Vides frater, quot millia sint in Iudæis qui crediderunt, qui omnes sunt æmulatores legis? Audierunt autem de te, quòd discessionem doceas à Moyse, omnes qui inter gentes sunt, Iudæos dicens, non debere eos circumcidere filios, neq; secundum instituta uiuere. Quid est ergo? Omnino oportet conuenire multitudinem. Audient enim te uenisse. Hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis uiri quatuor, uotum habentes super se. His assumptis purifica te cum illis, & impende super illis, ut radant capita, & scient omnes, quòd quæ de te audierunt, nihil sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. Hæc Actorum 21. leguntur.

Respon-

Reſpondeant nunc aduerſarij, an non & illam Eccleſiam, Dei uiuentis Eccleſiam, domũ Dei, & ueritatis columnam ac firmamentum fuiſſe fateantur? Deinde an non errauerit in ſtudioſa illa ſeruandæ legis æmulatione, ita ut Paulũ, qui Galatis ſcribit: Si circumcidamini, Chriſtus uobis nihil proderit, non eſſet latura? Si Eccleſiã illam, quę utiq; Dei erat Eccleſia, erraſſe negant, damnant Apoſtolum: ſi non damnant Apoſtolũ, erroris igitur accuſant illam Eccleſiam. Iam ſi uiuẽtibus adhuc Apoſtolis prima illa Eccleſia Chriſti tam potuit enormiter tamq; catholicè errare, cũ eſſet tot donis Spiritus cumulata: quę eſt hæc inſania, qua putã tur epiſcoporum Eccleſiæ poſt Apoſtolorũ tẽpora errare non poſſe? Quòd ſi illæ errare conuincuntur, quid ſequitur, argumenti huius uigore, quàm non eſſe eas Eccleſias Dei uiuentis colũna & firmamentum ueritatis? Vel oſtendãt nobis in Eccleſijs Romanis columnã & firmamentũ ueritatis, unde cõuincant eſſe eas ſine errore. Si hæc præſtare poſſunt, quorſum opus eſt tot effugijs, unde errores, de quibus accuſantur, defendant?

Et citra controuerſiã magnũ eſt pietatis myſterium. Deus manifeſtatus eſt in carne, iuſtificatus eſt in ſpiritu, uiſus eſt angelis, prædicatus eſt gentibus: fides illi habita eſt in mundo, receptus eſt in gloria.

Quoniam mentionem fecit ueritatis, propter quã & in qua Eccleſia columna eſt ac ſtabilimentũ, adiectione hac illã fidelibus omnibus deprędicat & cõmendat, uocans eam myſterium pietatis, dicẽs: Et citra cõtrouerſiam magnũ eſt pietatis myſteriũ. Intelligit de Chriſtiana pietate, qua Deũ patrẽ ac Ieſum Chriſtum filiũ eius colimus. Tribuit illi myſterium, quoniam ueritas eius abſcondita eſt à mundo. Et quoniam omnia alia myſteria incomparabili præſtantia excellit, uocat illud non ſimpliciter myſterium, ſed magnum myſterium: hoc eſt, magnæ rei arcanum.

Quid eſt aũt qd dicit, ὁμολογουμένως: id eſt, In cõfeſſo, citra cõtrouerſiã? Cum tamẽ magnitudo myſterij huius nõ ſit in hoc mũdo paſsim ὁμολογουμένη, ſed uehemẽter abſcõdita & incognita? Reſpondeo: Intelligit de fidelibus, è quorũ numero erat & ipſe. Illis magnum reuera eſt Chriſtianæ pietatis ac ueritatis myſteriũ: quod ſentiens per occaſionem ueritatis, cuius mentionem fecerat, in hæc uerba prorupit. Significat hoc ſibi eſſe omniũ certiſsimũ ac perſuaſiſsimum, Chriſtianæ pietatis magnũ & incõparabile eſſe myſteriũ. Ideo tam affirmanter de illo loquitur. Mũdus hic, quoniã myſteriũ iſtud ignorat, nihil aliud Chriſtianã cenſet eſſe religionẽ, quàm uaniſsimã quãdã ſuperſtitionẽ, qua homini mortuo adhęreamus, ſicuti & ſuprà me minimus. Contrà clamat hic Apoſtolus, eſſe reuera magnũ illius myſteriũ. Quid ergo hic humana ratio & ſapientia poterit, quæ ne de manifeſtis quidem rectè iudicare poteſt, nedum de myſterijs Dei?

Deus manifeſtatus eſt in carne, inquit.] Vulgata Lat. editio habet, Quod manifeſtatũ eſt in carne: ut referatur ad myſteriũ. Et Germanicus interpres reddidit: *welches iſt offenbaret im fleiſch.* Et Auguſtinus Epiſtola 80. legit, Quod manifeſtatũ eſt in carne: uerùm ad myſteriũ Eccleſiæ referre uidetur. Sic enim ibi ſcribit: Non ne idem Apoſtolus ait, Quæ eſt Eccleſia Dei uiui, columna & firmamentum ueritatis. Et ſine dubio magnũ eſt pietatis ſacramentũ, quod manifeſtatũ eſt in carne, iuſtificatũ eſt in ſpiritu, apparuit angelis, prædicatũ eſt in gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria. Nempe manifeſtum eſt hoc quod in extremo poſuit, etiam nunc nondum eſſe completum: quanto magis tunc, quando iſta dicebantur. Eccleſia quippe tunc aſſumetur in gloria, quando dicetur: Venite benedicti patris mei, percipite regnum. Et tamen tanquam factum fuiſſet, dictum eſt quod certò ſciebatur futurum. Hæc ille. Ambroſius quoq;, & Cõmentariola in epiſtolas Apoſtoli, quæ Hieronymo dantur, habent: Quod declaratũ, & qd manifeſtatũ eſt in carne. at nõ exponũt aliter quàm de Chriſto. Chryſoſtomus tamẽ, & quotquot uidi Græca exẽplaria, habẽt: ὃς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, id eſt, Deus manifeſtatus eſt in carne. quam lectionem retinendam eſſe duco.

Deus manifeſtatus eſt in carne, inquit.] Dixit, reuera magnum eſſe pietatis myſterium. Iam de quo myſterio loquatur, exponit. De eo uidelicet, quòd ſe Deus, cum aliàs ſit inuiſibilis, in Chriſto filio ipſius manifeſtauit, uiſendumq; præbuit in hoc mundo, & cum hominibus conuerſatus eſt, ac loquutus. Vnde & Chriſtus dixit: Philippe, qui uidet me, uidet & patrẽ meũ. uel, exponatur ad hũc modũ: Deus manifeſtatus eſt in carne. hoc eſt, Verbũ illud æternum, per quod cõdita ſunt omnia, & quod Deus exiſtens caro factum eſt, manifeſtatum eſt in carne noſtra, dum inter nos habitauit, & gloriam ſuam uiſendam præbuit. Vterq; ſenſus uerus eſt. Nam & Deus eſt uerbum illud incarnatũ, ut rectè de illo dicas, quòd Deus manifeſtatus ſit in carne, & Deus pater ſic erat in Chriſto, & mundum ſibi reconcilians omnia faciebat, quæ per Chriſtum miranda fiebant: ut uerè dicit poſsit, quòd manifeſtatus ſit in carne, homine uidelicet Chriſto Ieſu. Verùm cauendum eſt, ſi de Deo patre accipiamus, ne in errorem Patripaſsianorum incidamus, Deũq; patrẽ incarnatũ, & in carne manifeſtatũ eſſe dicamus. Manifeſtatus quidem eſt in in carne Chriſti, ſed non ut uerbum ipſius incarnatus.

Deus, inquit, *manifeſtatus eſt in carne.*] Quomodo? Nã contrariũ uerius dicendũ eſſe uidetur, quòd

quod uidelicet Deus obſcuratus ſit in carne. Etenim ſi uerum eſt quod hic idem Apoſtolus Phil. 2. Chriſtum cum eſſet in forma Dei, ſemetipſum forma ſerui ſumpta inaniuiſſe, humilemq; & ad mortem uſq; crucis obedientem præbuiſſe dicit: utiq; non eſt in carne illius manifeſtatus, ſed potius obſcuratus & obnubilatus Deus. Quærendum itaq; eſt, quomodo ſit Deus in carne manifeſtatus. Reſpondeo: Manifeſtatio, uel, ſi mauis, apparitio Dei in carne, non eſt tribuenda formæ ſerui & crucis, ſed primò ſimpliciter de eo accipienda, quòd per incarnationem homo factus in mundo hoc apparuit, licet non ab omnibus cognitus ſit, ſed à fidelibus tantum. deinde de eo quòd per gloriam diuinæ uirtutis manifeſtauit ſeipſum, ea faciens, quæ niſi à Deo fieri non poſſunt. Et quia hæc facta ſunt in carne aſſumpta, rectè dicit, quòd Deus manifeſtatus ſit in carne. Et tertiò, de eo quòd per uerbum lucis nomen Dei mũdo incognit[illegible] in diſpenſatione carnis prædicans ac docens manifeſtauit, iuxta illud Ioan. 17. Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi, &c. In mũdum uenit, ſed mundus eum non cognouit, & nec patrem cognouit. Quare manifeſtatio Dei in carne rectè magnũ myſterium uocatur. Eſt enim in illa quoq; Deus à mundo abſconditus, & non niſi electis ac fidelibus manifeſtatus & cognitus. Abſcondit enim myſterium hoc Deus à ſapientibus & prudentibus huius ſeculi, & reuelauit illud paruulis. Math. 11.

Dixerit adhuc quiſquam: An non uerius ac multo præclarius manifeſtatus eſt Deus in creatione cœli ac terræ, & omnium eorum quæ in illis ſunt, quàm in carne aſſumpta? Quod autem in illa ſe manifeſtum reddiderit ſapientibus huius mundi, Rom. 1. patet, ubi dicit: Id quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in illis. Deus enim manifeſtauit illis. Si quidẽ quæ ſunt inuiſibilia illius, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur peruidentur, ipſaq; æterna eius potentia ac diuinitas, in hoc ut ſint inexcuſabiles, propterea quòd Deum cognouerint, non ut Deum glorificauerunt. Quur ergo non potius dicit, Deus manifeſtatus eſt in creatione mundi, quàm Deus manifeſtatus eſt in carne?

Reſpondeo: Verum eſt, ſapientia, potentia ac diuinitas Dei in creatione cœli ac terræ manifeſtè relucent, nec inſcitè dicitur manifeſtari Deus, quando per opera quæ facit potentia, ſapientia ac diuinitas illius manifeſtantur. Verùm Apoſtolus hoc loco non potentiam, ſapientiam ac diuinitatem, ſed philanthropiam Dei celebrat & cõmendat, qua genus humanũ uſqueadeò dilexit, ut uerbum ſuum per quod omnia condidit, ad redimendum nos in carnẽ noſtrã miſit, hominemq; fieri, & inter homines apparere, conuerſari, cæcos illuminare, & ad cognitionem ueritatis perducere, & credentes ſaluare, & hanc philanthropiã ſuã opusq; redemptionis multis mirandisq; modis manifeſtare uoluit. Et hanc apparitionem Dei in carne, quoniã à mundi eſt oculis & ſenſu abſcondita, ac fide tantum per reuelationem ſpiritus cognoſcitur, magnum myſterium uocat. Et huius cognitio ad Chriſtianos tantum pertinet. Quare illam, tanquam Apoſtolus Chriſti, Chriſtianis commendare uolens, in hæc uerba prorupit, dicens: Deus apparuit in carne, &c. Nec immeritò. Videbat enim pſeudapoſtolos nullam myſterij huius habere rationem, ſed illi potius aduerſari, cum tamen ſine illius cognitione & fide ſalus nemini conſtare queat. Quapropter totis uiribus in commendationem ac illuſtrationem illius incumbebat.

FINIS.

RERVM ET VERBORVM IN PRAECEDENTIBVS VVOLFGANGI MVSCVLI COMMENTARIIS MEMORABILIVM INDEX.

ABraham unde Ebræus sit uocatus 76
Abræ nomen cur mutatum. ibid.
Abrahæ posteri unde Ebræi uocati. ibid.
abdicare uerbum quò propriè pertineat 192
abrogatio legis Mosaicæ cur necessaria 171
abrogatio legis Mosaicæ in quibus sita. ibid.
abscondere & condere quomodo differant 151
abundare 120
acies militum quomodo consolidetur 161
aciei militaris soliditas quomodo fiat ibid.
accipere aliquem in Domino 68 Christum 162
Adam mortis autor 139 minister 280
Adam quomodo non fuerit deceptus 392
Adam quatenus dominus Euab 391
Adam quatenus sit transgressus uerbum Domini 392
Adami peccatum cur maius quàm Euæ. ibid.
Adæ lapsus quomodo per Christum sublatus 393
adductionis cum Christo gloria, in quo potißimùm inæstimabilis 280
ἀδιάφορα 8
adoratio 108
adoratio in Sacris literis quomodo exprimatur 44
adoratio ubi locum non habeat 135. 263
adorationis cultum soli Deo deberi 44
adhortationis Christianæ partes quot 240
adhortationibus multis ad benefaciè di studium, qui non opus habeant 299
admirandum fieri, in credentibus quid sit 314
admirator sui quid spectet 36
adiuratione quare usus sit Apostolus 305
aduentus Christi qualis 311
aduentus Christi secundus dies Domini 5
aduentus Christi quatenus furis aduentui similis 287
aduentus Domini dies uniuersalis iudicij 252
aduentus Domini ἐπιφάνια cuiusmodi 332
aduentus Domini tempus absconditum 286. non curiosè inuestigandum. ibid.
aduentui Domini quatenus ignis deputatus 311
in Aduentu Domini cur nos qui uiuemus, eos qui domierunt non præueniemus 281
in Aduentu Domini status mundi qualis futurus. ibid.
aduersarius Dei quomodo in ecclesia Dei regnet 327
aduersarij uox quid sonet 324
aduersariorum certißimum perditionis documentum 27
aduersariorum conatus magis ad profectum, quàm impedimentum Euangelij facere 10
aduersariorum infestationibus non terreri, donum Dei 28
aduersarios suos quo spiritu Apostolus canes uocet 72
per Aduersarios quos intelligat Apostolus 27
adulandi studium unde sit quòd passim obtineat 233
adulatio quatenus fugienda 235
adulterium carnis opus 273
adulteria unde gignantur 71
aeris regio, cœlum 45
ædificatio Dei quæ sit 359
ædificatio Dei quomodo esse non possit 360 quomodo in fide Christi sita sit. ibid. quomodo promouebatur. ibid.
ædificationis Christianæ species 202
ædificationem cuiusmodi pseudapostoli urserint 359
ad Aedificationem Dei quid requiratur 360 omnia inter Christianos dirigenda 359
ægrotus quinam duplici nomine mortis filius dicatur 337
ægrotus quinam in περιπλόκοις sanitatis positus esse, rectè dicatur 292
Aesopicæ fabulæ quare arcendæ à doctrina Christi 358
affectus animi paterni 129
affectus naturales cur nobis Deus indiderit 191
affectus patris erga liberos suos qualis 260
affectuum fons, cor 23
affectuum fontes soli Deo cogniti ibidem
affectuum sedes, cor 49
afflictatio prima fidelibus Christi à quibus illata 320. item secunda & tertia ibid.
afflicti quomodo sint animati 31. solatiorum cupidi 31
afflictorum confirmatio quomodo sit comparata 255
pro afflictis orantes in Ecclesijs, unde fit quòd parum impetremus 67
afflictio impiorum cur grauior futura 310 qualis. ibid. piorum in hoc seculo, qualis ibid.
afflictionis in domo Dei usus quis 377
sine afflictione patientiam esse non posse 29
adflictiones fidelium Thessalonicensium, iusti iudicij Dei ostensio 309 moleßtißimæ quæ 244
afflictiones quas in Apostolatu suo pro nomine Chri Paulus sustinuerit, quanti fecerit 85
afflictiones suas cur Paulus Christi afflictiones uocet 149
afflictionum & crucis caligo cur in hoc mũdo summa cum patiẽtia sit ferenda 188
afflictionum Pauli conditio qualis 149
afflictionibus exerceri, Christianorum conditio 256 sanctorum quot modis communicetur 118
in Afflictionibus gaudere, in quibus hominibus locum habeat 223. suis cur Apostolus gaudeat 149
ager quando ἄξιος semini respondeat 25
agnoscere quid sit 295
de ἀγράφοις nostrorum temporum disputationes unde 286
αἰδεῖσθαι 389
αἰσχροκερδὴς quid sonet 308
αἰσχύνεσθαι 389
αἰτήματα 108
αἴτησις 128
αἰὼν 314
αἰώνιον ibid.
ἀκαταστασίαι uoce quomodo Apostolus utatur 230
ἀκριβεστάτην 398 Christianum dedecere 398 oppositum τῆς ἀκριβείας 196
ἀκύβαλα 80

Alexander ærarius Pauli aduersarius 343
Alexander quis fuerit 377
Alexandri defectio qualis. ibid.
Alexandrum & Hymenæum cur Apostolus satanæ tradiderit. ibid. quomodo tradiderit Apostolus satanæ. ibid.
ἀληθοδοξία 34
amarulentiam à dilectionis affectu prorsus esse alienam 206
Ambrosius Hebræus linguæ ignarus 76
Ambrosij locus 37.99.131.136.141.165.179.195.215.364.345.357.224.282
ambulare cum aliquo, & erga aliquos, quomodo differant 201 erga extraneos & cum inuraneis, quomodo differant. ibid.
Domino dignè 129
in Antichristo 162
non dignè Deo 240
ambulandi uerbum quomodo usurparit Apostolus 162
ambulandum quomodo sit in Christo. ibid.
ἀμιμητ& 51.304
ἀμίαντος. ibid.
ἀμιμήτως uiuere, qui rectè dicatur 239
amici ueri quomodo sint comparati 250
amicos quibus aliquid quòd faciant commendauimus, quomodo admonere soleamus 355
amicitia firma quæ 144
ἄμομ& 145
ἄμομοι quõ esse debeamus. ibid. 219.
amor, res plena solicitæ timoris 161
amoris ingenium quale 65 quomodo comparatum 7
amoris sinceri ingenium 26
anabaptistas unde catabaptistas uocemus 73
anabaptistarum de aduentu Domini delirium 108
ἀνάγκη quid Græcis sit 260
ἀναμίνειν 226
ἀναπαύεσθαι 248
ἀναστρωννύειν 300
ἀνθρωποκτόνος 365
Andreas Fricius defensor contentionis in Polonia de Mediatione exortæ 385 quando Musculo innotuerit. ibid.
ἀνίγνωστ& 145
angeli ὑπερέχοντες cur uocentur 45 gratiæ 311 in quo loco uersentur 45 ministri electorum 166 potentia Dei 311 spiritus ministratorij 186
angelorum habitatio ubi sit 45 innumerabilis & multitudo 282 natura cur non à Christo, sed hominibus assumpta 143
angelis cur uirtutes præstantes concessæ 166 excellentior Christus 137
angelos etiam filios Dei uocari 227 propter homines esse creatos 143
anima cur à Deo data 190 cur in Scripturis spiraculum uocetur 303
anima hominis. ibid.
anima quid. ibid.
anima tota quando inculpabilis 304
animæ dictio 26 partes 304 pharmaca, Biblia 201
animæ suæ quomodo is perperam cõsulat, qui propter opus Christi morti sit proximus 69
animã impropriè corpus uocari 190 sæpe cum spiritu nominari 303 pro spiritu accipi. ibid.
de Anima hominis quo sensu prædicetur, quòd sit immortalis. ibid.
animis nostris quibus modis benè uel perperam consulamus 70 quomodo benè consulamus. ibid. quomodo perperam consulamus. ibid.
animas nostras quibus modis seruemus aut perdamus. ibid. quomodo perdamus. ibid. quomodo seruemus. ibid.
animus auditoris quando doctrinæ capax esse possit 390
animi humilitas quæ seruanda 176
animi paterni affectus 119
animi submissio qualis ab Apostolo requiratur 35
annunciare Christum 14
ἄνεμ& 331.364.365
ἀνέσει& quõ hominẽ significet 365
ἀνταποδόναι 261.309
ἀντίκεισθαι 298.308
ἀντιβασιλεὺς 324
ἀντίχριστος. ibid.
Antichristus aduersarius Dei 322 caput falsorum Christianorũ 320 duplici nomine antichristus 324 defectionis author 322 filius perditionis. ibid. homo peccati. ib. impostor. ibid. non reuelandus nisi suo tempore 329. quando mysteriũ iniquitatis agere cœperit. ib. quatenus à Satana missus 333 aduersus Deum efferatur 327 in templo Dei sedeat. ibid. omnibus modis ἄνεμ& 331 quid cõmune habeat cum Turcorum pseudopropheta 325 quid sonet 324 quo modo aduersarius Christi. ibid. perditiõis filius. ibid. Satanæ filius 326 seductor 322
Antichristi aduentus 333 autor. ibid. educationi quas ciuitates tribuãt ueteres 323 erroris ueteris occasio unde. ibid. iniquitas quando agere cœperit 329
de Antichristi natiuitatis loco quid tradant ueteres 323
Antichristi nota 325.327 regnum τὸ κατέχον 323 regno quã ciuitatem ueteres tribuant. ibid. regnũ quamdiu emergere non potuerit 331 quatenus bicorni bestiæ conferatur 323 quatenus consumatur 332 quibus reb. sit fundatum 334 regnum quomodo abolendum 332 regni sedes 323
ad Antichristi reuelationem quid necessarium. ibid.
Antichristi sedes Deo exosa 246 quo modo peccata sua semper impleuerit 248 uox unde conflata 324
Antichristo quam notam Apostolus inurat. ibid. quõ detur quòd se supra omnem Deum extollat 326
Antichristum furore suo seipsum demonstrare 332 quòd ueteres paulò ante Christi reditum uenturũ esse putarunt, quantus error 333 traditiões suas pluris facere quàm præcepta Dei 326 unde ueteres prodituros existiment 323
de Antichristo quæ tradantur ab Apostolo 337
in Antichristo qui ambulent 162
sub Antichristo cauponationem uerbi Dei pleno impetu regnare 9
Antichristiana iniquitas quãdiu robur acquirere nequierit 329 seductio 334 in quib. locũ inuenit, cur uocet Apostolus pereuntes 335 iniquitatis fundamẽta 329 mysteriũ quòd Chrysost. & Ambros. referant 330 mysteriũ quõ in lucẽ emergere cœperit 331 quo prætextu in ecclesias gẽtium propagatũ 12 unde promanauerit. ibid.
Antichristianæ superbiæ gradus qui 325 gradus primus. ibid. secundus ibid. tertius. ibid. quartus. ib. quintus 326 sextus. ibid.
ad Antichristianam seductionẽ quomodo uia paretur 334
in Antichristiano papatu unde sit incredibilis illa cæcitas 337
ἀντικάμινοι 27
ἀντικυρία 324
ἀντικύρι&. ibid.
ἀντιλαμβάνεσθαι 298
ἀντίλυτρον Christi quale 386
ἀντίλυτρον uoce quid significetur 385
ἀντιπατὴρ 324
ἀπατᾶν 165
ἀπάτῃ quomo seruiat τῇ συναγωγῇ in rebus

rebus fidei & religionis 165
apathe 191
ἀπειθέα. ibid.
ἀπίφανος & dictio unde sit conflata 358
ἀφειδία 183
ἀποδίχομαι 370
ἀποδοχὴ 371
ἀπιναραλουία 17
ἀπιναλλάσειν quid Græcis significet 140
ἀπομνημονεύματα 125
apologia 6
apologia irrefragabilis quæ 231
apologia Pauli coram Nerone qualis 6
apologiæ ratio gemina. ibid.
apologiarum Pauli exempla. ibid.
ἀποβλέπειν 192
ἀποφαίνεσθαι 249
ἀποστασία Christianorum qualis 322
ἀποστασία duplex 321
ἀποστασία quomodo in Ariana hæresi initium sumpserit. ibid.
item in Maomete. ibid.
de ἀποστασίας uoce quomodo Græci loquantur. ibid.
inter Apostasiam utranq; orientalẽ et occidentalem quid sit discrimis 321
in Apostasia duæ partes considerandæ. ibid.
apostolus Christi quomodo se gerat in fidelium Ecclesia 24
apostolus & discipulus quatenus pares esse possint 59
Apostolus quàm salutandi studiosus fuerit 121
Apostolus quando fugiendus 95
Apostolus quatenus omnibus sit factus omnia 345
Apostolus quomodo dilectioni eorũ à quib. diligebatur respõderit 128 quomodo neget adhortationem suam esse ex dolo 231 quomodo si ipsi tribuat, quod est spiritus Dei 262
Apostolus uinctus Iesu Christi pro gentibus 149
Apostoli afflictio qualis 117 cooperarius 254 doctrina quomodo fuerit comparata 230 fidelis officiũ 294 gaudium quomodo impletũ 32 imago quæ 136
Apostoli imaginem qui habeant. ib. prudentia 26
apostoli prudentis & solliciti exemplum quatenus obseruandum 97
Apostoli quanta audacia fuerit ad prædicandum Thessalonicensib. euangelium Christi 229
Apostoli ueri conditio 268 erga fideles affectus qui 97
Apostolo bifariam subministrãdum esse 64
Apostolo quæ acciderunt quomodo et quousq; ad Euangelij profectũ fecerint 11
ad Apostolum Christi uerum quid requiratur 354
Apostolum quo consilio Deus Romã deduci noluerit 12
Apostoli Christi qui non sint 354 cur ministri spiritus uocentur 273 de quibus fideles admonere consueuerint 297 Ecclesiarum fratres qua ratione uocẽtur 64 quomodo φωτῆρες 53 satanæ qui 354
Apostoli senioribus populi respondẽtes, quomodo fuerint animati 310
Apostoli unde sit quòd publicæ pacis turbatores sint appellati 379
Apostolorum Christi doctrina qualis 334
Apostolorum doctrina, ipsissima Dei reuelatio 93
Apostolorum propter Christum ceforum gaudium 149
Apostolorum scripta qualia 126
Apostolorum successores quanta dominandi libido occuparit 295
inter Apostolos & successores illorum episcopos, quantum sit discriminis 249
Apostolatus conditionem cur Paulus frequenter inculcet 286
Apostolatus Pauli unde commendabilis. ibid.
Apostolica ἀπονομία quæ sit 151
Apostolicum pectus à quo damnationis consilio alienum 98
Apostolicum studium 104
Apostolici pectoris suauitas 375
ἀποτοχέω 361
ἀπειθίζεσθαι 193
in Apprecatione omnem omnium salutem esse sitam 122
ἀπρόσκοπος & 9
ἀφιλάργυρος & 398
ἄφθαρτον quare interpretes immortalem uerterint 374
ad Arboris fructificationem quid requiratur 360
arboris bonæ dimidiata fertilitas, quæ 299 perfecta. ibid.
archangelus cur Christus dicatur 282
Archippus Colossensis ecclesiæ minister 216
architectus quinam destruat 359
ἀρίσκειν τῷ θεῷ quid 267
ἀρίσκεια 128
ἀρκέομαι 115
Aristarchũ cur uocet Apostolus concaptiuum suum 123
Aristotelis locus 233
ἄρτι quid Græcis significet 258
ex Articulis fidei nostræ quæ colligenda 185
per Arium unitas in Ecclesia rupta 33
ab Assentatione quàm alienus Apostolus fuerit 253
ἀσφαλὴς 71
ἀσχημοσύνη Christiano homini uitanda 277
ἀτάκτως in Ecclesia homines cur Apostolus admoneri uelit 297
Athanasij Symbolum 303
ἄτιμος & quid propriè significet 343
auaricia cur rectè φιλαργυρία uocetur 398 unde dicta 181 simulacrorum cultus. ibid.
in Auariciæ occasione quomodo fuerit Paulus 234
in Auariciæ prætextu quomodo fuerit Apostolus. ibid.
auariciæ πρόφασις 233
auariciæ uitium ad quæ extendatur 191
ab Auaricia episcopum alienum esse debere 398
auarus 191
auarus quomodo res suas agat 275
auari quomodo sint affecti 191
auari studium quale 267
auditorum Euangelici doctoris misserat 115
auferre è medio quid sit 171
Augustana confessio 357
Augustini locus 2. 37. 133. 135. 164. 176. 178. 300. 303. 358. 384. 404. 405
Augustini non esse omnia, quæ illi ascribuntur 304
Augustinum non semper idem sentire. ibid.
αὐθεντῶν 391
αὐταρκέομαι 115
αὐταρκεία uirtus in quibus locum habeat. ibid.
αὐτάρκης. ibid.
αὐτοπάτορες quomodo sint comparati 331
authoritas Ecclesiæ necessaria 234
authoritatem Christi Apostolum decere. ibid.
authoritate qua sedulò usus sit Apostolus. ibid.
aurum in quo commendetur 308
ἀξίως ambulare Domino 128
ἄσυμος & 9

B

BAal & lucorum prophetarum seueritas 183
Baccarense concilium 327
baptismus in quibus locum non habeat 73

baptismus qualis circumcisio 168
in Baptismo infantum qualem ἐπαγγελίαν papistæ requirant 389
in Baptismo quomodo Christianus una moriatur cum Christo 179
baptismati quare fidem Apostolus adjiciat 169
in Baptismate quomodo sanctificemur 306
Barbari qui Græcis & Iudæis 196
Basilij locus 104.221.321.
beatum esse in sempiternum quid 145
beati uere qui 66
beatos cur apostolos uocet Christus 366
βέβηλος 365
in Beelzebub principe dæmoniorum ejicere dæmonia 39
Benedicti pontificis dictum 235
benefaciendi studium quàm latè patêre debeat 299
ad Benefaciendi studium adhortationibus multis qui opus habeant ibidem
in Benefaciendo quid præstandũ ib.
ex Beneficijs præteritis certitudo de futuris colligenda 18
beneplacitum duplex in Deo 316
beneplacitum iusticiæ. ibid.
beneplaciti duplex respectus 267
benevolentia regis, uita 140
benevolentiam Dei in Christo spectandam quomodo Apostolus nobis proponat 42
Beniamitæ cur sibi bellè placuerint 76
Bernardi locus 99.321
Berrhœenses quomodo in fide Christi confirmati 255
bestiæ quartæ typus in Daniele 323
à Bestijs quomodo separemur 303
Biblia, animæ pharmaca 201
bilingues cur omnibus inuisi 401
βλασφημία 194
bonus uir quis appelletur 364
boni operis origo unde sit 4
bonum incipiendi causas unde Deus habeat. ibid.
bonum perpetuum 106
bono animo quæ dicantur fieri 159
in Bono stabilem esse 341
bonam uoluntatem an Deus in homine operetur 49 an in omnibus operetur. ibid.
bona opera in nobis Deũ remunerare. ibid.
bona opera quæ 9 quatenus Deo placeant 363 quid nobis sint 129
bonorum operum conditio 9 studium quid requirat 50 iusticia unde sit 10
de Bonis operibus quid sit rectè ac pie tenendum 342
bonitas Dei 322
bonitas & iusticia Christianorum quomodo sit comparata 10
bonitatis beneplacitum 316 natura in cordibus piorum quomodo sit comparata 129
βραβεῖον 91 quibus interuertatur 175
Bullingerus de regno Antichristi 331

C

Caecitas filiorum huius seculi quanta 229
Calepini de Rhodo insula locus 122
caput & pectus suum cur miles maxima diligentia aduersus hostem custodiat 291
captiuis in necessitatibus illorum ministrare, non ubique liberum 65
canes quatenus uocet Apostolus pseudapostolos 72
canibus cur rectè pseudapostoli assimilentur. ibid.
χαρίσασθαι 170
caro ad fabulas quàm ad ueritatem audiendam procliuior 358
caro gloriæ cupida 39
caro quatenus uitã placidã & quietãm amet 380
carnis dictione quomodo frequenter utatur Apostolus 184
carnis gaudium 54.114.262
carnis & Iesu Christi uiscera in eodem homine posse reperiri 7
carnis ingenium 359 opera 168.273
carnis peruersæ ingenium quomodo sit comparatum 294
carnis significatio apud Apostolum qualis 22 spes qualis 187
carni hæsitanti cur Dei fidelitas frequenter inculcanda 305
per Carnem quid Apostolus intelligat 168
in Carne Christi gloriãdi genus quodnam sit propriũ Christianorũ 74
in Carne Christi quatenus Christianus homo confidat. ibid.
in Carne esse 22
in carne & secũdum carnem uiuere differunt. ibid.
in Carne manere. ibid.
in Carne quomodo Deus manifestatus 405
cardinales non ueri Apostolorũ successores 150
cardinales regni satanæ Apostoli 309
carnales cur odio prosequantur uerbi ministros 296
carnales homines, tenebrarum filij 131
cardinalium legatio à regno Dei alienissima 309
cardinalium non satis dignè in Germania acceptorum, uox qualis. ibidem
castigationis in domo Dei usus quis 377
per Castitatem et puritatem quid papistæ intelligant 111
cauponationem uerbi Dei sub Antichristo pleno impetu regnare 9
in Causas graviores quales ingressus fiant, plurimùm referre 225
catabaptistæ ueri qui 73
catabaptistis quomodo respondendũ 76
catastole quid 389
certare 30
certamen sanctorum quale. ibid.
certitudo & persuasio quomodo differant 4
Clemens Pauli cooperarius 105
Clemens tertius Romanorum episcopus. ibid.
Clementis epistolæ. ibid.
chara quæ sunt, uarijs modis accepta ri 371
charitas Christiana quæ 360 in quibus locum nõ habeat. ibid. quid requirat. ibid.
charitas denunciationis finis. ibid. filiorum Dei nota 51 finis præcepti 360 instar fontis aquarum uiuentium 8 perfectionis uinculum 196 qualis εὐδαιμων 199 quãdo per agnitionem et intelligentiam auctior reddatur 8 quatenus hodie sit extincta 264 quõ studio quæstionũ extinguatur 360 utra quomodo sit comparata 8
charitatis adulterinæ & Christianæ discrimen 274 fructus æternus 181 ingenium 51.58.65
charitatis opera ubi perfici non possint 298
charitatis prouehendæ augmẽtis studendum 8
charitati cur adscribat Apostolus laborem 219
charitatem Christianæ conuersationis perfectionem conseruare 199
charitatem inter Christianos sine cognitione & intelligentia ueritatis Christi non sufficere 8
charitatem sine ueritatis scientia nihil prodesse 157
sine Charitate domum Dei ædificari non posse 360
in Charitate optimum esse aduersus studia dissensionum, antidotum 33
χαριτωνίας usus 276
chirographum 171
χεῖρα 119
χριστιανοὶ 277

Christophori

Christophori imaginis uersus 157
Christus à Iudæis per ignorantiam occisus 246 ab ira quõ nos liberet 227 ad gloriam quõ peruenerit 42 ad quid pro nobis sit mortuus 293 ante mundi constitutionem ubi fuerit 38.137 ante omnẽ creaturam à patre genitus 136 benedictus Deus in secula 134 caput corporis Ecclesiæ. ibid. 138 caput nostrum 185 caput omnis principatus et potestatis 166 character substantiæ inuisibilis Dei 135 charitatis filius 133 cum suis quõ agat 117 cur archangelus dicatur 282 cur Iudã perditionis filium uocet 324 cur in mundum uenerit 180 cur pauper pro nobis factus 40 cur πάντων τῶν ἀξίων δικ ab Apostolo uocetur 152 cur mortuus 44 227 cur nobis propitiator non sine Deo patre proponatur 198 cur non angelorum, sed hominum naturam assumpserit 143 cur primogenitus omnis creaturæ uocetur 139 cur rectè σωτὴρ uocetur 371 cur resurrexerit 44.227 cur resurrectionem nostram ex mortuis uocet regenerationem 139 cur unus Dei & hominum mediator 385 Deus & homo 22.354. 384 Dei mysterium 158 dilectionis filius 133 dilectus Deo patri filius. ibid. Dominus & iudex omniũ 186 Ecclesiæ caput 178. 206 Ecclesiæ suæ defensor 186 æqualis cum Deo patre gloria præditus 45 & seruator & iudex 101 electorum & fidelium quatenus sit Dñs 355 excellentior angelis 137 filius Dei 133.134 filius patris. ib. germanus Dei filius. ibid. habitu ut homo repertus 40 ὁμοίωσις & cũ patre & spiritu sancto 134. hostia expiationis et satisfactiõis nostræ 145 imago Dei 134.135.187 in cœlis quid agat 186 in corpore suo nostrã salutem esse operatur 18 in cruce pendens spectaculum factus mundo 172 in fine mundi cur uenturus 314 in forma Dei æqualis existens patri, maior est seipso 39 in membris suis quatenus adhuc patiatur 85 in mũdum cur uenerit 371.378 in quib. opus satanæ dissipellat 289 ipsissima ueritas 157 lux 53 omnia illuminãs 174 lux uera 289 maledictum factus pro nobis 41 mediator inter Deum & homines 142.205 non creatus, sed è patre genitus 136 non solùm gentium, sed & Iudæorum uita 188
Christus non solùm homo, sed etiam Deus 166
Christus paternæ dilectionis germanus filius 133
Christus pari cũ Deo potestate & gloria præditus 39
Christus perfecta patris imago 134
Christus perinde omnium conseruator, atq; omnium est creator 138
Christus, πάντων gloriæ Dei 152
Christus primitiæ obdormientium 139
Christus primogenitus Dei 134
primogenitus ex mortuis 139
uniuersæ creaturæ 134.136
Christus pro peccatis nostris mortuus 280
Christus, posita serui forma, Dei assumpsit 41
Christus, posit' ne fieri ut pfecta sit imago Dei, etiamsi non sit eadem cũ illo natura 135
Christus qualis serui formam acceperit 40
Christus quando admirandus in sanctis futurus 315
Christus quando potissimùm glorificabitur 322
Christus quando reuelabitur 310
Christus quare in mundi fine uenturus sit 101
Christus quare in mundum uenerit 370
Christus quare mortem pro nobis passus sit 85
Christus quare Paulũ potestati suæ subiecerit 88
Christus quare per omnia fratribus similis reddi debuerit 384
Christus quare semetipsum pro omnibus dederit 385
Christus quatenus absconditus et obscurus 311
Christus quatenus Deo æqualis 93
Christus quatenus in mundum uenerit, ut gladium mitteret 73
Christus quatenus primogenitus dicatur 136
Christus quatenus omnes liberauerit 385
Christus quatenus patri æqualis 140
Christus quatenus se ἀντίλυτρον pro omnibus dederit 385
Christus quatenus & sermo & lux uitæ 53
Christus quibus non lux, sed obscura quædam larua 175
Christus quibus sapientia & potentia Dei sit 220
Christus quibus sit stulticia. ibid.
Christus quòd patri per omnia sit similis, quomodo comprobetur 134
Christus quomodo ad dextram Dei sedeat 186
Christus quomodo ad iudicium uenturus 318
Christus quomodo ad omnes peccatores saluandos in hunc mundum uenerit 371
Christus quomodo caput & principium Ecclesiæ 138
Christus quomodo Deitatis particeps 166
Christus quomodo discipulos suos ad tolerantiam malorum præmonuerit 241
Christus quomodo diuersis respectibus sit ubiq; & non ubiq; 185
Christus quomodo & quousq; à patre sit exaltatus 37
Christus quomodo humilitatem in se susceperit 102
Christus quõ imaginem patris suiferat 134
Christus quomodo in cœlis 185
Christus quõ in corpore Apostoli magnificatus 18
Christus quomodo in figura ut homo sit inuentus 40
Christus quomodo in Dei forma fuerit 37
Christus quõ in ministerio Euangelij & Ecclesiæ suæ 165
Christus quomodo in mundum uenerit 321
Christus quõ in nobis per spiritum suum uiuat 21
Christus quõ in signis sacramentalibus 185
Christus quomodo minor patre 37
Christus quomodo nobis lucem conferat 132
Christus quõ nobis sit præsens 161
Christus quõ nos seruet 354
Christus quõ panem se uocet 188
Christus quomodo patri æqualis 37
Christus quomodo pro nobis mortuus 293
Christus quõ post resurrectionem terrenis rebus sit usus 185
Christus quõ primas habeat in omnibus creaturis 139
Christus quõ primogenitus ex mortuis. ibid.
Christus quomodo primogenitus matris suæ uirginis. ibid.
Christus quõ primogenitus omnis creaturæ 136. item principiũ 138
Christus quomodo sit in fidelium cordibus 110, 185
Christus quomodo sit in cœlo 185 item in terris. ibid.
Christus quomodo sit uita nostra 188
Christus quõ se exinanierit 40

Christus quõ spes nostra 354
Christus quomodo ubiq; 22.185
Christus quomodo uenerit gladium in terram mittere 303
Christus quóná ἀντιλύτρῳ genus humanum redemerit 386
Christus quos sanctificet 315
Christus quousq; se humiliauerit 37. 40
Christus redemptor noster 133
Christus regeneratorum Dei prototypus 195
Christus rex noster 133
Christus seruator 354 generis humani 312
Christus, sol efficiens nouum testamẽtum 174
Christus splendor Dei 135
Christus spes & uita nostra 219
Christus ubi sit 101
Christus ueritas 53.382
Christus uerus Deus 166 & homo, ibidem
Christus uera lux & uita 53
Christus ueræ pietatis exemplar 41
Christus uerbum 134
Christus uerbum incarnatum 137. 384
Christus uia 382.uita 53
Christus uitæ auibor 139. minister 280
Christus uitis uera 9
Christus unde se humiliauerit 37
Christus unicus mundi redemptor 28
Christi aduentus qualis 101.311.281
Christi aduentus secũdus dies Domini 5
Christi apostolus quomodo se gerat in fidelium Ecclesia 24
in Christi causa cur omnium minimè sit mentiendum 387
Christi cognitionis modus qualis 84
sine Christi cognitione omnia cæca 80
in Christi cognitione uitam æternã haberi 54
Christi consolatio quomodo perficiatur 157
Christi corpus Ecclesia 178
Christi descensus de cœlo qualis futurus 282.311
Christi demissio spontanea 41
Christi descendentis ad iudiciũ gloria qualis futura 45
Christi descensus quomodo ab Apostolo describatur 282
Christi dignitas quottuplex 134
Christi doctrina à quibus maximè ornetur 111
Christi doctrina quib. ludibrio exponatur. ibid.
Christi doctrina quomodo sit comparata 201
in Christi doctrina esse uitam æternam 71
extra Christi doctrinam, nihil esse nisi meram impostu ram. ibid.
Christi æternitas 38 efficacia 43. 103
Christi esse Apostolum, magnæ gratiæ Dei argumentum 373
inter Christi & Antichristi apostolum quantum sit discriminis 235 regnum quid sit discriminis 329
Christi & apostolorum uerus imitator quis. 222
Christi euacuatio 40
Christi Euangelium quomodo sit cõparatum 6
Christi Euangelio qui obediat 313
Christi exinanitio qualis 26
Christi exinanitio, nostri adimpletio 40
erga Christi fideles quõ animati esse debeamus 7
Christi fœtus 7
Christi humilitas 38.41.325
Christi humiliatio quõ nobis imitanda proponatur 41
Christi Iesu nomen Apostolo frequẽtissimum 3
Christi imitatio uera quæ 222
Christi in die aduentus sui glorificatio 314
Christi in hoc mundo sors qualis 29
Christi manifestatio duplex 89.188
Christi manifestatio quæ nam in Patu obscurata 188
pro Christi martyribus qui habeantur 69
Christi membra, fideles 187
Christi minister quatenus in medio fidelium esse debeat 235
Christi mors quatenus mundi redemptio 295
Christi mysterium à quibus fuerit absconditum 151 quandiu fuerit absconditum. ibid. quomodo ab Apostolo commendetur 157 quomodo sit comparatum. ibid.
Christi obedientia 41 in quib. rebus declarata. ibid. obscuritas quomo tollatur 311 palmites, fideles 187 passionem uocare martyriũ, cur non sit insolens 386
Christi perfectio in quo exprimatur 41
Christi personalis unitas 22
à Christi plenitudine qui alieni 167
Christi potentiæ gloria 314
Christi quando non participes reddamur 153
Christi retinendi studium quale nobis esse debeat 81
Christi sors qualis 231
Christi submissio qualis 38
in Christi uera doctrina non esse materiam dominatus & quæstus 153
Christi uerbo quõ opulentia detur 201 uictoria ad quos spectet 175 qualis 172 uox quid sonet 385
Christo cur à patre regnum datum 133 cur non solùm uisibilium, sed & inuisibilium creatio tribuatur 137 omnia subseruire 44 quomo coniungamur 144 quõ desponsemur & incorporemur 146 quõ dignitas à patre donata 43
Christũ à dextris Dei stare, quid 186 accipere, quid sit 162 an in corde nostro habeamus, unde sciendum 153 annunciare quid 14 creaturis accensendi, unde hæretici occasionem sumpserint 136 diuersimode prædicari 153 habere 196
Christum Iesum cur Deus in mũdum miserit 370 in ea dignitate quæ excellat oĩa, neminem habere consortem 43 in quem finem Paulus annunciet 153 non eundem prædicari & credi ab omnibus. ibid. obtinere quis dicatur 178 non obtinentium conditio. ibid. qui annũciant, quo animo prædicti sint, multum referre 13 quo sensu Apostolus imaginẽ Dei uocet 134 quõ Apostolus in supernis esse dicat 185 quo cõsilio Apostolus dicat uitam nostram 188
in Christũ qui credere cœperunt, qd ab illis requiratur 240
per Christũ quõ omnia creata 138
Christum quare oporteat primas habere in omnibus 139 quõ Paulus prædicauerit 153 uerum Papistas in templis suis non habere 136
extra Christum nulla sapientia ac scientia uera 158
in Christum quòd credamus, unde probari possit 274
per Christum omnia esse creata 134 item omnia reconciliata 140 omnia conseruari 134
per Christum quõ Deo simus reconciliati 145
secundum Christum non esse, quid sit 166
à Christo qui deficere dicantur 321
cum Christo demortuum esse, quid 186
cum Christo, & in Christo esse, quõ differant 21
cum Christo qui uiuere non possit 293
cum Christo qui mortui adducendi 279
cum Christo quomodo sit conuersandum in cœlestibus 185

de

de Christo quæ in Euangelicis & Apostolicis literis prædicãtur, accuratè obseruanda 134
in Christo & cum Christo esse, quõ differant 21
in Christo esse radicatum 163
in Christo gemina sanctificatio, quæ fit per spiritum Dei 338
in Christo Iesu quomodo ambulemus, multum referre 162
in Christo Iesu quomodo gloriemur, ut non confidamus in carne 74
in Christo inhabitare omnem deitatis plenitudinem 166 quare patri placuerit 140 unde Apostolus cognouerit. ibid.
pro Christo pati 29
in Christo perfectißima & inexhaustißima sapientia 158
in Christo quõ gratia Dei nobis impartita 126
in Christo quis inueniatur 81
in Christo qui non gaudeat 71
in Christo qui sunt, requiri ut perfecti reddantur 155
in Christo solo gratia, auxilium, salus ac uita quærenda 140
in Christo solo nos diuitiarum gloriæ ac gratiæ Dei posse reddi participes 152
Christianus homo quomodo se gerat 163
Christianus humanis doctrinis se mãcipare non sustinet 183
Christianus in scientia & fide, quõ abundare debeat 163
Christianus quatenus bona cum fiducia pro omnibus hominibus oret 378
Christianus quatenus ædificium inchoatum 294
Christianus quatenus uiuat cum Christo 293
Christianus quare in hoc seculo fide, spe & charitate sit armatus 291
Christianus quiuis quomodo animatus esse conueniat 302
Christianus quõ in baptismo una cũ Christo moriatur 179
Christianus quõ salutem aduersus satanam tueatur 291
Christianus quos diligere debeat 264
Christiani ad salutem à Deo posci 291
Christiani cur ab idololatris hodie hæreseos damnentur 309
Christiani cur uigilantiæ & sobrietati studere debeant 290 filij Dei 188 in hoc mundo cuiusmodi 53
Christiani instar militum 161 hominis animus qualis esse debeat 51 quomodo comparatus esse debeat 71 hominis esse, uita placida & quieta esse contentum 379
Christiani hominis iustitia 7 manifestatio in quo sit 188 officium 193.212 puritas quæ 111 uita in quibus rebus occupari debeat 259 item qualis 379
Christiani pectoris gaudiũ quãdo nõ plenũ 32 quales filij 290 quã ob causam omnis generis discrimina subeant 340 quare Deũ habeant patrem. ibid. quare & quomodo sint in mundo luminaria 53 quare Iesum Christum habeant dominum 340 quando candelabris similes 54 quando luminaribus firmamenti similes. ibid. quantis prærogatiuis Deo patri & Christo filio eius sint coniuncti 340 quatenus filij lucis & diei 28 quatenus ouibus similes 164 quatenus sint uera circumcisio 73. 74 quomodo se gerere debeant 198 quomodo in hoc mundo uiuant 180 quomodo in mundo luceant 53
Christiani ueri decorum quale 381
Christiani ueri unde sibi salutem ac uitam polliceantur 163
Christiani ueri quomodo fratres accipiant 68
Christiani ueri quomodo sint animati 205.379
Christiano homini cur zelo & scientia Dei sit opus 160
Christiano homini ϖεχαμένως uiuẽdum 277
Christiano homini non unum & alterum duntaxat peccatum, sed totum peccatorum corpus esse exuendum 168
cum Christiano quatenus agendum 271.272
Christiano homini quatenus philosophia auersanda 164
Christiano homini qui dolor inconueniens 279
Christiano homini quid conueniat 202
Christiano non esse illicitum cum extraneis conuersari 211
Christiano quid maximè curandum 111
Christiani instar fertiles agri 163
Christiani homines quatenus placidæ & quietæ uitæ sint amantes 380
Christiani homines, unde sit, quod à filijs huius seculi diffamentur 379
Christiani omnes quõ comparati esse debeant 255
Christianorum bonitas & iustitia quomodo sit comparata 10
Christianorum bonum nomen 112
Christianorum conditio qualis 27 129. 130. 155. 156. 157. 161. 162. 292. 345
Christianorum corpora in fine mundi qualia futura 102
Christianorum cursus quõ sit comparatus 18
Christianorum ecclesia qualis 403
Christianorum fides cur Euangelij fides dicatur 26
Christianorum fides omnium antiquißima 152
Christianorum fides qualis 124. 224
Christianorum fides unde concipiatur 26
Christianorum hac tempestate securitas 48
Christianorum in hoc seculo conditio qualis 290
Christianorum, iudicio huius mundi, stultitia 340
Christianorum mors, dormitio 278
Christianorum mors qualis 293
Christianorum officium 359
Christianorum omnium catholicus canon qui nam esse debeat 37
Christianorum omnium conditio quæ sit 226
Christianorum pugna qualis esse debeat 26
Christianorum sanctitas unde 266 sanguis, quatenus semen 57
Christianorum scopus 10
Christianorum sors qualis 379
Christianorum spes qualis 125 279.282
Christianorum status perfectionis 155
Christianorum συμπάθεια Deo grata 67
Christianorum uera fides quæ 124. 191
Christianorum uiuificatio 170
Christianis causa diuinæ bonitatis agnoscendæ unde offeratur 10
Christianis cur non conueniat in tenebrarum operibus ambulare 122
Christianis in seruiendo quæ regula seruanda 208
Christianis in tribulationibus unde sit gaudendum 139

Christianis omnibus quæ regula tenẽ da 205
Christianis primis unde cor unum et anima una fuerit 26
Christianis quatenus plerophoria cõ ueniat 157
Christianis quid conueniat 29. 240
Christianis quomodo sit ambulandũ erga infideles 210
Christianos cur fideles appellet Apostolus 123
Christianos cur fratres uocet Apostolus. ibid.
Christianos cur sanctos uocet Apostolus. ibid.
Christianos in afflictionibus esse saluos & felices 259
Christianos omnes, fratres & sanctos Apostolum uocare 305
Christianos opus habere consolationibus & 240
inter Christianos quomodo discrimi net Apostolus 335
inter Christianos quæ doctrina uigere ac seruari debeat 200
inter Christianos quæ traditio autoritatem habere non debeat 166
inter Christianos quomodo quisque humilis & excelsus 35
inter Christianos ratio quæ irrefragabilis esse debeat 383
inter Christianos qui melior & excellentior 36
Christianos quales hodie etiam in reformatis ecclesijs inuenire liceat 361
Christianos quo epitheto ornet Apostolus 123
Christianos solos in conscientijs suis pace Dei frui 109
à Christianis hominibus quid requirat Apostolus 631. 194. 259. 267. 272. 290. 298. 299
à Christianis qualis profectio requiratur 155
à Christianis qualem constantiam Apostolus requirat 318
de Christianis ueris mundi iudicium quale 145
Christiana consolatio ubi locum nõ habeat 157
Christiana fides 340
Christiana humilitas uera quæ 41
Christiana prudentia qualis esse debeat 182
Christiana puritas & castitas in quibus consistat 111
Christiana religio quõ sit comparata 110
Christiana scientia quæ sit 8
Christianæ fidei conditio quæ 147. 256
Christianæ fidei mysterium æterna tempora præcessisse 151
Christianæ intelligentiæ finis 8
ad Christianam liberorum educationem quid necessarium 390
Christianam φυσιν non eam quæ est naturæ, extinguere 7
Christianarum coniugum salus unde 393
Christianismus cur amplexandus 85
Christianismus cur non fugiendus. ibid.
Christianismus uerus in quibus rebus situs 124
Christianismi summa quibus comprehendatur 259
Christianismum non tollere fidelib. proprietatis ius 398
Chrysostomus Ebrææ linguæ ignarus 76
Chrysostomi locus 5.8.34.38. 60. 79. 80. 83.84.87.88.90. 101. 107. 110. 122. 131. 133. 135. 138. 141.161.181.189.201.203. 204. 206.215.218.271.276.282. 284. 328. 329. 344. 345. 347.360. 394.396.401.404
cibus sanus 366
circulatorum immensus numerus 346
circumcisio carnalis 168
circumcisio duplex. ibid.
circumcisio in quibus locum habeat 73
circumcisio Iudaismus Apostolo 170
circumcisio Mosaica quid à spirituali differat 168
circumcisio spiritualis. ibid. in qua re glorietur 74
circumcisio uera quæ. ibid.
circumcisionem pseudapostolorum cur Paulus concisionem uocet 73
per Circumcisionem peccata exuere, quale opus 168
ciuis quomodo agnoscat suum magistratum 295
ciuem esse regni cœlorum, quanta felicitas 101
ciuitates ueterum quibus epithetis cohonestatæ 21
à Coco quid requiratur 212
Cochlæus quo nugamento quæ Scripturis probare nequiuerit, confirmare sit conatus 93
cognationis carnalis quando & in quibus sit habenda ratio 213
ad Cognitionem quæ sint referenda 204
cogitationes curiosas cur ad ociosos reijcere soleamus 349
cogitationes hominum quomodo sint comparatæ 204
cognitio Christi in hac uita imperfecta 262
cognitio Christi quomodo charitatẽ ordine antecedat 80
cognitio Christi uera quæ complectatur 140
cognitio & religio Dei unde teterrimis erroribus sit obscurata 158
cognitio qualis ad salutem requiratur 270
cognitionis Christi excellentia quæ 79
in Cognitione mysterij Christi quæ considerandæ 134
cognoscendi Christũ duplex modus 84
Colossa, Phrygiæ ciuitas 122
Colossarum ruina quando acciderit 123
Colossos insula miræ magnitudinis 122
Colossenses cur fuerint electi, sancti & dilecti 197 mẽte inimici Dei 144 priusquam in Christũ credereat, quõ fuerint mortui 169 quatenus Christi uitam uixerint 187 quatenus mundo huic mortui. ibid. quibus rationib. abstereat Apostolus ne sibi legem à pseudapostolis obtrudi sinãt 172
Colossenses quõ Christum acceperint 162 fuerint alienati à Deo 144 quõ fuerint circumcisi 168 quõ hortetur Apostolus, ut mẽbra sua mortificent 189 quõ in mundo uixerint 180 quõ inter filios inobedientiæ uixerint 192 quõ mortuos esse & resurrexisse dicat Apostolus 187 quõ olim inimici Dei fuerint. 144 quõ sancti & inculpati sint in conspectu Dei. ibid. unde Rhodij appellati 122
ad Colossensium ecclesiam quæ fuerit scribendi causa Apostolo 123
Colossensium ordinem quatenus Apostolus uiderit 59
Colossensib. quando Christus condonauerit 198
Colossensibus quæ gratia & dignitas à Christo contigerit 197
de Colossensibus doctorum hominum controuersia qualis 122
pro Colossensibus quare Apostolus Deo gratias agat 124
pro Colossensibus quomodo afflictus Paulus 149

commilito

commilito quibus modis reddatur 64
communicatio illa, qua Christo iuncti sumus, quomodo sit comparata 37
communicationē sub una specie quō Papistæ defendant 143
conciones insipidæ & frigidæ unde nascantur 201 sacræ quæ non probandæ 201
concredi nobis quæ dicantur 232
concupiscendi facultas quando damnabilis 191
concupiscere & habere concupiscentiam, differre 20
concupiscentia triplex 191
concupiscentia carnalis. ibid. naturalis. ibid. spiritualis. ibid.
condemnatio unde sit 336
condito quorum diuersa, etiam diuersa studia 290
conditum esse secundum Deum quid 195 condonare sibi ipsi qui dicantur 197
confessio experientiæ 46 fidei 45
confessionis fidei & experientiæ discrimen 46
confessio fidei inde ab initio, semper omnis generis periculis obnoxia. ibid. in Scriptura triplex 45 resipiscentiæ. ibid.
confirmatio apostolica qualis 163
cōfirmatio suffraganeorū qualis 255 Papistarum suffraganeorum qualis 163
confirmationis duo genera 255
coniecturam inter Christianos locum non habere 8
coniugis fidelis duplex respectus 393 honestæ officium 302
coniugiū quo consilio à Deo institutum 205
coniugio primus status humani generis deputatus. ibid.
coniunctio in uita futura qualis 284
conscientia bona quid 361 quō repellatur 376 quō retineatur ibid.
conscientiæ bonæ quanta fiducia 221
conscientiæ quarum rerum testis 6
conscientiam bonam qui habere non possint 376
consolatio Christi quomodo perficiatur 157
consolatio Christiana ubi locum habere non possit. ibid.
consensio stabilis ubi haberi non possit 33
ad Consensionem conseruandū quid plurimum possit 33
considerare seipsum quid sit 36
consilia hominum uana 228
consolatio æterna quatenus Christianis deputata 341
consolatio futuri seculi æterna. ibid.
consolatio piorum qualis. ibid. futuræ uitæ qualis. ibid. in quib. locum habeat. ibid. quæ in præsentis uitæ tribulationib. requiritur, quō sit comparata. ibid.
consolationem æternam cur spem bonam Apostolus uocet. ibid. quatenus nobis Deus ab æterno decerit. ibid.
consolationes præsentis seculi quales. ibid.
consolationib. Christianos habere opus 240
constantiam qualem Apostolus à Christianis requirat 318
contentio & inuidentia ministris uerbi inuidiosa pestis 13
ex Contentione qui prædicabāt, quō Apostolus Christum non pure annunciasse dicat 14
contentiones de corporis & sanguinis Domini 31
contentiosi quatenus dissensionib. delectentur 34
contentum esse iis, in quib. est, quid 115
contributiones iustæ in Papatu cur fieri non potuerint 277
contristatio super iis qui obdormierūt, qualis esse debeat 67
de Controuersijs nostrorum temporum iudicaturo, quō respiciēdum 33
cœlibatus quanti fiat à papistis 393
cœlum quō Ebræi appelleut 101
coopararius & cōmilito in opere Domini qui esse non possit 64
cooperary Apostolorum qui 254
cooperatorū suorū nomina esse in libro uitæ, cur Apostolus dicat 106 unde Apostolus cognorit 105
cōuersio à quib. rectè requiratur 225 cur omnib. necessaria. ibid.
conuersio Pauli 27
conuersionis partes quæ 225
sine Conuersione neminem ueræ uitæ participem fieri. ibid.
cor, affectuum fons 232 amoris sedes 7 apponere quid sit 81 hominis quō sit comparatum 349 purum quid 361 sedes uoluntatis 49
cordis sanctimonia 265
in Corde habere 5
corda & ora nostra quō sint cōparata 203 nostra quatenus corā Deo irreprehensibilia 265 quō sint cōparata 345 quorum Deus singulariter probet 232
cordium ac sensuum nostrorum custodia ad quid necessaria 109 humanorum prauitas 345 scrutator solus Deus 234
Corinthij in sectas cur sint diuisi 33 quomodo præda facti pseudapostolorum 164
Corinthijs Paulum gratis euangelisasse 237
Corinthios quo dolo Apostolus ceperit 231
corona uictorialis quib. dare solita 91
coronæ uictoriali quatenus Apostolus comparet regni Dei felicitatē. ibid.
correptio sine doctrina inutilis 154
corpus carnis exuere 168
corpus carnis nostræ 190
corpus peccati quō mortificandum 189
corpus peccatorum carnis πολυμιτόνατον 190
corpus peccatorum carnis quid. ibid. quadruplex in homine. ibid. quō πρατῆ γλῶ κεφαλῆ 178 totum quādo irreprehensibile 304
corporis carnis nostræ membra 190
de Corporis & sanguinis Domini cōtentiones 31
corporis nostri humilitas quō considranda 102 partes 304 peccatorum membra 190 sanctimonia 265
corpori qui honor debeatur 183 qui parcere dicatur. ibid.
corpore suo legitimo scire uti, res magnæ scientiæ 269
corpora humana quō honorāda 184
corpora nostra possidere cum sanctificatione, quid 270 qua scientia sint possidenda 269 quomodo gloriæ Christi conformanda 102 quomodo honoranda 184
corpora piorum Spiritus sancti templa 184 post resurrectionem qualia futura 284
corporum humanorum præstantia 184 nostrorum debita estatio. ibid. habitus qualis futurus 102
corporum omnium communis natura quæ 178
corporum σχήματα quæ 102
corporibus nostris quid honoris debeatur 270
corporaliter aduerbio quō utamur 166
crapula cur uitiosa & culpabilis 184
κρατῆρ uerbi significatio 178
creatarum rerum diuisio 137
creatura noua 195 satanæ Deo inimica 190
creaturæ post peccatum quales esse cœperint 142

creaturarum cum homine reconciliatio quare necessaria fuerit 142
creaturarum reconciliationem per Christum futuram cur non intelligamus. ibid.
creaturarum gemitus. ibid.
creaturas quare cum Deo reconciliari necesse fuerit. ibid.
credentes in filium Dei, futurum iudicium euasuros 308
credentes quomodo iustificentur 339 quatenus Deus saluos faciat 344 uarijs tentationibus expositi 147
ex Credentium numero qui non excludantur 315
cum Credentib. Deus cur mirabiliter agat. ibid.
in Credentibus Dei quomodo spiritus sanctus agat 273
in Credentibus quomodo nomen Iesu Christi illustretur 317
crucis Christi amantium cur finis sit salus 98 doctrinam qui supprimere moliantur. ibid. inimicorum cur finis perditio. ibid.
per Crucis Christi sanguinem omnia esse reconciliata 149
crucis & afflictionum caligo cur in hoc mundo summa cum patientia sit ferenda 188
crucis & mortis Christi communicatio duplex 85. communio quæ. ibid.
crucis inimici 98
crucis sermo quib. Dei potentia 335 quibus stultitia. ibid.
crucis ueræ amicitia in quib. sita 98
in Cruce Christi salus. ibid.
cultus Dei 82. 106
curiositas ociosis hominibus insidiosa 349
curiositati humanæ quomodo respondendum 386
currendi conatus quando irritus 90
currendum quare nobis sit, ut palmã apprehendamus 91
currere in uanum 54
cursus quando irritus 90
cursus ratio cur cuiuis homini habenda 99
in Cursu spirituali quomodo perrumpendum 90
custodia cordium & sensuum nostrorum ad quid necessaria 109

D

DAnielis de Antichristo uaticiniũ quale 326
dare ex merito & gratis ac libero dono, differre 28
Dauid in malis constitutus quo nomine ad inuocandum cum fiducia Deum animare se sit solitus 316
Dauidis liberi quales 399
ad Dauidem antichristum unde defectio in inferiore Germania facta 71
in Dauidica secta cuius rei specimen uidere liceat. ibid.
Decalogus, Dei chirographum 171 quatenus deletus sit. ibid.
deceptio in quib. rebus cõtingat 110
deceptionem ueritatis scientiam excludere 337
decreta Ecclesiæ quo prætextu seruanda esse pseudepiscopi tradãt 182
decreta humana quo prætextu cõmunitèr colorentur 181. Papistica qualia. ibid. pontificum cur fugienda. ibid.
decretorum species uariæ 180
in Decretalia Papæ peccanti, cur uenia negetur 326
deficere à Christo 321
defectio à fide & obedientia duplex. ibid. quam motationem sequi soleat 255
defectio qualis omnib. Christianis timenda 146 quomodo sit comparata 321
defectionis omne genus quõ uitãdum 71
defectioni quando blasphemia adiungatur 377
defunctorum fidelium spiritus quò reuertantur 285
deitatis plenitudo in Christo qualis 167
Δεσποτης 108
delationis uitium mulierculis insidiosum 402 quantum malorum in Ecclesijs gignat. ibid.
delicta χαρίζεσθαι quid sit 270
in Delinquentes quomodo sit inuehẽdum 350
denunciationis scopus 360
Δημα uerbi significatiõ 378
desiderium in ecclesia Christi quale esse posit 65
desideriorum natura quæ 250
desideriorum species multiuariæ 65
διασπᾶν & σύνδεσμος quõ differant 199
Deus à quibus faciem suã auertat 388 à quib. frustra colatur 267 ad quid incredulis erroris efficaciam missurus sit 337 affectuum occultissimorum scrutator 6 an solus bonam uoluntatem in omnib. operetur 49 ἀφθαρτος 374 bonorũ omnium retributor 121 consolationis cur uocetur 297 cordis consiliorum testis 238 creator cur uocetur 354 cur bona fiducia inuocandus 316 cur Christum exaltauerit 42 creaturis solus inuisibilis 137 cur meritò rex seculorum uocetur 374 cur nobis non sine Christo proponatur 198 cur nos in sanctorũ consortium assumpserit 131 cur nos uocauerit 91
Deus cur πατὴρ uocetur 305
Deus hominum seruator 381
Deus inuisibilis quomodo cognoscendus 135
Deus in Christo quomodo regnum Satanæ debellarit 173
Deus in Christo quomodo principes ac potestates tenebrarum palam ostenderit 172
Deus incorporeus 186
Deus in finem cur nos ab initio elegerit 338
Deus, ipsissima dilectio 240
Deus inuisibilis 374
Deus lux 187
Deus παρρησιαστὴς 6
Deus mundo absconditus 187
Deus non acceptor personarum 267
Deus ἀόρατος 135. 374
Deus pacis quando sit nobiscum 123
Deus philanthropos 382
Deus qualis rex 374
Deus qualem reconciliationem cum genere humano fieri uoluerit 385
Deus quando opus suum impleat 316
Deus quare subinde quorundam principuorum organorum suorum cõstantiam per uarias tribulationes spectandam proponat 13
Deus quatenus Apostoli sit misertus 66
Deus quatenus hominem saluum fieri uelit 382
Deus quatenus saluos uelit fieri omnes homines 383
Deus quid in nobis repererit, cuius respectu seruator noster fieri debuerit 381
Deus quo respectu inuocandus 303
Deus quos diligat 398. item respiciat 388
Deus quos saluare non uelit 382
Deus quorum misereatur 66
Deus quibus hostijs delectetur 120
Deus quæ facit, etiam efficit 305
Deus quõ à nobis magnificetur 18 quomodo manifestari dicatur 406 quomodo in carne manifestatus 405 quomodo in populo suo Israele sit glorificatus 314 quomodo inuisibilis 135 quomodo nobiscum sit 352 quomodo nos à mortuis excitatos unà cum Christo sit adducturus 280

Deus quō nos idoneos fecerit, ad participationem sortis sanctorum in lumine 131
Deus quomodo nos ponat 291
Deus quomodo nos renouet 195
Deus quomodo nos seruet 354
Deus quomodo sit natura sua comparatus 382
Deus quomodo trahat nos 132
Deus quomodo uelle operetur in fidelibus 49
Deus quomodo ultor sit de omnibus 271
Deus quot modis propè esse dicatur 108
Deus scrutator cordium 234.265
Deus solus beatus 366
Deus solus omnipotens 333
Deus solus omnium seculorum rex 374
Deus solus sapiens. ibid.
Deus uerus omnium gentium 383
Deus uerè αὐτοπράτωρ 373
Deus unde permoueatur, ut quod in nobis bonū opus cœpit, perficiat 4
Deus ut in bonis non solum uelle operetur, sed & operari, quid sit necesse 49
Dei apparitio in carne quomodo cognoscatur 406
Dei apparitionem cur Apostolus magnum mysterium uocet. ibid.
Dei bonitas 3
Dei charitas quid Augustino 133
Dei chirographum, Decalogus 171
Dei clementia quanta 372
Dei dona quantum excellāt operum bonorum utilitatem 83
Dei æqualitatem non arbitrari rapinam 38
Dei æqualitatem satan quomodo rapuerit. ibid.
Dei & Christi eadem diuinitas 263
Dei fidelitas 305 cur hæsitanti carni frequenter inculcanda 305
Dei filius Christus 134
Dei forma 38 qualis à statuarijs formetur 135
Dei genus quomodo simus 303
Dei gratiam quomodo nobis Apostolus commendet 131
Dei imago Christus 134.135
Dei imago cur sola adoranda 135
ad Dei imaginem homo conditus 176
Dei in carne apparitio mundo abscōdita 406
Dei inimicus mente quis sit 144
Dei inimici quatenus homines. ibid.
Dei misericordia quanta 372
Dei mysterium 158
Dei opus in Ecclesia quamdiu perficiatur 5
de Dei operibus persuasio unde haberi posit 4
Dei periphrasis 340
Dei periphrasin qui non recipiant 340 solos Christianos recipere. ibid.
Dei philanthropia 50
Dei splendor Christus 135
Dei ueri & falsi discrimen 226
Dei ueritatem ægrè ab hominibus agnosci 33
Dei uirtus quomodo in infirmitate nostra perficiatur 28
Dei uita qualis 226
Dei uoluntas quatenus nobis sit abscondita 151
à Dei uoluntati qui dissideant 144
Deo æqualem esse 39
Deo Iudæi cur non seruiant 226
Deo per Christum quomodo simus reconciliati 145
Deo qualia epitheta Apostolus tribuat 303
Deo quando placeamus 129
Deo qui placeant 267 qui non placeant 246.267
Deo reconciliatum & unitum esse, ipsissima salus 140
ad Deum cur nunquam precandum sine gratiarum actione 108
in Deum cur omnis sollicitudo conijcienda 108
in Deum impiè qui agat 312
Deum in electorum cordibus per spiritum suum loqui 242
Deum nobis bifariam loqui. ibid.
Deum pacis cur Apostolus uocet 303
Deum per uerbum suum uideri & cognosci posse 135
Deum quādo Scriptura facere dicit, quomodo loquatur 305
Deum quo elogio Paulus ornet 124
Deum sine Christo non esse inuocandum 263
Deum tam potentem quàm iustum 310
Deum uerum esse nō posse, nisi eum qui uiuens est Deus 226
à Deo esse separatum, ipsissima perditio 140
à Deo quæ sunt, alia esse dona, alia iudicia 28
à Deo qui uocati 403
à Deo, quid nos separet 146
à Deo separatum esse quid 383
de Deo quomodo Papistæ sentiant 83
à Deo uiuo ad simulacra ἄψυχα auerti, horribilis cæcitas 226
à Deo utrumq; petendum, tam ut possimus operari quod bonum est, quàm ut uelimus 49
in Deo beneplacitum duplex 316
in Deo patre qui sint 218
deuteroſis Iudæorum 357
à Dextris Dei sedere Christum, quid 189
diabolus leo rugiens 27
diabolus omnis imposturæ artifex 159
diabolus quo paralogismo sit usus ad tentandum Christum 159
diabolus quomodo orbem circueat 97
diabolus spiritus incorporeus 166
diabolo quomodo resistendū 27.291
diaconi cur debeant esse unius uxoris mariti 402
diaconi experimēti quale esse debeat 401
diaconi ordinandi ratio quæ sit in Papatu. ibid.
in Diaconum ne quis temerè eligatur, quanto serio cauēndum 401
diaconi in reformatis ecclesijs quomodo probandi. ibid.
à Diaconorum uxoribus quid requirat Apostolus 402
in Diaconorum electione quæ ratio habenda 401
diaconorum ministerium in multis Ecclesijs obsoletum 400
diaconorum prima institutio quæ. ibid.
diaconorū uxores quales esse debeāt 401.402
diaconos quales requirat Apostolus 400
diaconissæ quando diaconis addi cœptæ 401
διαμένειν 23
διαφέρειν 8
diem Domini quid uocet Apostolus 287 quos ex improuiso oppressurus sit 289 quomodo uēturus sit 286.287
dies futuri iudiciū quib. epithetis in Scripturis ornetur 287
dies Iesu Christi 5
dies naturalis ubi absoluatur 174 unde incipiat. ibid.
diem Domini non frustra toties inculcare Apostolum 304 quæ præcedere debeant 320
diem & horam mortis nostræ, cur Dominus nos præscire nolit 287
in Diem Christi, quomodo intelligendum 54
per Diem quid intelligendum 289
de Die Domini falsa persuasio quòd iam instaret, quare cauenda ne locum in Ecclesijs inueniat 319
διαστραμμένον 53
dignatio diuina quanta sit erga Christianos 93

διαίρεσις uariæ ſpecies 111
dilectio adulterina 274
dilectio Chriſtiana quæ 361 qualis 274
dilectio eadem ubi regnet 33
dilectio fraterna apud quos locũ habere non poßit 361
dilectio in eccleſia ſi ſit diuiſa, diſſenſiones uitari non poſſe 33
dilectio mutua qualis apud Theſſalonicenſes 307
dilectio, qualis efficacia 124
dilectio quale uinculum 157
dilectio uera quæ 361
à Dilectionis affectu amarulentiam prorſus eſſe alienam 206
dilectionis diuinæ opus quale 341
dilectionis exuberantiam quatenus Theſſalonicenſibus Apoſtolo optarit 264
dilectionis fructus, opera 219
dilectionis gladium 32
dilectionis gaudio quando gaudeamus 32
dilectionis ingenium 31.128
dilectionis iuſticia 5
dilectionis odo inter homines quis 278
dilectionis uera ingenium 58
dilectionem Dei, & patiẽtiam Chriſti quomodo Apoſtolus coniungat 345
dilectionem qualẽ Apoſtolus à Theſſalonicenſibus requiſierit 259
dilectionem ueram à falſa multum differre 124
dilectionem ueram hodie eſſe paucorum, non mirandum 274
de Dilectione fraterna quomodo Apoſtolus loquatur 361
dimoueri citò & nunquam, plerũq; reprobandum uenire 318
δὶς κακὸν τρὶς τὸ καλὸν, prouerb. 72
δὶς καὶ τρὶς τὸ ἀσφαλὲς ibid.
Diſcipuli apoſtoli quatenus quæ ſua ipſorum erant, quæſierint 60
diſcendi duplex genus 115
à Diſcentibus quid requiat Apoſtolus 390
diſceptatio 50
diſceptatio & murmur, uitia ſeruilia ibid.
diſciplina ſcientiæ Chriſtianæ qualis 115
diſciplina rectæ conuerſationis quæ initiò ſcribi ſoleat 267
diſcipulus diligens quomodo in ea ſcientia in qua inſtituitur, abundet 163
diſcipulum Chriſti eſſe, quid 274
diſcipuli Chriſti lux mundi 53
diſcipuli officium 60
diſcipuli Pauli quatenus non quæſierint quæ ſunt Ieſu Chriſti 61
diſcipulorum profectus unde pẽdeat 59
diſcipulos ſuos præceptor quo ſenſu ſpem ſuam uocet 251
diſcipulos ſuos quomodo Chriſtus ad malorum tolerantiam præmunierit 241
diſpenſationis, pro ſalute noſtra ſuſceptæ ratio, quomodo in nomine Ieſu contineatur 227
diſſaſio noxia quæ 32
diſſenſionis genus quod'nam Apoſtolus reprobet 95
diſſenſiones quando uitari nequeant 33
diſſenſionum quibus unitas fidelium diſcindi ſolet, genera quot 94
diſſenſionibus in Eccleſia exortis, quid utrique parti curandum 94
propter Diſſenſiones accidentales nõ deſperandum 32
diſſidijs qui ſtudent, indignè Deo cõuerſari 240
Diſſolui & eſſe cum Chriſto, quid Apoſtolo 20
diſſoluendi uerbi duplex uſus. ibid.
diuerſitas in quibus rebus ſit 33
diuerſum ſentire & ſtudio contendendi diſcrepare, quomodo differant 34
diuerſum ſentire per errorem & ignorantiam 34
diuerſum qua in re ſentiamus, multũ referre 32
diuinitatis Chriſti dignitas quæ 134
diuinitatis forma in quibus rebus ſit 38
diuitiæ ſi adfluãt, &c. quomodo intelligendum 81
diuorum cultus unde natus 334
diuos quòd Papiſtæ inuocant & colunt unde ſit 83
diuulgari in toto mundo 148
docere quorum ſit 390
doctor Euãgelicus quomodo ſimilis agricolæ 163
doctor ignarus 362
doctoris ueri erga fideles affectus qui 97
doctores traditionum humanarum cur non audiendi 242
doctorum quale genus Eccleſiam duplici perdat malo 178
doctorum uerorum ac falſorum in hoc mundo ſors quæ 230
in Doctoribus quæ intelligentia requiratur 362
doctrina Chriſti à quibus ludibrijs exponatur 111
doctrina Chriſti à quibus maximè ornetur ibid.
doctrina diuerſa uitanda 356
doctrina Euangelij Chriſti quatenus diuerſa 356
doctrina Euangelij qualem hominẽ requirat 25
doctrina Euangelij quòd tam multos habeat aduerſarios, cur non mirandum 97
doctrina & commonefactio, doctrinæ Chriſtianæ ſpecies 202
doctrina falſa magis quàm uana fugienda 362
doctrina humana qualis 221
doctrina Pauli qualis fuerit 233
doctrina probabilis quæ 334
doctrina quæ ad ædificationem Dei non faciat 360
doctrina quæ Chriſtianis hominibus repudianda 362
doctrina quæ fugenda 356
doctrina quæ inter Chriſtianos uigere ac ſeruari debeat 200
doctrina quæ'nam auditus Dei ſermo 242
doctrina ſalubris quæ non 366
doctrina ſine correptione inutilis 154
doctrina uera & Apoſtolica quæ 387
doctrinæ Chriſti quando audientis animus capax eſſe non poßit 390
doctrinæ Chriſti qualitas 201
doctrinæ Chriſtianæ forma qualis eſſe debeat 357
doctrinæ diuerſitas pernicioſa 356
doctrinæ diuerſitas quatenus homini Chriſtiano fugienda 356 quõ homini Chriſtiano ſit cognoſcẽda ibid.
doctrinæ fructus in quibus rebus ſitus 390
doctrinæ noſtræ & Papiſtarum diuerſitas 356
doctrinæ quando plurimum ponderis accedat 225
doctrinæ ſanctæ cur indeſinenter incumbendum 262
doctrinam crucis Chriſti qui ſupprimere moliantur 98
doctrinam Dei cur ſanam uocet Apoſtolus 366
doctrinam & prædicantium mentem differre 14
doctrinam Euangelij naturali intellectu non capi 28
doctrinam quam uaniloquium uocet Apoſtolus 362
doctrinam quæ confirment 13 item dilucident. ibid.
doctrinam ſuam quomodo Euangelij miniſtri tueri debeant 231
à Doctrina ſana aberrantib. quid accidat 361

in Do-

in Doctrina nostra dissensiones quales 357 sana ut plebs Domini retineatur, quantū pastoribus ecclesiarum sit curandum 375
dogmata quæ à Christiana religione sint remouenda 359
Δουλαγία 34
dolentibus si noui dolores addantur, quàm sit in conspectu Dei miserabile 67
dolor parturitionis quomodo sit comparatus 288
dolor qui Christiano homini inconueniens 279
doli significatio 230
Dominus quando ad iudicium extremum uenturus 287
Dominus quare mirabiliter cum omnibus credentibus acturus sit 315 quomodo in fine mundi in sanctis suis glorificabitur 314 quō in hac uita sit nobiscum 385
Dominum quō synceri expectent 101 item reprobi. ibid.
in Domino Iesu omnem Christianorum salutem esse sitam 266
Dominicum & uerum quid Tertulliano 356
Dominica Patrum historia 334
domus felix quæ 32
donum prophetiæ quomodo fuerit in primis ecclesijs 301
dona Dei incomparabilia 261 fidelibus quare à Deo eueniant 28
donis Dei quatenus utendum 81
Δωρεὰν panem accipere 348
dormientes qui rectè uocentur 283
dormire qui metaphoricè dicantur 290
dormire & inebriari quorum sit. ibidem.
dubitationis dogma, ædificationi quæ est in fide Christi reluctari 360 dogmata cur Satan gratiæ Dei certitudini per ministros suos obijciat 370
ducis boni officium 255.295
duci exercitus quatenus minister Christi similis esse debeat 255
duces qui'nā in precio haberi soleāt 257

E

EBraismi in Pauli Epistolis quales 94
Ebræi unde dicti 76
ebrietas quantopere inualuerit 290 quare uitanda. ibid.
ebrietatem ad noctis opera referri ab Apostolo. ibid.
ebrius quatenus dormiat 291
Eccius quo nugamento quæ Scripturis probare nequiuerit, confirmare sit conatus 93 eius loci communes 113.149
ecclesia Christi catholica quæ 178 corpus 149.150 quō crescat 178 ubi non possit agnosci 136 Christianorum qualis 403 corpus Christi 138.150.178 Dei, fideles 403 stabilimentum ueritatis 402 ueritatis columna. ibid. domus Dei 201. 359. 399. electorum qualis 404 fidelium quomodo sit in Deo patre & Domino Iesu Christo 218 felix quæ 307 quando in gloria assumetur 405 quare propriè fidelib. Christi competat 138 reproborum qualis 404 sanctorum communio 64 sponsa Christi 62 qui uocētur 403 quomodo hodi συναγωγὴ 164 unde moneatur, ut corda sursum erigat 185
ecclesiæ caput Christus 134.138 Christi in Iudæa error 404 primæ error. ibid. qui sint dedecori 348 Christianæ constitutio 135 decreta quo prætextu pseudepiscopi seruanda esse tradant 182 Dei firmitudinem quibus metaphoris Apostolus commendet 404 dignitas & felicitas quæ 138
ecclesiæ ædificatio, cur Dei ædificatio 359 esse legatum non leuis momenti functio 64 specificatio 218 suæ defensor Christus 186 quatenus Papistæ iactent 403 unitas quatenus bona 363 uocabulum quo sensu usurpet Apostolus 138
ecclesiam Dei qui constituant 403 etiam in uulgaris hominis domo esse posse 215 in Polonia quæ cō tentio turbarit 384 non posse errare, quo paralogismo Papistæ comprobare nitantur 404 quale doctorum genus duplici malo perdat 178 uarijs tentationibus comprobari 320
in Ecclesia Dei quatenus Papistæ uersentur 403 quodlibet præsumendi ac tentandi temeritas unde nascatur 400 quomodo Deus habitet 403 quomodo ministro Christi uiuendum 238 quomodo uerbū Christi regnare debeat 201
ecclesiæ Christi cur superstites sint in aduentu Domini 281
ecclesiæ hodie præda episcoporum 194
ecclesiæ ne ignauis hominibus implentur, cur cauendum 277
ecclesiæ ethnicorum quales 403 ecclesiæ Papistarum cur prophanæ 136
ecclesiæ primæ quandiu durarint 301
ecclesiæ quatenus in Deo patre ac Domino Iesu Christū sint censendæ 218
ecclesiæ quomodo instituendæ 380
ecclesiarum desolatio unde 69 magistri quæ summè necessaria ferre nequeant 302 ab Ecclesiarum pastoribus quid requirat Apostolus 96
pro Ecclesiarū Pauli solicitudo qualis 156
ecclesiarum præpositi habēdi in precio 286
ecclesiarū προϊσταμένοις qualem præfecturam tribuat Apostolus 295 res qui non curent 67
ecclesijs quales episcopi præficiendi 396 quando purgatorij ignis cōmentum obtrusum 285
ecclesias Christi cur Paulus adhortatur, ut pro regibus & principib. oret 380 in quo precio Apostolus habuerit 64 unde Papistæ diffament 135 omnium seruilissimis onerib. pontifices opprimere 235 posteriores in regno Christi, nisi sint degeneres, imitatrices piorum 244 quō moderati sint Apostoli 357
in Ecclesias unde sit mortuorum sanctorum cultus introductus 167
in Ecclesijs Christi qualis olim regula 301 euangelicis qua in re hodie plurimum peccetur 232
ecclesiastica gubernatio difficilior, quàm domestica 399
ecclesiasticæ actiones quales 378
ecclesiastici corporis conditio quō se se habeat 295
ecclesiasticorum ἴματιον quale 236
ædificiorum recentium conditio 147
æqualitas perfecta 39 imperfecta. ibid.
æqualem esse alicui quid sit, ibid.
egestas turpis quæ 277
egenis ueris consulendum. ibid.
ἐγκαλῶδαι 145
eidolomania in ecclesijs quō obtinuerit 335
ἐλλειψινία & eius oppositum 9
ἐνὸς 106
εἰκάτως. ibid.
ἐκλέκτοις 312
electi Dei quomodo sanctificentur 338
in Electorum cordibus quomodo Deus loquatur 242 fidelium in hoc seculo sors qualis 222 oculi quō illuminentur 322 sors 257

uox in extremo die 284
electis ab initio mundi felicitas destinata 125 salus quomodo contingat 338
in Electis quomodo corruptæ naturæ malicia operetur 291
inter Electos & reprobos quantum sit discriminis 284
electos ex omnibus gentibus in unitatem fidei uocari 138
electio ab omnium mortalium sensu abscondita 338 Christianorum certa 219 Dei 338 inscrutabilis 105 fidelium certa 219 unde sciri possit. ibidem.
electio & reconciliatio nostri quomodo in unum finem tendant 145 finis 338 indicia 105 notæ 338
elementa huius mundi diuersi esse generis 179 mundi, quid Augustinus uocet 165
ab Elementis mundi mortuum esse cum Christo 179
Elias in quodnam cœlum turbine sublatus 45
Eliseus quatenus Giezi factum uiderit 59
ἐμβὰς 175
ἐμβατώρων. ibid.
de Emendandis fratribus non facile desperandum 350
emendationis qui nam fratres capaces reddantur 351
ἐνέργεια uox quid significet 155
ἐνκόπτειν 250
ἔννοια 201
ἐννοιῶν. ibid.
ἔντυξις 378
ἔντιμος quis uocetur 68
ἐπαγγέλλεσθαι 389
Epaphras dilectus conseruus Pauli 122 fidus Christi minister 125 quomodo Colossensibus commendetur ab Apostolo 127 quibus elogijs ab Apostolo cõmendetur ibid.
Epaphram cur dilectum suum conseruum uocet Paulus. ibid. qua ratione concaptiuum suum Apostolus uocet 213 quotuplici nomine eum Colossensib. Apostolus commendet 214
Epaphroditus cur liturgus ab Apostolo uocetur 64 cur Romã missus. ibidem. fidelis Domini minister 69
Epaphroditus qua in re Paulo subministrarit 64 quomodo à morbo per Dei misericordiam sit liberatus 66 quomodo Apostolo ministrarit 64
Epaphroditus quomodo propter opus Christi morti fuerit proximus factus 60 quomodo se in opere Domini gesserit. ibid.
Epaphroditi affectus philadelphiæ qualis 65 desiderium quale. ibid. unde natum. ibid. elogia cur diligenter obseruanda 64 factum quatenus Apostolus commendet 70 infirmitas qualis 66 ministerium quatenus opus Christi recte uocari possit 69 mortem quæ miserabilem reddiderint 66 nomen unde 68 obedientia 64 quatenus misertus sit Deus 66 restitutio unde contigerit 67
Epaphroditum cur Apostolus commilitonem uocet 64 cur Apostolus cooperatorem uocet. ibid. item fratrem. ibidem. cur Paulus, Philippensium Apostolum uocet. ibidem. quare Apostolus Philippensibus remiserit. ibidem.
Epaphroditæ quomodo animæ suæ bene & male consuluerit 70
Ephesiorũ ecclesia Timotheo ab Apostolo commendata 353
ἐπιείκεια 106
ἐπιείκεια qualis uirtus 398
ἐπιείκεια quõ Germanice exprimatur 197 uirtus quomodo comparata. ibidem. uox unde composita 106 ubi Christianus salubriter utetur 107
ἐπιείκειαν qualem Philippus Melanchthon plurimum amauerit. ibidem.
ἐπιεικὴς 106
ἐπιεικὲς uox unde conflata 398
ἐπιζητῶ quando locum non habeat 225
ἐπιταγὴ 354
ἐπιφάνεια 332
ἐπιχορηγία 17
episcopus cur irreprehensibilis esse debeat 395 in ecclesia Dei si mẽte sana sit destitutus, magnum esse malum 397 qualis eligẽdus 396 qualis esse debeat 394. 397. 398 quando quærat quæ ad se non pertineant 61
episcopi domus quare receptaculum esse debeat 397 cur debeant unius esse uxoris mariti 402 & prælati quid quærant bodie 61 euangelici ornatus 397 munus quale esse debeat 60. 394
ἐπισκοπὴ 24
episcopi qua de re pro ecclesiasticis dignitatib. certent 99
episcopi quales olim eligi soliti 397 quæ nam curare debeant 60 ueri officium. ibidem.
episcopi uita qualis esse debeat 400
episcopo inflato quid eueniri soleat. ibidem.
episcopum qualem Apostolus requirat 395. 397
episcopum quare Apostolus eum nolit, qui propriæ domui præesse nõ possit 399 quæ dedeceant 398 unius uxoris esse maritum cur Apostolus poscat 396
ab Episcopo cur requirat Apostolus ut sit alienus à pugnis 397. 398
in Episcopo eligendo quid primo loco spectandum 395 quid requirat Apostolus 400
episcoporum contemptus unde 62 liberos quales esse conueniat 399 munus quale fuerit 394 nostrorum cura qualis 60 ornatus qualis 397 officium 355 præda bodie Christi ecclesia 64 potestas qualis 395 quando languida 399 uxores quales esse debeant 402
in Episcopos quali uocum allusione bodie | rectè uti possimus 73 quos rectè uelit eligi Apostolus 400
inter Episcopos qui lapsus frequẽs sit factus. ibid.
episcopalis eminentia & honestas qualem uirum desideret 394 honor ubi fundetur 325
episcopatus euangelicus quibus deputatus 397 in ecclesia opus bonum 395 opus cuiusmodi hominibus committendum. ibidem.
ad Episcopatum ecclesiæ qualem requirat Apostolus 397
Epistola ad Timotheum cur ab Apostolo scripta 353 quæ contineat. ibid.
epistola ad Thessalonicenses per quẽ missa 354
epistolam ad Timotheum cur Apostolus scribere uoluerit 355
epistolæ cur obsignari soleant 252
epistolarum Apostolicarum usus 216 usitata conclusio qualis apud Paulum inueniatur 306
epistolas suas quomodo Paulus exordiatur 307
ἐρίθεια 207
ἔριθεια 34
inter Ἐριθείαν καὶ φιλονεικίαν multũ esse discriminis 34
ὄρνιθες quid Græcis 266
ὄρνις unde deducatur. ibid.
error & mendacium unde sint. 336
error qui Deo gratus 36
erroris efficacia cur Deo Apostolus tribuat 336

erroris

errorū efficaciam cur Deus increduli mittat 337 quibus meritò Deus mittat 336 quomodo Deus mittat. ibid.
per Errorem quæ fieri dicantur 230
in Errore obstinati quatenus damnandi 318
errores & falsæ opiniones per ignorantiam ueritatis conceptæ quantum ualeant 278
Es kan des gutte nit zuuril sein 264
essentiæ Christi dignitas quæ 134
ἱλασμός quid à superstitione differat 182 quo nomine detestabilis 184
per ἱλασμόν non coli Deum 182
Etiã Saul inter prophetas, prouerb. 76
Euab quare non licuerit ἀνδρίζειν in Adamum 391 unde æqualitatem Dei rapere conata sit 39
euangelium Christi quale prædicationis genus 254 quomodo sit comparatum 6 cur gentibus prædicarit apostolus 247 cur in uniuersum mundū missum 225 cur omnibus modis sit acceptandum 371 cur sermo ueritatis dicatur 382 cur uirtus Dei ad salutem omni credenti uocetur 273 de Christo, Papistarū quale 147 Dei cur in multis hodie inefficax 243 in quibus non ociosum. ibid. quomodo in hoc mundo sit prædicandum 13 Dei sermo 243 gloriæ Dei 366 gratiæ cœlestis nuncium 229 in ecclesia Christi duplex 259 in quemfinem à Deo in mundum missum 359 Pauli quomodo in sermone fuerit 220 quales ministros requirat 63 quale nuncium apostolo 259 quàm cupidè sit acceptandū 371 quando currere dicatur 342 quando glorificetur 342 quanto cum gaudio sit amplexandum 386 quanta παῤῥησία Thessalonicensib. prædicarit apost. 229 quare in nitio in toto mundo sit prædicatū 126 quatenus apud Thessalonicenses glorificatum 343 quatenus perfectum 366 quatenus pseudapostoli habuerint 366 quid 151 quid requirat 313 qui non recipiunt, meritò perire 336 quibus hominibus à Deo sit missum 364 quibus committendum 232 quibus non est annunciatum, quid euenturum 313 quibus sit bonum 364 quibus non sermo Dei 243 quibus sit uirtus ad salutem 220 quibus sit inuisum 230 quos ad participationem regni cœlestis uocet 367 quomodo apostolo commissum fuerit à Deo 231 quomodo Christi apostolus uocet 220 quomodo Dei apostolus uocet. ibid. quomodo Paulus prædicarit 232 quomodo per uincula Pauli manifestatum 11 quomodo suum uocet apostolus 220 quomodo Thessalonicenses ab Apostolo acceperint 242 quotupliciter sit sermo non hominum, sed Dei 242 regni Dei omnib. hominibus diuinitus destinatum 153 regni sui cur Deus in mundum miserit 336 sana doctrina ibid. sermo uerax 125.126.148 ubi sit in solo sermone 220 uerum à falso quomodo distinguatur 162 uitæ sermo 53
euangelij auditus diuersus 243 in quem usum in hunc mundum sit missus 247 authoritas unde 242 conuersatio qualis esse debeat 25 cursus qualis nostra ætate 342 Dei gratia quanti facienda 3 uera glorificatio quæ 342
ad Euangelij destructionē qui prædicent 16
euãgelij dignitas incomparabilis 25 quam sit omnibus acceptabilis 370 doctorum quæ sit conditio 364 doctrina qualis 28.107 qualem hominem requirat 25 quòd tam multos habeat aduersarios, cur non mirandum 97 doctrinam in mundo contemptam esse 562 naturali intellectu non capi 28
per Euangelij doctrinam omne genus uitiorum reprehendi 366
euangelij δώναμις gemina 220 epitheta 229 esse consortem quid 4 fructus quis 225 fructus, respiscentia. ibid. incredulitas quã pœnam mereatur 313 manifestatio ubi abundet 11 minister qualis sit, multum referre 221
ad Euangelij oppressionem quæ præsumantur, magis ad propagationē illius, quàm ad oppressionem facere 224
euangelij ornamentum 107 partes duæ 230.320 persecutionum communicatio quibus annexa 4 prædicatio quomodo sit comparata 359
per Euangelij prædicationem credentes saluari 339
ab Euangelij prædicatore quid requiratur 316
euangelij profectus geminus 10
ad Euangelij profectum quæ faciãt 15 propagationem Paulus à Deo conseruatus 246
euangelij propagãdi sonitus duplex 224 sermonem fide acceptum, imitatores nos primorum fidelium reddere 244 spes quæ 147 in Euangelij spe permanere 146
euangelij summa quæ 370
per Euangelij uerbum, Antichristi regnum detegi 332
euangelij uox apo[illegible] frequentissima 229
euangelio [illegible]edire 313 qui ob[illegible] 313 competenter uiuere [illegible]conuenientes fructus qui 25 Dei ex spiritu Christi ministrare 249 quatenus celer & expeditus cursus competat 342 quo compendio ostium aperiatur 11
euangelio suo quam uindicet sapientiam apostolus 154
per Euangelium ad quid à Deo electi simus 339 quatenus iustitia Dei patefiat 366
ex Euangelio Dei quid audiatur & cognoscatur 126
in Euangelio quid nobis annuncietur 71
pro Euangelio Christi mactari 55
in Euangelio qualia nobis bona promittantur 126
euangelicus doctor quomodo similis agricolæ 163
euangelici doctoris missus 113 operis authoritas penes quē sit 254
euangelico homini securius esse uiuere inter Turcas quã inter Antichristianos 343
euangelici qui nõ salutem sint consecuturi 335 quòd tantopere dissentiũt, euangelio Christi dedecorosum 32
euangelica fides unde gignatur 163
euãgelicæ doctrinæ cur nostris temporibus deprauationem omnium rerum aduersarij ueritatis tribuant 367 cur qui primores in papatu sunt, tantopere aduersentur 140
euangelicæ prædicationis finis 247 scopus unicus quis 370
per Euangelicam doctrinam quomodo salus promittatur 247
in Euangelicis ecclesijs qua in re hodie plurimum peccetur 232 & Apostolicis literis quomodo uersandum 134
Euangelistarum scripta qualia 126
euangelisare 259
ἐυχαριστία 378

Eucbite monachi unde dicti 299 unde causam perpetuò orãdi sum pserint. ibid.
ἀνδρῶν 25
ἀνδρία Dei 50 unde sit colligenda 206 δικαιοσύνης 316
ἀνδρίας uocem quomodo Erasmus uerterit 50
Eunica Timothei mater 391
Euripidis locus 359.391
exaltationis Christi dotes 43 principium quomodo factum 42
excellens esse 115
excellentia quomodo Christo à patre data 43
excipere quid Latinis sit aliquando 63
exemplũ Pauli summo studio Christi ministris imitandum 263
exempli uis ad imitandum trahens, quæ sit 13 magna 36
exemplorũ duo genera in Scripturis proponi 372
exercitus satanæ qualis 27
per Exhortationem quid intelligendum 230
ἐξηχᾶδαι 223
exordij genus quod'nam Apostolo usitatum 3
expectantium duo genera 101
expiationis hostia Christus 145
extranei qui apostolo 211
eũ Extraneis conuersari Christianis non illicitum. 211
ἐξουσίας duplex consideratio 132

F

FAbulæ Christiano homini cur fugiendæ 257 in papatu cuiusmodi introductæ in ecclesiã 358
fabularum diuersitas. 358
fabulas inducere in ecclesiam, et attendere fabulis, quomodo differant 357 in ecclesia & doctrina Christiana in genere omnes esse fugiendas. ibid.
in Fabulis quæ sint ibid.
cum Falsis dijs scortari 144
falsum & extraneum quid Tertulliano 356
fame cur occidendus qui non laborat 349
fastus uitium prorsus diabolicũ 176
felicitas electis ab initio mundi destinata 125
felicitatem futuram cur apostolus consolationem uocet 341 quàm pertinenter consolationem æternam apostolus uocet. ibid.
fermenti usus cur Israelitis prohibitus 9
fides Christi 22
fides Christiana à Iudæorum fide quid differat 226 quomodo sit comparata 343 Christianorum cur Euangelij fides dicatur 26 omnium uetustissima 152 qualis 124. uera quæ 161 unde concipiatur 26
fides, Dei donum 280 diuersa unde gignatur 357 & conuersatio duæ Christianæ religiõis partes 266 & ὑπομονὴ necessaria ad salutem 307 euangelica unde gignatur 163
fides imperitorum hominum quibus rationibus labefactetur 292 in Christo 124 in Christum, liberum Dei donum 28 qualis obedientia 313 iustificans 82 non simulata quid 361 nostra ut conseruetur, opus esse Dei potentia 317 omnis pietatis radix 373 opus gratiæ Dei 84 per charitatem efficax 274 per quam filij lucis reddimur, quorum sit 289 piorum quo sit recensenda 28 quale opus 97 quæ potissimum ad salutẽ requiratur 373 quã cognitionem secum adferat 84 quibus à Deo detur 344 quarum rerum sit 177 quatenus non sit omnium 343 quomodo sit comparata, unde cognoscatur 257 sacrificium incruentum 56 Thessalonicensium qualis 307 uera Christianorum quæ 124 in Christum quomodo sit comparata 29 quomodo sit comparata 24. 108 ueritatis quid 338 victoria Christianorum 27 unde capiatur 165
fidei ac fiduciæ in Christo Iesu profectum qui acquirant 402 Christi quid insit, propter quod multo sit præstantior illius iustitia, quàm iustitia bonorum opera 83 Christianæ mysterium æterna tempora præcessisse 51 simplicitas 101 confessio 45 confessionem in signem habere promissionem 46 defectus implere, ministerij uerbi pars 263 deliquium unde prodatur 257 fructus, opera 219 gaudium 32
ex Fidei nostræ articulis quæ colligẽda 185
fidei nostræ capita quæ 227 naufragium quomodo incurratur 376 opus quatenus à nostris operibus sit distinguendum 83 quale 316 quando Deus impleat 316 perfectio in hac uita imperfecta 261 principium nõ solum donum Dei esse, sed & omnis illius progressum ac perseuerantiam 28 qualitas unde 163 quòd Deus iustitiam deputat, unde 84 quomodo patientiam, Apostolus coniungat 29 uirtus 26. 27
fidem ac salutem piorum multis modis impugnari 28 ac spem ab euangelio separare, omnium pestilentissima est separatio 147 ad corda pertinere 109
ad Fidem Christi nunquam incredulos peruenire 146 recens perductorum quæ sit ratio 147
fidem Christianam sine charitate esse non posse 124 confirmare, ministerij uerbi pars 263 spem ad hoc peregrinationis tempus pertinere 147 habere in Christo, & credere in Christum, quomodo differant 124 electorum tantum esse 28 multa παῤῥησία erga Christum Dominum quando minister consequatur 402 non esse omnium 343
per Fidem nos à peccatorum morte excitari 169
fidem nostrã quomodo satanas tenotet 255 per mentiendi consuetudinem labefactari 194 qualem apostolus à Thessalonicensibus requisierit 259 quanti Deus faciat 315 quare apostolus baptismati adiciat 169 solam saluare 315 spem & charitatem omnem uitam Christiani hominis complecti 219 Thessalonicensum imperfectam cur apostolus tantopere commendarit 262 ueram à falsa multum differre 124
ad Fidem ueram perducere eos qui nondum credunt, ministerij uerbi pars 263
fidem ueram perpetuo quodam partu gaudium spiritus gignere 24
fide et spe omnem nostram religionẽ ac salutem, dum in hac carne ambulamus, constare 147 in Christum filios Dei nos fieri 51 uitam æternam acquiri 373 quomodo iustificemur in conspectu Dei 82
à Fide defectio quam motationem sequi soleat 255 & obedientia defectio 321 uera & doctrina Christi, quando temperatiuũ gloriari 54
in Fide ac uera Dei cognitione dissentire, exitiosa dissensio 32

Christi permanere quid sit 146
in Fide Christi qui deficiant 147 qui uerè fundati sint. ibid. quomodo in persecutione permanendum 308
in Fide Christi stare 103
in Fide & confessione ueritatis ut permaneamus, quid nos conseruet 308
in Fide euangelij sanos haud à facie aduersariorum expauescere 27
in Fide fundati qui permanent, à spe euangelij an dimoueri possint 147
in Fide quomodo perdurandum & obdormiendum 280
in Fide uera Christi qui non permaneant 146
in Fide uera Christi qui sint & permaneant 147
in Fide Christi qui non sint nec permaneant. ibid.
Fidelis ministri officium 150
Fideles Christi luminaria in hoc mundo 53
fideles Christi ministri cur in precio habendi 69
fideles Christi quatenus nauigantibus in mari similes 376 quomodo à mundo habeantur 278
fideles Christi quomodo luminaribus similes 53
fideles domestici Dei 403 ecclesia Dei. ibid.
fideles in resurrectione cur priores 283
fideles membra & palmites Christi 187
fideles per Christum quomodo moriantur 280
fideles quatenus in hoc seculo diuina protectione conseruentur 344
fideles quatenus intercedant pro omnibus hominibus 383
fideles quare in medijs tribulationibus exultent 222
fideles quomodo sint comparati 213
fideles quomodo unum sentiant 34
fideles, ueri sancti 136
fidelium animos quòd Apostolus ad πλεονεξίαν multis locis prouocet, quò excusari possit 264 certissimum salutis documentum 27
fidelium Christi conditio quæ sit 175
fidelium Christi stadium. ibid.
fidelium conditio 48. 179
in Fidelium cœtu mulierem docere, turpe 39
fidelium in hoc seculo sors 222 numerus Apostolorū tempore quadlis 276
fidelium παθήματα quomodo ad passionum Christi ὑστερήματα sint referenda 150
fidelium raptus qualis futurus 284
fidelium spes, Christus 219 stabilimentum aduersus omnis generis insultus quod nam sit 26
fidelium uita abscondita cum Christo 287
fidelibus Christi in prima ecclesia omnia communia 276
quæ Fidelibus Christi ministris propter Christum ab ecclesijs impēduntur, quatenus commendanda 70
fidelibus Christi quomodo in stadio sit currendum 175 quæ ad salutem necessaria sunt, unde sint petenda 178
in Fidelibus quomodo Deus operetur 49
inter Fideles quomodo Apostolus sit conuersatus 238
à Fidelibus cur obiq; petat Apostolus, ut pro se orent 305 omnibus quid Apostolus requirat 294 quid requiratur 51. 173 quomodo uelit Apostolus omnia fieri 305
de Fidelibus quid Christi ministro sit sentiendum 6
fiducia bona cur Deus inuocandus 316
fiducia hæc qua ōnia bona nobis de fratribus pollicemur, unde nascatur 344 pseudapostolorum & carnalium Israelitarum quibus membris constiterit 76 qua toti à Christo pendeamus 80 qualis ministris Christi necessaria 345
filius quatenus patre minor 39 quinam in hæreditatis πρωτοτόκια recte positus dicatur 292 quomodo patri æqualis 39
filij germani quid proprium 134 iræ quare natura simus 170 quomodo constituamur 190
filium Dei paternam dilectionem per omnia exprimere 133
filij Dei quomodo fiant Christiani 51 ut fiamus, quid requiratur. ibi.
filij germani 50 huius seculi cur uitā quietam ducere non possint 379 quibus delectentur. ibid. lucis quomodo reddamur 289 tenebrarum homines carnales 131 tenebrarum quomodo nascamur 289
filiorum corda quatenus coram patre irreprehensibilia 265 Dei in Christo Iesu causa quomodo sit comparata. ibid. huius seculi quanta sit cæcitas 229 sapientia 154 uita qualis 379 tenebrarum qualia opera 290
filijs lucis quæ opera conueniant. ibidem.
Flexamina dea, πιθανολογία 159
forma Dei quid 37
fortunæ diuersitatem Apostolo etiā accidisse 115 uota. ibid.
fratrem in negocio ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν quid 271
à Fratre qui inordinatius uiuere cœpit, quando nos subtrahere debeamus 351
de Fratre quolibet quomodo bene sperare possimus 344
fratres quo animo accipiamus, multum referre 68
fratrum condonatio quomodo fiat 197
Friderici imperatoris ad Pōtificem uox qualis 208
fructum operis quomodo Scholastici exponant 19
fructuum conditio 9 usus. ibid.
fugienda quæ sint 277

G

Galatæ ubi iusticiæ plenitudinē quæsierint 167
galeæ usus 291
Galliæ grauamina 235
de Gallorum fidelibus quale hodie à multis euangelium nuncietur 259
Gamaliel legis doctor 237
Gamaliel Pauli institutor 237
pharisæus 77
Gamalielis dictum 228
gaudium Apostoli quale 261 quomodo impletū 32 carnis 54. 114 de Christo in cuiusmodi animo locum habeat 71 qui in corde suo non sentire possit. ibid. dilectionis 3 duplex 54 & tribulatio quomodo simul esse possint 222 fidei 32 in Christo unde animaduertendum 71 indefinens & perpetuum in Domino cur à nobis poscatur 106 in medijs tribulationibus quos respectus habeat 222 Pauli 32 patrisfamilias quomodo compleatur 32 piorum hominum triplex. ibidem. precibus non perpetuò esse annexum 3
gaudium nostrum à carnis gaudio quid differat 299 quando non plenum Christiani pectoris 32 sempiternæ felicitas. ibid. spiritus 54
gaudium uerum in Christo quale 71
gaudij cum fidei profectu coniunctio

ctio 24
gaudia carnis qualia 262 mundi qualia. ibidem. sanctorum qualia. ibidem.
genealogiæ Iudaicæ 358
genealogias unde Iudæi contexant ibid.
gentes cur admodum super mortuis suis contristentur 279 cur immundæ Iudæis habitæ 231 quatenus Iudæi reciperint 247
gentes quomodo Deum cognouerint 270 non cognouerint. ibidem.
gentium cæcitas & ignorãtia Christianis fugienda 179 diuisio unde constet 45 doctor Paulus 186 ignorantia 270 immunda conuersatio quatenus Thessalonicensibus cognita. ibid.
gentes quatenus mysterium Christi concernat 152 quomodo Deus unà cum Christo uiuificarit 170 spem resurrectionis non habere 279
genus humanum quomodo Deo reconciliatum 158 unde constet 141
generis gloriam quo supercilio Iudæi iactent 76
Germaniæ grauamina oratori pontificio Norimbergæ in comitijs proposita 235
Giezi factum quatenus Elisæus uiderit 59
gladium quomodo Christus uenerit in terram mittere 303
gloria Apostoli qualis 307 beatorũ in qua re sita 367 Christi, inæstimabilis dignitas 339 quibus hominibus contingat. ibid. item quõ hominib. contingat 339 Christianorum qualis futura 189 Dei in quibus sita 366 quæ sit 121 futura in Christo unde nobis constet 317 Iesu Christi qualis 339 omnis cur ad Christum referenda 373 potẽtiæ Dei quando asseratur 130 quæ nobis in Christo communicabitur, unde sit 317
ad Gloriæ Christi acquisitionem quomodo nos Deus uocet 339
gloriæ Christi hostes qui 201 quatenus Deus nos uelit esse participes 339 quomodo corpora nostra conformanda 102 Dei πλῆθος, Christus 152 potẽtia quæ 130 inanis proprium 34 studiũ quale Apostolus reijciat 34 usurpatio 189
gloriam Dei quatenus euangelium prædicet 367
gloriam ex hominibus quærere, nec licitè nec utiliter posse Christi Apostolum 234
gloriam quærere, Deo uehementer exosum. ibid.
gloria æquali Christus cum patre præditus 45
in Gloria esse, per se non illicitum 234
gloriatio duplex 54
gloriari in Iesu Christo quid sit 74 secundum carnem. ibidem. item spiritum. ibid.
glorificare Christum 313
glorificati corporis Christi dotes quæ 103 corporis dotes 43
gradus superiores in ecclesia affectare, non esse Christiani hominis 395
gratia Dei extra Christum cur frustra quæratur 142 Dei ubi nõ constet 292 quomodo agnoscenda 191 unde ueraciter cognoscatur 126 piorum qualis 367 reconciliationis per Christum factæ incomparabilis 146
gratiæ Christi quomodo participes reddamur. ibid. cœlestis nũcium, euangelium 229 Dei ubi nullus locus 313
ad Gratiæ Dei cognitionem quid requiratur 126
gratiæ Dei contemptus quid operetur 292
gratiæ Dei exuberantiam quomodo Paulus prædicet 369 uirtus apud Colossenses quomodo declarata 126 & lucis filij quomodo reddamur 289 mutatio quomodo sit comparata 292 plenitudinem non B. uirgini tradendam, sed soli Christo 140 reconciliatio quibus contingat 146 sermonem quomodo Apostolus sit moderatus 210 tam in tristibus quàm in lætis Deo agendæ 300
post Gratiam acceptam cur inculpatè sit uiuendum 272
gratiã Dei in Mose frustra Iudæos quærere 152
gratiam Dei in ueritate quomodo Colossenses cognouerint 307 non amplecti, peccatorum omnium grauissimum 292 quomodo nobis Apostolus commendet 131
gratiam habere, agere & referre, quomodo differant 367 malum qui nam communi iudicio apud regem ineant 381 quibus Deus det 234 reconciliationis qui negent 142
à Gratia Christi quomodo excidamus 146
gratia Christi quõ nos indignos reddamus. ibid. reconciliationis quõ fruamur. ibid. gratiæ cur semper Deo agendæ 105
sine Gratiarum actione cur nunquã ad Deum precandum 108
gratiarum actio qualis usitata Apostolo 242 ubi continuanda 307 actionis materia quibus uerbis exprimatur 205 actioni orationem in Scriptura coniungi 262 actionem necessario requirere grati animi gaudium 130 actiones & preces cur Apostolus coniunxerit 218
gratias Deo suo quàm indesinenter pro Philippensibus agat Apostolus 3 quare Apostolus Deo agat pro Colossensibus 124
in Grauitate esse quid 234 quare Paulus esse noluerit. ibid.
in Gregis Domini medio esse, quid sit 235
Gualtheri conciones de Antichristo 331

H

HAbere aliquid in memoria, ore & corde, quomodo differant 5
habitus corporum nostrorum qualis futurus 102
hæreditas cœlestis quibus constet rebus 208
in Hæreditatis περιουσίαν qui filius rectè positus dicatur 292
ad Hæreditatem regni Dei quomodo perueniendum 131
hæreticum esse in papatu quid 301
hæretici unde occasionem sumpserint Christum creaturis accensendi 136
hæreticorum consensus quatenus nõ laudandus 32
pro Hæreticis cur fideles ministri à Papistis habeantur 163
ἕδρα 147
ἑδραῖοι. ibid.
ἐπισκοπὴ λαϊκὴ in ecclesia Christi non esse introducendam 356
Hieroboam peccati uir 323 quõ Israelem peccare fecerit. ibid.
Hieroboamum quõ rectè peccati hominem uocemus. ibid.
Hierouymi locus 19.20.201.122
Hieropoleos etymon 215
Hierosolyma Iudæorum metropolis 12
ἐκενόω uerbum quid significet 130
ἐκκλησία 131
ἐμπρῆσαι 236
ἐπισυναγωγὴ 275
Hispani flagellatores 183
Hoffen unnd harren, macht manchẽ narren,

narren, unde ortũ prouerbiũ 17
homo ad imaginem Dei cõditus 176 internus 190 pius quõ arbori cõparetur 129 peccans & homo peccati quõ differant 323 peccati quatenus hactenus reuelandus fuerit 324 quis 322
homo quibus partibus constet 303 quomodo à Deo conditus 49 totus quomodo sanctificetur 304 uetus quomodo in nobis mortificetur 169 quõ in persona Christi crucifigatur 169
hominis infima pars 303 interni membra 190 natura ueneno serpentis infecta 49 ueteris crucifigendi ratio 169
ad Hominem ueterem qui pertineãt 96
inter Hominem pium & arborem bona quid sit discriminis 129
ab Homine quæ fiunt, qua diuisione comprehendi queant 204
homines ignaui Christianorum ecclesijs insidiosi cur 277 quatenus Dei inimici 144 quibus medijs perdantur 324
hominum consilia uana 228 duo genera 310 facta diuersa 310 impiorum consilia 14
coram Hominibus quomodo cõuersandum 51
hominibus ignauis cur cauendum ne ecclesiæ impleantur 277 quomodo se placere uoluisse, neget Apostolus 232
honestas quomodo sit comparata 111 eius multæ species 380 species secundum temporum uices mutari. ibid.
honor qui corpori debeatur 183
hospitalitatis usus in primitiua ecclesia qualis 397
hospitio accipere fratres, Christianorum opus 51
hostis præcipuus quis non immeritò putandus 372
hostijs quibus delectetur Deus 120
humanum genus quare cum Deo reconcilari necesse fuerit 142 quomodo Deo reconciliatum 158 unde constet 141
humanæ traditiones duplici nomine Christianis repudiandæ 166
humilis & excelsus quomodo quisq; inter Christianos 35
humilem esse animo, & docere humilitatem, differre 177
humile esse 115
humilitas animi quæ seruanda 176 carni difficilis 37 corporis nostri quomodo consideranda 102 hypocritarum qualis 176 monachorum qualis. ibidem. omnium communis quæ 102 phariſæorum qualis 176 præpostera. ibid. cur uitium destabile. ibid. specialis Christianorũ quæ 102 uera 176. 177
humilitatis Christi exemplum imitãdum 38 species 35 uirtus communi omnium iudicio insignis 182
humilitatem præposterã à uero Dei cultu abducere 176 gloriam philanthropiæ & misericordiæ Dei obscurare 176
humilitatẽ gratiæ Dei & dignationis fiduciã extinguere. ibid. qualẽ apostolus in Philippensibus requirat 35 quomodo Christus in se susceperit 102
Hussij martyrium 11
ὑβριστὴς quid significet 368
Hymenæi defectio qualis 377
ὑπέχειδαι 308
hypocritarum ficta humilitas 176
ὑπερβαίνειν 291
ὑπομένειν 130. 307
ὑπομονὴ. ibid. quare pro tolerãtia & patientia sumatur 307
ὑποτύπωσις 373
ὑστερῶδαι 114
ὑστέρησις 114 quando nobis accidat ibid.
ὕστερον ibid.

I

Iacob quomodo Deo in utero matris placuerit 267 quõ Deum uiderit 135
Iacobi luctus unde 278
Ioannes & Mambres Mosi resistũt 334
idẽ sentire in Domino 104 quid sit 32
idiomatum communicatio 22. 38
idolorum uanitas 226
idololatriæ peccatum à Iudæis magna obstinatione impletum 248
ab Idololatris cur hodie Christiani hæreseos damnentur 309
Iesus cur ab angelo nominatus 354 cur sit uocatus 227 quid Ebraicè sonet 371. 385
Iesu Christi nominis inter populos spargendi ratio 11
præter Iesum Christum cur Paulus nihil scire uoluerit 145
ieiunium quatenus bonum 363
ignaui homines Christianorũ ecclesijs insidiosi cur 277
ignis purgatorij commẽtum quando ecclesijs obtrusum 285
igni in papatu qui tradantur 298
ignorantia Dei quàm sit damnabilis 312 quatenus Iudæis & gentibus tribuatur. ibid. gemina 369 Pauli qualis fuerit. ibi. quæ minus excusationis habeat. ibid.
ignorantiæ & erroris qui excusari possint 326
per Ignorãtiam qui potissimùm peccent 369
imago Dei, Christus 195 cur sola adorãda 135 in quorum cordib. habitet. ibi. in quorũ medio sit 135 ubi non habitet. ibid. uera quando in ecclesia habeatur. ibid. quæ non. ibid.
imaginem Apostoli qui habeant 136
imitatio Christi uera quæ 222
ad Imitationem ueram & rectam quid requiratur 95
imitator Christi & apostoli quis dicatur 222
immolandi uerbo cur apostolus uti uoluerit 55
immolationem suam cur apostolus mortem suam uocet 55
immundicia, carnis opus 273
immundus 190
imperatores cur Romæ communiter Domini uocabantur 57
imperitorum hominum fides quomodo labefactetur 292
imperitioribus cur opus sit, ut ante oculos habeant quos imitẽtur 95 qui plurimum noceat 73
impietatis primus gradus 365
impij quando meritas pœnas luant, exemplum esse iusti Dei iudicij 308 quatenus pœnas sint daturi à facie Domini 314 quòd in hoc seculo regnãt, certissimum futuri Dei iudicij ἔνδειγμα 308 quomodo cum satana manifestandi 188
impiorum afflictio qualis 310 cur grauior adflictio futura. ibid. æterni exitij quæ ratio 313 æternum exitium quibus Scripturæ locus asseratur 314 æternæ perditionis horror 288 exitium æternum 313 finis perditio 99 futurus interitus repentinus 288 hominum consilia 14 perditio quò sit recensenda 28 unde sit 28. 385 pœna 288 securitas 288 sors horribilis 265 spes qualis 17
impios dum alios affligunt, nescire quid sit adflictio 310 omnium iustissimè in sempiternum puniri 310 quos uocet apostolus 365
impostura studia in quem animum non cadant 233

per Impoſturam circumueniri nocẽtius malum, quàm manifeſta tyrãnide impeti 160
impoſtores cur uitandi 158
per Impoſtores cur maiores noſtri modico negocio ſeduci potuerint 160
incautos decipiendi, ipſiſſimum ſatanæ inuentum 158
increduli cur iuſtiſſimè pereant 337
incredulos nunquam ad fidem Chriſti peruenire 146
incredulitas quibus non imputanda 369
inconſtantia nulla in Deo 4
inconſtantiæ & perturbationis uitia homini Chriſtiano fugienda 318
indignos quomodo nos Deo reddamus 240
indulgentiæ papiſtarum 149
infantes quomodo ad Chriſtum pertineant 383
erga Infideles quomodo Chriſtianis ſit ambulandum 210
infirmi quomodo tractandi 298
infirmiores in fide Chriſti, quibus cõfirmandi generibus ſint cõfirmãdi 255
inflari fruſtra quis dicatur 177
ingratitudo erga cœleſte beneficium unde agnoſcẽda 163 quàm ſit deteſtabilis 200
ingratitudinis uitium cumprimis erga Deum fugiendum 261
inimicitia ipſiſſima quæ 144 ubi nulla ſit. ibid.
inimici Dei ac iræ filij quõ conſtituamur 190
iniquitatis myſterium quid apoſtolo 329
iniuſticiæ deceptio quæ ſit 335 ſeductio in quibus locum habeat 335
innocentia coram Deo nulla 51
inter Inobedientiæ filios quomodo Coloſſenſes uixerint 192
inobedientes à papiſtis qui uocẽtur 313
inordinatè qui ſe gerere dicatur 347
inſcriptionis forma in literis apoſtoli uſitata quæ 354
intelligentia uera et Chriſtiana quæ ſit 8
intelligentiæ Chriſtianæ finis. ibid.
interpreti quid potiſſimùm curandum 94
inuidentia & contentio miniſtris uerbi inſidioſa peſtis 13
inuocatio ubi locum non habeat 263
Ioannem cognomento Marcum, quare apoſtolus aſſumere ſecum noluerit 60
ira ἀπὸ τῆς ἀϑυμίας prorſus aliena 207 Dei quomodo agnoſcenda 191 quõ in Iudæos in finem peruenerit 248 propter quæ peccata ueniat 191 ſuper quos ueniat. ibid. ultio 248
ira gratiæ oppoſita 191 quid. ibid. quõ mala reddatur 194 regis, mors 140 quo
iræ filij quare ſimus natura 170, 190 modo conſtituamur
iram quomodo apoſtolus uſurpet 19 non eſſe ex ijs affectibus, qui per ſe ſunt mali 193
ab Ira quomodo nos Chriſtus liberet 227
irreprehenſibiles ut ſimus, quomodo uiuendum 5
Iſraelitarum ad ollas Aegypti reſpectus 89 σωτηρία 16
Iſychij in Leuiticum commentaria 213
Iudaicus populus cur Deo diſpliceat 246
Iudæus cur non agnoſcat ſe euãgelio Chriſti non obedire 312 in Moſe quando ambulare dicatur 162 quare ultionem inobedientiæ in extremo die ſit euaſurus 312
in Iudæo duplex prærogatiua 196
Iudæi cũ proſolytis quid cõmune habẽant 76 cur Paulum ſint perſequuti 247 & Turci cur Chriſtianos pro impijs & ſuperſtioſis habeant 158 immũdum coram Deo præputiũ 74 quatenus regni Dei amplitudinem in arctum reſtringant 374 quare Deo non ſeruiãt 226 qua ratione conati ſint Paulum excludere, ueluti minus idoneum ad docendum legem diuinam 358 quo nomine apoſtolatũ Pauli immundicitiæ damnarint 231 quomodo credãt Ieſum Nazarenum eſſe mortuum 279 quomodo omnibus hominibus ſint aduerſati 247 quomodo peccata ſua impleuerint 248 quomodo ſaluti mortalium aduerſentur 247 unde factum ſit quòd Chriſtum non agnouerint 320
Iudæorum carnaliũ præſumptio 74 conſenſus quatenus non laudãdus 32 de Chriſto error 320 doctores quales 387 eccleſiæ, quomodo eccleſiæ Dei 242 erga homines inhumanitas 246 error 383
inter Iudæorum & Chriſtianorum fidem quid ſit diſcriminis 226
Iudæorum fabuloſæ genealogiæ quomodo ſint comparatæ 358 fides 218. 338. 340. furor in Paulum 246 in perſequẽdo Paulum labor fruſtaneus 247 natio à Saluatore quibus epithetis notetur 52 obſtinacia 248 peccata qualia 248 ſpes 125 Thalmud 358 ultionem quõ Chriſtum uocet 248 zelus qualis 246
Iudæis cur gentes immundæ habitæ 231 quã ob cauſã Paulus ſit factus exoſus. ibid. qui nam ad docẽdum de lege diuina idonei eſſe uideantur 358
Iudæos fruſtra gratiam Dei in Moſe quærere 152 per ignorantiã Chriſtũ occidiſſe 246 prophetas proprios duplici nomine occidiſſe 246
Iudas perditionis filius 324 qua occaſione in furandi perfidiam inciderit 410
iudicare quomodo quiſq; de ſeipſo debeat 35
iudicium extremum quãdo futurum 310 quorum ſit futurum 312 futurum qui nam ſint euaſuri 308
ad Iudicij Dei iuſticiam quæ pertinent 336
iudicij futuri dies quibus epithetis in Scripturis ornetur 287 iudicia 5 iuſti Dei ὑπόδειγμα 308 Dei partes 310 uniuerſalis dies, Domini ad uentus 252
ad Iudicium extremum quando Dominus ſit uenturus 287 quomodo Chriſtus uenturus 318
in Iudicio extremo nullus tergiuerſationis locus 314
iuramentum, omnis controuerſiæ finis 7
iuramenta noſtra quomodo confirmentur 9
ius ſummum ſæpe in ſummam peruerti iniuriam 398
iuſticia bonorum operũ unde ſit 10 ex lege quid 82 fidei qualis 83 perfecta in quo conſiſtat 299 quæ eſt per fidẽ Chriſti. quãto ſit præſtantior ea quæ eſt ex lege 83 quæ ex operatione regenerantis nos ſpiritus Dei eſt, quibus rebus conſtet 9 quomodo per fidẽ Chriſti 82
iuſticiæ beneplacitum 316 complemẽtum ubi Galatæ quæſierint 167
conſiderario duplex 5 noſtræ omnes quales 82 propriæ doctores quatenus à doctrina apoſtolica alieniſſimi 84 doctrina in eccleſias Chriſti unde ſit introducta 334 reſpectus qualis apud Deũ 81
iuſticiam Chriſtianorum bonis operibus comprobari 9 Dei mundum non agnoſcere 309
ad Iuſticiam Dei quid pertineat. ibi.
inter Iuſticiã legis et operũ, et eã quæ eſt per fidem Chriſti, quo diſcernat Apoſtolus 83

iustus in Scripturis quis uocetur 364
iusti genus quod curam nostram concernat 111
iusto cur non sit lex posita 364. 365
iustum communiter quem uocemus 364 quem Paulus uocet. ibid. quod est, reuera fieri coram Deo 310
iusti quòd in hoc seculo ab impijs afflinguntur, certißimum ἔνδειγμα futuri Dei iudicij 308
iusta esse duplicis generis 111 quæ sunt coram Deo, cur pij homines perpetuò rationem habere debeant 310
iuuentus quomodo sit educanda 37

K

κακία 193
καλὸς 351
καλοποιῶν. ibid.
καταγγέλλειν 14
καταβαπτίζειν 73
καταβραβεύειν 175
καταβραβεύειν quibus modis fiat. ibidem.
κατηγάζιαθαι 50
κήλυσμα quid sonet 281
κίνη uox quid significet 228
κινὸν 165
κινοδοξία 34
κινοδοξία, & ἀλλοδοξίαν plurimũ differre. ibid.
κηρύσσειν 14
κλακσόνειν uox unde translata 233
κονιᾶν quid Græcis significet 295
κοτὲ ἐλέᾳ τῶν κολῶν, prouerbium 72
κοσμῶν 389
κόσμος. ibid.

L

LAbor & molestia an locum habeant in eo opere, quod operatur amans ad salutem eorum quos amat 237
laboris Apostolici duplex respectus 258 fructus 55
in Laboribus qui respectus fuerit Apostolo 55
laborandi ordinem diuinitùs esse institutum 347
laborare frustrà in seculo qui se censeant 54 uanum. ibid.
lac unde prouidentia diuina producat 236
Lactantij locus de interitu Romani imperij 331
Laodicææ etymon 215
Laodicensium ad Paulum literæ 216
lasciuia carnis opus 273
Lasari consolationes quales 341 obdormitio 278
lectio sacrarum Scripturarum cur in papatu non libera 34 legalia præcepta quem usum poscant 363 ueteris testamenti decreta qualia 174
legalium ciborum ac dierum obseruãtia apud Iudæos insolubilis. ibid. obseruationum certæ partes apud Iudæos. ibid.
legatio cardinalium à regno Dei alienissima 309
legationes ministrorum Christi quales esse debeant 58
λειτουγία 55
leprosorum à Christo sanatorum ingratitudo 67
lex accusans & condemnans quatenus abrogata 171 à carne quare impleri nequeat 82 cur data 362.364 Dei cur nobis cõtraria 171 qualia præcipiat. ibid.
lex qualis 82.171 quam iusticiam requirat 82 quando bona & utilis 363 quare omnibus hominibus sit posita 364 item prædicanda. ib. quatenus cõtraria Iudæis 171 quatenus hominib. contrararia et aduersaria. ibid. quatenus hominib. noxia. ibid. quib. bona 363 quibus nam lata sit à Deo 365 quibus nõ bona 363 quibus posita 362 quomodo sit comparata 364
à Legis doctore quid requiratur. ib. doctrinam coram sapientibus in magna esse existimatione 362
legis externæ coactione quibus non sit opus 364 Mosaicæ abrogatio cur necessaria 271 in quibus sita. ibid. usus 364 geminus 363
legem bonam esse, quatenus tenendũ sit. ibid. ne sibi à pseudapostolis obtundi sinant, quibus rationibus Colossenses Apostolus absterreat 172 per Christum impleri 159 quis nõ legitimè docere posßit 364 quo sensu Apostolus è medio sublatam esse dicat 171
in Lege cur nemo iustificetur coram Deo 82
lege quando minister legitimè utatur 363 qui utãtur legitimè. ibid. quõ auditor legitimè utatur. ibid.
sine Lege uiuere homini inutile 365
leges omnes sine usu esse inanes 363
legum bonarum conditio generalis quæ 171 (365
legibus cur inter Christianos sit opus
leges bonas de naturæ nostræ malitia contrariate sua testari 171
liber uitæ 105
liberatio à peccatis & condemnatione in cruce per sanguinem Christi parta, ad quos spectet 173 nostra quomodo peracta 133
liberationis genus quod nam à ueris fidelibus alienum 16
liberorum erga parentes obedientia quæ Deo placeat 206 & parentum conuersatio nem quõ Deus disposuerit 205 institutio quibus uitijs impediatur 207
libido uocabulum omnis cupiditatis 191 quid. ibid.
linguæ confessio quõ cœlestibus spiritibus tribuatur 45
lingua incognita in Papatu canere, quanti æstimetur 301
λογίζιαθαι 113
ὡ λόγῳ εἶναι quid significet 233
λόγος interdum pro rumore poni. ib. sæpenumerò pro mendacio et inani prætextu sumi 181
Lois auia Timothei 375.391
Loth quòd à Sodomitis afflictus, unde sit 308 quomodo in medio prauorũ uixerit 52
pro Lucro quando Christus non haberi posßit 81
lumen rationis humanæ ueritati Dei contradicere 53
Lutheri de Romana sede scripta 323
lux uera Christus 53
in Lucis consortio cum sanctis Dei an uersemur, unde cõtectandũ 131
lucis filij quõ reddamur 289 quõ Thessalonicenses facti. ib. filiorũ & tenebrarum diuersa cõditio 290
Lyrani locus 215.292

M

MAchinam hanc Dei quõ Apostolus diuidat 44
mactari pro Christi euangelio 55
magistratus in quem usum à Deo cõstitutus 379 (295
magistratũ suum quõ ciuis agnoscat
magnificentia Dei duplex 18
maiestas diuina quib. peccatis irritetur 191
maiores nostri cur modico negocio per impostores seduci potuerint 160 sub papatu an perierint 324
maiorum nostrorum præterita aliàs qualis fuerit 369
maledicentia 194
maliciæ natura quõ cõparata sit 129
malicià mũdi reuelare, & inducere malicià mũdo, quõ differant 266
malũ cuiquã mortaliũ facere, q̃ alienũ esse debeat à Christiano 299 pro malo quotupliciter reddatur 298
mali operarij ecclesijs Christi noxij 73 in papatu quales. ibid.
mala pro bonis non reddenda 299

malis in ecclesia gliscentibus quomodo sit occurrendum 350
à Malis cur pij affligantur 310
male facere 298
mandata hominum cuiusmodi 82
manifestatio Dei in carne cur magnum mysterium uocetur 405
manifestationis Christi tẽpus soli Deo cognitum 188
manere in carne Apostolum, cur Philippensibus necessarium 23 quomodo Apostolo magis fuerit necessarium. ibid.
manus puras ad Deum attollere 388
manuaria opera 237
Maometanorum secta unde nata 71
Marcionitarum error 40
Maria non seruatrix 140 uirgo papistarum spes 153
maritus quæ uxori debeat 61
à Maritis quam scientiam Petrus requirat 269
Martinus Lutherus cur Vuormaciæ uocatus 12
Martini Lutheri Babylonica captiuitas 93
martyris unius Christi præstantia 136
martyres Christi qui 69 in conspectu Dei qui. ibid. unde uocentur. ibid.
matrum erga liberos suos educandos ac fouendos sedulitas 236
Matthæus cur publicanus nominetur 372
mediatio qualem hominem requirat 385
mediationis honor cur angelis non conueniat 374 cur homini conueniat. ibid. opus per nudum hominem præstari non posse 385 ratio quæ sit 383
mediatorium officium & opus quale esse debeat 385
mediator qualis esse debeat 384 quis ibid. unus cur inter Deum & homines. ibid.
mediatoris opus Christi quale 385 typi quatenus in ueteri testamẽto præfiguratis 384
mediatore quorsum opus ad Deum fuerit 383
de Mediatore Christo qualis hodie contentio 385
medicus ab ægroto quid requirat 292 cuiusmodi commento induxerit ægrotum ut secum ederet 160 qui nam ægrotum perdat 359
medici cuiusdã nobile exẽplum 160 præcepta quæ ægrotã uana 362 qui culpandi 364
medico qui obedire dicatur 313
medicum suum quatenus ægrotus cognoscat 84
melior quõ deteriorem castigare debeat 36
membri uniuscuiusq; quæ sit conditio 155
membra sua ut Colossenses mortificent, cur Apostolus hortetur 189 ueteris hominis mortificare 192
membrorum mortificatio 193
mendacium quibus gradibus exaggeretur 194 unde sit 336
mendacij efficacia in manu Dei 336
per Mendacium quomodo proximus damno afficiatur 194
pro Mendacio pati 29
ad Mendacia omnes naturâ procliues esse 33
mendicorum ualidorum quanus hodie sit numerus 346
Menelai ad fratrem dictum 274
mens Dei quæ sit 144 sana in corpore sano, magnum Dei donum 397
mentis cæcitas unde sit 129 sanctimonia 265
mente & corde abalienatum esse à Deo 144
à Mente sua qui citò dimoueri dicatur 320
mentes quomodo illuminentur 129
mentium fidelium occæcator satan 157 humanarum quanta sit corruptio 316
mensura peccatorum quomodo impleatur 248
in Mercimonijs ὑπέρβασιν quæ sit 271
meritorum doctores cur à serpente antiquo in ecclesiam missi 84 gratiæ Dei hostes. ibid.
meritorum doctores quatenus ab Apostolica doctrina alienissimi 84
meta 90
μὴ ὑπερβαίνειν πρὸ μὴ πλεονεκτεῖν quid 271
miles cur ad militiã uocetur 375 cur maxima diligentia caput & pectus suum aduersus hostem custodiat 291 thoracem & galeam cur gerat. ibid.
militi quæ competant 376
milites prætoriani 11
militum acies quomodo consolidetur 161
militiã bonam quid uocet Apostolus 376
minister Christi cur sũma fide et diligẽtia in ecclesia illius uersari debeat 403 Christianismus quis 359 Christi qua conscientia in ministerio suo esse debeat 272 quando neglecti ministerij culpam effugere nõ possit 239 quatenus ducis exercitus similis esse debeat 255 qui non fideliter expleat suum ministerium 154 quo animo erga euangelij Dei aduersarios esse debeat 72 quomodo animatus esse debeat 376 quomodo in medio fidelium conuersari debeat 239 quõ inter fideles Christi laboret 295 unde sciat prædicationem suam non esse tantum in sermone, sed & in uirtute 220
minister euangelij qualis sit, multum referre 221 Dei insignis Moses 155 probatus & fidelis ubi frustra commendetur 62 quomodo in ministerio Christi uersari debeat 403 uerbi quando frustra laboret 55 quãdo legitimè quæ Christi sunt, quærat 62 ubi securè imitandus 221
ministri boni officium 295 Christi affectus germanus quis 342 fidelis officium 72. 150. 156. 257 probatio quatenus innotescere possit 62 uerbi officium 221
ministro Christi cur inculpatè in ecclesia uiuendum 238 fideli quid præstandum 154 qua cautione mox initio cum cum ijs quibus euangelium Dei prædicat, agendũ sit 256 uerbi qui honor debeatur 296
ministrum Christi quatenus militi cõparet Apostolus 245 Dei accipere res magni momenti 254
in Ministro Christi quid potissimùm requiratur 268
à Ministro Christi quid requiratur 61. 127. 139
ministri Christi quibus sint in precio 71 ueri à falsis quibus notis discernantur 236 Dei quare hodie pro cultus Dei uastatoribus damnentur 182 ecclesiæ quomodo meritum contemptum fugere debeant 69 Euangelij Dei quomodo doctrinam suã tueri debeant 231 quatenus potestate accepta abutantur 398 fideles à quibus in precio habeantur 296 curà papistis pro hæreticis habeantur 153 singularia Dei organa 69 quales hodie ecclesijs præficiantur 62 uerbi Dei quomodo animati esse debeant 7 in precio habendi 295 quanta cum modestia doctrinam suam administrare debeant 387
ministrorum animos ut in ministerio suo fidèliter operentur, quid potissimùm solicitare debeat 69

Christi legationes quale esse debeant 58 præstantia 14 sustentationem qui perfidè interuertũt quatenus damnandi 70
ministrorum morientiũ, Christi gaudium 56 officium 154 uerbi in re formatis Ecclesijs salarium 397 uotum quale esse debeat 154
ministris Christi exẽplum quale imitandum 350 fidelibus idem quod nutricib. accidere 237 quid imitãdum 349 probatis uti ecclesiæ cõsultissimum 62
de Ministris uerbi Dei cur non contemptim sentiendum 196
ministros Christi fideles in precio habere ecclesiæ interesse 68 euangely in Germania passim in tabernis uinarijs immorari 397 probatos honore afficere, ecclesijs plurimum prodesse 96
erga Ministros uerbi ut pacificè agant, cur admoneat omnes Apostolus 296
ministerium suum quibus elogijs Apostolus commendet 386 uerbi in ecclesia Christi quomodo sit comparatum 295
ministerij euangelici partes quæ 253 neglecti culpam quando Christi minister effugere non possit 239 uerbi partes quæ 263
miraculosa facta unde pendeant 59
μίσγεσθαι qui 73
misericordia Dei cui sit sperãda 369 item cui non. ibid. nunquam ineficax 66 quomodo sit comparata ibid. opus cur recte misericordia uocetur. ibid. duplex genus. ibid. item ratio 372 capaces qui esse non possint 93
misericordiam cur sit Paulus consequutus 372
Missa, cœnæ Dominicæ corruptio 337
Missatio Papistarũ sacrificium 247
moderati ingenij homines qui 114
monachi ἀκοίμητοι 183 quõ olim apostolicæ huic regulæ uitam suam conformarint 275 quo prætextu facti sint omnium opulentissimi in mundo 179 quõ sui ordinis homines accipiant 68
monachorum ficta humilitas 41. 176 uita hodie qualis 275 superstitionem per qualem uirum Deus expugnare uoluerit 75
mors Christi quatenus mundi redemptio 293 Christianorum qualis. ibid. æterna quid 312. 373 peccati stipendium 66 quatenus misericordiæ Dei sit capax. ibid. quæ præclara & optanda, ibid.
mortis autor Adam 139 carne quòd adhuc morimur, unde sit 293 Christi communicatio duplex 85 item quæ. ibid. efficacia in quare sita 293
à Mortis debito quõ simus liberati ibid. nostræ diem & horam cur Dominus nos præscire nolit 287 rei cur simus natura 170
morti cur nos præputium carnis obnoxios reddat. ibid.
mortem corporis Christiano homini esse desiderabilem 21 per Adamũ in mundum intrasse 280 quare pro nobis Christus subire sit dignatus 293 suam cur immolationem Apostolus uocet 55 sint ne uiui in ipso raptu, uel antea, gustaturi 284
mortuum esse cum Christo ab elemẽtis mundi 179
mortui in Christo qui dicantur 283 per resurrectionem quibus rebus liberabuntur. ibid. qui cum Christo adducentur 279
mortuorum conditio 187 luctus unde Thessalonicensibus fuerit 278 unde nascatur. ibid. mirabilis somnus 283 sanctorum gesta cur in papatu prædicentur 225 imagines cur non adorãdæ 135 inuocatio in papatu superstitiosus usus 305
mortuos ethnico more lugere, Christianis inconueniens 278 non esse ethnico more Christianis lugẽdos ibidem
de Mortuis fidelium quid sentire ac sperare debeamus 285
super Mortuis suis cur gentes admodum contristentur 279
moriendi necessitas quòd omnibus mortalibus imposita est, cur non debeat mirum uideri 21
morientium conditio qualis 278
Moses insignis Dei minister 155 quõ Deum uiderit 135
Mosis legem nusquã παραγγελίαν uocare Apostolũ 360 prodigia qualia 334 uirga in serpentẽ mutata ibidem
in Mose quando Iudæus ambulare dicatur 162
Mosaica circumcisio quid à spirituali differat 168
Mosaicæ legis abrogatio cur necessaria 171
mulier delatrix 405 ebria q̃ sit dedecorosa 402 in quẽ finẽ condita 393 quatenus in silẽtio discat 390 quatenꝰ potestate utatur 391 quatenus saluetur 393
muleris Christianæ opera bona quæ 389 ornatus qualis esse debeat. ib.
mulieri Christianæ quæ opera sint ornamẽto 389 quare nõ cõueniat imperium in uirum 392
mulierem leuem parum fidam esse posse 402
mulieres an propter liberorũ generationem saluentur 393 maiore ex parte parum constãtes 402 natura sua loquaces 390 quatenus à uiris Apostolus discernat. ibid.
mulierum ornatus, silentium 391
mulieribus quare non conueniat ut in ecclesia doceant 390
muliebris sexus leuitas 389
in Muliebri cultu quid damnetur. ib.
mulierculæ prægnantis dolor & imporũ interitus quõ cõparẽtur 288
mundus cur odio prosequatur luminaria 53 per Christum conditus 38 prior quõ dixerit, Pax est & omnia sunt tuta 288 quare fideles affligat 345 quare in tenebris suis pereat 385 quid rẽligionem Christianã censeat 405 quõ Christi fideles tractet 287 totus quo respectu per Christum reconciliatus dicatur 141
mũdi de ecclesia Christi cẽsura 403 elemẽta quid Augustin. uocet 166 huius de ueris Christianis iudiciũ quale 145 elementa diuersi generis 179
à Mundi elementis cum Christo mortuum esse. ibid. gaudia qualia 262 lumiaria à quibus extinguãtur 53 fideles. ib. iudiciũ. ibid. malicia cui adscribenda 366 princeps satan 172 spiritus 17 status qualis in aduentu Domini futurus 281
mundo quatenus Deus abscõditus 187
in Mundo quatenus filij huius seculi uiuant 180 quõ Christiani uiuant ib. quõ Colossenses uixerint. ib. to to diuulgari 148 uiuere quid sit Apostolo 180
mundũ nõ posse spiritũ ueritatis accipere 110 quid Paulus uocet 148
in Mundũ cur Christus uenerit 180 uniuersum cur euãgeliũ missũ 225
inter Mundum & Deum per quem diuisio facta 140
per Mundum quid Paulus intelligat 148
munda quæ sunt cogitare, & externam mundiciem simulare, differunt 112
multiloquij non affectator Paulus 306
multitudo imperita quomodo à philosophis seducta 165
muncipij cœlestis quomodo Christiani participes fiant 100
Munsteri cosmographia 122

murmurationis uitium à germanis filijs alienum 51
muscæ quomodo sint mortuæ et dormientes 283
Musculus quomodo à maioribus suis sit institutus 163
Musculi Anticochleus 93 cum Franciscano contentio de perfectione qualis 92 Proscærus 112
mysterium 329 Antichristianæ iniquitatis quo prætextu in Ecclesias gentium propagatum 12 Christi à quibus fuerit abscõditum 151 cur prophetis & Apostolis reuelatum 152 manifestatio quottuplex 210 notũ facere, ad Apostoli cũ ministeriũ pertinere 133 quandiu fuerit abscõditum in Deo 152 quatenus gentes concernat 152 quibus reuelatum. ibid.
per Mysterium Dei quid Apostolus intelligat 58 fidei quid uocet Apostolus 401 regni Christi notũ facere, ad Apostolicum ministeriũ pertinere 133

N

Nam quid Græcis sonet 104 natura hominis serpentis ueneno infecta 49
naturæ corruptæ malicia quomodo in electis operetur 291 nostræ corruptio, corpus peccatorum carnis 190 quãta, ibid. deprauatio quanta 336
naturam humanam in nomine Iesu comprehensam esse 227 nostram somno carere non posse 290
in Naturam quomodo peccetur 184
necessitas moriẽdi quòd omnib. mortalibus imposita est, cur non debeat mirum uideri 21
pro Necessitatibus mutuis ad Deum orare 305
νικέω 189
νικὼν. ibid.
νίφοντοι 199
Nero tyrannorum omnium exosissimus 378
Neronẽ cur nemo prohibuerit, quominus palàm iniquè contra Christianos ageret 330
à Nerone Paulus quõ dimissus 17
noctis filiorum qualis sopor 291
per Noctem quid intelligendum 289
nomen Domini Iesu Christi quibus proponat Apostolus 350 Iesu Christi in credentibus quomodo illustretur 317
nominis Christi excellentia in quibus rebus consideranda proponatur ab Apostolo 44 Iesu Christi inter populos spargendi ratio 11
in Nomine Iesu Christi aliquid præcipere quid sit 346 quare nobis omnia sint facienda 204 quomodo omnia facienda sint. ib. comprehẽsum esse humanam naturam filij Dei 227
νῦς 109
νυσιτᾶν unde deducatur 153
nouus homo 190 quõ nascatur 195
noui hominis membra 190
noua creatura quid Apostolo. ibid
nouum testamentum simile diei 174
nubes currus cœlestes 284
nuper longioris temporis spacium significare 258
nutricis affectus erga liberos propensus unde 236

O

OBedientia liberorum erga parentes quæ Deo placeat 206 qualis à Christianis requiratur 47 quæ ipsissimus Dei cultus 206 seruorum erga dommos suos qualis esse debeat 207
obedientiæ extremus terminus 41 præstandæ ratio nulla alia nobis quærenda, ubi de uoluntate Dei constat 268 titulum qui sibi usurpent 313
obedientiam legitimam multis modis uitiari 207
ad Obedientiam ueram quæ requirãtur. ibid.
obedientiam qualem Apostolus à Philippensibus requirat 47
obdormitionis metaphora ubi usurpanda 278
obliuisci amplius quiddam esse, quàm simpliciter relinquere 89
obsecratio 108
obtestationes cur adhortationibus et obsecrationibus sint adiungendæ 240
occasio rei gerendæ quotupliciter redimatur 211
in Occasione esse 234 & prætextu esse, quõ differant. ibid.
ocium, curiositatis fomentum 349 ethnicis hominib. etiã inuisũ 277 ignauum, nemini esse concessum 347
ocij effectus 276
ocio qui potissimum dediti 347
ociosorum hominum genus cur Apostolus uitandum monuerit 349
odij insensissimi quod intercedit inter satanam & Christum, argumentum 222
odys omnium odiosissimis quare omnia lacera ac diuulsa 157
odor bonæ fragrantiæ carnis quis sit 120
οἰκονομία 150
οἰκουρὸν 71
Onesimum quare Apostolus cum Tychico ad Colossenses miserit 213 quo consilio Apostolus fidum & dilectum fratrem appellet. ibid.
operatio Christi, quam in Euangelio suo operatur, quottuplex 156
operari & uelle solius esse Dei 49 qui nolit, cur edere nõ debeat 34
non Operari & nolle operari, quomodo differant. ibid.
operandi quæ bona sunt, uirtus unde sit 9
non Operantium duo genera 349
operatio unde sit quòd non uoluntatem sequatur 49
operationis & efficaciæ discrimen 155
operationum uaria genera 237
operariorum malorum triplex genus 73
inter Operarios fideles & iniquos quo'dnam sit discrimen 258
opulentia excellens 115 uera 201
opus Christi qui adulteret 69 Dei in Ecclesia quandiu perficiatur 5 suum quando Deus impleat 316
propter Opus Christi pios homines multis modis morti fieri proximos 69
in Opere bono homo tam interior quàm exterior occupetur 113 Christi qui sit perfidus 69
opera bona Deum in nobis remunerari 49 fructus iusticiæ 9 quæ ibid. ueræ fidei & dilectionis fructus 219 manuaria 237
ad Opera quæ sint referenda 204
operum meritum perpetuò Scolasticos somniare 19 quæ à fidelibus adhuc in carne constitutis fiunt, quæ sit ratio 225
de Operibus Dei certitudo unde haberi possit 4
orare ad Deum pro mutuis necessitatibus 305 pro omnibus & cum omnibus quomodo differat 388 sine intermissione 316
orandi perpetuò unde Euchitæ occasionem sumpserint 299 sedulitatem quam Apostolus urgeat. ibid.
orandum ne sit unà cũ papistis 388 quomodo sit indesinenter 299
oratio Apostoli pro Colossensib. qualis 128 dilectionis fraternæ opus 378 quare sedulæ adhortationi opus habeat. ibid. fidelium qualis esse debeat 388 quæ Deo displiceat. ibid.
orationis genus quotuplex 378 uis 16
orationes fidelium quales 108
in Orationibus ad Deum faciendis quæ puritas requiratur 388
orantes quo minus exaudiantur, quid

quid maximè impediat 108
orantium ad Deum seriò gestus 388
ab Oraturis quid requiratur. ibid.
orbari 249
orientales mulierculæ ad bibendum propensæ 402
Origenis error 385
ostium sermonis quando Deus aperiat 210
Ouidij locus 311

P

Παιδεύειν 377
palma regni Dei qualis 91
palmam regni Dei non esse meritorum, sed uocantis nos Dei 91
panem cur nolit Apostolus gratis à quoquam accipere 348
papa cur triplex diadema in uertice gestet 326 mulier meretricem sobolem effundit 393 Romanæ sedis ludibrium. ibidem. mundi stupor 327 quam potestatem Christo abripiat 326 quomodo communicationis institutionem infringat. ibid. supra Deum se effert. ibid. unde sibi dispensandi contra nouum & uetus Testamentum potestatem sumat. ibid.
papæ fastuosissima pompa 327
papatus quales sanctos requirat 305 quatenus crucis Christi inimicitia 98 superstitionibus refertus 182 totus καταβράβευσις multarum specierum 175
in Papatu hæreticum esse, quid 301 lingua incognita canere, quanti æstimetur. ibid.
in Papatu qui igni tradantur 298 quomodo imperitioribus sit impositum 48 quo traditiones maiorum prætexantur 234
papistæ an sortis sanctorum partem in lumine habeant 131 cuius sint imitatores 96 cur Ecclesiæ titulum iactitent 403 qualem Christum annuncient 153 quatenus ad operum doctrinam declinent 391 quatenus forma sint omnium uitiorum & scelerum 96 quatenus nos accusent 363 quatenus occidentalem defectionem sub Romano Papatu non agnoscant 321 quando se euangelium glorificare putent 342 quòd duos colunt & inuocant unde sit 83 quo salutis humanæ hostes 247 unde Christianos nõ in ueritate uersari arguntur 32 unde nostras ecclesias diffament 135 unde sibi ueram Christi ecclesiam adscribant 32
papistarum consensus quatenus non laudandus. ibid. decreta qualia 181 doctores quales 99 ecclesiæ cur profanæ 136 euangelium de Christo quale 147 indulgẽtiæ 149 puritas qualis 111 sacrificium missatio 247 sacrificuli quos sermones Latinè in exequijs cantillent 285 spes B. uirgo 354
papistas Christum uerum in templis suis non habere 136 D. uirginẽ inuocando, diuinitatis honorem creaturæ tribuere 263
à Papistis quatenus separemur 354
Papisticum sacerdotiũ unde passim in tanto sit odio 395
papistica decreta qualia 181 doctrina qualis 242 quibus paralogismis abundet 159
papisticorum sacrificulorum glorificatio unde 116
papismus uerus Anticbristianismus 34
à Papismo unde sit quòd hodie tanto opere dissentiamus. ibid.
cum Papismo sentire quid sit. ibid.
παραβλώδεσθαι 69
παρακαλῶ 104.230
παρακαλεῖσθαι 157
παράκλησις 30
παραγγελία 268
παραλογίζεσθαι 59.158
paralogismus 158 ex ignorantia. ibidem.
paralogismi qui omniũ nocentissimi 159 ubi potissimum regnẽt. ibid. unde nascantur 158
paralogismo quàm uaferrimè serpens antiquus sit usus 159 quo usus sit diabolus ad tentandum Christum. ibidem.
paralogismorum fallaciæ ecclesiarũ doctori probè obseruandæ. ibid. quanda probè ab ecclesiarum doctoribus obseruentur & detegãtur. ibidem. impostura ab imperitis non intelligi. ibidem. partes. ibid. cur diligenter obseruandæ. ibid. quorum diabolus autor. ibid.
paralogismis quib. papistica doctrina abundet. ibidem.
parcere corpori qui dicatur 183
παρηγορία 214
παράκλησις quid sonet 397
παρουσία quid propriè significet 281
parentum ac liberorum conuersatio nem quõ Deus disposuerit 205
παῤῥησιάζεσθαι 229
parrhesia de Christo unde sit 17
parturitionis dolor quõ sit comparatus 288
passionum Christi fructibus quõ participemus 85 προτερήματα quæ sint 149 ὑστερήματα duplicis esse generis 150 quæ sint 149 quo nomine reliquiæ 150
passiones quas in apostolatu suo pro nomine Christi Paulus sustinuerit, quanti fecerit 85
pastoris ueri erga fideles affectus qui 97 officium 356
pastores ecclesiarum quõ gregẽ Domini pascere debeant 96 falsi 295
ad Pastoralem curam quid monachi sufficere arbitrentur 399
pathetici oppositum 191
patheticum esse quid propriè 190 uitium unde nascatur. ibid.
pati pro Christo 24 pro mendacio. ibidem.
patiens quomodo certet 30
patientia Christi inseparabilis quando in nobis sit 345 piorũ quò sit recensenda 28 in Christiano qualis requiratur 29 in tribulationibus qualis requiratur à Christianis 130 qualis ab Apostolo commendetur 29 quæ probanda. ibid.
patientiæ certamen 30 diuturnitate etiam sanctos Apostolos nonnunquam uinci 253
patientiam afflictionum animas sanctorum in uera fide ac confessione Christi conseruare 29 fidelium cui Apostolus adscribat 345 sine afflictionib. esse nõ posse 29
pater cur filios suos castiget 377
paterfamilias quid debeat domi suæ 61
patris animus erga filium quõ sit cõparatus 355 erga liberos suos affectus qualis 260 familiàs quõ compleatur gaudium 32
patri quatenus æqualis Christus 140
patres priorum seculorũ quõ in Christo fuerint 283
à Patrum sententijs Romanistas ἀλλοδαποῦς dissentire 201
Patripassianorum error 405
Paulus à Domino euãgelij minister constitutus 148 à Nerone occisus 18 quõ dimissus 17 à quibus hominibus liberari se petat 343 ad propagationem Euangelij à Deo conseruatus 246 ante conuersionem qualis fuerit 369 Christi legatus 20 cur à parentibus suis Saul nominatus 76 cur afflictiones suas, Christi afflictiones uocet 149 cur Deũ testẽ citet 6 cur in carne manere necessariũ magis iudicarit 20 cur labore manuũ suarũ uictũ quæsierit 348

cur nihil scire uoluerit præter Iesum Christum 145 cur omnia factus sit omnib. 247 cur propter Epaphroditæ infirmitatem mœstus 67 cur resolutionem impense affectauerit 20 cur se Ebræum esse ex Ebræis dicat 76 cur tanto pere Philippenses diligat 104 erga Thessalonicenses quō animatus fuerit 256 & Barnabas in quo nō fuerint ἀντιφερισῶτις 32 & Timotheus quatenus non pari mensurā sint operati 59 euangelij cursum quoad extenderit 342 ex utero matris in ministerium euangelij segregatus 368 ex qua tribu oriundus fuerit 76 filius Pharisæi 237 Gamalielis discipulus 369 gētiū apostolus 149 doctor 380. 386 in apostolatu suo qualē se præstiterit 235 in fortunæ diuersitate quomodo se gesserit 115 in lege à quo institutus 79 in pharisaica secta à quo institutus 237 in scientia legis à puero accuratè institutus 237 mendacij & impostura à pseudapostolis accusatus 386 minister Christi 148 Dei. ibid. ecclesiæ. ibid. euangelij. ibid. iusticiæ. ibid. noui testamenti. ibid. reconciliationis. ibid. spiritus. ibid. ministerium quibus locis ornet. ibid. multiloquij non affectator 506 pharisæus 77. 137 propter nomē Christi grauia discrimina passus 18 qualis doctor 387 qualis fuerit cùm ecclesiam Christi persequeretur 77 qualis in Christo inueniri uelit 82 qualem animum ab eo requirat, quem utiliter ad Philippenses mittere posit 59 qualē typum fidelibus in facto suo proposuerit 348 qualiter Petrum reprehēderit 233 quanta parrhesia Thessalonicæ euangelium prædicauerit 229 quatenus Christum cognouerit 84 quatenus Christū dominum suum uocet 80 quatenus eorum se obliuisci dicat, quæ sunt à tergo 90 quatenus in Christo inueniri uoluerit 81 quatenus Petri factum reiecerit 272 quatenus se primum peccatorum esse dicat 371. 372 quatenus sit imitandus 96 quare Christum prædicans, in multa grauiaq; certamina inciderit 230 quare de affectionibus suis gaudeat 149 quare in grauitate esse noluerit 234 quare misericordiam sit adeptus 369 qua præsentia hodie quoque præsens Christi sit ecclesijs 161 quarum ecclesiarum minister 150 quid commune cum reliquis apostolis habeat 386 quid lucri in Christo consequatur 84 quid tribuat phariſaismo suo 78 quo nomine Iudæis uehemēter exosus fuerit 386 quomodo à Christo apprehensus 88 quo modo à Deo probatus 232 quomodo ad hoc resolui cupiebat ut esset cum Christo 21 quomodo audita Thimothei relatiōe fuerit affectus 260 quomodo Christum prædicauerit 153. item lucrifecerit 78 quomodo epistolas suas exordiatur 307 quomodo erga Thessalonicensiū salutem sit animatus 260 quomodo factus sit pharisæus 77 quomodo fidelis fuerit 368 quomodo fuerit omnium peccatorum maximus 371 quomodo in carne manserit 22 quomodo inter Thessalonicenses operando & prædicando laborauerit & molestatus sit 237 quomodo pro Colossensibus adflictus 149 quomodo seipsum diuidat 160 ubi natus 77. 237 uehemens aduersarius 368 unde cognouerit octauo se fuisse die circumcisum 75 item quòd se Deus fidelem esse iudicauerit 368 unde didicerit esse contentus, in quibus fuit 115

Pauli afflictioni quomodo communicarint Philippenses 117 animus fidelis unde 368 apologiarum exempla 6 captiuitas Romæ 57 carcer qualis 60 conscientia 272 consilium quòd non successerit, unde fuerit 251 conuersio 27 dolor qualis 67 erga Christi fideles affectus 236 & Ioannis de Christo testimonia non esse contraria 40 etymon 148 excellentia 115 exemplū summo studio ministris Christi imitandum 263 fiducia qualis 75 fortuna qualis 80 gaudium 32 hominis & Apostoli habere imaginē, differre 136 humanitas 121 humilitas 115 institutio qualis 237 introitus ad Thessalonicenses qualis fuerit 228 iusticia 77 iusticia qualis 81. 82 lachrymæ 97 liberatio 17 opera apud Thessalonicēses qualia 237 passiones quatenus Christi passionibus conformes 85 pater qualis fuerit 257 persequutio 27 persona secundū carnem qualis 157 poētia qualis 116. 367 prædicationem cur Iudæi ferre non potuerint 247 pro Colossensibus sollicitudo qualis 156 salus unde 27 scripta cur plurimùm nobis prosint 328 sollicitudo omnium Ecclesiarum qualis fuerit 156 solicitudo pro Colossensibus qualis 160 pro fide Thessalonicensium qualis 260 studium in omnib. ferè Epistolis quale 160 uinculorum usus 10 uitæ conuersatio qualis 238 zelus 77

Paulo cū quib. indesinēs certamē fuerit 330 & Epaphrodito cur facilè fuerit Philippensium consuetudinem desiderare 65 unde artificium tabernaculorum conficiendorum fuerit 237

Paulum cur Deus in ministerium suū ponendum esse iudicarit 368 in prædicationis opere plus reliquis laborasse 369

in Paulo Deum exemplum saluandorum peccatorū expressisse 373 & Thimotheo quid senioribus et iunioribus spectandum ueniat 63 quale exemplū peccatoribus propositum 373 quam formam Christiani habeant 96

paupertas humilis 115

pauperes ueri unde sit quòd in hodiernum usq; diem miserabiliter mēdicare cogantur 277

pax Dei gemina 109 quanti facienda 199 quæ dici non possit. ibid. quid. ibid. quomodo alatur 109 quomodo concipiatur. ibid. quomodo corda & sensus fidelium in Christo custodiat 110 Ecclesiæ quatenus constare non possit 352 & reconciliatio inter Deum & hominem quomodo facta sit 143 est, et omnia tuta dicere, quid 288 principis gemina 109

pacis esse Deum, et esse Deum pacis, quomodo differant 303 præstantia 109 studium quomodo commendet Thessalonicensibus Apostolus 352

paci Dei duplici nomine studendum 199

pacem Dei quando accipiamus 109

ad Pacem & concordiam quare Apostolus Christianos hortetur 200

à Pace Dei qui carni remotissimi uideantur 109

pace Dei solos Christianos in conscientijs frui. ibid.

peccare grauiter & peccata implere, differre 248 quid sit 251

peccatum idololatriæ à Iudæis magna obstinatione impletum 248

peccati condonatio quando authentica 198 corpus cum suis membris quomodo sit mortificandum 189

in Peccati homine quid nam sit detegen-

gendum 322
peccatum condonare quid Latini uocẽt 170 magis ad diaboli ſchema, quàm ad ſimilitudinem et habitũ hominis pertinere 41
peccata quatenus inſtar mẽbrorum 168 quæ iram Dei prouocent 191 Romanorum pontificum cur detectione opus non habeant 323
peccatorum corpus quàm ſit nobis agnatum 189 menſura quomodo impleatur 248
à Peccatorum morte per fidem nos excitari 169
peccatorũ noſtrorũ memoriã curreti nere debeamus 89 remiſſio quõ quærenda 98 quõ ſit perfecta 133 remiſſionem in quo habeamus ibid. uaria genera 371
peccata condonare quid 198 implere 248 nulla tam eſſe enormia, quæ non credentibus in Chriſtum remittantur 373 per circumciſionem exuere, quale opus 168 ſua quomodo Antichriſti ſedes ſemper impleuerit 248 quomodo Iudæi impleuerint. ibid.
peccatis quibus nam diuina maieſtas iritetur 191
pro Peccatis noſtris quomodo ſatisfactum 143
peccatorem & reprobum eſſe quõ differant 141
peccatores enormes quid ſibi de miſericordia Dei polliceri debeant 372 præcipui qui hodie. ibid. qua ratione ſeruentur 370 quatenus per Chriſtum ſaluentur 371 quos uocet Apoſtolus 365
pectoris ſynceri argumentum 344
perdere 298
perditio impiorum quò ſit recenſenda 28 unde ſit. ibid.
perditionis filius quis 323
peregrinorum rationem habere, quorum ſit potiſſimùm 397 ſuſcipiendorum à domib. epiſcoporum quãdo abalienari cœperit 397
perfectio Chriſtianorum 5 qualis à Chriſtianis requiratur 155 pſeudapoſtolorum qualis. ibid.
ad Perfectionis metã dum in hac uita ſumus, nobis eſſe conitendum 89 opinio Deo deteſtabilis 92
in Perfectionis ſtatu eſſe quid ſit. ib.
de Perfectione plurimùm Franciſcanos gloriari. ibid.
perfectum & in ſtatu perfectionis eſſe, quomodo differant. ibid. reddere omnẽ hominem in Chriſto quomodo conatus ſit Apoſtolus 154
perfecti quõ reddamur. ibid.
perfectos quare quoſdam inter Philippenſes uocet Apoſtolus 91
perfici & perfectum eſſe, differunt 5
perfidus quis 305
περιεργάζεσθαι 349
περιεργάζεσθαι quid Græcis 291
περιπατεῖν 96
περιπατοῦσιν ἀτάκτως ἀρίστην 129
περιποιεῖν quid propriè ſignificet 292
perire quorum ſit 257
permanere in religione Chriſti, & in hac præſenti uita, differre 226
permittere aliquid, uel non permittere, ubi locum habeat 391
perſequutio Pauli 27 uera ubi non ſit 87
perſequutionem cur patiantur qui piè uiuere uolunt 256
perſequenda quæ 277
perſonæ Chriſti dignitas quæ 134
in Perſonis triadis cuiuſmodi æqualitas 39
perſonalis Chriſti unitas 22
perſuaſio & certitudo quomodo diferant 4
pertinaces qui non improbandi 318
pertinacitas quorundam hodie qualis. ibid.
perterrefacere pios, perpetuum ſtudium aduerſariorum 27
petitio quomodo ſit limitanda 128
Petrus quomodo morte ſua Deũ glorificet 18
Petri exhortatio qualis 230 liberatio 17
Petro Apoſtolo quem titulum pontificij dederint 386
φαγεῖσθαι 53
in Pharaone quomodo Deus glorificatus 314
phariſæus cur publicanum ſibi longè poſtpoſuerit 36 in publicado quid ſpectarit. ibid.
cum Phariſæo qui fruſtra inflari dicatur 177
phariſæi, Chriſti & Euangelicæ ueritatis hoſtes infenſiſſimi 77 cur legis interpretes. ibid. quæ ſibi uendicauerint. ibid. quomodo traditiones maiorum præteruerint 234
phariſæorum doctrina qualis 233 & hypocritarum puritas 111 ficta humilitas 176 ſecta qualis inter Iudæos ſit habita 77 ſuperſtitio 111 ſupercilium 92
phariſaica dedignatio explodenda 351 ſeueritas quatenus fugienda 235
φιλεῖν & τιμᾶν quomodo Apoſtolus corpori humano aſſignet 183
philanthropia quatenus Deo in Scriptura tribuatur 378
philanthropiæ diuinæ erga nos incõparabilis dignatio 339 Dei mira dignatio 292
philanthropiã Dei nõ amplecti, peccatorũ omnium grauiſſimũ. ibid.
Philippenſes gaudium & corona Apoſtoli 251 quare Epaphroditum in honore habere debeãt 69 quatenus in Domino gaudere deb eant 71 quomodo adflictioni Pauli cõmunicarint 117 quomodo Apoſtoli gaudium implere debeant 32 quomodo de homine ſint gloriati 24 quomodo liberis non dum adultis ſimiles. ibid.
Philippenſium prima conuerſio 4 res cur Paulus cognoſcere geſtierit 58 ſalus quàm cordi Apoſtolo fuerit 3 ſtatus qualis 58
Philippenſibus quomodo ab utroq; genere aduerſariorum periculum fuerit 27
Philippenſes cur tantopere Paulus diligat 104 quales Paulus eſſe & permanere uelit 26 quatenus adhortetur Apoſtolus, ut ſe imitentur 95 quomodo Apoſtolus ad patiẽtiæ ſuæ conſtantiã hortetur 30
de Philippenſibus unde Apoſtolus perſuaſionem conceperit 4
in Philippenſibus quomodo bonum opus cœptum. ibid.
philoſophi quomodo imperitam multitudinem ſeduxerint 165 quõ potentiam Dei ſint partiti 165
philoſophia apoſtolica ad ſalutem ſummè neceſſaria. 36 apoſtolica mundo ridicula. ibid. cœleſtis quibus rebus nitatur 165 inanis ſeductio. ibid. in fidei & religionis articulis quaſi peſtis fugiẽda in rebus ſpiritualib. cæca 16, mũdana cur fugienda. ibid. quatenus homini Chriſtiano auerſãda 164 quatenus ſit ſeductio 165
philoſophiæ etymon 164 ſtudiũ cur uehementer noxium 165
philoſophiam quatenus Tertullianus reiciat 164
pietas uera quid requirat 50 quomodo ſit affecta 118
in Pietatis curſu qui aliquãdo lãguẽt, de ijs non deſperandum 114
pietatis erga Deum ſpecies quæ 380 erga parentes ſpecies quæ. ibid. multæ ſpecies. ibid. ueræ exemplar Chriſtus 41
in Pietate et iuſticia ad ſalutẽ noſtri quõ compleamuur 169 uera primarium quid 182

Pij cur à malis affligantur 310 quò cũ hominibus agant 232 homines quomodo sint cõparati 379 quando liberantur, exemplum esse iusti Dei iudicij 308 quòd in hoc seculo ab impijs affligũtur, unde sit. ibid. quomodo uictores euadant 28

piorum afflictio in hoc seculo qualis 310 corpora spiritus sancti templa 184 & impiorum pugna quõ sit comparata 28 fides quò sit recensenda 28. 32 patiẽtia quò sit recensenda 28 salus quò sit recensenda. ibid. sors exoptatissima 265 relaxatio cur iucundior futura 310

pijs quõ accidat, ut in medio prauæ nationis uiuere cogantur 52

pios ab omnibus afflictionibus liberari, in futura uita refocillari 310 perterrefacere perpetuum studiũ aduersariorum 27

à Pijs hominibus qui animus alienus esse debeat 68

Pilati potestas qualis 132

pithanologia Apostoli qualis 60 ad quam paralogismi partẽ spectet 159 escæ similis. ibid. hominis mali quantum possit ad seducendum imperitos 160 quid 159 quomodo à ueteribus dicta. ibid. quomodo medicis conueniat. ibid.

pithanologiæ uis quanta 160

πιθανὸν 159

plagiarij qui 365

à Plenitudine Christi qui alieni 167

pleonexia 191. 398 ubi sit uitiosa 264

ex πλεονεξίας uitio quantum malorũ in ecclesia nascatur 398

plerophoriam Christianis conueniẽtissimè competere 157 cuiusmodi Apostolus à nobis requirat 158

in πλυσμονῇ corporum humanorum quando nihil sit uitij 184

Polybij locus 87 (rit 396

polygamiæ libertas qualis olim fuerit polygamum quare in episcopũ Apostolus eligere noluerit 396

pontifex Romanus quatenus hostis Christi 324 quo nomine detestabilior idolo Turcorum Maomete. ibid. qua specie se uocet seruũ seruorum 325 quòd se seruum seruorum uocat, meram esse ταπεινοφροσύνην 35 quomodo antichristus esse conuincatur 325 uerus antichristus 324

pontificis pecunia quanta 235

è Pontifice Romano quale idolum satan fecerit 327

pontifices Antichristi apostoli 235 cur se oneri uelut apostoli Christi ecclesijs omnibus esse dicant. ib. & cardinales, non ueri Apostolorum successores 150 Romani quo modo sibi primatũ uendicent 139 quarum rerũ sint ὑπεύθυνοι 7

pontificum decreta cur fugienda 181 potentia qualis 367 Romanorum imperium in ecclesia quale 346 peccata cur non opus habeant detection 323

pontifices ecclesias omnium seruilissimis oneribus opprimere 235

pontificius primatus cur apostolica potentia opus non habeat 367

pontifi. ij quem titulũ iam olim Paulo ademerint 386

πονηροὶ qui 343

populus Dei quomodo à Christo natio practa & adultera uocetur 52 religionis studiosus quid in se cõmuniter habeat 95

potentiam Dei quomodo philosophi sint partiti 165

potestas licita 132 iuris. ibid. permissionis ibid. tenebrarum quatenus satanæ licita. ibid.

potestatis duplex consideratio 132 licitæ species. ibid.

πρῶτον 7

præceptor cur discipulos suos castiget 377 quo sensu discipulos suos spem suam uocet 251

præceptorum Dei transgressionem, non quamuis, constituere inimicũ Dei 144

prædicatio Apostoli qualis fuerit 231

prædicare & recipere sermonem, differre 222

à Prædicatore euangelij quid requiratur 316

prædestinatio Dei inscrutabilis 105

prægnantis mulierculæ dolor & impiorum interitus quatenus comparentur 288

præputium carnis nostræ cur nos morti obnoxios reddat 170 gentilismus Apostolo. ibid

præsentia Apostoli triplex 160

præsentibus esse contentum, egregia uirtus 115

prætextus falsi fugiendi 319

prætextu aliquid facere 15

in Prætextu esse quid 234

Prætoriani milites 11

præturæ magistratus apud Romanos quis fuerit. ibid.

precatio 108

precationis genus quod cum gaudio fiat, quale 3

precationem, gratiarum actionem et δοξολογίαν sese mutuò complecti. ibidem

precationibus nostris cur gratiarum actionẽ iungendam moneat Apostolus 180

precando certari, quale certamẽ 214 quibus armis fiat. ibid.

preces cur pro omnibus hominib. faciendæ 378. 383 cur pro regibus & principibus faciendæ 378

preces et gratiarũ actiones cur Apostolus coniunxerit 218 pro impijs factæ an Deo acceptæ 381 ut pro omnibus hominibus fundãtur, cur Deo placeat 385

precibus gaudium non perpetuò esse annexum 3

preces ad Deum cur pro omnibus hominibus fundere debeamus 382 cur Apostolus hortetur pro omnibus hominibus fieri 383 pro doctoribus ad Deum à fidelibus factas, plurimùm ualere in conspectu Dei 342 pro omnibus fundere quatenus Deo acceptum 381

presbyterorum officium 394

primatum cur sibi Romani põtifices in omnes Christi ecclesias uindicarint 224

primatum suum quõ Romani pontifices pallient 151

primas habere in omnibus quàm latè pateat 139 quid requirat. ibid.

primogenitura triplex in Christo. ib.

primogenituræ ius quomodo sit comparatum 136 prærogatiua 391

primores in papatu quatenus sint terrestres 100

principatus & potestates quomodo satanæ tribuantur 172

principes huius mundi quam dignitatem & potentiam uindicent 374

in Principio erat uerbũ, expositio 137

professionis cuiusq; decorum 389

prophetæ duplici nomine à Iudæis occisi 24 & apostoli cur in mũdum uenerint 371

Proscærus Musculi 112

protectionis diuinæ geminum opus 344

prudentia Christiana qualis esse debeat 182 qualis ab Apostolis non aliena 329 quæ nam à Christo nobis commendata 329

prudentis munus quale 397

ad Psalmorum & hymnorum Christianum usum quæ requirantur 203

pseudapostoli apud Corinthios quales 330 cur se hominibus et non Deo accommodarint 234 ipsissimi impostores 230 operarij dolosi 330 quatenus crucis Christi inimici 98

quo adulationis uitio auditores suos inescarint 233 quõ sint comparati 232
pseudapostolorũ doctrina qualis 230 242.247.334 epitheta 106 iniquitas quæ 330 quõ nominis Christi prætextu obtecta. ibid. miracula quatenus actu mendacia fuerint 334 quatenus prætextu et scopo mẽdacia fuerint. ibid. perfectio qualis 155 peruersum studium 176 prapostera τανεινο φροσύνη. ibid. signa & prodigia qualia 334 triplici nomine mendacia. ibid. zizania 97
pseudapostolos cur uocet Apostolus canes 72. itẽ concisionem 73 quõ diabolus ad summũ usq; fastigiũ prouexerit 333 quomodo Paulus perstringat 233
in Pseudapostolis quõ iniquitatis mysterium agi cœperit 330
pseudepiscoporum doctrina qualis 356
pseudoprophetæ cur à satana mittantur 153
in Pseudoprophetas qua uocum allusione sit usus Apostolus 73
pudefieri 17
pudor optimus qui 351 qui spem resipiscentiæ habeat, ibid. unde cõtrahatur. ibid.
pugna Christianorum qualis esse debeat 26
per Puritatem & castitatem quid papistæ intelligant 115
pusillanimes à Deo non fastidiri 297

R

Radicatum in Christo esse 163 raptus qualis esse soleat 38
rationis humanæ lumen quõ obtenebratum 53
rationis humanæ lumen ueritati Dei contradicere. ibid.
rationem humanam syllogisticis argutijs plurimum tribuere 158
reconciliari 141
reconciliatio à quo sit facta. ibid catholica cur ad reprobationẽ non ptineat. ibid. cũ quo sit facta 142 Dei qualis. ibid. & electio nostri quõ in unum finẽ tendant 145 omniũ quõ à Deo per Christum sit facta 143 per quẽ sit facta 142 per solum Christũ facta. ibid. quatenus ad totũ genus humanũ pertineat 141 qd 140 quorũ facta sit. ibid. quõ per Christum facta 142 ubi locum non habeat 140
reconciliationis Christi cur non omnes homines particip es fiant 141 gratia in quib. locũ nõ habeat 146 gratiam qui amittant. ibid. gratia qui homines potiri nõ possint. ib. gratia quõ in mundo dispensetur 143 gratia quõ fruamur 146 gratiã qui negent 142 eius quatenus reprobi non participes 141 ratio cur catholica. ibid.
reconciliationem creaturarum per Christum futurã cur nõ intelligamus 142 generalẽ olim in humana natura cur fieri oportuerit 143 propriè peccatores cõcernere 141
reconciliationes dissidentium in hoc seculo cur frustra fiant 142
redemptio nostri quõ constet remissone peccatorum, cùm per sanguinem Christi redempti simus 133
redẽptionis nostræ opus quale. ibid. quõ sit impletum 169 quõ acquisitũ 292 quõ in nomine Iesu exprimatur 227 precium quare serò à Christo factum 386
reformatio & transfiguratio quõ differant 102
regnũ antichristi ωολυπρόσωπον 323 regnum τῆς ἀνομίας 331 quatenus bicorni bestiæ conferatur 323 unde sit conflatum 333 Antichristianum quibus rebus fundatum. ibid. Christi inuictũ 329 quale 333.367 quibus rebus constet 333 Dei à satanæ regno quomodo discernendum 131 ab hoc mũdo quõ sit alienum 309 quale 131.289.291.374 quid 241 quõ sit intra Christianos. ibid. satanæ quale 131. 289. 291. 367
regni antichristi sedes 323 cœlestis quomodo ciues fiamus 101 cœlorum esse ciuem, quanta felicitas. ibid. Dei duplex respectus 241 ad Regni Dei hæreditatem quõ perueniendum 131
regnum Dei euangelium omnib. hominibus diuinitùs destinatum 153
regni Romani cessatio 331 satanæ apostoli, cardinales 309 tenebrarũ ciues quales 290
regno antichristi quam ciuitatem ueteres tribuant 323
regnum Dei qui uidere nequeant 336
in Regnum Christi quõ à Deo simus translati 133 Dei transitus qualis 256
regnum satanæ quõ Deus in Christo debellarit 173
regno Dei qui digni 309 suo quõ satan per Christum expulsus 173
in Regno Dei quomodo simus in hac uita 241
regnorũ Christi & satanæ diuersitas 367
regula qualis olim in Christi ecclesijs 301 q̃ Christianis tenenda 205
rixæ et iurgia episcopo fugiẽda 398
religio Christiana mundo inuisa 240 qualis 322 quomodo sit comparata 110 Dei unde sit ueterrimis erroribus obscurata 158 & superstitio quomodo differant 182 uera Deo grata. ibid.
religionis partes quæ 266 potissima capita quæ 259
in Religionis stadio à quibus prorsus meta tollatur 175
remissio peccatorum quomodo perfecta sit 133 quomodo quærenda 98
remissionis duplex genus 198
remissionem peccatorum in quo habeamus 133
renouare 195
renouatio nostri, Dei opus. ibid.
reprobi mancipia regni satanæ 173 quatenus reconciliationis nõ participes 141 quomodo Dominum expectent 101
reproborum ultionem impediri non posse 191 uox in extremo die 184
reprobis quatenus ultionem daturus sit Christus 312
reprobos satanæ imperio resistere nõ posse nec uelle 173
rei gerendæ occasio quottupliciter redimatur 211
rem ipsam & rei nomẽ differre 43
res humanæ quõ sint comparatæ 65
resipiscentia uera euangelij fructus 225
resipiscentiæ confessio 45
resipiscentes solos iudicium Dei euasuros 308
de Resipiscentibus quomodo iudicandum 105
resurrectionis spem gentes non habere 279 Christi potentiæ duplex respectus 84 uirtutem quomodo experiamur. ibid.
ad Resurrectionis gloriam qui pertingent 86
per Resurrectionem mortui quibus rebus liberabuntur 283
resurrectionem nostram ex mortuis cur uocet Christus regenerationem 139
post Resurrectionem qualia futura corpora 284
rex cœlestis quid à mundi regibus differat 374 quomodo in corpore militis sui magnificetur 18
regis beneuolentia, uita 140
regis ira, mors. ibid.
reges huius mundi quales 374
regum corda esse in manu Dei 179
pro Regibus cur moneat Apostolus esse orandum. ibid.
reuelari de cœlo quid 311
reuelatio in quæ cadere soleat 310

reuelationis mysterij gratia libera uolūtati Dei tribuēda 152 spiritus quibus rebus fugetur 94
Roffensis episcopi argumentum quale 93
rogatio per quæ fieri soleat 318
Roma nō Petri, sed Iudæ sedes 324
Romanus Antichristus cur rectè homo peccati uocetur 323 quomodo factus Antichristus 325 pontifex in ecclesia Christi quid quærat 62 papistarū caput 178 quatenus hostis Christi 324 qua specie se uocet seruum seruorum Dei 325 quomodo Antichristus esse cōuincatur 325 quomodo æqualitatem Christi rapinā sit arbitratus 38 quo nomine detestabilior idolo Turcorū Maomete 324 singularis et præcipuus Antichristus 325 uerus Antichristus 62.324 Simō quomodo etiam suos Epaphroditos habeat 68
Romanum regnum quomodo cessarit 331
Romani apostoli quales hodie 51 quatenus ueritatē Christi persequantur 87 cur reorū defensionē susceperint 5 imperij amplitudinē initio plurimū contulisse, ac propagationē Christiani nominis inter gentes 12 augmēta et decrementa 331
de Romani imperij interitu quomodo Lactantius prædixerit 331
Rom. pontifices ab implendi sermonis Dei διανοιαι longè abesse 151 cur sibi primatum in omnes Christi ecclesias uindicarint 224 mūdo ad peccādū authores 323 quàm diuersi sint ab Apostolico consilio 238 quomodo primatum suū pallient 151 quomodo sibi primatum uēdicēt 139 unde primatum in uniuersas Christi ecclesias habeant 151
Romanorum pontificū affectus qualis 46 uox qualis 266
Romana sedes, ecclesiarū mater 12 pro sanctis quos canonizet 315 quo nomine urgeat, ut se omnes Christi ecclesiæ imitentur 96 quomodo sit comparata 328
Romanæ sedis imperium 266
Romanam curiam non petere ouem sine lana 64

S

Sadducæos uirtutem Dei ignorare 283
sacerdotium papisticum unde paßim in tanto sit odio 395
sacramentum sine re sacramenti sumere 220
sacramentā Dei qui ad iudiciū accipiant 243 quomodo accipienda. ibid.
sacramentorū abusus qualis 363 partes duæ 220
sacramentalia signa quare religiosè obseruanda 168
sacrificiū duplex 56 incruentū, fides 56
sacrificiorū papisticorum gloriatio unde 116
sacrificijs cruentis nostrum seculum abundare 56
sacrificulorum in ecclesijs quæstus quātus 278 quæstus quando locū in ecclesijs inuenerit 278 quando nunquam in ecclesijs locum inuenisset. ibid.
saluandorum in uniuersum omnium qualis error 313
salus cur nō omnib. hominibus contingat 382
salus Christianorum ubi sita 266 Pauli unde 27 sine quib. non constet 307.406 quomodo hominibus cōtingat 334.338
salutis acquisitio in qua re sita 293 Christi quis particeps esse nō possit 98 cōsequendæ ratio 292.393 humanæ quomodo hostes papistæ 247 nostræ dispensationem cui tribuat apostolus 316 rationem quanto serio habere debeamus 292 summa in qua re sita 401
saluti mortaliū qui aduersetur 247 nostræ quomodo cōsulatur 109 quando locus non sit 109 salutem ad quā electi sumus, quomodo acquiramus 338
ad Salutē consequendā quid requiratur 382 nostram im meritæ gratiæ Dei deberi 341
ad Salutem quid requiratur 373 ueniendi ratio 247 unde sibi Christiani polliceantur 163
salutādi formula quæ Paulo familiaris 123
ad Salutandi officium propēßimus apostolus 305 quàm studiosus fuerit apostolus 121
salutatio apostolica 3
salutationis forma in literis apostoli usitata quæ 354
post Salutationem quomodo soleat apostolus exordiri 123
Samaritanus leprosus cur à Domino sit laudatus 118
sancti lucis filij 131 quatenus reb. terrenis utātur 100 qui 315 et in papatu qui habeātur 305 qui Paulo 266 ueri fideles 136 pro profanis non habendi 136
sanctorum ad flictiones in hac uitā quòd tēporariæ sint, unde sit 310 adflictionibus quot modis communicetur 118 certamē quale 30
sanctorū spes qualis 17 studijs quādo remoras satanas injeiat 251 sanctis quando in ecclesijs miracula tribui cœpta 334
in Sanctorū cōsorti ūcur Deus nos assumpserit 131 cōsortes qua ratiōe reddamur 213 sanctorū gaudia qualia 262 mortuorum aspectui superstitiosa uetustas quātū uirtutis tribuerit 157 cultus unde in ecclesias sit introductus 167 gesta in papismo cur prædicētur 225 imagines cur nō adorādæ 135 omnia singulari Dei consilio dispensarī 66 paßiones impares gloriæ Dei 309 sors quæ 131
in Sanctorum sorte qui haberi non poßit 131
sanctos quales papatus requirat 305 quos uocet apostolus 121.306
in Sanctos mortuos quòd in papatu creditur, unde sit 163 inter Sanctos & carnales unde tam irreconciliabilia dißidia 131
per Sanctos qui intelligendi 131 suos quatenus Christus glorificetur 310
cum Sanctis suis quomodo Christus glorificabitur 314
in Sanctis suis quatenus operetur Deus. ibid. quomodo Christus glorificabitur ibid. quomodo glorificandus sit Dominus ibid.
pro Sanctis quos Romana sedes canoniset 315
sanctificare 303
sanctificatio in baptismo accepta, quomodo amittatur 393
sanctimōia cordis 265 corporis ibid. in Christianis duplex. ib.
sanctitas Christianorū quæ sit 266
sanguis Christianorum semē 57
in Sanguinem Christi credere 84
sana doctrina quæ 366
sanitatis propriæ qui rationē habeat 313
sanum pro salubri quo sensu accipiatur 366
satan blasphemiarum magister 377 Christianorum aduersarius 290 κυρίαρχων 258 hostis antiquus 172 princeps huius mundi 172 potestatis aeris 284 quatenus à Deo alienißimus 144 quō per Christū regno suo sit exutus 173 quomodo uelle in reprobis operetur 49 tenebrarum princeps 132 tentator, non uiolentus impulsor 257
satanas fidelium mētium occæcator 157 quādo consilijs & studijs sanctorum

Et ... um remoras iniiciat 251 quos nam pro hostibus suis habeat 256

Satanæ ad seducendum astutia 160 apostoli regni Antichristiani fundatores 337 Apostolorum impostura 175 astutia 169 castra ecclesiæ Christi indesinenti militia opposita 27 conatus quò potissimum tendat 161 consilium perpetuum quod nam 177 efficacia in seductione Antichristiana duplex 336 exercitus qualis 27 malicia & astucia multiformis 175 mancipia reprobi 173 operatio in aduentu præcursorum Antichristi qualis fuerit 333 in quibus officax ad seducendum 335

anæ opus in quibus Christus dissellat 289 organa qui 258 quatenus tradiderit Apostolus Alexandrum & Hymenæum 377 quõ principatus ac potestates tribuantur 172 quomodo resistendum esse D. Petrus doceat 291 regnum Apostoli, cardinales 309 quale 132.289.291 regnũ quomodo Deus in Christo debellarit 173

cum Satana quomodo impij manifestandi 188

Satanicæ potentia exempla in Scripturis uaria 333

Satietas corporibus humanis cur necessaria 184

Satisfactionis nostræ hostia Christus 145

Saturari & excellere cum scientia, quid Apostolo 116

Saturnus à Ioue regno exclusus 138

Sapientia ac scientia nulla uera extra Christum 158 filiorum huius seculi quæ sit 154 inexhausta in Christo 158 mũdana coram Deo stultitia 154 omni ut impleamur, quæ sint necessaria 202 soli Deo cur pertinenter ab Apostolo tribuatur 374 spiritualis qualis 128 uera unde petenda 202 à carnis sapientia quomodo discernenda 128 in quibus rebus cernatur 154

Sapientiæ cuius nam uelis esse discipulus, plurimùm refert 164 existimatio qualis 182

Sciendi & possidendi uerba quomodo sint apud Apostolum accipienda 269

Scientia Christi 82 Christiana quæ sit 8 mortua quæ dicatur 274 quare non sit omnium 344 item in omnibus 343 sine charitate inutilis 157 qualis 8 uera à Deo acquisita quæ sit 283

Scientiæ Christianæ disciplina qualis 115 & intelligentiæ scopus 8

Scholastici, doctores dubitationis 176

Scholasticorum doctrina quæ 359 præposterа παναιρεσιώνη 176

Scripta unde manarint 164 theologorum doctrina qualis 360

Scopus à quo uerbo sit 95 quatenus Apostolo præfixus 90 quatenus omnibus fidelib. præfixus 91 quid 95 unde pro signo sumatur 90

Scopi geminus usus. ibid. uox unde deducta. ibid.

Scortari cum falsis 144

Scortatio, carnis opus 273 qualis impuritas 190

Scripturæ ignorantia omnis malis seminarium 34 modus usitatus quis 257

Scripturarum sacrarum lectio in Papismo cur non libera 34 testimonia ubi magno dolo bitentur, 159

Sectandi diuersa studia 87

Seculorum priorum patres quõ in Christo fuerint 285

Securitas quibus fugienda 295 quõ nostra tempestate in ecclesia inualuerit 48

Securitatem facile animis carnalib. innasci 272

Sedere Christum à dextris Dei quid 186

Senatoris cuiusdam ad imperatorem sibi non assurgentem, respõsum quale 63

Seneca Stoicus 97

Seniores & episcopi ijdem 394 à Senioribus quid Petrus requirat 3

Sentire idem 32.94

Sermo auditus Dei, euangelium 242 Dei quid sit in Thessalonicensib. peraus 243 Domini quõ non à Philippensib. sed à Thessalonicẽ sib. passi pertonuerit 224 euãgelij quõ sit comparatus 244 hominis quõ accipiatur 243 noster cur sale cõditus esse debeat 212 uerax, & sermo ueritatis quõ differant 125 ueritatis. ibid. uitæ, euangeliũ 53 quõ continendus, ut simus tãquam luminaria 54 quõ nos reddat luminaria in hoc mũdo. ibid.

Sermonis Dei accepti, manifestum τεκμήριον 244 uaria esse genera 151 ostium quando Deus aperiat 210

Sermonem Dei implere quis dicatur 151 quõ accipiamus, multum referre 243 quõ Thessalonicenses acceperint. ibid. gratiæ quõ Apostolus moderatus sit 210 recipere & prædicare quõ differant 222

per Sermonem Dei quid Apostolus intelligat 151

Sermone uitæ mentes hominum illuminari 53

Sermones nostri quõ ingrati reddantur 211

Sermonum nostrorum quæ sit conditio. ibid.

Seruire alieni ad rem aliquam 63 Deo ad Euangelium 62

in Seruiendo quæ regula Christianis seruanda 208

Seruus Domini qualis esse debeat 398 quæ Domini sunt, quatenus quærere possit 62

Serui quatenus dominis suis obedire debeant 207

Seruorum apud gentes conditio qualis 208 erga dominos suos obedientia qualis esse debeat 207 ingenia quomodo sint comparata 50 opera, quibus dominis à fide illius alienis seruitur, quõ ad Dominũ pertineant 208

Seueritas pharisaica quatenus fugienda 235

Signum Apostoli 90

Signa sacramentalia cur religiosè obseruanda 168

Signorum ac miraculorum operationes à Deo cur datæ 67

in Signis sacramentalibus quomodo Christus 185

Similitudinem & figuram hominum quõ Christo Apostolus tribuat 40 rei assimilatæ per omnia non correspondere 288

Simulacrorũ cultus, carnis opus 273 cultum abominationem esse in cõspectu Dei 225 cultores auersos esse à Deo 225

Sobrietas & uigilantia Christianis admodum necessaria 290 quantopere Christianis necessaria 291

Sobrietatem nonnunquam pro uigilantia accipi 397 plurimùm commendare diaconum 401

Solicitudo anxia à Christianis ueris aliena 108 omnis quare in Deum conijcienda. ibid.

Solis usus 166

Somnus mortuorum mirabilis 283

σωτηρίαι uox in quibus locum habeat 16

Species mala 302

à Speciebus malis quot modis abstineatur 302

Spectanda cur nostra sint, & non aliena 37

Sperare in Deum 305

ſpes Chriſtianorum unde hauriẽda 279 *Domini noſtri Ieſu Chriſti cur dicatur* 219 *euãgelij quæ ſit* 147 *fidelium qualis* 219 *impiorum qualis* 17 *noſtra Chriſtus* 219 *contra terrenorum dominorum potentiã qualis eſſe debeat* 58 *quomodo ſit intra nos* 354 *noſtra quomodo uita & ſalus æterna* 354 *ubi ſit, unde colligendum* 125 *ſanctorum qualis* 171

ſpei certitudo 17 *magna* 153 *noſtræ uirtus in quibus ſita* 135 *obiectum* 219 *uocabulum in triplici eſſe uſu* 354

ſpem bonam quare Apoſtolus æternam conſolationem uocet 341 *fidelium non confundi* 219 *piorum non confundi* 16 *quare cõſolationem æternam Apoſtolus uocet* 341 *quatenus ratio humana æſtimet* 341 *ſuam cur Theſſalonicenſes uocet Apoſtolus* 251

in Spe Euangelij permanere quid ſit 146

Spiridonis epiſcopi dictum 182

ſpiritus Dei qualis 273 *quid* 303 *ſanctus, omnium filiorum Dei ſpiritus* 26 *quos amet* 390 *quos illuminet. ibid. unde appellatus ſit* 303

ſpiritus chariſmata quõ augeſcant 301. *quomodo intercidant. ibid.*

ſine Spiritus communione ſynceros Chriſtianos eſſe non poſſe 31

pro Spiritus Dei directione indeſinenter orandum 345

ſpiritus dictio 26 *donum negligere* 300 *& animæ unitatem Chriſtianis maximè conuenire* 26. *item carnis communicatio* 22 *corporis noſtri coniunctio* 20. 21 *extinctores* 300 *fructus quinam* 294 *gaudium* 54 *partes quæ* 304 *ſancti dona inſtar ignis in fidelium cordibus* 300 *dona quomodo extinguantur. ibidem.*

ſpiritum ubi neget Auguſtinus tertiam eſſe hominis partem 303 *ueritatis mundum non poſſe capere* 110

per Spiritum quid Theophylactus intelligat 300

ſpiritu Domini qui ſe duci iactant, non mox eſſe recipendos 319

in Spiritu Deum colere quid 74

ſpiritus defunctorum fidelium quò reuertantur 285 *inuiſibiles à Chriſto creati* 137 *quõ non modò in nobis, ſed & in alijs extinguatur* 301

ſpiritibus cœleſtibus quomodo lingua tribuatur 45 *item linguæ confeßio. ibid. quomodo item genu flexio. ibid.*

ſpirituum immundorum poteſtas qualis 132 *noſtrorum μετασχηματισμὸς Chriſtus* 102

ſtare ante Deum quid 186 *ante regis faciem quid. ibid. in Domino quid ſit* 261 *in fide Chriſti* 103

ſtatus politici turbatio 275

Stephani obdormitio 279

à Stoica ἀναβάσις quàm alienus fuerit Apoſtolus 97

Stoicorum ἀναβάσεις 191

ſtudiorum & operum inter æquali ter doctos diuerſitas unde ſit 60

ſubductio ab ocioſis qualis eſſe debeat 346

ſubſcriptionis forma in literis Apoſtoli uſitata quæ 354

ſuffraganeorum confirmatio qualis 255

Suidæ locus 122.217

ſuperbia odioſa 182

ſuperbis Deum reſiſtere 234

ſuperna quare nobis quærenda ſint, 185 *quòd quærere debeamus, unde comprobet Apoſtolus* 186

ſuperſtitionibus Papatus refertus 182

Syluanus & Timotheus, cooperarij Pauli 217

συναναπαύεσθαι 23 *cum fidelibus in fide & cognitione Chriſti quõ eccleſiarum epiſcopis conueniat* 24

ſynceri quomodo Dominum expectent 101

T

Tabernacula quõ olim fieri ſolita 237

per ταπεινοφροσύνην omnẽ uanæ gloriæ ambitionem excludi 35

ταπεινοφροσύνη plurimum cõmendari in ſacra Scriptura 176 *qualem Apoſtolus doceat* 35

tempus aduentus Domini abſconditum 286 *non curioſe inueſtigandum. ibid.*

temporum diuerſorum, mores diuerſi 192

teniatio unde ſit 336

tentationis genera quib. fides noſtra inſtigante ſatana tentetur, qualia 255

tentationibus uarijs credentes expoſiti 147

tentator cur in Scripturis ſatanas uocetur 336

in Tenebrarum conſortio cum filijs huius ſeculi an uerſemur, unde cõiectandum 131 *operibus cur non conueniat Chriſtianos ambulare* 192

tenebrarum filij quomodo naſcamur 289 *poteſtas* 132 *quatenus ſatanæ licita. ibid. quomodo operetur in excæcatis. ibid.*

tenebrarum princeps ſatan. ibid. regni ciues quales 290

in Tenebris qui ambulent 132

per Tenebras quid intelligendum 289

à Tergo in hac uita quæ nobis ſint. ibid.

terminus Apoſtoli 90

terrena curare & quærere quid ſit 185 *ſectari, cur alienum à ueris Chriſtianis* 91

per Terreſtria quid nonnulli intelligant 186

Tertulliani locus 126.164.299.320. 356

in Teſte quid requiratur 316

teſtium uſus 6

teſtificans qualis eſſe debeat 316

teſtimonia Scripturarum ubi magno dolo citentur 159

Thalmudicæ fabulæ 358

Thomæ confeßio qualis 46

Theophylacti locus 88. 213

thoracis uſus 291

thoracem quomodo Apoſtolus fidei & dilectioni comparet. ibid.

Theſſalonica Macedoniæ metropolis 217.229.274

Theſſalonicæ quomodo audacter in Domino Apoſtolus egerit 229

regeneratio 217

Theſſalonicenſes ad quid à Deo uocati 305 *cur proprijs manibus laborare uelit Apoſtolus* 277 *cur non debeant ſicuti gentes ſuper ijs qui obdormierunt conſtriſtari* 279 *item non turbari propter afflictiones, quæ propter Chriſtum inferuntur* 256 *item dimoueri à mẽte, quaſi inſtet dies Domini* 320 *quare non opus habeãt ut de articulis temporum ad ipſos ſcribat Apoſtolus* 286 *quid in Apoſtolo imitari debeãt* 348 *quomodo à Deo fuerint auerſi* 226 *quomodo filij lucis facti* 289 *quomodo omnibus in Macedonia & Achaia typi fuerint* 223 *quomodo ſe debeant ordinatè gerere* 344 *quomodo ſermonem Dei acceperint* 243 *quorſum opus habuerint ut confirmarentur* 255 *recipiendo ſermonem, quomodo imitati fuerint Dominum & Apoſtolum* 222

Thessalonicenses uere'ne laborum ac fatigationis Apostoli Christi memores fuerint 237
Thessalonicensium afflictiones unde 309 conditio qualis fuerit 257 ecclesiæ locus 343 expectatio qualis 227 faciem cur Apostolus uidere desideret 262
ex Thessalonicensium facultatibus cur sumptus Apostolus non acceperit 236
de Thessalonicẽsium fide adhuc imperfecta, quomodo Apostolus tãtum gaudy concipere potuerit 262
erga Thessalonicensium fideles quomodo Apostolus affectus fuerit 251
Thessalonicensium ἀναγεννᾶ 307 regenerationis auspicia 217 cur suum cooperarium Apostolus mittat 256
Thessalonicensibus quæ tribuat Apostolus 275
Thessalonicenses cur spem suam uocet Apostolus 251 in uera pietate quàm indefesso studio Apostolus ædificauerit 239 quomodo comprobet Apostolus, non esse in tenebris 289
ad Thessalonicenses Apostolici ingressus efficacia & successus 225 scribendi occasio quæ fuerit 217 qua occasione motus sit ut Epistolam hanc scribat Apostolus 306.225
erga Thessalonicenses quomodo animatus fuerit Apostolus 240 344
in Thessalonicensibus quid sermo Dei sit operatus 243
pro Thessalonicensibus quare indesinenter Apostolus orauerit 316
timor Dei 82
Timotheus ad quas ecclesias ab Apostolo sit missus 254 cooperarius Pauli in Euangelio Christi cur à Paulo Thessalonicensibus missus. ibid. cur ad Thessalonicenses sit missus à Paulo 258 & Syluanus, Pauli cooperarij 217 probatus Christi minist. 62 quatenus Apostoli ἰσόψυχος 59 quatenus Deo ad Euangelium seruierit 63 quibus elogijs ab Apostolo commendetur 254 quibus rationibus ab Apostolo commendatus. ibidem. quomodo bonam militiam in prophetijs quæ de ipso præcesserunt, militare potuerit 376 quomodo ecclesiam Thessalonicensium confirmarit 255 quomodo se gesserit in comitatu Pauli 353
Timothei ad Philippenses quæ fuerit Apostolo mittendi ratio 58 encomium quale 62 pater quis 353 probatio quatenus Philippensibus cognita 62
Timotheo quatenus denunciatio sit commendata 375
Timotheum cur Apostolus ad Thessalonicenses miserit 55 cur Apostolus Ephesi manere uelit 355 cur Germanum filium Apostolus appellet. ibid. cur Paulus circumciderit 353 cur Philippensibus Apostolus miserit 59 quatenus Apostolus adhortetur 348 quatenus Apostolus ministrum Dei uocet 254 quatenus fratrem suũ uocet Apostolus. ibid.
Titus quare fuerit circumcisus 330
Titum quatenus Apostolus admoneat 348 quatenus Apostolus germanum filium uocet 355
tribulatio & gaudium quõ simul esse queant 222
tribulationis tempore qui deficiant 308
tribulationes instar nubis tetræ 284
in Tribulationibus medijs quos respectus gaudium habeat 222 unde Christianis sit gaudendum 130
in Thessalonicensibus medijs unde sit quod fideles gaudeant & exultent 222 qualis à Christianis patientia requiratur 130
traditio quæ nam inter Christianos autoritatem habere non debeat 366
traditiones Apostolicæ 340 humanæ duplici nomine repudiandæ Christianis 166 maiorum quomodo in Papatu prætexantur 234 quomodo Pharisæi prætexuerint 234 per quem modum ecclesijs præscribendæ 340 philosophorum uariæ 165
traditionum Apostolicarum conditio 340 humanarum doctores non esse audiendos 242
traditiones Apostolicas bifariam disci 340 quas Thessalonicensibus commendet Apostolus. ibid.
de Traditionibus quõ glorientur Papistæ. ibid.
trãquillitas in corpore humano quõ seruetur 275
trãsfiguratio & reformatio quõ differant 102
Tridẽtina Synodus quid de communione corporis & sanguinis statuerit 316
tuba extremâ cur uocetur 282
turbationis uitandæ ratio 275
Turci cur non uera Dei ecclesia 32 quando in Maomete ambulare dicantur 163
Turcorum consensus quatenus non laudandus 32 fides qualis 281. 340 imperator quomodo magnificentiam suam ostendat 18
cum Turcorũ pseudopropheta quid Antichristus commune habeat 325
Turcis quõ Christiano seruiendum 208
Tychicum cur ad Colossenses Apostolus miserit 212

V

VAu literâ initio sententiæ ociosè usurpari 20
in Vanum currere 54 laborare. ibid.
ubiquetariorum cœlum 311 dogma 285
uerbum Christi cur solùm in ecclesia retineri ac sonare debeat 201 & non alterius in ecclesia Christi retinendum 200 quid. ibid. quomodo in ecclesia regnare debeat 201 quomodo opulentè inter nos habitare debeat 202 ut inter nos opulentè habitet, quomodo curandum. ibid. euangelij seminis instar 163
uerbi Christi uerus usus 202
de Verbi Dei ministris cur non contemptim sentiendum 296 minister ubi securè imitandus 221 quare in summo precio habendi sint 296 ministro qui honor debeatur. ibid. ministris quatenus Apostoli diligentia sit imitãda 71
uerbo Christi cur omnem sapientiã Apostolus tribuat 202 quõ abundantia detur 201
ad Verbum quæ sint referenda 204
de Verbo Dei dubitare non esse hominis Christiani 280
in Verbo Christi quæ sit abundantia 201
uerba qualia à Christiano expectanda 212
uerbotenus dici 182
ueritas 112 omnium fortissima 77
ueritatis agnitio quæ sit 382
ad Veritatis agnitionem quõ ueniẽdum 382
inter Veritatis auditores & doctores quomodo hostes Christi discriminent 150
ueritatis causa quomodo intelligentiæ perspicuitatem amittat 255

ad Veritatis cognitionem cur non omnes perueniant 382 quomodo ueniendum. ibid.
sine Veritatis cognitione salutem nemini constare. ibid.
ueritatis Dei in Christo medicinã qui fastidiũt, quõ sint cõparati 335 diuisio 112 fides quæ saluet 339 lucem cur aduersarij extinguere conentur 229 multiplex consideratio 382 regulæ quæ 356 sermo, euangelium 148 spiritum corruptam naturam recipere nõ posse 336 spiritum mundum accipere non posse 93
ueritatem à mendacio nunquam uinci posse 27
Veritatem Dei ægrè ab hominib. agnosci 33 dicere quid sit 387 loqui abdicato mendacio quid sit 194 per mendacium adulterari. ibid. quamuis non saluare credentem 338
uetus homo 194 in nobis quõ dupliciter mortificetur 169 quõ exuendus 195 quõ crucifigatur 169 in persona Christi, ibid. quõ realiter in nobis crucifigatur ibid. quõ sacramentaliter in nobis crucifigatur. ibid. testamẽti instar noctis 174
ueteris Adæ mortificatio sacramentum in baptismo quale 85 hominis facta qualia 194 hominis membra mortificare quid 192 testamenti figuræ quomodo sint comparatæ 174
uia Dei quæ sit 241
uictum necessarium quomodo Apostolus sibi comparârit 237
uigilantia ubi locum habere non possit 290 & sobrietas Christianis admodum necessaria. ibid.
uigiliam & sobrietatem in fide, dilectione ac spe saluatis, quare Christiani custodire debeant 291
uindicta Deo ultori committenda 272
uinculorum Apostoli commodum 12 Pauli finis 15
uir imago Dei 195 quõ uocetur 134
uiros quare in omni loco orare uelit Apostolus 387
uirgæ castigatio in quem finem adhibenda 377 in domo Dei usus quis. ibid.
uirgo Maria papistarum spes 153
uirium nostrarum infirmitas 317
uirtus ethica 112
uirtutes unde sint 113.197
uiscerum significatio in Scriptura qualis 7.197
uita æterna quæ 80.270. quid 312. 371 quibus interuertatur 175 quomodo acquiratur 373 unde nobis constet 54 fidelium cum Christo abscondita 187. in tempestatibus marinis quomodo redimatur 211 omnium quõ sit cõparata 288 nostra Christus 219 cum actibus suis quomodo deprauetur 190 quomodo in Deo unà cum Christo abscondita 187 uera Christus 53
uitæ autor Christus 139 æternæ sine conuersione neminem participem fieri 225 futuræ status qualis 284 humanæ uariæ mutationes 195 innocentia qualis requiratur à fidelibus 51 nostræ opus quod nam sit 19 spiraculum cur anima in Scripturis uocetur 303
uitam Christi quatenus Colossenses uixerint 187
ad Vitam cœlestem quæ necessaria 103 æternam unde sibi Christiani polliceantur 163
uitij cuiusq; oppositum, uirtus 112 diuisio. ibid.
uitia. ibid. quomodo spectanda sint 36
uiuere in medio prauæ nationis quid sit 52 secundum carnem, mors 22
uiui cum mortuis quõd simul rapiemur, quid sit 284
uiui quõ in occursum Domini in aera rapi possint 283
uiuificandorum ratio coram Deo qualis 170
ultio quare æterna futura 313
ultioni qui obnoxij futuri 312
ultionem quibus Christus infliget 312
unitas in Ecclesia per Arrium rupta 33
unitatis ratio. ibid.
unum & idem inter quos sentiri nõ possit 34 nisi sentiamus, idem sentire non posse 33
uocatio qua ad ecclesiam uocamur, una & eadem 200
uocatio nostra in Christo Iesu quomodo sit comparata 272
uocatione cœlesti qui digni 316. item indigni. ibid.
uoluntas Dei erga nos gemina 300 qualis 385 quatenus nobis sit abscondita 151 quæ sit 144. 252 268 quõ consideranda 128 diuini placiti qualis 142 humana qualis 49 quomodo sit comparata. ibidem.
uoluntatis Dei cognitio 129 sedes cor 49
uoluntati Dei quomodo potißimum seruiat mulier 393
uoluntatem bonam an Deus in omnibus operetur 49 Dei simpliciter in se infinitæ esse considerationis 128 quomodo Deus operetur 49 unde sit quod operatio sequatur. ibid.
Vrias Ethæus cur noluerit domestica refocillatione frui 193
uxor cur marito coniuncta 391
uxoris Loth ad Sodomam respectus 89
uxori Christianæ quale ἀντίτυπον propositum 205
uxores diaconorum & episcoporum quales esse debeant 492
uxores quatenus uiris suis subditæ esse debeant 206

X

XEnodochia quando separatim instituí cœpta 397

Z

ZElus & iusticia quõ coniungãtur 78
zelus Iudæorum qualis 246
zelo & scientia Dei cur Christiano homini sit opus 160
ad Zelum & studium Thessalonicensium quæ plurimum ualeant 307

FINIS.

BASILEAE, APVD. HAEREDES
IOANNIS HERVAGII F. ANNO
Salutis humanæ M. D. LXV.
Menſe Martio.

